UAN
IDAD AUTÓNOMA DE NUEV
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC

ANT
T. 2
2.
BX1758
.A5
1782
v.2
c.1
132392

1080046110

E42-C44d

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA
R. P. GABRIELIS ANTOINE
A REVERENDO PATRE
PHILIPPO DE CARBONEANO
PRIDEM NOTIS, ET APPENDICIBUS AD USUM MISSIONARIORUM POTISSIME AD SACROS CHRISTIANORUM RITUS, ET ECCLESIÆ ORIENTALIS DISCIPLINAM SPECTANTIBUS AMPLIFICATA,

Dein novis accessionibus ex geminis scholarum & Ecclesiæ Doctoribus S. THOMA AQUINATE & S. BONAVENTURA CARD. *depromptis ad* PAROCHOS, CONFESSARIOS, *præsertim vero ad* STUDIOSAM JUVENTUTEM *informandam aucta, & illustrata*

A R. P. BONAVENT. STAIDEL M. C.

ACCEDUNT

TRIA OPUSCULA EX AUREO MELCHIORIS CANI DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRO DESUMPTA, ET DISCEPTATIO PROOEMIALIS DE LEGE DIVINA.

EDITIO X. ABSOLUTISSIMA
A JO. DOMINICO MANSI
ARCHIEPISCOPO LUCENSI

MEDULLITUS INSPECTA, PERMULTIS ALIIS ADDITIONIBUS EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. ET CLEMENTIS XIII. & XIV.

Litteris apostolicis excerptis locupletata, correcta, nonnullis figuris æneis in fronte quorumdam Tractatuum ornata,

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

TOMI SECUNDI PARS PRIMA.

VENETIIS MDCCLXXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS
46175
UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
MICROFILMADO

BSC1758
.A5T
1782

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Rosa Lanzi*, Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Theologia Moralis universa a R. P. Paulo Gabriele Antoine primum concinnata &c.*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 4. Novembre 1768.

(ANGELO CONTARINI PROC. RIFORM.
(ALVISE VALLARESSO RIFORM.
(FRANCESCO MOROSINI 2. CAV. PROC. RIFORM.

Registrato in Libro a carte 364. al Num. 2601.

Registrato al Magistrato della Bestemmia in libro a carte 5. *Davidde Marchesini Segretario.*
Andrea Grattarol Segretario.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter ristampare il Libro intitolato: *Theologia Moralis Universa P. Gabrielis Antoine &c., a P. Dominico Manfi Archiepisc. Lucens. Medullitus inspecta &c.*, osservando gli ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 27. Ottobre 1774.

(
REA QUERINI RIFO RM.
(GIROLAMO GRIMANI RIFORM.
(SEBASTIAN FOSCARINI CAV. RIFORM.

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON
132592

Registrato in Libro a Carte 171. al Num. 142.

Davidde Marchesini Segretario.

INDEX.

TOMI SECUNDI PARS PRIMA.

TRACTATUS

De Virtutibus Theologicis. *Pag.* 1

PARS I. *De Fide.* 2
CAP. I. *De natura & necessitate Fidei.* ibid.
Actus Fidei. 6
CAP. III. (pro II.) *De actu externo, seu confessione Fidei.* 6

APPENDIX.

Ad usum Missionariorum. 8
CAP. III. *De Peccatis Fidei oppositis.* 10

APPENDIX.

De Librorum prohibitione. 16
CAP. I. *De Ecclesiæ circa libros improbatæ lectionis potestate; deque disciplina, quam circa eosdem servavit cum nondum ars typographica inventa esset.* ibid.
CAP. II. *De stabilita per Apostolicam Sedem disciplina circa examen, proscriptionemque librorum post inventam artem typographicam, ac post ortas Lutheri, Calvinique hæreses.* 18
Constitutio Benedicti XIV. *De methodo in examine, & proscriptione Librorum servanda.* 19
CAP. III. *De auctoritate decretorum libros vetantium, de pœnis in eos latis, qui hujusmodi libros legunt, retinent &c.* 24.

APPENDIX.

De communicatione in divinis cum Hæreticis, & Schismaticis. 28
Ad majorem vero Instructionem addere placuit integram nonnullorum dubiorum solutionem, quæ prodiit ex Supr. Inquisitione die 10. Maji 1673. quæque ita se habet. 29

PARS II. *De Spe.* 30
Actus Spei. 31
PARS III. *De Charitate.* ibid.
CAP. I. *De natura Charitatis.* ibid.
CAP. II. *De præcepto Charitatis.* 33
ART. I. *De præcepto Charitatis erga Deum.* ibid.
Actus Charitatis. 36
ART. II. *De præcepto Charitatis erga proximum.* ibid.
CAP. III. *De Ordine Charitatis.* 40
CAP. IV. *De Eleemosyna.* 42
CAP. V. *De Correctione fraterna.* 45
CAP. VI. *De peccatis Charitati specialiter oppositis.* 47
§. I. *De odio Dei & proximi.* ibid.
§. II. *De discordia, contentione, schismate, rixa, & seditione.* 49
§. III. *De Bello.* 50
§. IV. *De Scandalo.* 51

TRACTATUS

De Virtute Religionis.

CAP. I. *De Adoratione, Oratione, & speciatim de libris canonicis.* 56
Appendix compendiaria *ex Operibus Benedicti XIV. quoad horas Canonicas.* 63
CAP. II. *De observantia Festorum.* 66
CAP. III. *De voto.* 72
CAP. IV. *De Juramento.* 80
CAP. V. *De Vitiis & peccatis Religioni oppositis.* 88
ART. I. *De Superstitione, & ejus speciebus.* 89
ART. II. *De Irreligiositate.* 92
Regole per li Fratelli Correttori delle Bestemmie. 94
Ricordo da distribuirsi in tutte le Botteghe e Case. 96
ART. III. *De Simonia.* 96

TRA-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TRACTATUS

De Virtutibus moralibus, & Vitiis eis oppositis.

CAP. I. DE Prudentia, & Vitiis ei oppositis. 110
CAP. II. De Fortitudine, & Virtutibus ei annexis, ac Vitiis oppositis. 111
CAP. III. De Temperantia, & Virtutibus ei annexis. 113

APPENDIX.

De jejunio Ecclesiastico. 116

APPENDIX.

Ad usum Missionariorum. 120
De Orientalis Ecclesiæ circa Jejunium disciplina. ibid.
CAP. IV. De Virtutibus Justitiæ annexis. 123

TRACTATUS

De Justitia, & Jure, Injustitia, & Restitutione.

PARS I. DE Justitia, & Jure. 126
CAP. I. De Justitia. ibid.
CAP. II. De Jure. 127
§. I. De Dominio. ibid.
§. II. De præscriptione. 131
§. III. De usu, usufructu, & servitute. 133
§. IV. De Possessione. 134
PARS II. De injuriis, & necessaria restitutione in genere. 135
CAP. I. De Injuria seu injustitia in genere. ibid.
CAP. II. De natura & necessitate restitutionis. ibid.
CAP. III. De radice obligationis restituendi. 136
CAP. IV. De Cooperantibus ad damnum. 147
§. I. De Mandante. 150
§. II. De Consulente. 151
§. III. De Consentiente. ibid.
§. IV. De palpone, seu adulatore, & laudatore. 152
§. V. De Receptatore. ibid.
§. VI. De Participante. ibid.
§. VII. De Caussa negativa. ibid.
CAP. V. De circumstantiis restitutionis, & ordine in eo servando. 153
CAP. VI. De caussis excusantibus a restitutione vel ejus dilatione. 156
PARS. III. De injuriis in particulari, & necessaria restitutione. 160
CAP. I. De injuriis & damnis in bonis spiritualibus, & necessaria restitutione. ib.
CAP. II. De Injuriis in corpus proximi per homicidium & mutilationem, & necessaria restitutione. 161
CAP. III. De injuriis in corpus proximi per stuprum & adulterium, & de necessaria restitutione. 171
CAP. IV. De injuriis contra famam & honorem per judicium temerarium, detractionem, calumniam, & contumeliam, & de necessaria restitutione ec. 175
CAP. V. De Injuriis in bonis quæ dicuntur fortunæ, & necessaria restitutione. 187

TRA-

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Nota 1.

VIrtus generatim recte definitur habitus habilitans vel inclinans ad rectam operationem; & consequenter perficiens ac recte disponens subjectum, cui inest. Unde ex S. Augustin. lib. 3. qu. 41. *Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus.*

Virtutes dividuntur. 1. In intellectuales, quæ intellectum habilem reddunt seu inclinant ad actum verum; & in virtutes voluntatis, quæ voluntatem habilem reddunt, vel inclinant ad actum honestum. 2. In theologicas, & morales. Virtutes theologicæ, de quibus hic agitur, sunt ex, quæ habent Deum pro objecto materiali immediato saltem primario, & aliquam ejus perfectionem pro formali, seu motivo saltem principali. Tres sunt, nempe Fides, Spes, & Caritas. *De Virtutibus Moralibus seu ea eo* (1).

Nota

(1) *Omnium generatim Virtutum, videlicet quæ Theologicarum, quæve Moralium finem, necessitatem, usum hac præclara doctrina pandit D. Bonav. (in 3. sent. dist. 33. art. 1. q. 1.)* Generalis necessitas virtutum est ad rectificandum potentias animæ contra obliquitatem, & ad vigorandum contra difficultatem: virtus enim facit potentiam rectam, & vigorosam. Et quoniam convenit hominem ordinari ad Deum, proximum, & se ipsum, & in his eisdem potest obliquari, & impediri, sive retardari: hinc est, quod non solum indiget habitibus ipsum vigorantibus, & rectificantibus, prout directe tendit in Deum, cujusmodi sunt habitus virtutum theologicarum, sed etiam habitibus indiget ipsum regulantibus, & rectificantibus, prout ordinatur ad se ipsum, & ad proximum, & tales sunt habitus virtutum cardinalium. Unde sicut præter præcepta primæ tabulæ, quæ directe ordinant in Deum, opportunum fuit ponere præcepta secundæ tabulæ, quæ ordinant ad proximum; sic etiam in habitibus est intelligendum. Et propterea, præter habitus virtutum theologicarum, necessarium est ad salutem ponere habitus virtutum cardinalium. *Itaque merito alibi scripsit* (*Compend. Theol. Verit. lib. 5. c. 8.*) Sicut in cithara, si defuerit una chorda, non erit harmonia perfecta: ita nec in anima erit spiritualis melodia, nisi adsint omnes virtutes. *Porro de utriusque classis virtutibus maxima cum laude, summoque Christianæ Reipublicæ emolumento scripsit Angelicus Doctor in ea Theologicæ Summæ parte, qua dicitur secunda secundæ, ab initio ad finem usque, ubi etiam vitia quæque contraria diligentissime persecutus est: item in quinque postremis quæst. quæ de Spir. Creatoris inscribuntur. Multa pariter de Virtutibus, tum Theologicis, tum Moralibus, sapientissime tradidit Bened. XIV. variis in locis Operibus de Beatiss. Sacr. Dei, (præsertim lib. 3. c. 23. & 24.) quæ magna ex parte sunt derivata ex prælaudato ditissimo Thesauro Angelico. Eum ipsum in finem consulenda, ac sedulo perlustranda optima Commenta-*

TRACTATUS

De Virtutibus moralibus, & Vitiis eis oppositis.

CAP. I. DE Prudentia, & Vitiis ei oppositis. 110
CAP. II. De Fortitudine, & Virtutibus ei annexis, ac Vitiis oppositis. 111
CAP. III. De Temperantia, & Virtutibus ei annexis. 113

APPENDIX.

De jejunio Ecclesiastico. 116

APPENDIX.

Ad usum Missionariorum. 120
De Orientalis Ecclesiæ circa Jejunium disciplina. ibid.
CAP. IV. De Virtutibus Justitiæ annexis. 123

TRACTATUS

De Justitia, & Jure, Injustitia, & Restitutione.

PARS I. DE Justitia, & Jure. 126
CAP. I. De Justitia. ibid.
CAP. II. De Jure. 127
§. I. De Dominio. ibid.
§. II. De præscriptione. 131
§. III. De usu, usufructu, & servitute. 133
§. IV. De Possessione. 134
PARS II. De injuriis, & necessaria restitutione in genere. 135
CAP. I. De Injuria seu injustitia in genere. ibid.
CAP. II. De natura & necessitate restitutionis. ibid.
CAP. III. De radice obligationis restituendi. 136
CAP. IV. De Cooperantibus ad damnum. 147
§. I. De Mandante. 150
§. II. De Consulente. 151
§. III. De Consentiente. ibid.
§. IV. De palpone, seu adulatore, & laudatore. 152
§. V. De Receptatore. ibid.
§. VI. De Participante. ibid.
§. VII. De Caussa negativa. ibid.
CAP. V. De circumstantiis restitutionis, & ordine in eo servando. 153
CAP. VI. De caussis excusantibus a restitutione vel ejus dilatione. 156
PARS. III. De injuriis in particulari, & necessaria restitutione. 160
CAP. I. De injuriis & damnis in bonis spiritualibus, & necessaria restitutione. ib.
CAP. II. De Injuriis in corpus proximi per homicidium & mutilationem, & necessaria restitutione. 161
CAP. III. De injuriis in corpus proximi per stuprum & adulterium, & de necessaria restitutione. 171
CAP. IV. De injuriis contra famam & honorem per judicium temerarium, detractionem, calumniam, & contumeliam, & de necessaria restitutione ec. 175
CAP. V. De Injuriis in bonis quæ dicuntur fortunæ, & necessaria restitutione. 187

TRA-

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Nota 1.

VIrtus generatim recte definitur habitus habilitans vel inclinans ad rectam operationem; & consequenter perficiens ac recte disponens subjectum, cui inest. Unde ex S. Augustin. lib. 3. qu. 41. *Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus.*

Virtutes dividuntur. 1. In intellectuales, quæ intellectum habilem reddunt seu inclinant ad actum verum; & in virtutes voluntatis, quæ voluntatem habilem reddunt, vel inclinant ad actum honestum. 2. In theologicas, & morales. Virtutes theologicæ, de quibus hic agitur, sunt ex, quæ habent Deum pro objecto materiali immediato saltem primario, & aliquam ejus perfectionem pro formali, seu motivo saltem principali. Tres sunt, nempe Fides, Spes, & Caritas. *De Virtutibus Moralibus seu ea eo* (1).

Nota

(1) *Omnium generatim Virtutum, videlicet quæ Theologicarum, quæve Moralium finem, necessitatem, usum hac præclara doctrina pandit D. Bonav. (in 3. sent. dist. 33. art. 1. q. 1.)* Generalis necessitas virtutum est ad rectificandum potentias animæ contra obliquitatem, & ad vigorandum contra difficultatem: virtus enim facit potentiam rectam, & vigorosam. Et quoniam convenit hominem ordinari ad Deum, proximum, & se ipsum, & in his eisdem potest obliquari, & impediri, sive retardari: hinc est, quod non solum indiget habitibus ipsum vigorantibus, & rectificantibus, prout directe tendit in Deum, cujusmodi sunt habitus virtutum theologicarum, sed etiam habitibus indiget ipsum regulantibus, & rectificantibus, prout ordinatur ad se ipsum, & ad proximum, & tales sunt habitus virtutum cardinalium. Unde sicut præter præcepta primæ tabulæ, quæ directe ordinant in Deum, opportunum fuit ponere præcepta secundæ tabulæ, quæ ordinant ad proximum; sic etiam in habitibus est intelligendum. Et propterea, præter habitus virtutum theologicarum, necessarium est ad salutem ponere habitus virtutum cardinalium. *Itaque merito alibi scripsit* (*Compend. Theol. Verit. lib. 5. c. 8.*) Sicut in cithara, si defuerit una chorda, non erit harmonia perfecta: ita nec in anima erit spiritualis melodia, nisi adsint omnes virtutes. *Porro de utriusque classis virtutibus maxima cum laude, summoque Christianæ Reipublicæ emolumento scripsit Angelicus Doctor in ea Theologicæ Summæ parte, qua dicitur secunda secundæ, ab initio ad finem usque, ubi etiam vitia quæque contraria diligentissime persecutus est: item in quinque postremis quæst. quæ de Spir. Creatoris inscribuntur. Multa pariter de Virtutibus, tum Theologicis, tum Moralibus, sapientissime tradidit Bened. XIV. variis in locis Operibus de Beatiss. Sacr. Dei, (præsertim lib. 3. c. 23. & 24.) quæ magna ex parte sunt derivata ex prælaudato ditissimo Thesauro Angelico. Eum ipsum in finem consulenda, ac sedulo perlustranda optima Commenta-*

Nota 1. Virtutum actus alii sunt eliciti, alii imperati. Actus elicitus alicujus virtutis est, qui ab illa immediate procedit. Imperatus est actus pertinens ad unam virtutem, sed qui ex motu ac imperio alterius virtutis fit, & ab ea assumitur tamquam medium ad proprium finem assequendum.

PARS PRIMA

DE FIDE.

CAPUT PRIMUM

De natura & necessitate Fidei.

Quæst. I. *Quid sit Fides?*

Resp. Fides actualis est assensus supernaturalis & firmissimus, datus rebus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem, seu veracitatem. Hinc objectum ejus materiale sunt res omnes a Deo revelatæ: formale vero est auctoritas Dei revelantis, per quam summe repugnat Deum falli & fallere: nam summa Dei auctoritas in revelando, quæ idem est ac veracitas, est complexum tum ex sapientia infinita, qua Deus perfectissime novit omnia ut sunt, nec potest errare; tum ex bonitate infinita, qua vult revelare res ut illas cognoscit, nec potest fallere. Quare Fides divina excludit omnem dubitationem, & formidinem saltem voluntariam (*). Fides habitualis est habitus per se infusus, elicitivus actuum Fidei cum auxilio gratiæ, sive est habitus per se infusus, permanenter habilitans ad actus Fidei eliciendos.

Nota, Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Assensus Fidei supernaturalis & utilis ad salutem, stat cum notitia saltem probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidat ne non sit locutus Deus.*

✠ Hæc propositio est 21. ex propositis ab Innoc. XI. ac ad id comprobandum, quod Auct. asserit, opus est etiam duas antecedentes, ac sequentem recenseri: 19. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium.* 20. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* Et 22. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, fimilive motivo, ad justificationem sufficit.* ✠

Quæst. II. *An & qualis actus Fidei est necessarius necessitate medii?*

Nota 1. Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo salus obtineri nequit, etiamsi illius omissio sit inculpabilis. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod est præceptum, & sine quo proinde salus obtineri nequit, si culpabiliter omittatur, nisi hæc omissio per pœnitentiam remittatur. Si tamen sit necessarium hac sola necessitate, ejus omissio inculpabilis non impedit salutem. Porro quidquid necessarium est necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, si sit in nostra potestate; nam eodem præcepto quo tenemur procurare nostram salutem, tenemur etiam nobis comparare media ad salutem necessaria. Certum est autem, habitus Fidei, Spei, & Caritatis esse omnibus, etiam infantibus necessarios necessitate medii, *ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7.* nam nemo unquam justificatur sine infusione habituum Fidei, Spei, & Caritatis. Sed nullus actus virtutis infantibus est necessarius ad salutem, cum nullius sint capaces, & tamen salvari possint.

Nota 2. Aliquid credi potest, vel expresse, hoc est, distincte, & secundum se ac proprium conceptum; vel implicite, id est, non distincte, non secundum se, sed confuse, & in alio in quo continetur: ut cum creditur, quidquid Ecclesia credit, tunc creduntur implicite omnia dogmata Fidei.

Resp. 1. Omnibus adultis est necessarium necessitate medii credere explicite actu supernaturali Deum existere, providere saluti hominum, & justos remunerari vita æterna. Constat ex Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. *sine qua* (Fide) *nulli contigit unquam justificatio.* Nam Deus non vult salvare adultos, sine propria eorum cooperatione, quæ non potest sine tali Fide salutem procurare. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Nunquam Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* Requiritur autem explicita Fides Dei ut remuneratoris supernaturalis, nempe per vitam æternam in cælo, quam solus Deus revelavit & promisit, quæque est supernaturalis merces.

Resp. 2. Nunc ab Evangelii promulgatione omnibus adultis necessaria est necessitate medii Fides explicita Incarnationis quoad divinitatem, humanitatem, passionem, mortem, & resurrectionem Christi Salvatoris nostri.

Prob. 1. Ex Joan. 17. *Hæc est vita æterna* (id est *via* adsequendæ vitæ æternæ) *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Et ad Gal. 2. *Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per Fidem Jesu Christi. Et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex Fide Christi.* Ubi Apostolus agit de Fide in Jesum Christum, qualem habebat ac prædicabat, & docentur Fideles. At talis Fides est Fides explicitæ Christi ut veri Dei & hominis, pro salute hominum mortui &c. Deinde Fides Christi in sensu proprio id significat; per Fidem Christi plus intelligitur, quam per Fidem Dei ut remuneratoris, & saluti humanæ providentis, quæ est Fides implicita Christi. Idem docent Patres.

2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 6. ubi exponens ea, quæ ad justificationem credi debent, ait: *Libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.*

3. Ex S. Augustin. lib. 1. de corrept. & grat. c. 7. *A damnatione se non liberabunt, qui dicere potuerunt, se non audivisse Evangelium Christi.* Et infra; *Quicunque ab illa damnatione, ipsa divina gratia largitate dissenti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiant, credunt &c.*

4. Quia homines debent nosse viam salutis pro ratione status in quo versantur: aut Christus est via salutis nostræ, ut ipse testatur Joan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et vero non est verisimile Deum voluisse, Fidem explicitam Christi pro ejus gloria & salute nostra mortui, & auctoris salutis nostræ, & jam ubique publice prædicati, non esse magis necessariam, quam sit cognitio aliarum rerum, a quibus non ita pendet salus nostra: præsertim cum hoc ad honorem Christi conducat.

Resp. 3. Nunc etiam sic necessaria est Fides explicita SS. Trinitatis. Quia 1. Fides SS. Trinitatis est objectum Fidei nostræ primarium, & fundamentum salutis nostræ; & ideo Baptismus, qui est Sacramentum Fidei, necessario conferri debet, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ex Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* At quod est salutis fundamentum, id certe secundum se & ex-

(*) *De volita revelatione.*

plicite requiritur. 2. Fides explicita Incarnationis non potest esse sine Fide explicita Trinitatis; nam (ut ait S. Thom. 2. 2. q. 2. ar. 8.) *In mysterio incarnationis hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit.* Ex Symbolo Athanasiano ab Ecclesia usu recepto, & approbato, ubi: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur &c. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat &c. ... Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

✠ Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem, quæ est n. 24. *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* ✠

Resp. 4. Necesse est necessitate medii, ut adulti credant generatim vera esse omnia, quæ a Deo revelata & promissa sunt, quæque per Ecclesiam credenda proponit; ideoque credant implicite omnia Fidei dogmata, ex Conc. Trid. sess. 6. c. 5. supra cit. Et vero auctoritas Dei revelantis exigit, ut saltem sic generatim credantur omnia, quæ ipsa revelavit.

Quæst. III. *An & quarum rerum Fides explicita præcepta sit?*

Resp. Extat præceptum speciale Fidei. Constat, 1. ex Marc. 1. *Credite Evangelio.* Et cap. ult. *Prædicate Evangelium. Qui non crediderit, condemnabitur.* 2. Quia Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundum se.* Hoc præceptum obligat tum ad credendum & continendum, tum ad discendum quæ credenda sunt, prohibetque omnem infidelitatem internam ac externam, & ignorantiam credendorum. (1)

Resp. 2. Ex communi sententia omnes adulti tenentur sub mortali ob materiæ gravitatem, credere explicite, ideoque scire & addiscere, 1. Mysteria Trinitatis & Incarnationis: nam omnia quæ sunt necessaria necessitate medii, sunt etiam adultis necessaria necessitate præcepti, si fuit in eorum potestate; quia quisque tenetur omnia media ad salutem necessaria assumere, cum ex lege divina & caritate sui teneatur salutem suam procurare. Præterea illa mysteria sunt primarium Fidei objectum, ergo si quæ objecta tenemur explicite credere, maxime ista.

2. Omnes articulos Symboli, saltem quoad substantiam & sensum, ita ut de singulis interrogati sciant respondere. Constat tum ex Marc. cap. ult. cit. tum ex canonibus 38. 59. 105. dist. 4. de consecr. & catechismo Romano; cum ex praxi perpetua Ecclesiæ, quæ semper Symboli notitiam a fidelibus exigit; nec ullum adultum sine illa ad Baptismum admisit: tum quia præceptum Fidei obligat per se ad præcipua salutem Fidei Christianæ capita, seu articulos cognoscendum & credendum; idque exigit

(1) *Actus Fidei non debent comprehendere tantum in genere quidquid Fides dictat, sed debent etiam credi explicite ex Mysteria quæ sciri debent.* Inst. Eccl. Lambertini 72.

ria eiusdem D. Thomæ a duobus præsertim interpretibus edita, nimirum a doctissimo Sylvio, & eximio P. Suarezio. S. Bonaventura propositum thema quam frequenter attigit in aureis suis Operibus: præsertim vero & accurate in lib. 3. sent. dist. 25. & novem seq. in Centiloq. par. 3. sect. 38. usq. ad 43. in Compend. Theol. Verit. lib. 3. c. 5. usq. ad 38. atque in Opusc. integro de Gradib. Virt. ubi velut per scala gradus ascensum aperit ad montem omnium virtutum. Posteriori hac ætate gloriam Seraphici sui Magistri feliciter æmulatus est Em. Card. Brancatus de Lauræa tribus integris Tom. in fol. nempe 2. 3. & 4. in lib. 3. sentent. quæ Reverendissimi Consultores Sacræ Congr. Rituum valde suspiciunt, ac familiares habent. Missos facio plures egregios Scriptores Ethicos, qui de solis virtutibus Cardinalibus, seu Moralibus scite pertractarunt, inter quos eminent ex antiquis Ægidius Romanus Augustinensis ætque, ac Columnensis Familiæ decus, in Oper. de Regim. Princip. lib. 1. par. 2. per totum, & ex recentioribus Emin. Card. de Aguirr Benedictinæ Scholæ columen, in duobus integris Tom. in fol. scilicet Disput. Ethic. & Comment. in Aristot. Ethicam. *Juvat Notam hanc absolvere ingenioso, ac salubri monito D. Bonaventuræ, cujus pariter verbis ipsum inchoavimus. Confirmata, juncta constantem SS. Patrum doctrinam, mirabili connexione, & simultudine virtutum, observat (Comp. Theol. Verit. lib. 3. cap. 8.) illarum aliquas esse matres reliquarum*; non quod habitus virtutis generet habitum, sed motus motum. *Atque secundum hunc modum, subdit* quatuor dicuntur esse matres virtutum, scilicet Fides origine, quia ex motibus fidei surgunt motus aliarum virtutum: Caritas educatione: Prudentia regimine: Humilitas conservatione. *Porro autem quidquid non sit Dissert. Proem. (N. 34. usq. ad 49.) de necessitate, utilitate, extantia* Doctrinæ divinitus revelatæ *traditionis, duce ipso Seraphico, ac tribus aliis veteris Scholæ Principibus, debet procul dubio censeri, ac retineri velut præcipuum fundamentum, ac necessaria ejusque ad Tract. de* Supernaturali Fide, *quem hic e vestigio Auctor erditur.*

git status ac professio hominis christiani, qui debet scire mysteria & doctrinam Christi, saltem quoad substantialia capita, quæ ut omnibus cognoscenda & credenda Apostoli divino instinctu disposuerunt.

3. Sacramenta saltem ea quæ debent aut volunt suscipere, eorum efficaciam & dispositiones necessarias ad ea debite, & utiliter recipienda: nam sine tali cognitione non possunt illa religiose ac digne suscipere: item sacrificium Missæ: nam tenentur ei reverenter, ac devote interesse.

4. Tenentur scire omnia Dei & Ecclesiæ præcepta & omnes obligationes ad suum statum, munus, ac officium pertinentes. Nam singula præcepta obligant ad sui cognitionem, cum sine ea observari ut queant, præcipiens enim finem præcipit simul media ad illum necessaria. Immo, ut notat Deluge, cognitio & Fides mandatorum Dei necessaria est non solum ex præcepto aliarum virtutum, sed etiam ex ipsa virtute Fidei, quatenus sunt veritates a Deo revelatæ, ut ab omnibus credantur, & in praxim reducantur: nam quando Deus aliquid universaliter præcipit, atque proponit & revelat, ut a subditis omnibus observetur, ipsa virtus Fidei obligat ad credendum positive præceptum, & ad audiendum & cognoscendum illud. Neque hæc possunt sine gravi irreverentia contra auctoritatem divinam omitti.

5. Orationem Dominicam; nam datur præceptum orandi: & hæc oratio præcepta est a Christo, Matth. 6. *Sic orabitis*. Et Ecclesia dicit in Missa: *Præceptis salutaribus moniti . . . audemus dicere: Pater noster &c.* continetque omnia a Deo petenda.

Ex præcepto autem Ecclesiæ, & consuetudine vim Legis habente, tenentur omnes scire memoriter Symbolum Apostolorum, Decalogum, Orationem Dominicam, & quidam lingua qua intelligatur, atque etiam modum formandæ Crucis. Debent autem horum omnium sensum percipere, cum debeant ista scire, ut res Fidei credant, & fervent præcepta. Idem videtur de Salutatione Angelica, ob consuetudinem Ecclesiæ coranis & exigentis, ut discatur, & usum omnium fidelium, contra quem qui illam addiscere negligerent, ab omnibus merito reprehenderetur.

Porro hæc omnia tenentur pueri addiscere pro suo captu, cum primum usum rationis assecuti fuerint. Quia tunc debent virtutem suam ad finem ultimum dirigere, elicere actus Fidei, Spei, & Caritatis, servare mandata &c. Unde tenentur parentes ex hac ipsos docere vel per se, vel per alios.

Hinc peccant mortaliter, 1. Omnes qui ista culpabiliter ignorant, vel discere negligunt. 2. Parentes, domini, & superiores, qui non curant ut liberi & subditi hæc omnia calleant. 3. Parochi, qui oves suas in iis diligenter non erudiunt &c.

Nota. Parochi, confessarii, concionatores tenentur eam scientiam rerum Fidei & præceptorum habere, ut & alios explicare, & difficultates saltem communes intelligere ac dilucre possint; aliqui non possunt alios recte instituere, ex Malach. 2. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Episcopi vero longe ampliorem & perfectiorem cognitionem habere debent, cum ex officio teneantur Fidem explicare, tueri, & fallacias hæreticorum diluere, ex c. 1. ad Tit. 1. & ad Tim. 3. *Oportet Episcopum esse Doctorem*.

¶ Quamquam ea, quæ sunt ab Auctore explicata, satis indicare videntur, quæ sit Missionarii obligatio in iis circa fidem instruendis, qui sunt ejus curæ concrediti: tamen tum ob laxas, quæ hac de re circumferuntur opiniones, tum ut ea exponamus, quæ Apostolica Sedes Missionariis inculcat, pauca addere necessarium putamus. Primo itaque monemus, graviter peccare Missionarios, si non curent, ut ii, quos eruditionis suscipiunt, ea sciant, quæ ex Ecclesiæ præcepto, & consuetudine vim legis habente Fidelium quisque scire tenetur: idque, contra Vercellium, qui tit. de Fide q. 6. sect. 10. afferit Missionarios numeri sui satisfacere, si Mengrellenses Fideles *instruant in Mysteriis Trinitatis, & Incarnationis*. Nam si Parochi, qui curam animarum penes orthodoxos exercent, graviter peccant, si fulliciri non sint, ut eorum curæ concrediti fideles ea sciant, quæ Ecclesia non sciri tantum, sed etiam quoad fieri possit, memoriæ mandari præcipit; multo magis peccabunt Missionarii, si in iis Orientales non instruant; quippe ii majorem instructionem exigunt; tum ob maximam, in qua gens illa versatur, ignorantiam; tum ob periculum, quod iis imminet perversionis ex Infidelibus, Schismaticisque, inter quos vivunt; tum denique, quod experientia edocti simus, parum instructos facile a Christiana, vel orthodoxa fide deficere. Imo Missionarii monere tenentur Fideles de obligatione, quam habent hæc omnia sciendi. Concilium Mogultinum tempore Caroli Magni celebratum c. 40. hæc præcipit. *Symbolum, quod est famulum fidei, & Orationem Dominicam discere semper admonentur Sacerdotes Populum Christianum, volumusque ut condignam disciplinam habeant, qui hæc discere negligunt*. Et Forumjuliense Concilium eadem ferme tempore coactum, postquam dixit, hæc Christianos omnes memoriter scire oportere, subdit: *quia sine hac benedictione nullus poterit in Cælorum Regno percipere portionem*. Atque, ut alia præteream, tam. men. Benedicti XIV. Constitut. incipiens: *Etsi minime*, tom. 1. Bull. pag. 110. *Constabit*, inquit, *Episcopos ut Sacerdotes excipientes Confessiones foxum illud immortunque semper animo habuisse, invalidam esse absolutionem Sacramentalem, quam quis ignorans res necessarias necessitate medii impertitur, nec posse hominem Deo per hujusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius excussa hujus ignorantiæ caligine ad agnitionem fidei educatur. Sedule etiam animadvertit Confessarius, in aliud tempus reficiendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate præcepti sub vitio nescit, & eo quandoque casu Pœnitentem absolvi posse, quo se vinctibilis hujus ignorantiæ eum agnoscat; & accusse: ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum Confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua, divina gratia prasidio, discat etiam necessaria necessitate præcepti*.

Secundo aggravi culpa excusari nequeant, si eos, qui ex hæresi, & schismate ad orthodoxam fidem venire velint, vel illos, ex. gr. qui ex Nestorianis, Eutichianis, Semieutichianis, sive Jacobitis, aut Græcis Schismaticis trahentes originem orthodoxam fidem jam susceperunt, eamque inter gentes hujusmodi erroribus infectas profitentur, non doceant errores, quos habent contra fidem & mores. Non solum enim curare debent, ut ii sciant, quæ necessario scire debent necessitate medii, & necessitate præcepti, ut supra est demonstratum; sed præterea ut exuant omnino errores, & ita sint instructi, ut eos præcavere valeant, ne immaculatam Christi Ecclesiam & orthodoxam fidem pravis opinionibus, & erroribus deturpent. Ideo enim Apostolica Sedes ad Infidelium, Hæreticorumque regiones Missionarios mittit, ut ex errorum tenebris, in quibus versantur, ad veritatis lucem, & a via perditionis ad æternæ salutis viam gentes illæ revocentur. At, qua ratione errorum tenebras deppellent, si errores ignorent? Quo modo fide, quæ lux illa est, quæ illuminat omnem hominem, illustrabuntur, si errores in iis maneant, quibus obscuratur? Qui denique fieri poterit, ut per rectam viam ad æternam salutem dirigantur, si non norint, quæ Deus per Ecclesiam suam credenda, & agenda proponit, & etiam quæ Ecclesia præcipit, ut facilius æternam vitam consequamur? Itaque graviter peccant Missionarii, si hos non instruant circa errores, quos hujusmodi gens habeat contra dogmata fidei, contra naturæ, & divinæ legis præcepta, contra Ecclesiæ præcepta, quibus fideles omnes adstringuntur, ac circa sacros Ecclesiæ ritus; & si non moneant, abstinendum omnino esse a communicatione in divinis cum Hæreticis, & Schismaticis, atque ab aliis actibus, qui perversionis occasio esse possint. Atque hinc pater, quam a sana doctrina sit dissona Vercellii opinio, quam sect. 4. citatæ qu. exponit; ubi Missionarios monet, non opus esse, ut Mengrellenses, qui rudes sunt, instruantur *circa processionem Spiritus Sancti; quia Articulus captu difficilior est*, nec etiam circa errorem, quo Mengrellensium nonnulli putant, infideles esse privatum, nec universale in fine mundi subituros esse divinum judicium, quia jam judicati sunt: *quia hujusmodi error penes omnes vulgatus non est*. Nam si Missionarii tenentur procurare, ut fideles memoria teneant, saltem substantiam eorum, quæ symbolo continentur; tenentur etiam monere fideles, ut ab erroribus caveant, qui in locis, ubi ipsi degunt, vigent contra symboli articulos; at error circa infidelium judicium opponitur articulo, quo profitemur Christum Dominum venturum esse ad judicandum vivos, & mortuos, qua ratione ab Ecclesia declaratur: error autem, quo Mengrellenses, cum Græcis Schismaticis censent Spiritum Sanctum, ex Patre Filioque nequiquam procedere, fidei orthodoxæ contrarius est, ac Catholicæ Ecclesiæ declarationi, quæ particulam *Filioque* Nicæno Symbolo adjecit. Sed alt. hunc articulum esse captu difficilem. Non est autem difficilior Mysterio Trinitatis, & Incarnationis, in quibus Mengrellenses instituendos esse non negat. Præterea, quamquam articulus difficilis est, tamen non adeo difficile est intelligere errorem esse ab Ecclesia damnatum, negare Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere.

Tertio quoad infideles, qui Christianam Religionem amplecti velint, tenentur Missionarii curare, ut ii antequam sacro baptismate initientur, ita sint instructi, ut gentilitios mores omnino exuerint, & ea, quæ Christianis scitu sint necessaria, apprime norint. Id etiam præceptum est ab Alexandro VII. Const. incipien. *Sacrosancta*, & a Benedicto XIV. inculcatum sub gravissimis pœnis, in ea quæ incipit: *Omnium sollicitudinem* tom. 1. Bull. pag. 307. sequentibus verbis: *Ne ob instructionis defectum, qui sacro baptismate initiantur, immaculatam Christi*

legem, profanis, ac gentilitiis institutis ex ignorantia fruent, ac idolotriam cum orthodoxa fide confundant, ut sæpe mihi evenire nunciatum est; curabunt ii, qui Missionibus incumbunt, ne in posterum ullus ad baptisma admittatur, qui gentilitios mores prorsus non exuerit, & in fide non sit sufficienter instructus.

Atque hinc pater, non licere Missionariis differre post baptismum doctrinam passionis Christi quocumque ex prætextu. Sed ut pœnas sciant, quibus obnoxii sunt si id negligant, decretum Supremæ Inquisitionis, an. 1643. typis demandatum, afferemus. Propositum fuit a Sinensibus Missionariis dubium, quod sequitur.

Num teneantur Prædicatores Evangelii prædicare in Regno Sinarum Christum Crucifixum, & ostendere eius Sanctissimam Imaginem maxime in Ecclesiis nostris? Causa hujus dubitationis est, quia scandalizantur gentiles ex tali prædicatione, & judicant maximam esse stultitiam.

Resolutum fuit. *Nulla causa, aut prætextu differendam esse doctrinam passionis Christi post baptismum, sed omnino præmittendam: ad actualem vero prædicationem Christi Crucifixi, licet non teneantur Ministri Evangelii in singulis concionibus, sed ad proponendum verbum Dei, ac divina mysteria prudenter, & opportune, & illa pro Catechumenorum captu explicanda; non tamen sermonibus passionis Domini abstinere tenentur ea ratione, quod gentilesinde scandalum sumant, & stultitiam putent*. Item *Convenient esse, ut in Ecclesiis imagines habeantur Christi Crucifixi, & ideo curandum est, ut quoad opportune fieri potest exponantur*. Hanc resolutionem Decreto suo approbavit Sac. Congreg. de Propaganda Fide, atque eadem Sac. Congreg. supplicante, Innocentius X. servari præcepit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sibi & Apostolicæ Sedi specialiter reservatæ.

Quæst. IV. *Quandonam præceptum Fidei interne obligat?*

Nota. Præceptum aliud est affirmativum, aliud negativum. Affirmativum est, quod aliquem actum positivum præcipit primario & ratione sui, obligatque semper, sed non pro omni tempore: *Præcepta affirmativa* (inquit S. Th. 2. 2. q. 33. art. 2.) *non obligant ad semper, etsi semper obligent. Obligant autem pro loco & tempore secundum alias circumstantias arbitrar*. Præceptum negativum est illud, quod vetat aliquem actum, obligatque semper & pro omni tempore. In qualibet autem præcepto affirmativo divino, quo præcipitur actus virtutis, includitur præceptum negativum, quo prohibetur peccatum oppositum: nam ex affirmatione alicujus recte infertur negatio contrarii illius.

Resp. 1. Duplex est Fidei divinæ præceptum, aliud affirmativum, quod nos obligat ad credendum certo tempore explicite certas veritates revelatas; implicite vero cæteras omnes, & ad addiscendas res Fidei. Aliud negativum, quod obligat ad numquam dissentiendum ulli rei a Deo revelatæ, nec de ulla dubitandum. Nam dissentire uni veritati vel minimæ sufficienter propositæ ut a Deo revelatæ, aut de illa deliberate dubitare, est gravissima injuria in Deum, quasi in aliqua re falli aut fallere possit, & ejus testimonium non sit in omnibus etiam minimis infallibile.

Resp.

Resp. 2. Præceptum Fidei obligat per se ad eliciendum actum Fidei, 1. Initio usus rationis, ubi res credendæ sufficienter propositæ sunt ut a Deo revelatæ: tunc enim assensus omitti aut suspendi nequit sine injuria gravi auctoritatis divinæ: hoc ipso enim, quod Deus revelavit aliqua ut a nobis credantur, & talis revelatio nobis sufficienter proposita est, ita ut eam prudenter negare, aut de ea dubitare nequeamus; reverentia debita divinæ veracitati, quam cultu intellectuali supremo colere debemus, exigit, ut rebus revelatis firmissimum assensum statim præbeamus, quem tunc sine gravi irreverentia negare, vel omittere non possumus. Præterea tenentur adulti, ubi primum possunt, debitum mentis obsequium Deo præstare, atque se & omnia sua in Deum ut finem ultimum dirigere: ad quod necessaria est fides actualis. Idem dic de infidelibus adultis, ubi primum Fides Catholica sufficienter eis proposita est.

2. In quolibet probabili mortis periculo. Quia tunc maxime urget obligatio tendendi in Deum, eumque colendi per actus præcipuos virtutum: Deus autem, (ut docet S. Augustin. Enchir. c. 3.) Fide, Spe, & Caritate maxime colitur. Præterea justus ideo vivere, sic mori debet ex Fide.

3. Sæpe in vita. Nam præceptum tam grave momenti non pro aliquibus vicibus solum sed pro pluribus a Deo sancitum est: cum actibus Fidei Deus maxime colatur, & vita justi per illos alatur ac conservetur, juxta illud ad Gal. 3. *Justus ex Fide vivit*. Hinc Innocent. XI. damnavit has propositiones, 17. *Satis est actum Fidei semel in vita elicere*. 65. *Sufficit ipsa mysteria* (Trinitatis & Incarnationis) *semel credidisse*.

4. Cum gravis tentatio contra Fidem ingruit, quæ superari non posse videatur, nisi per contrarium actum Fidei. Nam cum hoc præceptum Fidei prohibeat omnem dissensum ac dubitationem circa veritates revelatas, præcipit etiam media necessaria ad hæc vitanda.

5. Quando facienda est Professio Fidei exterior: nam sine actu interno non esset vera professio Fidei; sed illius simulatio.

6. Quoties quis in hæresim vel dubitationem voluntariam lapsus est. Quia actus Fidei explicitus ac formalis, necessarius est ad justificationem in adulto, qui Fidei habitu caret; & quia injuria primæ veritati illata resarcienda est.

Obligat autem per accidens, seu ratione alterius præcepti, ad quod servandum necessarius est actus Fidei 1. Quando urget gravis tentatio contra aliquam virtutem, quæ sine actu Fidei vinci posse non videtur: nam quisque tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum. 2. Quoties ex præcepto eliciendus est actus aliarum virtutum, puta spei, caritatis, religionis, pœnitentiæ &c. Nam actus virtutum supernaturales necessario præsupponunt actum Fidei saltem implicitum, seu perceptibilem. 3. Actus Fidei requiritur ad justificationem peccatoris adulti.

ACTUS FIDEI.

Domine Deus omnipotens & incomprehensibilis! Firmissime credo te esse verum Deum, Unum in essentia naturæ, & Trinum in Personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, rerum omnium Factorem, supremum Dominum ac Rectorem, & finem ultimum, super omnia colendum, & amandum: qui beatitudine æterna ac perfecta Fideles justos munerat, malos vero æternis mulctis suppliciis. Credo secundam Personam, nempe Filium, factum esse hominem ex Maria semper Virgine, hunc Deum hominem pro salute nostra passum & mortuum esse, deinde tertia die resurrexisse, & postea cælum conscendisse, unde descendet omnes homines judicaturus secundum cujusque opera: Neminem nisi per ejus merita salvari, nec ullum donum salutare accipere posse, & peccatores non nisi per ejus gratiam, ac merita gratis justificari. Denique, mi Deus, credo generatim quæcumque revelasti ac promisisti, & quæcumque credit Ecclesia Catholica, Apostolica, & Romana, quæ sola vera est Ecclesia tua, & in qua sola salus obtineri potest. Hæc omnia firmissime credo, quia tu ea revelasti, qui cum sis infinita sapientia, & summa bonitas, & sanctitas, nec falli, nec fallere potes.

CAPUT II.

De actu exterior, seu Confessione Fidei.

Quæst. I. *An extet præceptum confitendi exterius fidem suo tempore?*

Resp. Affirm. Constat. 1. ex Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Et ex Luc. 9. infra citand. 2. Ex SS. Patribus: Pro omnibus sit S. Augustin. lib. de Fide & Symbol. cap. 1. *Fides officium a nobis exigit & cordis & linguæ.* 3. Ex perpetuo usu ac sensu Ecclesiæ. Et vero honor auctoritati Dei revelantis debitus exigit, ut non solum assensu interno, sed etiam professione externa ei adhæreamus, & nos subjiciamus.

Hoc præceptum, quatenus est negativum, prohibet pro quolibet tempore negationem fidei etiam mere externam; & quatenus affirmativum, præcipit confessionem externam pro certo tempore.

Quæst. II. *Quandonam obligat præceptum fidem exterius confitendi?*

Resp. Ex communi sententia obligat etiam cum vitæ damno, quoties per ejus omissionem subtraheretur honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda; ut cum prudenter speratur ex confessione Fidei conversio infidelium, vel confirmatio fidelium infirmorum, qui alias vacillaturi, aut Fidem negaturi essent; aut quando ex rei urgentis sequeretur contemptus religionis, vel scandalum, vel confirmatio in errore, perversio aliquorum; aut minueretur apud infideles existimatio de Deo vel religione Christiana; aut omissio confessionis conferretur implicita Fidei negatio, ita S. Th. 2. 2. q. 3. ar. 2. *Confiteri*, inquit, *Fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore quando fideles per omissionem hujus confessionis subtraherentur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda: puta, si aliqui interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet Fidem, vel quod Fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem removerentur a Fide; in hujusmodi enim casibus confessio Fidei est de necessitate salutis.* Et ad 2. *In casu necessitatis, ubi Fides periclitatur, quilibet tenetur Ei-*

Fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem: vel ad reprimendam infidelium insultationem.

Prob. 1. ex Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* At tunc non confiteri clare & aperte Fidem, cum adest tam gravis causa eam exterius confitendi, est Christum & ejus doctrinam erubescere. 2. Quia actus cujuslibet virtutis sive internus, sive externus, præceptus est, cum necessarius est ad finem præcepti, qui est caritas, juxta illud 1. ad Tim. 1. *Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* At in præfatis casibus professio Fidei necessaria est ad caritatem Dei & proximi. Ergo.

Dixi, *clare, & aperte*: nam qui utitur verbis ambiguis, quæ ab imerrogante accipiantur pro negatione, erubescit sane professionem doctrinæ christianæ, ut notat Suarez & Delugo.

Quisque etiam tenetur impedire, si potest, peccata contra fidem & religionem. Nam quilibet virtus obligat ad impediendā, quæ illi adversantur; alioquin Deus afficeretur injuria. Quare si videas Dei nomen blasphemari, vel dogmata fidei impugnari, honorem Dei lædi, vel religionem contemni, sacras vigines vel templa profanari &c. hæc impedire, si possis, teneris etiam cum periculo vitæ, nam tunc Dei honor debitus, & sacrorum reverentia, & caritas in Deum id exigunt. Secus si prudenter judices oppositionem tuam magis obsturam, quam profuturam.

Item tenetur veritates practicas non minus quam speculativas a Christo traditas, facto & dicto profiteri, & tueri non solum coram infidelibus, sed etiam coram maudanis hominibus, quando honor Christi, vel ædificatio proximi id exigit, nam generaliter Christus dixit: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.*

Quæst. III. *An liceat aliquando fidem exterius tantum negare ad vitandum mortem, & dira supplicia?*

Resp. Nunquam licet. Prob. 1. Ex Matth. 10. *Qui negavit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* 2. Ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, quæ id ut gravissimum crimen semper habuit, & Helcesaitas ut hæreticos damnavit, quod dicerent id licere, modo fides in corde retineretur; & gravissimis pœnis mulctabat eos, qui in persecutionibus fidem Christi negabant tantum exterius, ad mortem acerbissimam vitandam. 3. Illa negatio exterior est mendacium pernicosum in re gravissima, & gravem injuriam Deo infert, exterius protestando eum non esse summe verace. Item dedecus est Domini, quod servus dedigneter eum agnoscere ut Dominum, & eo ipso neget ei cultum debitum.

Hinc Catholicus a quovis interrogatus de sua religione, peccaret graviter contra fidem, negando se esse Christianum, vel Catholicum; quia negaret se veram Christi fidem tenere. 2. Respondendo se esse Turcam vel Judæum, aut Gentilem: quia hoc ipso negaret se esse Christianum. 3. Dicendo non esse Papistam, vel se esse Calvinistam, Lutheranum &c. Quia hoc ipso negaret se esse Catholicum, quod est veram Christi fidem negare. At Sacerdos vel Religiosus, rogatus num sit Sacerdos vel Religiosus, peccaret quidem negando se esse, quia mentiretur; non tamen negaret fidem, quia non negaret se esse Catholicum, cum multi Laici Sæculares sint Catholici.

Quæst. IV. *An liceat aliquando falsam Religionem simulare verbis aut factis?*

Resp. Nunquam licet, nec proinde exercere actiones, quæ ex se, vel ex lege, vel ex communi usu sunt professio exterior falsæ religionis; ut genuflexio, vel thurificatio coram idolo, oratio ad Mahometem &c. quamvis fiat simulate, & ad vitandam diram mortem. *Prob.* 1. Ex perpetuo sensu & usu Ecclesiæ, quæ semper abhorruit a ritibus externis infidelium, & quæ tamen graviter punivit eos, qui simulate solum idola adorabant, vel libellum a Magistratu infideli accipiebant, quo significaretur, quamvis falso, ipso satisfecisse edicto sacrificandi idolis. 2. Quia sicut eadem præcepto affirmativo fidei præcipitur veræ Fidei internus assensus, & externa confessio; sic eodem præcepto negativo prohibetur falsæ Fidei internus assensus, & externa professio, quæ intrinsece mala est, utpote mendacium factī perniciosum in re maximi momenti. 3. Qui simulate exercet actionem, quæ est professio falsæ religionis, hanc exterius facto profitetur, & facto offendit se esse falsæ religionis sectatorem, v.g. Idolatram, Mahometanum, Judæum, vel Hæreticum; ac proinde facto & opere externo negat se esse Christianum vel Catholicum, quod semper est intrinsece malum, & Deo graviter injuriosum.

Ceterum neque Jehu, lib. 4. Regum c. 10. laudatur, quod simulaverit se velle sacrificare Baal, sed ipsum quod domum Achab deleviſſet, & cultum Baal destruxisset. Neque Elisæus permisit Naaman adorare Idolum per simulationem, sed solum incurvare se, ut Rex illi inniteretur, dum coram Idolo genuflecteret, quia Naaman hoc obsequium civile tenebatur præstare Regi, qui solebat sive in foro, sive in templo inniti humero alterius, & quem de more sustinere non poterat Naaman, si Rege genuflectente ipse rectus staret, ideoque debebat se inclinare, ut Regem sustineret: quod erat obsequium mere civile erga Regem; & aliis additantibus satis notum erat, Naaman genuflectere obsequii civilis causa. Unde Elisæus solum permisit Naaman exercitium officii civilis suo Regi exhibendi etiam cum hic sua idola adoraret.

Hinc nunquam licet 1. Cœnam hæreticam sumere, aut cum hæreticis in propriis ipsorum cæremoniis vel precibus communicare, v.g. simul cum iis psalmos canere &c. quia id facimus censeretur cum illis communicare in falsa religione, & illam facto profiteri, & sic veram fidem virtualiter exterius negaret.

2. Interesse concionibus vel conventibus hæreticorum, non solum cum adest periculum subversionis, vel scandali; sed etiam quoties id censetur e vera fide defectio, aut simulatio defectionis. Item nec licet obedire Principi edicto, quo præciperet subditis suis audire conciones hæreticorum, etiam si verbis protestaretur se nolle cogere quemquam ad religionem mutandam. Quia talis edicti observatio per se apta est ad Catholicos paullatim pervertendos, & ad concilianda auctoritatem hæresi, ac villipensionem fidei Catholicæ; immo est honoratio exterior falsæ doctrinæ, quæ sic magno concursu auditur.

Idem

Idem Paulus V. Anglis bis rescripsit hoc non licere. Non peccat tamen, qui extra has circumstantias, & scandali, ac perversionis periculum, ob aliquam causam justam templa hæreticorum ingreditur, ibique eorum conciones audit, non ut cum illis communicet, sed ut observet quid ibi agatur, vel prædicetur. Sed ut notat Sanchez, mera curiositas non sufficit, ut licite quis ejusmodi conciones audiat, sed requiritur aliqua causa gravis.

3. Serio uti vestibus vel aliis signis, quæ solum adhibentur ad professionem vel exercitium falsæ religionis: nam qui uteretur, falsam religionem hoc ipso profiteretur, & ita facto veram fidem negaret. Socus de vestibus & signis, quæ distinguunt nationem ab alia.

De signis autem & vestibus, quæ distinguunt infideles a fidelibus, qualis est tobalia propria Turcarum, vel Romæ pileus flavus Judæorum, controvertitur. Toletus & alii multi negant unquam licere iis uti, quia illorum gestatio est professio exterua infidelitatis. Certe nemo negare potest iis vestibus uti non licere, si nulla adest causa fidem occultandi: nam tunc meritò censeris negasse fidem, aut velle illius desertorem videri, quod est intrinsece malum; tunc enim censeris ea uti ad te distinguendum a fidelibus.

Quæst. V. *An licet aliquando fidem veram occultare?*

Resp. 1. Non licet, quoties præceptum confitendi exterius fidem obligat, & urget. Patet: nam violaretur.

Resp. 2. Si quis a potestate publica, puta a principe, judice, magistratu, vel tyranno interrogetur etiam privatim, tenetur clare & aperte confiteri fidem, etiam cum certo vitæ periculo. *Prob.* Quia 1. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consule; tacere, ut peccaminosum per se non damno.* 2. Alioqui Christum & ejus doctrinam erubesceret. 3. Qui a potestate publica est injuste interrogatus de Religione, profitetur se esse Catholicum, significat se magni facere Fidem catholicam, & pro ea quodlibet periculum subire paratum esse: quod sine Fide & Deo ejus auctori valde honorificum est. E contra si dissimulet Fidem, indicat se parvi facere Fidem catholicam, & sic Fidei catholicæ dedecus inferret. 4. Silentium in hac circumstantia per se & regulariter censetur signum, vel negare Fidei, vel erubescentiæ, vel timoris pœnæ, ob quam illeus non vult fidem confiteri, aut saltem dat grave scandalum.

Quod si a persona privata quis interrogetur publice, tenetur etiam confiteri Fidem, quia alioqui subtraheretur magnus honor Deo ac religioni debitus; vel daretur scandalum proximo. Ita *Suarez*.

Multi docent eum, qui privatim a privato interrogatur, posse tacere, aut interrogationem eludere, dicendo, v. g. Quid ad te? Quid me interrogas? modo inde nullum sequatur detrimentum honoris Deo debiti, aut scandalum proximi, spectatis circumstantiis: Sed hoc alii negant, quia censent repugnare præcepto absoluto confitendi Fidem. Porro aliquando silentium ex circumstantiis in ordine ad scandalum vel ad defectus religionis æquivaler negationi vel erubescentiæ, ut si te tacente, alius respondeat te Fidem negare, cui tamen ob verecundiam vel metum non contradicas. *Deluge.*

Resp. 3. Licet Christiano fugere, vel se occultare tempore persecutionis, si ex ejus fuga nullum Fidei detrimentum in aliis, vel scandalum oriatur. *Prob.* 1. ex Matt. 10. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* 2. Ex Apostolorum & S. Athanasii ac aliorum Sanctorum exemplo. 3. Quia præceptum confitendi Fidem, utpote affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed tantum ubi honor Dei, vel utilitas proximi id exigit. 4. Fugiens extra necessitatem (*) divini honoris vel utilitatis proximi. Fidem non negat, immo quodam modo profitetur; non enim fugeret, si Fidem non retineret.

Hæc tamen fuga illicita est ei, cujus præsentia necessaria est ad confirmandos alios in Fide: nam talis ex caritate, vel etiam ex officio, si sit Pastor, tenetur ad manendum etiam cum periculo vitæ. Item Pastori non licet fugere, cum oves ejus opera egent, quia tenetur ex officio eis providere, ex Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Secus, si istis subditis vel communi bono utilius sit, ut ad tempus se subducat, & in eorum bonum se reservet, providendo eis necessaria vel per se occulte, vel per alium: nam tunc caritas fugam postulat.

Nota. Seclusa necessitate vel utilitate Fidei & proximi, confessio Fidei publica est illicita in his casibus. 1. Si quis temere se exponat periculo supplicium, quæ forte tolerare non poterit: quia tunc imprudenter se exponit periculo negandæ Fidei. 2. Si per eam detur infidelibus occasio peccandi, fidemque perfequendi, nam per illam impeditur majus bonum, immo infertur magnum periculum, ac damnum proximo & religioni. Unde illud Matt. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ut forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* Ita S. Th. 2. 2. q. 3. addens: *Sed si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium, debet homo publice Fidem confiteri.*

APPENDIX.

Ad usum Missionariorum.

HActenus ab Auctore expolita satis perspicue ac solide demonstrant, Christianum hominem ita paratum esse debere ad fidem tuendam, & eam, dum debitus Deo honor ac proximi utilitas exigat, palam quoque profitendam, ut persecutiones, carceres, cruciatus, mortemque potius debeat subire, quam eam *verbis* vel *factis, explicite* vel *implicite* negando, Deum debito per fidei confessionem honore privare, atque contemnere. Quo autem facilius dubia solvi, & explicari queant, quæ orthodoxæ Re-

(*) *Necessitatem, quia occurrente paratus animus sit non fugere &c.*

Religionis ministris in Infidelium partibus solent passim occurrere circa particularia facta ac casus nonnullos, quibus vel *facto*, vel *implicite* catholica fides violari videtur, brevem hanc instructionem addendam esse existimavimus, quam partim ex decretis deprompsimus, quæ hac super re ex suprema Inquisitione, pro solvendis propositis a Missionariis dubiis, prodiere; partim ex Pontificiis Constitutionibus, quibus abusus damnantur, qui in nonnullis Infidelium, Hæreticorumque Regionibus, contra divinæ fidei puritatem, in Christianam Religionem irrepserant.

Primo itaque fidem facto suo negare dicitur, qui ea faciat, quæ ad falsi numinis, hæreticique hominis obsequium, & cultum referantur. Is enim facto suo falsam Religionem profitetur. Atque hanc ob rem sup. Inq. decretis an. 1636. & an. 1669. definitum est, *nulle modo licere Christianis, nec ulla causa, aut motivo posse permitti, aut tolerari*, ut operam suam navent ædificandis, instaurandis, vertendisque Templis, falsis Numinibus vel Auctoribus falsarum sectarum dicatis; aut eorumdem parandis parietibus & pavimentis, nundandis altaribus, aperiendis, claudendisque foribus. Atque hinc sequitur, rei de se malæ operam dare, ac facto negare fidem, qui Idola, quæ Infideles colant, construant, vel falsi Numinis imagines pingant; quippe falsis Numinibus famulatum præbent, iisque, si non per se, per alios saltem obsequium, cultumque exhibent.

Secundo, facto fidem negant, qui ea faciunt, quæ altum saltem, sacrilegumque cultum comprobent, ratumque habeant. Id enim est fidem orthodoxam, quæ hæc damnat, contemnere, falsamque Religionem opese profiteri. Ratum vero habent ritum falsumque cultum, qui in Schismaticorum, Hæreticorum, Infideliumque Templis, organa, vel alia instrumenta pulsent, metros canant, aut concinendos componant, vel artem musicam alio modo exerceant. Hinc Const. quæ incipit: *Omnium sollicitudinum*, qua Prædecessorum Decreta confirmantur circa ritus Madurenses &c. SS. D. N. Bened. XIV. approbat, & mandat observari Decretum Cardinalis Thournon, quo prohibetur, *ne imposterum Christifideles audeant nec in Pagodis, nec extra, tum occasione sacrificiorum, tum quarumcumque sollemnitatum superstitioso cultui imbutarum, sonare, aut canere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: cum nullo modo liceat Christi famulis filial inservire. Ideoque*, subdit, *Missionarii non solum eos monere tenebuntur de prædicta prohibitione, verum etiam illam omnio executioni demandare, & contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant, & publicis pœnitentiæ signis paratum scandalum emendaverint.* Hoc modo fidem negant etiam ii, qui in Infidelium, & Hæreticorum scholis falsos eorumdem ritus, & profana a Catholica Fide aliena dogmata docuant, ex Decret. Supr. Inq. 2. Maii 1721. Nam dum docent, facto suo approbant, falsamque professorum Religionem.

Tertio, qui facto aliquo Orthodoxam Religionem in odium Fidei contemnat, ut, qui imperante Infidele Principe in Catholicæ Fidei contemptum, Sacros Ritus spernat, carnes, quo prohibentur tempore, comedat, immolatitiis utatur, Christianorum Templa evertat, ex equo descendat dum antete foras transit Templi idolorum ex Decr. Suprem. Inquis. 1674. Is & Fidei professionem omittit, quam vigente illo Principis præcepto, quod vim interrogationis habet, palam facere debet, & Fidem ipsam exteriori contemptu negat.

Quarto, qui vestem induat, quæ ex institutu hominum ulu recepto, & approbato, falsæ Sectæ Professorem, sive falsæ Religionis Ministrum designet, ut lineam vestem talarem, quæ Mahumetanis Sacerdotibus est propria, vel fasciam quamdam, qua apud Indos idolorum Sacerdotes utuntur. Is enim hoc modo falsæ Sectæ professorem se ostendit, ac virtualiter saltem fidem negat. Decr. Suprem. Inq. 8. Julii 1630.

Quinto, *qui nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent, per labia sua assumunt; abominanda infidelium templa, quæ Moschea vocant, frequentant: Ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu profanant, & hac eo fine, ut Mahumetani ædificantur, opera faciunt, quæ mendacium in re gravissima continent, & virtualem fidei negationem maximam cum Dei injuria, proximique scandalo, includunt*: quemadmodum legitur Const. quæ incipit. *inter omnigenas* tom. 1. Bull. pag. 32. in qua S. M. Bened. XIV. abusus damnat nonnullos Fidei puritati contrarios, qui in Regno Servitæ, finitimisque regionibus, in Christianam Religionem irrepserunt; atque decernit, eos, *qui obstinate in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces esse Sacramentorum in vita, & si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem; ad quæ nullus Ecclesiæ Minister illos admittere præsumat, absque a proprio Episcopo Canonicis pœnis plectendus erit.*

Sexto, qui ritus usurpent falsæ Religionis protestativos, hujusmodi usu errores contra Christianam Fidem, quos indicant, sese approbare demonstrant, ac falsæ Sectæ professores exterius manifestantur. Hinc, in cit. Const. *Inter omnigenas*: circumcisionis usus, Mahumetanorum more, damnatur: Const. *Omnium sollicitudinum*, de qua supra, *Mulieribus*, in Regno Madurensi, & ei finitimis Regionibus, *prohibetur deferre collo appensum in signum contracti Matrimonii Tali, quod præsert imaginem licet informem Pollejaris, seu Pylleyaris Idoli nuptialibus cæremoniis præpositi*: & Christianis omnibus prohibetur, *cineres ex vaccæ fœtore confectos, & inspiam Gentilium Pœnitentiam a Rutren infitutam redolentes, benedicere, eosque fronti Sacro Christmate delinitæ impingere, sive quacumque alia signa albi, vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi, vel in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre.* Et Const. *Ex quo singulari*, quæ est de *Ritibus Sinensibus*, tom. 2. pag. 188. damnantur *cæremoniæ, ritus, & oblationes, quæ sunt tum singulis mensibus in vilanio, & plenilunio, tum a literatis & Magistratibus dum in gradus sive dignitatis possessionem adeunt, vel post adeptam: Item oblationes, quæ sunt in Templis, seu ædibus, Progenitoribus defunctis, & ritus oblationesque coram Progenitorum Tabellis in privatis domibus; sive eorum sepulcris, una cum Gentilibus, & etiam forsan abolitis: ac prohibetur, domi retinere Progenitorum Tabellas cum inscriptione, qua Thronus, sive sedes spiritus designetur.* Quod spectat ad ritus superstitiosos, vide appendicem ad caput de superstitione.

Nota.

✠ *Nota*. Si ritus indifferentes occurrant, tutius est, ut Catholici quoad fieri possit ab illis abstineant, ne cultu peregrino, & Ecclesiæ Catholicæ ignoto verum Deum venerentur. Nunquam vero licet, *Gentilium ritus adoptare, eosque in Christianos usus convertere, inconsulta Apostolica Sede*, ut Const. decernitur antea laud. *Omnium sollicitudinum*.

Implicite contra Orthodoxæ Fidei Confessionem peccat, qui dum debitus Deo honor id postulet, libere Orthodoxam Fidem non profitetur, sed tacet, atque silentio suo alios in suspicionem ducit, se vel fidem negare, vel eam profiteri erubescere. In Deum enim injuriosus est, qui veritatem ab ipso revelatam libere confiteri erubescit. Primo itaque peccat, qui interrogatus a publica potestate de sua Religione taceat. 2. Si interrogatio fit in odium Religionis; si enim ob politicas status rationes fieret, ut pecunia v. g. a Catholicis extorqueretur, debitus Deo honor ex confessionis silentio non subtraheretur. 2. Si silentium attentis circumstantiis, non apparet omnibus implicita Orthodoxæ Fidei confessio.

Secundo peccat etiam, qui interrogatus a privata persona, fidem palam non fatetur in iis circumstantiis, in quibus Confessionis omissione Deus injuria afficeretur, & proximus patereturque scandalum (hæc enim duo semper vitare tenemur). Ut si interrogatus prospiceret ex suo silentio sic futuros in Fide Catholicos audientes, vel infideles Christianos detesturos, quod Fidem Christianam palam confiteri erubesceret.

Tertio. Quamquam persecutio in odium Fidei adversus orthodoxos excitata in Deum injuriosa est, & interrogationem, quæ ad Fidem confitendam cogit, involvit; tamen ut optime Auctor demonstravit, qui eam fuga declinare studeat, non modo non negat, sed ipso facto idem quodammodo fatetur. Fuga autem non modo licita, sed quandoque etiam necessaria est. 1. Quoties fideles timent, prævidentque periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque negandi. Nam qui hujus periculi conscius Tyranni sævitiam non devitaret, Deum tentaret, qui sicut non deficit in necessariis, ita non abundat in superfluis. 2. Quando persona necessaria, ac maxime utilis sit communi Ecclesiæ bono, ut Augustinus tract. 46. in *Joannem* exemplo demonstrat Apostoli Pauli, qui ob Ecclesiæ utilitatem se furori Prælati Damasci subduxit. 3. Declinandum martyrium est, dum prævideatur nemini profuturum, sed Tyrannum magis irritandum fore, & crudelius in Christianos sæviturum. 4. Licite etiam Episcopi, Parochi, & Missionarii fugiunt, ac quandoque sævientem Tyrannum declinare debent, si in ipsos solos sæviat, ac alii Ministri adsint, qui relictis ibi Christianis spiritualia subsidia suppeditare possint. *Manifestum est*, inquit S. Th. lect. 3. in cap. 10. Joan. *quod si quæratur sola persona Prælati, possunt alii loco ipsius ad Gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur, & gubernent gregem: unde si fic fugiat, non dicitur dimittere oves: & hoc modo, & casu fugere licet*. Immo expedit aliquando hanc fugam, si ea impediri possit ne Tyrannus in alios quoque Christianos sæviat, vel si redire posse sperent majori cum fructu. Sed Pastoribus, Sacrisque Ministris fugere non licet: si oves eorum indigent spirituali subsidio, si periculum sit ne dispergantur, & fidem amittant, ac si ex eorum fuga scandalum paterentur fideles, atque infideles contemnendi Religionem occasionem sumerent. Tum enim non solum caritatis, verum etiam justitiæ debito, tenetur rudes instruere, dejectos roborare & erigere, nutantes confirmare, omnesque ad dimicandum totis viribus, pro Dei gloria, & honore, adhortari. Hinc proposito dubio: *An ad evitandum periculum liceat Missionarius a Missione discedere absque licentia Sacræ Congregationis?* An. 1646. Sac. Congr. de Propaganda fide respondit; *Tempore persecutionis esse magis necessariam Pastorum præsentiam, ne Fideles perverantur*.

Quarto, cum Infideles vel Hæretici Sacras Imagines conterant, & Crucifixum contumeliis afficiant, tenentur fideles palam orthodoxam fidem profiteri, debent enim, quoad fieri possit, injuriam Deo, & Sacris Imaginibus irrogatam propulsare, ac per publicam Confessionem palam facere, orthodoxam fidem, Sacrasque Imagines honore dignas esse. Secluso vero periculo contemptus, licet Missionarius Sacras Imagines donare Infidelibus, qui iis delectentur, tum amicitiæ pactique fœvendæ gratia, tum ad eos alliciendum ad amplectendam fidem. Ex Decr. Supr. Inquis. 1674. Nefas vero est, ex eodem Decreto iis sacros libros, ac vasa sacra tradere, qui in Religionis contemptum uti possint.

Quinto dum Infideli, vel Hæretico Magistratui imperanti, Christianorum Ecclesiis, ædibus, aliisque locis libelli affigantur, orthodoxæ Religioni detrahentes, eandemque contumeliis, & calumniis deturpantes, orthodoxi præcepto illo quo illatam Deo injuriam vindicare, ac sublatum ei honorem restituere tenentur, in ea necessitate constituuntur, ut schedas auferre, libellis respondere, ac ad Judices delati palam orthodoxam fidem profiteri debeant. At scripturis, quæ non publica auctoritate, sed privata fiunt, quæque Evangelicos Ministros injuriis, calumniisque afficiunt, & orthodoxæ fidei adversantur, Ministri Sacri contraria opponere non prohibentur, dum tamen inde imminere non videant gravioris persecutionis periculum. Satius tamen erit injurias, calumnias, blasphemias patienti animo ferre, ac negative se habere. Supr. Inquis. Decr. 1674. ✠

CAPUT III.

De peccatis Fidei oppositis.

Tria vulgo numerantur, nempe Infidelitas spetifice sumpta, Hæresis, & Apostasia.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est Infidelitas?*

Resp. Infidelitas est carentia Fidei.

Triplex est, negativa, privativa, & positiva.

Infidelitas pure negativa est carentia Fidei in eo, qui de fide nil unquam audivit. Hæc non est peccatum, sed tantum pœna peccati, ut constat ex Joan. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, infidelitatis. Et ex hac Baii propositione damnata. *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. Ratio est, quia omne peccatum est voluntarium, vel in se, vel in alio. At hæc infidelitas non est voluntaria neque in se, utpote in se non cognita, neque in alio, quia nil faciunt infideles illi, unde cognoscant, aut cognoscere possint, sequi infidelitatem illam. Nam ut aliquid sit voluntarium in alio, requiritur ut sit aliquo modo saltem confuse cognitum, ut secuturum ex alio, quocum connexionem habet, & in quod voluntas directe ac immediate fertur; vel saltem cognosci potuerit ac debuerit ut secuturum ex alio; alioquin non est voluntarium in illo, cum nil sit voluntarium sine cognitione vel actuali, vel virtuali & interpretativa. Quare ejusmodi infideles damnabuntur quidem propter peccatum originale, & peccata personalia contra Legem naturalem commissa, non tamen propter infidelitatem.

Infidelitas privativa est carentia Fidei in eo, qui vel fidem non vult audire, vel sufficienter propositæ non admittitur, vel non inquirit, quando est sufficienter proposita, ut teneatur inquirere, quamvis nec positive dissentiat, nec errorem Fidei contrarium asserat. Est mortale peccatum, ex Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est*. Nam est omissio voluntaria medii ad salutem necessarii, & a Deo præcepti, atque reverentiæ auctoritati Dei revelantis debitæ.

Infidelitas positiva seu contraria, est carentia Fidei in eo, qui Fidei sufficienter propositæ dissentit, vel negando veritatem Fidei, vel errorem Fidei contrarium asserendo. Est mortale peccatum contra Fidem: nam continet gravem injuriam ac contemptum primæ veritatis, seu auctoritatis Dei revelantis.

Infidelitas positiva triplex est, Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Paganismus est infidelitas, qua doctrina Fidei totaliter rejicitur. Ad hunc reducitur Atheismus, & Mahumetismus. Judaismus est infidelitas, qua doctrina Fidei in novo Testamento contenta rejicitur: sic tamen ut admittatur vetus Testamentum, continens illius figuras & promissiones. Hæresis est infidelitas, qua doctrina novi Testamenti non ex toto, sed solum ex parte rejicitur. Porro in hac etiam infidelitate non datur parvitas materiæ, cum nulla possit esse infidelitas positiva, sine contemptu auctoritatis Dei revelantis, quæ exigit ut credantur res a Deo revelatæ, ubi primum sufficienter propositæ sunt ut a Deo revelatæ.

Quæst. II. *An infideles possunt cogi ad Fidem suscipiendam?*

Resp. 1. Certum est infideles baptizatos, sive hæreticos, sive apostatas, posse cogi ad Fidem Catholicam suscipiendam, & servandas Leges Ecclesiasticas, quamvis baptizati sint in infantia, vel in adulta ætate ex metu compulsi. Quia omnis baptizatus est subditus Ecclesiæ quoad ea, quæ ad salutem & religionem spectant.

Resp. 2. Infideles non baptizati, sive sint subditi Principibus Christianis, sive non, compelli directe non possunt ad amplectendam religionem Catholicam. *Prob. 1. ex c. 3. de Bapt. & 9. de Judæis*. 1. Ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam tali coactione sive per se, sive per principes Christianos usa est, quamvis id facile potuisset obtinere a Principibus religiosissimis, puta Constantino Magno, Theodosio, & aliis, quibus innumeri infideles subjecti erant. 3. Quia Ecclesia nullam habet potestatem in non baptizatos, ex 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Et ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. Potestas vero secularis, utpote mere politica ac temporalis, non extenditur ad supernaturalia, ut est Fidei susceptio. Adde quod Fidei ac Baptismi susceptio debeat esse voluntaria, alioqui non esset vera, sed ficta & sacrilega. Illud autem Christi, Luc. 14. *Compelle intrare*, significat abhortationibus adducendos esse homines ad Fidem.

Dixi, *directe*. Nam Principes possunt 1. Vetare infidelibus subditis cultum Idololatriæ, quia possunt prohibere id quod Legi naturali repugnat, & cogere ad illius observationem, & præsertim ad ea, quæ ad publicam morum honestatem spectant. Sic Constantinus Magnus tulit Leges contra Idololatras, quas approbat S. Augustinus. Nam Princeps tenetur subditos dirigere ad finem gubernationis naturalis, qui est vivere secundum rectam rationem. 2. Cogere illos ad audiendam Fidei doctrinam, negando illi jus habitandi in suis provinciis, vel exigendo majus tributum, justum tamen, quam ab aliis, ni audiant; vel negando privilegia & gratias aliis concessas. Sic Gregorius XIII. Constit. 92. statuit, ut Judæi ad audiendam singulis hebdomadis concionem de rebus nostræ Fidei cogerentur ab Ordinariis locorum, sub pœna interdicti cum fidelibus commercii, vel aliis mulctis.

Resp. 3. Juxta S. Th. 2. 2. q. 10. art. 8. Ecclesia potest per Principes Christianos compellere Infideles, ut non impediant prædicationem & propagationem Fidei, quia habet jus & potestatem prædicandi Fidem per totum orbem. Marc. 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Sed qui habet jus ad aliquid faciendum, habet potestatem non solum illud exequendi, sed etiam compellendi per se vel alios, ut non impediatur ejus executio.

Quæst. III. *An licet cum infidelibus communicare?*

Resp. Non licet in eorum ritibus, sacrificiis, orationibus, cultu superstitioso; quia talis communicatio est exterior quædam professio & approbatio falsæ religionis, ac proinde virtualis negatio veræ. At in civilibus, secluso periculo perversionis & scandali, licet, ex 1. Cor. 10. *Si quis vocat vos Infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate*.

Jure tamen canonico vetitum est omnibus Christianis, ne cum Judæis habitent, comedant, in balneo laventur, ipsis famulentur, & ab eis medicinam accipiant. Item ne officia publica iis committantur, *tit. de Judæis*. Ex Concil. Gener. Later. Quod sanctum est tum ad tuendam dignitatem Christianæ religionis, tum ad vitandam perversionis periculum per familiaritatem cum Judæis, qui præceteris Infidelibus religioni Christianæ adversantur, & Christum blasphemare solent.

Quæst. IV. *An licita sit disputatio de rebus Fidei cum hæreticis?*

Resp. 1. Prohibita est omnibus laicis, c. 2. de hæret. in 6. *Inhibemus ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel privatim de Fide Catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*. Circa quod.

Nota 1. Ibi comprehenduntur etiam laici docti, nam nullus excipitur. 2. Nec prohibitio locum non habet in casu necessitatis, si laicus sit doctus, ut si quis hæreticus Fideles perverteret, nec adesset clerici docti, qui Fidem tuerentur. Immo tunc Lege divina tenerentur, ut saluti proximi consulerent,

& Fidem despectam defenderent. Hoc multi extendunt ad causam magnæ utilitatis evidentis, quam Lex impedire non intendit. 3. Dicitur hæc prohibitio in locis, ubi hæreticæ graſſantur, per contrariam consuetudinem esse abrogata, sententias & non contradicentibus Prælatis.

Resp. 1. Jure naturali prohibita est cuilibet indocto, etsi clerico. Quia cum non possint Fidem recte tueri, nec objectiones solide diluere, hæc disputatio hæreticos in errore confirmaret, & Catholicis dubitationem injiceret, & res Fidei periculo contemptus & minoris existimationis exponeret.

Resp. 3. Omnibus illicita est disputatio de rebus Fidei coram Catholicis indoctis & simplicioribus. Quia imminet periculum, ne illi, audito hæreticorum argumentis, in Fide vacillent; nam facile vim objectionum percipere solent, & ratio ac difficile solutionem, cum res Fidei sint obscuræ, & supra rationem humanam. Unde illud 1. ad Timot. 2. *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Excipe, nisi simpliciores ab hæreticis sollicitarentur.

✠ *Nota.* Disputare de Fide est ad examen revocare Religionis Dogmata, atque argumentis demonstrare a Deo esse revelata. Id autem duplici fieri potest modo, privatim scilicet, & publice. Privata disputatio est, quæ in privato loco inter privatos fit, ita ut nulli, aut pauci auditores adsint: quo modo passim in Hæreticorum præsertim Regionibus Hæreticos inter atque Orthodoxos de fide certari solet. Publica vero disputatio dicitur, quæ fit publico in loco spectante populo, ac quandoque etiam arbitris constituto. Privata disputatio cuique viro docto ab Hæretico provocato licita est, ac etiam expediens; primo, si prudenter judicet hæreticum desiderio cognoscendæ veritatis, virandique erroris ad disputationem provocare: secundo, si prudenter speret disputatione illa privata ad orthodoxam Fidem provocantem hæreticum conversum iri: tertio, si fulere non possit, quin audientes in Fide vacillent, hæretici magis in errore confirmentur, ac orthodoxa Fides contemptui exponatur. Nam quisque tenetur proximi saluti, dum potest, consulere: contemnentes Fidem orthodoxam ita compescere, ut inde hæretici majoris contemptus, & desinendi occasionem non arripiant, & ne Deo injuria fiat impedire, illaramque vindicare. Sed remotis hujusmodi circumstantiis, *disputatio de rebus Fidei Laici est prohibita: Sacerdotes vero sint valde periti, ne conflictu debent se abstinere, excusando se bonis verbis, & pratextibus:* ex decreto Sac. Cong. de Prop. Fide 16. Febr. 1630. Sed licet periti sint Sacerdotes, sive Militarii, cavere omnino debent, ne hæreticos ad disputandum provocent; in causa enim esset, ut hæretici orthodoxa dogmata refellendo, hæreticos astu excorcerent, ac Catholicam Fidem contemnerent, quæ duo res *grave* per se peccatum ferunt; &, ne colloquiis privatis disputationes de fide miscendo, eosdem hæreticos sine fructu ullo moveant ad orthodoxæ fidei contemptum, & ad Catholicorum, non sine relitionis detrimento, persecutionem. Hæretici enim, inquit Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 82. *Non disputationem amant, sed quomodo superare impudentissima pertinacia, ut convergent, cave non peperterunt.* Et S. Bern. Ser. 66. in Cant. *Hoc rationibus convincuntur, quia non intelligunt: nec auctoritate corriguntur, quia non recipiunt: nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt.*

A publicis autem disputationibus cum hæreticis Missionarii abstinere omnino debent. Sac. enim Congr. de Prop. Fide 8. Martii 1625. *Jussit publicas disputationes non fieri cum hæreticis, quia plerumque vel ob loquacitatem, audaciam, aut circumstantias Populi acclamantis, veritas falsitate prævalente opprimitur, & si aliquando hujusmodi disputationes recusari non possent, primum de illis certior fiat Sac. Congr. quæ juxta temporis, & personarum qualitatem, quid agendum sit præscribet.* Quamobrem, quum Missionarii nonnulli ann. 1631. publicas de Religione disputationes cum Batavis Constantinopoli coram Vicario Patriarchali instituissent, *Sanctissimus mandavit significari Generalibus Regularium Præ communantium, ut illis interdicerent ne hujusmodi congressus aut disputationes publicas in posterum facere præsumerent sub pœnis arbitrio Sac. Cong. Sup. Inq.* Et Sac. Cong. de Propag. Fide die 19. Januarii 1644. eadem Missionario in Armenia mandavit, *ut a disputationibus cum Patriarcha Armenorum in Eriam circa articulum duarum naturarum in Christo se abstineret.*

Multo minus licitum est Missionariis sine expresso Romani Pontificis licentia conventum indicere Ecclesiasticum, in quo cum Hæreticis de Religione disputent. Hinc eadem Cong. die 23. Maji 1644. reprehendendum censuit P. D. Joannem Judichi Missionarium: *Quod fuerit ausus convocandi dictum conventum, sine Sedis Apostolica speciali mandato.*

Porro si Romanus Pontifex hujusmodi conventum permittat, quinque sunt necessariæ conditiones, ut rite fiat. 1. Ut Hæretici, non ut Judices, & cum jure suffragii conveniant, sed ut instruantur, convincantur erroris, & corrigantur. 2. Ut non definiantur fidei dogmata, sed definita a Concilius, vel Apostolica Sede, a Deo revelata esse demonstrentur. 3. Ne fiant coram plebe, sed coram doctis. 4. Ne sedeant tamquam Judices Laici, etiamsi sint Principes. 5. Non debent Catholici Prælati a Laico Principe coti ad conventum, sed tantum invitari, & peti debet a Summo Pontifice licentia, ut possint ea de causa a propriis Ecclesiis abesse. Hæreticos autem, & Schismaticos poterit Princeps cogere, ut vocati a Prælatis Catholicis veniant ad reddendam rationem suæ erroris, ut ita corrigi, & convinci possint. ✠

Quæst. V. *Quid est hæresis?*

Resp. Est voluntarius error contra aliquam Fidei veritatem, cum pertinacia in eo, qui Christianismum profitetur. Unde ad hæresim tria requiruntur. 1. Ex parte intellectus, judicium erroneum contra Fidem, seu directe oppositum alicui veritati revelatæ, & ut tali sufficienter propositæ. Hinc qui exteriis solum negat Fidem absque judicio interno Fidei contrario, non est vere hæreticus, nec incurrit pœnas contra hæreticos latas. Nam quamvis graviter peccet contra Fidem, & in foro externo præsumatur hæreticus: tamen astus non habet matiiario hæresis, ob quam sub censura vetitus est.

2. Ex parte voluntatis requiritur pertinacia. Ita omnes, post S. Augustin. epist. 162. Nam Fides amittitur per hæresim, non per errorem simplicem, ut patet in aliquibus Sanctis, qui errarunt circa aliquas Fidei veritates. Pertinacia autem illa consistit in deliberata voluntate diffentiendi alicui doctrinæ, quam quis scit ab Ecclesia Catholica teneri ut Fide certam, vel quæ ei sufficienter proponitur ut doctrina Ecclesiæ, seu ut a Deo revelata; quamvis errorem contrarium sensui Ecclesiæ teneat, non ut contradicat Ecclesiæ, sed ex quovis alio motivo: nam hoc ipso resistit auctoritati Ecclesiæ infallibili, & testimonio Dei sufficienter proposito ex S. Augustin. lib. 4. contra Donat. c. 16. ubi ait: *Constituamus ..... unum eorum id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est ..... existimantem ipsum esse Catholicam fidem. Ipsum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholicæ Fidei respere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.*

Hinc errans contra Fidem ex ignorantia etiam culpabili non affectata, sed animo parato ad credendum id omne quod Ecclesia credit, ubi primum ejus doctrina ei proponatur, non est hæreticus, quamvis peccet contra præceptum sciendi res fidei, quia deest pertinacia. Est tamen hæreticus qui errat in Fide ex ignorantia affectata, quam habet, vel quia parvi momenti esse judicat, quæ Ecclesia proponit credenda; nam tunc despicit auctoritatem Ecclesiæ, nec illam credit, qualem Fides docet esse: vel ut liberius erret in Fide: nam tunc error est illi voluntarius cum pertinacia, cum velit errare in Fide, nec velit subjici auctoritati Ecclesiæ.

3. Ex parte subjecti requiritur professio Christianismi, seu Fidei in Christum, ex S. Augustin. qui l. 28. de Civit. c. 51. hæreticos vocat eos, *qui sub vocabulo Christiano, doctrina resistunt Christiana.* Non tamen requiritur baptismus, ut quis sit hæreticus in foro Dei; nam habiti sunt ab Ecclesia ut hæretici, qui non erant baptizati saltem valide, ut Paulianistæ, qui verum baptismi ritum non servabant: ut constat ex Innocentio I. epist. 22. & Hieron. dial. contra Luciser. & ex Conc. Nic. I. canon. 19. jubente eos rebaptizari. Requiritur tamen Baptismus in foro Ecclesiæ, & ad subeundas pœnas hæresis; cum nemo sit ejus subditus, nisi per Baptismum, ex Conc. Trid. sess. 14. c. 2.

Nota ex Delugo. Ut aliquis sit hæreticus, sufficit, quod taliter ei proponatur Ecclesiæ doctrina seu judicium, ut hoc prudenter negare nequeat, nec de eo dubitare, quamvis nolit credere tale esse judicium Ecclesiæ: nam hoc ipso pertinaciter respuit Ecclesiæ doctrinam sibi sufficienter propositam. Enimvero ad hæresim non requiritur, ut quis credat aliquid proponi ab Ecclesia habeate auctoritatem infallibilem in proponendo, & ei dissentiat: nam cum hoc judicio est impossibilis dissensus; alioqui crederet esse falsum id, quod simul credit proponi ab Ecclesia non potente proponere falsum, quod esset aperte sibi contradicere. Hinc hæreticus est, qui dicit: Ego credo omnia, quæ credit Ecclesia; sed non credo hoc dogma, quod puto non proponi, nec credi ab Ecclesia, si taliter ei proponatur judicium Ecclesiæ circa tale dogma, ut non possit nisi imprudenter id negare nec de eo dubitare, aut formidare. Item hæreticus est, qui adhæret propositioni ab Ecclesia damnate sub quacumque qualificatione, sive tamquam temerariæ, sive tamquam scandalosæ, vel falsæ, vel erroneæ &c. quia propositioni sic damnatæ adhærere non potest, quin simul judicet Ecclesiam fallibilem esse in decidendo: quod utique hæresis est.

Porro hæresis est autem ex gravissimis peccatis, ut consentiunt omnes, teste Suarez. Quia 1. virtus Fidei est virtus theologica, ideoque major omnibus virtutibus moralibus. Ergo peccatum illi oppositum est unum ex gravissimis: nam ut docent Aristoteles & S. Thom.: illud est pessimum, quod optimo contrariatur. 2. Fides est fundamentum justitiæ, sine qua impossibile est placere Deo. Ergo infidelitas expellendo Fidem omnino privat hominem justitia a fundamentis. 3. Sicut Fides est radix cæterarum virtutum, ita infidelitas secum infinita affert vitia. 4. Hæresis est contemptus auctoritatis divinæ seu veracitatis divinæ revelantis; & sic est immediate ac directe contra Deum. Quare hæresis, cum sit infidelitas commissionis, est maximum peccatum in specie infidelitatis; ideoque gravius omnibus speciebus vitiorum moralium. Ita Suarez, & alii communiter. Hinc illud, ad Tit. cap. 3. *Hæreticum devita, quia subversus est & delinquit.*

Quæst. VI. *An dubius in Fide est Hæreticus?*

Resp. Qui de veritate aliqua ab Ecclesia proposita & revelata dubitat deliberate, judicando eam esse incertam, & posse esse falsam, est formaliter hæreticus. Ita communiter cum S. Th. q. 10. art. 1. & c. 1. de Hæret. ibi: *Dubius in Fide infidelis est.* Item ex Concil. Later. V. sess. 8. ubi damnantur tamquam hæretici, qui asserunt, vel dubitant animam hominis esse mortalem. Quia sic dubitans judicat veritatem Fidei ab Ecclesia propositam ut revelatam, non esse certam; item auctoritatem Ecclesiæ in proponendis rebus Fidei non esse infallibilem: quod utrumque est aperta hæresis. Idem die de dubitante per meram suspensionem assensus a voluntate re imperata propter motiva contraria. Quia talis æquivalenter judicat motiva contraria Fidei tantum valere, ut incertam reddant veritatem illam, quamvis ab Ecclesia proponatur ut Fide credenda: siquidem assensum sibi imperare non audet ex metu errandi incurso per motiva contraria illi veritati. Ergo æquivalenter judicat Ecclesiam non esse infallibilem in rebus Fidei, & æquivalenter contradicit sensui Ecclesiæ judicaturis veritatem a se propositam ut revelatam, firmissime credendam esse propter auctoritatem divinam. Ergo talis est formaliter hæreticus, cum in æstimatione morali, & in ordine ad hæresim formalem contrahendam perinde sit, sive formaliter, sive æquivalenter judices Ecclesiam non esse infallibilem, & contradicas scienter ejus judicio; nam ad hæresim formalem sufficit quodvis judicium erroneum contra Fidem cum pertinacia.

Dixi, *per suspensionem imperatam a voluntate.* Nam qui cogitans de rebus Fidei, intellectum ad alia averteret, & ita assensum suspenderet non ex metu errandi, sed præcise ut intellectum alia rebus applicaret, non esset ideo dubius in Fide, ut patet.

Quæst. VII. *Quænam sunt pœnæ contra Hæreticos latæ?*

Resp. Sunt 1. Excommunicatio major ipso facto lata, can. *Achatius* 24. q. 1. & c. 9. & c. 13. de Hæretic. Et consensu Doctorum sufficit hæresis occulta, modo sit externa, hoc est, verbo, signo, vel facto, quamvis nemine præsente, declarata: nam tunc est vere externa, & per se exteriis cognoscibilis. 2. Irregularitas. 3. Infamia juris, si hæresis sit notoria. 4. Privatio beneficiorum & di-

gni-

gnitatum c. 12. de Hæret. in 6. Item jurisdictionis spiritualis, c. *Audivimus* 24. q. 1. &c. *Aperte* ibi: 5. Bonorum confiscatio c. 20. de Hæret. sed hoc non ubique viget: 6. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ c. 2. de Hæret. in 6. ubi excommunicantur ii, qui hæreticos scienter tradunt sepulturæ Ecclesiasticæ. In Gallia tamen hæretici sola ipso facto excommunicatione majori exterisque privationibus & inhabilitatibus et annexis mulctari dicuntur; a qua excommunicatione Episcopi per se, vel per delegatos absolvunt ex antiqua consuetudine.

Nota. Credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum ipso facto in excommunicationem incurrunt, & privantur sepultura Ecclesiastica, cap. 13. *de Hæret.* ex Concil. Gener. Later. IV.

✠ *Nota*. Ab excommunicatione, in quam quis incidit ob hæresim occultam, potest Episcopus absolvere juxta Concil. Trid. Decr. sess. 24. c. 6. At ejusmodi facultatem fuisse sublatam a Bulla in Cœna Domini, innumeri Doctores tradunt, quibus accedunt declarationes, tum Supremæ Inquisitionis, tum Summorum Pontificum, Gregorii XIII. Clementis XIII. & Pauli V. teste Cardinali *Albizio de inconst. in fide cap.* 35. *n.* 9. Ab hæresi externa non occulta, si ad forum contentiosum deducta non sit, solus Pontifex absolvit; si ad forum contentiosum sit deducta, absolvendi facultas competit Episcopo per Textum in cap. *ut officium* de Hæret. in 6. in aliis verbis: *Absolutionis beneficium impendatis*: Si enim is potest Hæreticorum causas in sua Diœcesi cognoscere, ita etiam eos absolvere. Albiz. *ibid. n.* 34. & seq. *Missionarii in foro conscientiæ tantum possunt juxta suas facultates, & in locis suarum Missionum absolvere hæreticos in foro vero exteriori, post instructionem debent remittere Conversos pro absolutione ad Episcopos locorum, vel inquisitores, & eorumdem Vicarios*. Congr. Supr. Inq. die 28. Septem. 1673.

Contra illorum opinionem Theologorum, qui contendunt sas esse Parochis, hæreticum, ut vocant, materialem absolvere, pugnat Decretum, quod sequitur Suprem. Inquis. die 19. Aprilis 1645. *Contra P. N. qui Joannem hæreticum Calvinianum nulla præcedente auctoritate ab hæresi absolvit, eidemque suæ reconciliationis litteras testimoniales dedit, asserendo hoc potuisse agere, cum dictus Joannes ignorans hæresim, & errorem Calvini non posset dici hæreticus formalis, sed tantum materialis: & ideo non erete absolutione ab excommunicatione, qua supponit peccatum, quod propter ignorantiam dictus Joannes non incurrit. Lectis litteris Inquisitoris N. datis die 12. Junii, Eminentiss. decreverunt, ut dictus Pater N. acriter moneatur, ita ut in posterum a similibus abstineat, nam aliàs severe puniretur, quia ipsius opinio potius metaphysica, quam vera in S. Officio non est recepta. Quare Inquisitor animadvertat ne idem Pater N. aut alii hujusmodi opinionem sequantur, sed caute ut hujusmodi Hæretici ad S. Officium mittantur.*

Quæres. An sublata Episcopo vigore Bullæ Cœnæ facultate absolvendi ab hæresi occulta, sublata etiam censeatur facultas dispensandi ab irregularitate?

Resp. Albizius negative loc. cit. n. 47. Plures ad eam sententiam confirmandam laudat DD. Sunt enim duæ diversæ facultates ad duos actus distinctos, quorum unus non pendet ab alio. Ita etiam In Pœnitentiaria servari ait, quæ dispensare potest hæreticum occultum ab irregularitate, etiamsi eumdem absolvere nequeat ab excommunicatione ob hæresim, (*si habeat complices*.)

Adverte quod Hæretici formales, qui hæresim animo conceptam externa voce, aliave actione mortaliter mala asserunt, aut profitentur, excommunicationem incurrunt hodie Papæ reservatam. Habetur in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini. Vide Bonac. de censur. in Bulla Cœnæ disputat. 1. q. 1.

Nota 1. Ad hanc excommunicationem incurrendam quatuor conditiones requiri, uti recte notat Layman l. 12. tract. 1. c. XIV. 1. Ut aliquis sit verus, & formalis hæreticus, non materialis, & objective tantum. 2. Ut aliquis hæresim animo concipiam exterius significet. 3. Ut actio externa, per quam hæresis interna significatur & profitetur, moraliter mala sit; ficuti notat Becanus c. 15. q. 2. n. 8. quapropter excommunicatus non est, qui hæresim animo concepram alteri manifestat, confitili, vel instructionis capiendæ causa: quia hujusmodi manifestatio non malus, sed bonus actus est, qui ab Ecclesia puniri non potest. 4. Ut aliquis hæresim suam exterius manifestet animo eam asserendi, vel profitendi; ficuti recte notavit Azor. l. 8. c. 20. q. 7. quia dicta excommunicatio lata est propter externum hæresis peccatum; non est autem peccatum externum hæresis, nisi quod ab interna hæresi informatur, dum eam aliquis exterius asserere, altruere, vel profiteri intendit.

Nota 2. In eadem Bulla Cœnæ excommunicantur hæreticorum *Credentes*; ideft, qui hæresim implicite profitentur dicendo v. g. vera esse dogmata, quæ Lutherus, aut Calvinus contra Romanam Ecclesiam docuit, se pro iis mori paratos; licet in particulari nesciant, quænam ea dogmata sint. Esti vero hujusmodi credentes vere ac formaliter hæretici sint; tamen ne quis de eorum excommunicatione dubitare posset, eorum etiam specificam mentio in Bulla facta est. Vide Suarez to. 3. disp. 22. sect. 2. n. 6.

Nota 3. In eodem §. Bullæ Cœnæ excommunicantur hæreticorum receptores, fautores, & quilibet defensores, nempe ii qui favorem, vel auxilium hæretico præbent, quatenus hæreticus est: sive, ut hæresim suam facilius docere, defendere, aut latius diffundere possit; sicuti explicat Scotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. post 3. conclus. Quamvis ad hoc non requiratur formalis, atque directa intentio propagandi hæresim, sed sufficiat indirecta, seu imputativa. ✠

Quæst. VIII. *An licita sit lectio libri hæretici?*

Resp. Jure naturali prohibita est iis, quibus ex tali lectione imminet periculum perversionis: quales sunt infirmi in Fide, & præsumuntur esse rudiores, & in rebus Fidei parum eruditi, & semidocti, immo & eruditi viri plurimi, quorum Fides interdum infirmior est, quam simplicium & ruchorum. Nam quisque ex caritate Dei ac sui tenetur periculum peccati, & salutis amittendæ vitare. Immo sæculo periculo perversionis est graviter illicita etiam doctis & firmis in Fide, quando est prohibita ab Ecclesia simpliciter & absolute; quia Ecclesia eam prohibet non solum ob periculum perversionis, sed etiam in odium & pœnam hæresis ac auctoris hæretici. Præterea Lex fundata in præsumptione periculi obligat omnes qui non exceptuantur.

Lectio autem & retentio librorum quorumcumque hæreticorum prohibita est sub excommunicatione in Indice a Pio IV. & aliis Pontificibus edito, & in Bulla Cœnæ. Et quamvis hæc pœna (inquit Grandin Doctor Sorbonicus) non vigeat in tota Gallia ubi non est promulgata Lex Indicis, nec Bulla Cœnæ, non desinit tamen peccare, qui sine licentia libros ejusmodi legit: sive quia eatenus receptus est Index quoad Libros prohibitos: sive quia vi Legum antiquioris Juris prohibitio librorum hæreticorum in Gallia in suo vigore perseverat, transitque ad libros hæreticæ doctrinæ, qui nunc eduntur. Lectionem cujusliber libri hæretici sub peccato mortali prohibitam esse in Gallia, non tamen sub excommunicatione, Pastores Ecclesiæ Gallicanæ semper & ubique docuerunt, inquit eruditus recentior Gallus; addens, docere auctores Gallos, Episcopos in Gallia esse in possessione concedendi facultatem legendi libros hæreticos & prohibitos.

Notanda sunt sequentia.

1. Nomine libri hæretici prohibiti, ex usu Patrum & stylo Curiæ Romanæ comprehenduntur brevis scriptura, oratio, concio, disputatio, epistola de religione tractans. Nam sæpe æquale aut etiam majus periculum continent quam liber grandior.

2. Ex communi sententia datur in tali lectione parvitas materiæ, sed hæc difficile designari potest. Videntur ad mortale sufficere quindecim lineæ, aut forte pauciores: quia hæc communiter possunt continere materiam sufficientem ad perversionem. Immo juxta varios, non excusatur a mortali culpa & censura, qui legit paucas lineas libri hæretici, in quibus scit hæresim contineri; quia sunt partes substantiales libri hæretici ut hæretici, ideoque notabiles relative ad finem prohibitionis; & æquivalent multis aliis, cum contineant substantiam veneni. Quod videtur a nemine negari posse, si illæ paucæ contineant etiam approbationem propositionis hæreticæ. Item ex communi datur parvitas materiæ excusans a mortali in tempore quo retinetur liber prohibitus, nisi retineatur animo retinendi diutius.

3. Prohibito libro censetur quælibet illius pars prohiberi, quamvis nullum forte errorem contineat; præsertim cum prohibitio fiat etiam in pœnam & detestationem erroris & hæreticorum.

4. Peccat & contrahit censuram, qui licet ipse non legat, tamen curat alium legere, ut ipse audiat: nam moraliter censetur ipse legere per alterius ministerium: *Quod enim quis facit per alium, ejs perinde ac si faciat per seipsum*, reg. 72. Jur. in 6. Neque ad strictam verborum interpretationem confugiendum est, cum de mente Legislatoris rationabiliter dubitari nequit. Ita *Azor*, *Layman* &c.

✠ Adverte quod Excommunicationem Sum. Pontifici reservatam incurrunt, qui hæretici librum hæresim continentem, vel de religione tractantem, sine Apostolicæ Sedis auctoritate, scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt. Ita habetur in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ; unde colligitur, quatuor conditiones requiri, ut excommunicatio ex hoc capite contrahatur. 1. Ut liber ab hæretico scriptus sit, sive uno ex recentioribus, sive ex veteribus ab Ecclesia damnatis; nisi quod scripta Tertulliani, & Origenis, licet errores contra fidem contineant, propter eruditionem, & quia nullum jam ab illis periculum in fide timetur, ab Ecclesia permittuntur: qua de re vide *Azor.* l. 8. c. 26. q. 16. Deinde nihil refert, utrum liber sit typis excusus nec ne, dummodo ab hæretico scriptus. Non autem excommunicatio incurritur, si quis hæreses scriptoris hæretici, in libro Auctoris Catholici ad verbum infertas, quamvis prava intentione hæresim discendi, legat: quia lege canonica non punitur effectus, sed factum legentis librum hæreticî: iste autem non legit librum hæretici. Idem dicendum si in libro Auctoris Catholici adjecta scholia Auctoris hæretici legat, quia talis liber non hæretici commentarii esse censetur, sed Catholici a quo scriptus est. Limita, nisi tales, vel eam copiosi essent commentarii, ut jam censeretur liber potius ex eis quam ex textu constare. *Layman*.

Altera conditio est, ut liber vel hæresim in se contineat, vel de Religione tractet; pura Sacram Scripturam interpretando, Theologicas quæstiones decidendo &c. circa quam conditionem duo extra controversiam esse debent. Primum. Non esse prohibitos hæreticorum libros Philosophicos, Medicos, Juridicos, Historicos, Poeticos, si nullam hæresim contineant. Alterum; prohibitos esse hæreticorum libros, qui ex professo de Religione tractant, etsi eorum sit, nullum errorem contra fidem orthodoxam in iis contineri.

Tertia conditio, ut aliquis ejusmodi librum *Scienter* legat, imprimat &c. Quare ab ista censura immunes sunt, qui ignorant, quamvis culpa ignorantia, librum hæretici esse, aut de Religione tractare, juxta dicenda in tract. de Censuris c. 1. q. 4. Porro haud requiritur ad censuram hanc prava legentis intentio, seu affectus hæresim concipiendi, sed sufficit etiam sola curiositas.

Quarta conditio est, ut id, quod legitur, materia notabilis sit, atque sufficiens ad peccatum mortale; cum enim in aliis rebus parvitas materiæ a mortali excusset, cur non item in hac? præsertim cum hæc lex Ecclesiastica sit, gravissimam excommunicationis pœnam inferens.

Ulterius, quod attinet ad *retinentes* libros hæreticorum, quædam addenda sunt. I. Nihil refert, utrum quis in sua, an aliena domo; item num suo, an alieno nomine; denique utrum causa legendi, nec ne, talem librum retineat, sive asserverare quia Pontifex simpliciter prohibet libros asservari, volens eos penitus exterminari. II. Requiri temporis spatium notabile, quo aliquis librum hæreticum retinet. III. Ex constitutione Gregorii XV. an. 1623. apud Dianem libri prohibiti propria auctoritate neque conburi, neque corrigi possunt, sed tradendi sunt Inquisitoribus. Quamvis Fill. to. 2. tract. 2. c. 7. n. 207. excusat combarentem, aut dantem alteri qui habet facultatem legendi illos.

Quod attinet ad *imprimentes*, sciendum est, hoc nomine omnes comprehendi, qui ad libri impressionem propinque cooperantur, videlicet qui librum imprimendum tradit Typographo, qui suscipit, qui typos ordinat, denique qui imprimunt. Ita Layman.

Denique quod attinet ad *quomodolibet defendentes*, eo nomine comprehenduntur ii qui librum hæretici, quatenus hæretici opus est, commendant, ab incendio, vel manu Inquisitoris vindicant. Tolet. Po-

Postremo operæ pretium erit pauca admonere ex indice librorum prohibitorum, auctoritate Pii IV. Sixti V. Clementis VIII. edito. I. Duplicem esse librorum prohibitorum classem: in prima ponuntur auctores omnes hæretici, vel de hæresi publice suspecti, quorum omnes libri de Religione tractantes, vel hæresim continentes, tum editi, tum in posterum edendi prohibeantur. Additur vero in Regula 1. Hæresiarcharum, ideſt, qui hæreticorum capita, aut Duces sunt, omnes omnino libros, cujuscumque nominis, tituli, vel argumenti sint, penitus interdictos esse. De quo tamen parum sollicite esse debemus, cum vix aliquis liber extet ab Hæresiarcha nostri temporis scriptus, nisi de materia Religionis. Ad alteram vero classem pertinent libri, qui doctrinam non sanam, suspectam, vel moribus fidelium repugnantem continere judicantur, tametsi a Catholicis auctoribus prodierunt.

Inter has duas librorum Classes duo discrimina sunt. Primum: quod primæ classis prohibitio sit propter Auctores hæreticos, quorum proinde omnes libri scripti de materia Religionis prohibentur: tametsi eorum aliqui forsasse nullum manifestum errorem contineant: quia damnato auctore in certo genere, puta, Religionis, damnata censentur omnia ejus scripta de Religione; arg. cap. *Fraternitatis* de hæreticis, ubi hanc regulam Abbas tradit. Alterius autem classis prohibitio est propter errores, sive doctrinas falsas, quæ in quibusdam libris, etiam Catholicorum auctorum, deprehensæ fuerunt, cujusmodi tamen libri non ante prohibiti censentur, quam speciatim in Indicem relati fuerint. Alterum discrimen est: quod libri primæ classis prohibentur sub excommunicatione Papæ reservata per Bullam Cœnæ: libri autem secundæ Classis sub excommunicatione non reservata.

II. Libri cujuscumque Auctoris, res obscœnas, seu lasciva ex professo tractantes, penitus prohibentur, Regula 7. Judicis: iis exceptis, qui ab Ethnicis, v. g. Poetis conscripti sunt, atque ob sermonis elegantiam, ac proprietatem permittuntur: sed pueris perlegendi non sunt nisi expurgati.

III. Libri omnes & scripta magica plane rejiciuntur, Regula 8. Judicis. Verum ob lectionem magicorum, sicuti & obscenorum, vel similium, excommunicationis censura, non contrahitur, sed solum peccatum mortale, si materiæ gravitas adsit. Vid. Regulam 10. Judicis in fine.

Animadvertendum. Exceptis libris primæ classis, alii libri passim solent prohiberi sub hac clausula *donec expurgentur*: De his itaque libris quidam apud Dianam docuerunt posse absque licentia retineri, donec correctio indulta sit. Hanc opinionem damnavit Alexander VII. prop. 41. *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

IV. Regula quarta Judicis prohibetur, ne fideles sacra Biblia vulgari idiomate sine Episcopi aut Inquisitoris licentia legant, aut habeant. Hæc sacultas Episcopis, & Inquisitoribus sublata fuit Observatione in hanc quartam Regulam Judicis.

5. Non licet Bibliopolæ libros prohibitos emere & vendere: quia per hoc moraliter disseminantur errores, & esset multis occasio peccandi. Et quamvis deceptus sit emendo, non ideo licet revendere: sicut qui accepit falsam monetam, non ei licet eam tradere alteri pro mercibus: sed illud damnum casui attribuat, nam est merx substantialiter vitiosa & prohibita.

APPENDIX.

De Librorum prohibitione.

PLura in hac editione de retinendis librorum lectione addimus. Non solum enim Ecclesiæ Ministros, Rectoresque Animarum circa vim decretorum, eorumque obligationem, pœnasque in eos latas, qui proscriptos libros imprimant, retineant, vendant, & legant, instrui oportere arbitror; sed etiam circa concessam Ecclesiæ hac de re potestatem, circa antiquam, novamque ejusdem Ecclesiæ disciplinam, circa regulas, modumque, quem Apostolica Sedes in iis prohibendis servet. Nam hac nostra ætate, non solum Theologi occurrunt, qui subtilibus speculationibus vim prohibitionis in paucis casibus eludere, ac plurimum coarctare, student, sed Novatores quoque adsunt, qui hanc Ecclesiæ potestatem negant; nec ii desunt inter Catholicos, qui eamdem potestatem, ut certis limitibus, pro arbitrio circumscribant, aut etiam contemnant, saltem ob modum, quem in librorum examine proscriptionemque tenet. Hujusmodi malis hac appendice occurrere decrevi. Id quod tribus me præstiturum capitibus spondeo. In primo de concessa Ecclesiæ circa libros improbatæ lectionis potestate, deque disciplina, quam usque ad inventionem artis typographicæ servavit. In altero de nova Ecclesiæ disciplina, deque Apostolicæ Sedis sollicitudine in examinandis, proscribendisque libris, post illius artis inventionem, & postquam ob hæreses, quæ in Europa sunt, tam immaniter crevit eorum numerus, ac de regulis in iis examinandis, deque modo: In tertio denique de pœnis in transgressores latis, deque decretorum vi, & auctoritate tractabo.

CAPUT I.

De Ecclesia circa libros improbatæ lectionis potestate, deque disciplina, quam circa eosdem servavit, cum nondum ars typographica inventa esset.

IMprobatæ lectionis libri sunt, qui Religioni, bonis moribus, pietatique obsunt. Hos vero ex hominum manibus eripiendos, proscribendosque esse, ipsa recta ratio suadet, atque exemplis cujusque bene ordinatæ Reipublicæ comprobatur. Constat enim ex Laertio, Græcos Protagoræ libros in foro jussisse comburi, atque in Romana Republica pluries ex Senatus Consulto libros, qui homines vel a divino cultu avocarent, vel ad superstitionem, quam pravam ipsi crederent, provocassent, fuisse combustos, ut legere est apud Valerium Maximum lib. 1. c. 1. Livium lib. 6. decif. 4. aliosque. Eadem lex ita apud Romanos viguit etiam postquam summa rerum penes Imperatores esset, ut Ulpianus *l. Ceterum ff. Famil. Erciscund.* scripserit, improbatæ lectionis libros, dum hæreditaria res sit dividenda, non dividi, sed a Judice aboleri oportere, non secus ac mala medicamenta, & venena. Hæc autem animadvertenda duxi, non solum ut Lector intelligat consentaneum esse rectæ rationi, ut noxii libri interdicantur,

tur, sed etiam ut inde sciat, quinam fuerit in Republica usus circa hujusmodi libros, dum Christianæ Religio cœpit, & quam majus fuerit servandæ Religionis studium apud Idololatras ipsos, quam apud Novatores ætatis nostræ, e quorum officinis prodiere Hobesii, Tollandi, Spinosæ, Bayllii, aliorumque male feriatorum hominum opera, quæ Christianam Religionem omnem, omnemque pietatem evertunt.

Ecclesiæ autem fecisse Christum Dominum potestatem proscribendi libros, tum ex munere Pastoribus concredito, tum etiam ex usu, quem ejusdem potestatis semper fecit, est omnino exploratum. Voluit enim, ut in ea essent Pastores, qui eamdem regerent usque ad consummationem sæculi; atque hos Episcopos vocat Lucas in Actis Apostolorum, *quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam suam.* Iidem Christus pascendi oves suas onus, potestatemque clavium indidit, quæ passim in Scripturis ad supremam designandam potestatem adhibetur. At munus Christi Pastoris est, sanam doctrinam, quæ viam salutis demonstrat, edocere, ea proponere, quæ æternæ salutis consequutionem facilliorem faciant, quæque obstacula tollant, quæ impedimento esse possint. Huc autem muneri conveniens, ac necessaria est potestas eripiendi ab hominum manibus noxios libros, qui non solum maximo obstaculo sunt æternæ saluti, sed ad certam perniciem homines trahunt. Quis ergo dubitet, quin Christus Dominus hanc ei fecerit potestatem, quin auctoritatem dederit proscribendi perniciosos libros, ac opportunis etiam pœnis ab horum lectione homines avocandi? Ex solo Pastoris munere intelligi id facile posse; sed ut inexcusabiles omnino Novatores essent, hanc potestatem notissimis ætate illa parabilus, ac luculentissimis verbis in Scripturis novi Testamenti explicavit. Quid enim aliud innuit Scriptura, dum hos ait a Spiritu Sancto positos ad regendam Ecclesiam Christi, dum iis ligandi, & solvendi, & clavium potestatem concessam tradit; dum ita eos missos fuisse declarat Luc. 10. v. 16. ut qui hos loquentes, præcipientesque audiat, Christum audiat; qui vero eos contemnat, & spernat, Christum spernat; dum denique per Paulum ad Hebræos 13. v. 17. eosdem Præpositos appellat, quibus parere, ac subesse oporteat? Hæ phrases, il loquendi modi satis superque declarant, Christum Ecclesiam suam instar Reipublicæ stabilisse, in qua Pastores præessent, auctoritate freti, ea prohibendi, præcipiendi, ac etiam certis pœnis interdicendi, quæ communæ Ecclesiæ bonum postularet.

Fac vero hæc ambigua fore, atque in alium quoque sensum detorqueri posse. Si constet, hanc Apostolos, ac Episcopos, deinde eorumdem Successores exercuisse potestatem, eamque in iisdem agnovisse, ac fuisse venerator primos Christianorum Principes, quis dubitet, quin eam revera a Deo habuerint? Neque enim est verisimile Ecclesiam viventibus adhuc Apostolis formam a Christo stabilitam mutasse, eamque veluti a Deo sibi collatam Pastores sibi usurpasse potestatem, quam non habuissent. At Ecclesia hanc semper exercuit potestatem. Nam, ut ea mittam, quæ Actorum 19. v. 19. leguntur, de libris eorum, qui fuerant curiosa sectati, quorum ingens numerus Ephesi, Paulo prædicante, combustus fuit; Auctor Const. Apostolic. l. 1. c. 3. ait: *Apostolos prohibuisse initio Fidelibus libros gentilium, & falsorum Prophetarum:* Canon 59. ex iis, qui Apostolorum nomen præseferunt. *Si quis*, inquit, *falso inscriptos impiorum libros tamquam sanctos in Ecclesia publicat ad Populi, & Cleri perniciem, deponatur.* Hæc satis sunt ad ostendendum, Ecclesiam etiam dum sub Principibus infidelibus esset, auctoritate, quam ex Christo habuerat, usam, libros noxios prohibuisse, ac pœnas, prout temporum circumstantiæ ferebant, adversus inobedientes statuisse.

Reddita vero Ecclesiæ pace hanc potestatem liberius exercuit, probantibus, ac faventibus etiam ipsis Christianis Principibus. Nam in Concilio Niceno I. Patres damnarunt Arii libros, eosque comburendos esse decreverunt: Constantinus vero Magnus indicta pœna capitis in eos, qui illos occultassent, omnes comburi curavit; ut scribit Socrates lib. 1. cap. 6. & Nicephorus lib. 8. cap. 23.

Patres Concilii Ephesini damnatis Nestorii scriptis in Synodica Epistola, ita ad Theodosium scribunt: *Vestram autem majestatem iterum atque iterum rogatam cupimus, ut universam illam doctrinam a sanctis Ecclesiis submoveri, ejusdemque libros abique locorum repertos jubeat flammis adjungi.* Similem sententiam tulere Chalcedonenses Patres in scriptis Eutychetis, quæ ex edicto Imperatorum fuere deinceps combusta. Hac via Antiqui illi Patres, auxilium eisdem præbentibus Imperatoribus, e Fidelium manibus hæreticorum libros præripere studuerunt. Immo piissimi Principes, ut promptiores essent ministri ad libros, quos Ecclesia Religioni inimicos declarasset, abolendos, leges quoque statuere, quibus hæreticorum libros comburi præciplebatur. Id vero non ut potestatem, quam non haberet Ecclesia, supplerent, ut satto scriptit Petrus Giannoni, sed ut necessariam ei præberent auxilium per pœnas temporarias ad facilius hujusmodi pestem extirpandam. Nam cum primum potuit libere Ecclesia horum librorum combustionem decernere, atque executioni mandare, id propria auctoritate fecisse constat. Sanctus enim Leo Magnus anno 442. propria auctoritate & sententia, Manichæorum libros Romæ combussit, Et epist. 93. quæ est ad Turibium Asturicensem Episcopum: *Apocrypha*, inquit, *scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium fallitatum, non solum interdicenda, sed etiam penitus auferenda, atque ignibus concremanda.* Et infra: *Si quis Episcoporum, vel Apocrypha per domos non prohibuerit, vel sub Canonicorum nomine eos Codices in Ecclesiis permiserit legi, qui Pontificiani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se noverit judicandum.* Symmachus quoque, & Hormisda Manichæorum libros combusserunt. Concilium Nicenum II. act. 5. libros hæreticorum damnavit comburique jussit. Nicolaus I. in respons. ad consul. Bulgarorum noxios, blasphemosque Saracenorum libros igni tradendos constituit: Nicolaus II. ann. 1059. idem in Concilio Romano de Berengarii libris decrevit. Et, ut alia mittam, Concilium Romanum, & Constantiense igni tradidere Joannis Huss, atque Wiclephi libros. Atque hinc patet Patres, ac supremos Pontifices Apostolos imitatos, usque ad quintidecimi sæculi initium hæreticorum librorum combustione malis occurrere consueviſſe, quæ ex hujusmodi librorum lectione in Ecclesia oriri potuissent. Hæc præcipua Pastorum ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuit, at-

que hac unica via tot hæreticorum libros perdere potuerunt. Mirum itaque non est, si antiquæ Ecclesiæ nullus proscriptorum librorum Catalogus occurrat; nam index ille librorum Apocryphorum a Gelasio Papa in Romana Synodo propositus, inquit Cl. P. Catalani, *nequaquam dici potest Index librorum prohibitorum, juxta usitatam modernam phrasim. Index exhibet libros tam privatim, quam publice legi prohibitos*, cum scopus illius decreti esset libros proponere, qui *in Ecclesiis per anni curriculum* a nonnullis legentur *pro ædificatione*. At inde injuria colligas, nunquam in Ecclesia privatam librorum lectionem fuisse prohibitam. Nam id vetitum fuisse constat ex supra cit. Constit. Apostolicar. lib. ex S. Leonis verbis, ex Concilior. omnibus generalibus, in quibus damnati fuere Hæreticorum libri, ex canone 16. Conc. IV. Carth. quo statuitur, ne *Episcopus Gentilium libros legat*; Hæreticorum *autem pro necessitate, ac tempore*: atque ex eo, quod S. Epiphanius an. 401. in Synodo Cypri librorum Origenis lectionem prohibuerit. Hæc sane ostendunt privatam quoque librorum lectionem interdici consuevisse. Nec desunt gravissimi Theologi, qui Gelasianum quoque decretum ad privatæ quoque lectionis prohibitionem extendat librorum, qui Apocrypha declarantur; cum scripta eorum in illo catalogo se consignare voluisse declaraverit, *quæ a Catholicis vitanda sint*. Hactenus de disciplina, qua universim usa est Ecclesia in eripiendis a Fidelium manibus hæreticorum libris, noxiisque scriptis.

CAPUT II.

De stabilita per Apostolicam Sedem disciplina circa examen, proscriptionemque librorum, post inventam artem typographicam, ac post ortas Lutheri, Calvinique hæreses.

SUperiori in capite ostendimus, qua via Ecclesiæ Pastores e Fidelium manibus impiorum libros eripuerint, cum nondum ars typographica inventa esset. Quanta vero eorum, ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuerit, quantum Principum in Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis decreta obsequium, vel ex eo intelliges, quod ne vel unus quidem antiquorum hæreticorum liber supersit. At inventa arte typographica, ortis Lutheri, & Calvini hæresibus, atque diris malis hæreticorum artibus in varia fehismata Europa, alia ratione occurrendum fuit malis, quæ ex pravorum librorum lectione oriebantur. Viguit etiam deinceps, & ipse Leo X. omnes Lutheri libros sub gravissimis pœnis comburi justit, ac etiam nunc viget usus comburendi per manus carnificis certum librorum genus. At etsi id satis est ad conciliandam iniquis Auctoribus infamiam, & ad ostendendam Ecclesiæ voluntatem, quæ illos abolitos vellet, ac publicam præferri execrationem, qua homines ad horrendam illius libri lectionem incitantur: tamen sufficiens non est ad omnia proscribenda typis evulgata, & diffitis in locis multorum manus delata exemplaria. Quamobrem nova, atque aptiori disciplina Fideles ab horum librorum lectione deterrere oportuit.

Cœpit ars typographica circa an. 1460. Initio autem, cum omnes imprimendis selectioribus antiquorum scriptis intenti essent, commoda hujus novæ artis homines experiebantur, ac laudabant; quæ vero inde mala oriturа essent, nec præsentiebant, nec suspicabantur. Sed postquam initio sexridecimi sæculi, ob nimiam in antiquis Theologis, Patribusque carpendis, atque sacris Scripturis interpretandis libertatem, & ob novas Lutheri, Calvinique hæreses, plures noxii libri ederentur, inter quos nonnulli, mentito quoque nomine, hæretico fermento conspersi essent; nova Apostolicæ Sedis œconomia, majorque cura, & sollicitudo emituit. Nam Leo X. combustis nonnullis Lutheri scriptis, interdictisque sub anathematis pœna illius operibus, in Concilio Lateranensi anno 1515. sessione 10. veruit, ne deinceps imprimerentur libri, nisi prius in Urbe, ab ipsius Vicario, & Magistro Sacri Palatii, aut a Personis ab ipso deputatis, examinati essent; in aliis locis vero ab Episcopo, vel ab ejus deputato, aut ab Inquisitore hæreticæ pravitatis ejus Civitatis, & Diœcesis, in qua impressio fieret. In transgressores vero, præter excommunicationem, suspensionem ab exercitio artis, amissionem librorum, aliasque pœnas arbitrio Ordinarii infligendas constituit. Deinde etiam Julius III. cavit, ne cui liceret, libros Lutheranorum, aliorumque hæreticorum legere, aut habere apud se, iisque sub pœnis spiritualibus, & temporalis, quæ in hæreticos latæ essent.

Sed cum plures quotidie prodirent hæretica labe conspersi libri, qui, mentito plerumque Auctoris nomine, ac variis artibus ita errores occultabant, ut facile non esset eos a Catholicorum libris secernere, ac simplices illorum lectione decipere, ac seducere possent, communi Orthodoxorum voto Catalogus, sive Index librorum, quorum lectio perniciosa foret, optabatur. Hinc etiam Carolus V. Facultati Lovaniensi justit, ut librorum, qui hæretici, vel hæreseos suspecti essent, catalogum texeret, qui auctoritate ipsius Caroli V. an. 1546. vulgatus fuit. Cum vero assidue novi hæreticorum libri prodirent, fuitorem quoque edidit eadem sacra Facultas, quem addito speciali Edicto Imperator publicari mandavit anno 1556.

Sed cum ejusmodi Indices summæ auctoritatis non essent, quæ omnes ubique Fideles obligaret, ac libri etiam, qui ab hæreticis Italica lingua editi essent, deliberarentur, Paulus IV. P. M. anno 1557. iis, qui Sacræ Inquisitioni contra hæreticam pravitatem præsunt, mandavit, ut Judicem conficerent, confectumque eodem anno vulgavit. In quo etsi nullum extat decretum, *ita tamen a tergo facti libri legitur*, inquit Catalanus de Secer. Sac. Cong. Ind. cap. IV. *Index Alphabetico ordine distinctus est &c.* Edidit præterea idem Pontifex alium Indicem ann. 1558. die 30. Decembris, quem initio anni 1559. vulgavit, latis censuris contra legentes, & tenentes libros prohibitos in Bulla Cœnæ expressis, additis etiam aliis gravissimis pœnis. Pius autem IV. Pauli Successor rigorem temperans totum illud Indicis librorum negotium ad Conc. Trid. detulit.

Quid vero deinceps actum fuerit, paucis innuit Clemens VIII. in Const. cujus initium est *Sacrosanctum*, in qua ait: *Sed cum nostris hisce calamitosis temporibus antiquus humani generis hostis a sua malitia nunquam recedens, ad eamdem catholicam doctrinam labefactandam, pestiferas hæreses, & detestabiles errores, aut novos confinxit, aut vetères ex inferis excitavit, Sacra Tridentina Synodus pestilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimio excreverat, coercere, aut auferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquos viros delegit, qui de tota ea re cognoscerent, & deliberarent: deinde vero cum id in negotio illo parum profecisse sentiret, justis de causis eadem Synodus permota, ad ipsam sedem Apostolicam, integram rem deferendam statuit.* Quid vero Romanus Pontifex egerit, iis verbis declarat: *Itaque fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster, qui tunc ad Ecclesiæ Gubernacula sedebat, Prælatis quibusdam doctrina, & prudentia præstantibus adhibitis, Indicem Librorum prohibitorum, & Regulas quasdam per suas Literas in forma Brevis promulgavit, & ejusmodi noxiorum Librorum detrimentis depellendis opportune providit.* Litteræ autem Pii IV. initium habent, *Dominici Gregis &c.* Clem. vero VIII. hæc eadem Const. Indicem eundem, *postea a* Sixto V. auctum, Apostolica Auctoritate recognitum publicavit: *instructione adjecta de exequendo prohibitionis Decreto, deque sacere emanandi, & imprimendi Libros ratione.* Hujus Indicis confectionem commiserat Gregorius XIII. Sacræ Indicis Congregationi a S. Pio V. institutæ; Index vero auctus fuit sub Sixto V. ac absolutus sub Clemente VIII.

Itaque Apostolicæ Sedis cura Librorum improbatæ Lectioni Indices plures prodiere, ac novis occurrentibus Libris, iterum aucti in lucem mittuntur. Præter Congregationem Supremæ Inquisitionis, aliam quoque Cardinalium Congregationem, quæ Indicis appellatur, instituit S. Pius V. eamque novis facultatibus auxit Sixtus V. novisque privilegiis roboravit Clemens VIII. in sup. cit. Constit.

Hæc autem indicavi, ut inde omnes agnoscant, quæ fuerit, quæque nunc sit Romanæ Sedis pro impedienda noxiorum librorum lectione sollicitudo, quantumque ejusdem hac de re Decretis debeatur obsequium. Ecclesiæ enim unice munus est demonstrare Fidelibus, quinam sint noxii libri, quorum lectio homines seducere, ac depravare possit. Ubi vero nisi in Romana ac Petri Sede id fieri potest? Quis non videat Divina ei providentia concessum esse, ut in statum illum devenerit, in quo hac nostra ætate, & undique conquirere libros, & doctos cujusque facultatis Consores, & tantæ dignitatis, & auctoritatis Judices, quanta sunt Cardinales, habere possit? Si non aliam auctoritatem haberet, quam ab Ecclesia in Trident. Synodo congregata eidem collatam, an non omnes ejusdem Decretis obtemperare deberent? At eam habet, quam Christus Petro, supra quem Ecclesiam suam fundavit, contulit; quam Petrus ipse, eorumque successores in universam Ecclesiam semper exercuere; quam denique agnovere semper Ecclesiæ omnes, veluti Fontem totius Sacerdotalis jurisdictionis, veluti Centrum unitatis, ac veluti Matrem, & Magistram omnium Ecclesiarum.

Sed videamus, quas regulas pro dijudicandis, vetandisque libris stabilierit, & qua ratione ad eosdem proscribendos procedat. Libri, qui in hujusmodi catalogum referri debent, inquit Pius IV. Const. incipien. *Dominici Gregis*, ii sunt, *qui vel Hæretici sint, vel de hæretica pravitate suspecti, vel certe moribus, & pietati nocent.* Hæc sane præcipua, ac generalis regula est, atque ad hanc facile revocantur prohibitiones etiam Librorum in odium Auctorum, eorumque, qui, ob non servatas in editione præscriptas ab Ecclesia regulas, vetantur; ut rem serio expendenti liquet. Quis vero non videat, Pastoris munus esse, hos ex illorum manibus, quorum animarum rationem sint Deo reddituri, præripere libros? Quæ autem methodus sit, quam Apostolica Sedes in iis examinandis, proscribendisque libris servet, habes ex Const. S. M. Benedicti Papæ XIV. quam integram recensemus.

CONSTITUTIO
BENEDICTI PAPÆ XIV.

Qua Methodus præscribitur in examine & proscriptione Librorum servanda.

SOllicita ac provida Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christifideles ab eorum Librorum Lectione averteret, ex quibus incauti ac simplices detrimenti quidplam capere possent, imbuique opinionibus ac doctrinis, quæ vel morum integritati, vel Catholicæ Religionis Dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus S. Gelasii I. Decretum, quæque jam pridem a Gregorio IX. aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerint: ignorare neminem arbitramur, quæ fuerint a Prædecessoribus Nostris Pio IV. Sancto Pio V. & Clemen. VIII. diligentissime præstita; ut saluberrimum opus a Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitæ lectionis Librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decreris ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet, ad id deputatis duabus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos nonnullosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, & quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem Romanæ Universalis Inquisitionis a Paulo IV. commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de Libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem, S. Pium V. primum fuisse Congregationis Indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. confirmarunt, variisque Privilegiis & Facultatibus auxerunt. Ejusque proprium, ac fere unicum Officium est in examen Libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione Universalis Inquisitionis de proscribendis vel dimittendis Libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum Nos ipsi plane perspectum ac diuturna experientia compertum habemus. Nam in minoribus constituti, de Libris nonnullis in ea censuram tulimus, & Consultoris ejusdem Congregationis munere diu perfuncti fumus, postremo inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cooptari, Inquisitoris Generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti; non modo Consorum animadversiones in Libros nonnul-

nullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quæ singulis Feriis quintis coram Nobis habentur, Cardinalium sententias, atque suffragia, antequam de iisdem Libris quid decernatur, audire & excipere consuevimus. Haud minoris diligentiæ testimonium ferre possumus adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit; ut supra diximus, de quorumvis Librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi Censoris, seu Relatoris Officium in ea Congregatione non semel obivimus, ex quo autem Supremum Pontificatum ceperimus, nullius Libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregationis Secretario, qui libri materiam, Revisorum censuras, Cardinalium judicia & suffragia, accurate Nobis exponeret.

Sed quoniam compertum est Nobis, atque exploratum, multas Librorum proscriptiones, præsertim quorum Auctores Catholici sunt, publicis aliquando injustisque querelis in reprehensionem adduci, tamquam illi temere ac perfunctorie in Tribunalibus Noxiis ea res ageretur; operæ pretium duximus, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione certas firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps Librorum examen judicumque peragatur: tamesi plane affirmari possit, illiusmodi jampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia æquipollenti, constantes actum fuisse.

Porro Romanæ Universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quorum alii Sacræ Theologiæ, alii Canonici Juris doctrina, alii Ecclesiasticarum rerum peritia, muneramque Romanæ Curiæ exercitatione, prudentiæ demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His assumitur unus ex Romanæ Curiæ Præsulibus, quem Assessorem vocant; unus etiam ex Ordine Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magister, quem Commissarium appellant; certus præterea Consultorum numerus, qui ex utroque Clero Sæculari ac Regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina Viri, qui a Congregatione jussi, de Libris censuram instaurant, iisque Qualificatorum nomen tributum est. De variis in præfata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur; in primis autem de Causis Fidei, ac de Personis violatæ Religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tamquam proscriptione dignum, deferri contigerit; nisi ad Judicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur: Nos, inhærentes Decreto lato ab eadem Congregatione Feria quarta Kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a nobis confirmato Feria quinta insequente, hac ratione & methodo judicium institui mandamus.

Primo nimirum uni ex Qualificatoribus aut Consultoribus a Congregatione deligendo liber tradatur, quem is attento animo legat ac diligenter expendat, tum Censuram suam scripto consignet, locis indicatis & paginis, in quibus notati errores continentur, Mox liber cum animadversionibus Revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis Feriis secundis in Ædibus Sancti Officii, de Libro & Censura sententiam dicant: Ipsa deinde Censura, cum Libro, & Consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittatur, ut hi in Congregatione, quæ Feria quarta haberi solet in Fratrum Præsicatorum Cœnobio Sanctæ Mariæ supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post ab Assessore Sancti Officii Acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvatur.

Cum autem sit veteri institutione receptum, ut Auctoris Catholici Liber non unius tantum Relatoris perspecta censura illico proscribatur; ad normam præfati Decreti mensis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari, ita ut si primus Censor Librum proscribendum esse judicet, quamvis Consultores in eamdem sententiam conveniant, nihilominus alteri Revisori ab eadem Congregatione electo liber & Censura tradantur, suppresso primi Censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus Revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de Libro decernant: at si secundus a primo dissentiat, ac Librum dimittendum existimet, tertius eligatur Censor, cui, suppresso priorum nomine, utraque Censura communicetur. Hujus autem relatio, a priore Consultorum sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi quod opportunum fuerit decernant. Sin minus, iterum consultores perspecta tertia Censura suffragium ferant: idque una cum omnibus præfatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia demique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in Libro agitur, gravitatem, vel quia id Auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, libri judicium coram se ipso in Congregatione Feriæ quintæ habendum decrevit; quod sæpe a Nobis factum fuit, & quoties ita expedire judicabimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici & Cardinalibus Libri censuras, & Consultorum suffragia, omisso examine Congregationis Feriæ quartæ, ejusque relatione, quam per assessorem Pontifici faciendam diximus: nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

Altera quoque Judicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque doctibus præditos, quibus Sancti Officii Cardinales pollere solent: quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem Congregationis Præfectus exsistit, Assistens vero perpetuus est Magister Sacri Palatii: Secretarius autem, a prima Congregationis institutione usque in præsentem diem, ex ordine Fratrum Prædicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque Clero Sæculari & Regulari ejusdem Congregationis Consultores, & Relatores selecti, & quidem, ubi aliquis Librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio, laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in Consultorum numerum referatur.

Sub ipso Pontificatus nostri primordio, ea Nos subiit cogitatio, ut certam aliquam & immutabilem methodum pro examine judicioque Librorum in hac Judicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisitissimus dilecti Filii Nostri Angeli Mariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Quirini nuncupati, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, & dictæ Congregationis Præfecti, qui pari prudentia & doctrina suum Nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquos ejusdem Congregationis Consultores coram dilecto Filio Josepho Augustino Orsi Ordinis Prædicatorum, tunc ipsius Congregationis Secretario, nunc autem Palatii Apostolici Magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta Nobis jam tunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud Nos allevata fuerint, nunc demum veterem deliberationem nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad Librorum examen atque judicium in prima dicta congregatione Sancti Officii peragendum pertinet, auctoritate nostra confirmabilimus; ita etiam ea, quæ ad Congregationem Indicis, & ejusdem generis negotia apud eam tractanda facere possint, opportunis Decretis constituere volentes, præfatæ Cardinalis Præfecti consiliis, dictorumque Consultorum votis inhærendo, hæc deinceps servanda decernimus.

Cum Congregatio Indicis ad Librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera Sancti Officii Congregatio, quæ ob causarum & negotiorum multitudinem, singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea Secretario peculiare munus & officium recipiendi Librorum denunciationes, ut fieri jam ante consuevit, committimus & demandamus. Is autem a Libri Delatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet; tum Librum ipsum haud perfunctorie pervolet, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat; duabus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, prævia Summi Pontificis, aut Cardinalis Præfecti, vel ejus, qui Præfecti vices suppleat, approbatione eligendis. Quorum collato consilio, si Liber censura & nota dignus videatur, unus aliquis Relator adferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in Libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, quam alias *Parvam* dixerunt. Nos autem *Præparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad Librum collatis, de earum pondere judicium fiat. Hujusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam tapius, si opportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportunius, ac ipsi videbitur, loco, intra præcidii Cœlestini Ædes, ubi is commoratur; Eique semper interesse Magister Sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti & materiæ, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, & de Relatore constitutum est, a Secretario eligendis, inter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum Relatoris censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quæ superius statuta sunt pro Congregatione Sancti Officii circa

Librorum examen. At quemadmodum ad Assessorem Sancti Officii pertinet, de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc Librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola Librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda judicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam Congregatione Sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiæ se offerant, æque observanda erunt. Quotiescumque agatur de Libro Auctoris Catholici, qui sit integræ famæ, & clari nominis, vel ob alios editos Libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examine adducitur, & hunc quidem proscribi oporteat; præ oculis habeatur usu jamdiu recepta continendo prohibendi Librum, adjecta clausula: *Donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obsit, quominus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur Decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum Auctore, vel quovis alteco pro eo agente, & rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo Auctoris nomine comparaeat, vel ipse, aut alter pro eo actum, injunctam correctionem Libri detrectet, consecto definito tempore Decretum edatur. Si vero idem Auctor, ejusve Procurator, Congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit Libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus, tunc supprimatur proscriptionis Decretum; nisi forte priora Editionis exemplaria magno numero distracta fuerint: tunc enim ita Decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primæ Editionis exemplaria damnatæ interdicta fore, secunde vero jam emendatæ permissa.

Quamvis nemus aliquando nonnullos, quod Librorum judicia & proscriptiones, inauditis Auctoribus, fiant, nolis loco ad defensionem concessio. Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse Auctores in judicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de confulendo Fidelium indemnitati, atque averiendo ab ipsis periculo, quod ex nocua Librorum lectione facile incurritur; Si qua vero ignominiæ labe Auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex Libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi Librorum prohibitiones, inauditis Auctoribus, factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrine sue defensione potuisset Auctor afferre, id minime a Cansoribus atque Judicibus ignoratum, neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod sæpe alias, summa æquitatis & prudentiæ ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de Auctore Catholico aliquo nominis & meritorum fama illustri, ejusque opus, dempris demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel Auctorem ipsum suum causam tueri volentem audiat, vel unum ex Consultoribus deligat, qui ex

Qui-

Officio Operis patrocinium, defensionemque suscipiat.

Quemadmodum vero, ubi de Congregatione Sancti Officii agebamus, eidem Nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de Libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur; quod erit Nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet Feria quinta coram Nobis habeatur: sic & Indicis Congregationi præsentiam Nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel hæretici hominis liber denunciatur, in quo Auctor errores Catholicæ dogmati adversantes consulto tradit aut tuetur; vel Opus aliquod in examen adducitur, quo recte morum regulæ labefactantur, ac vitiis, & corruptelis fomenta præbeantur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit, sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis Decretum illico faciendum erit; juxta primam, secundam & septimam Indicis Regulas, Sacrosancti Tridentini Concilii jussu editas, atque vulgatas.

Cum in prælaudata Congregatione Sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quicquam cum alio extra illam loquatur: Nos hanc eamdem silentii legem a Relatoribus, Consultoribus & Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus, ut animadversiones in Libros censuræ subjectos, eorum Auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus & postulantibus, sub eadem Secreti lege communicare queat: suppressis semper Denunciatoris, Censorisque nominibus.

Examinandis, corrigendisque Libris peropportuna sunt, quæ decem Regulis Indicis a Patribus Tridentinæ Synodi confectis, atque editis continentur. In Instructione autem felicis recordationis Clementis Papæ VIII. ejusdem Regulis adjecta, *Tit. de correctione Librorum §. 5*, Episcopis, & Inquisitoribus cura committitur, ut ad Librorum edendorum examen *spectatæ pietatis & doctrinæ Viros adhibeant, de quorum fide & integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed unni humano affectu posthabito, Dei duntaxat gloriam spectaturos, & fideli populi utilitatem*. His porro virtutibus animique dotibus, si non majori, ac pari certe de causa, præstare oportet hujus Nostræ Congregationis Revisores, & Consultores. Cumque eos omnes, qui hunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum speramdumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitæ integros, probatæ doctrinæ, maturo judicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos, qui æquitatem, libertatemque judicandi, cum prudentia & veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus & constitutus non sit; ab ejusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat. Hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores ex utroque Clero, Sæculari nempe, & Regulari, adhibeantur alii quidem Theologi, alii utriusque juris periti, alii sacra & prophana eruditione præstantes, ut ex eorum cœtu, pro variegata Librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque judicium.

Ipsos autem Relatores, Consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur, ut in examine, judicioque Librorum sequentes Regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

I. Meminerint, non id libi numeris omnisque impositum, ut Libri ad examinandum sibi traditi prosequtionem modis omnibus curent, atque urgeant: sed ut diligenti studio, ac sedulo animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, veraseque rationes Congregationi supponant, ex quibus rectum judicium de illo ferre, eiusque proscriptionem, emendationem, aut dimissionem pro merito decernere valeat.

II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum & consulendum in prædicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas Libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices judicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, *idque* a Censore, aut Consultore efecto, ex ipsa Libri lectione deprehendatur; noverit is, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi, aut Secretario aperiat, seque ad ferendam de hujusmodi Libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id munerisfungari curet; quo tantum abiest, ut existimationis suæ dispendium apud Pontificem & Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, & candoris opinionem, & laudem sibi sit conciliaturus.

III. De variis opinionibus atque sententiis in unoquoque Libro contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse sciant. Itaque Nationis, Familiæ, Scholæ, instituti affectum excutiant; studia partium sejonant; Ecclesiæ Sanctæ dogmata, & communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum Generalium Decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Orthodoxorum Patrum atque Doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant, hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni Scholæ, Instituto, aut Nationi certo certiores videntur, & nihilominus, sine ullo Fidei aut Religionis detrimento, ab aliis Catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositeque defenduntur, scients ac permittente Apostolica sede, quæ unamquamque opinionem in hujusmodi in suo probabilitatis gradu reliquit.

IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum judicium de vero Auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius Liber legatur, quæque diversis in locis posita & collocata sunt, inter se comparentur; universum præterea Auctoris consilium & institutum attente disiciatur; neque vero ex una vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel secorsum ab aliis, que in eodem Libro continentur, considerata & expensa, de eo pronunciandum esse; sæpe enim accidit, ut quod ab Auctore in aliquo Operis loco persunctorie aut subobscure

scure traditum est, ita alio in loco distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut offusæ priori sententiæ tenebræ, quibus involuta pravi sensus species exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

V. Quod si ambigua quædam exciderint Auctori, qui aliquin Catholicus sit, & integra Religionis doctrinæque fama; æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

Has porro, similesque regulas, quæ apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrent, semper animo propositas habeant Censores & Consultores, quo valeant, in hoc gravissimo judicii genere, conscientiæ suæ, Auctorum famæ, Ecclesiæ bono, & Fidelium utilitati consulere: Duo autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quæ hoc loco adjungenda omnino esse judicamus.

Prodeunt aliquando Libri, in quibus falsa & reprobata dogmata, aut sistemata, Religioni vel moribus exitiosa, tamquam aliorum inventa & cogitata, exponuntur & referuntur, ubique eo quod Auctor, qui Opus suum pravis hujusmodi meribus onerare fategit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni aut censuræ obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut ajunt, opinionibus nihil ipsi affirment, sed historiæ agant. At quidquid sit de eorum animo & consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in Tribunalibus ad advertenda crimina institutis jus dicunt, dubitari certe non potest, magnam ejusmodi in Christianam Rempublicam labem, ac perniciem inferri; quam incautis Lectoribus venena propinant, nullo exhibito vel parato, quo præserventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanæ malitiæ inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime Revisores advertant, ac censuræ subjiciant; ut, vel hujusmodi Libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendentur, vel in veterorum Indicem omnino referantur.

In ea, quam superius laudavimus Prædecessoris nostri Clementis Papæ VIII. Institutione: *Tit. de correct. lib. §. 5.* sapientissime cautum legitur, *ut quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum & Principum detrahunt, bonisque moribus & Christianæ disciplinæ sunt contraria, expungantur*. Et paullo post: *Facetiæ etiam, aut dicteria, in perniciem aut præjudicium famæ, & existimationis aliorum jactata, repudiantur*. Utinam vero in aspectum lucemque hominum Libri ejusmodi in hac temporum licentia & pravitate non efferrentur, in quibus dissidentes Auctores mutuis se jurgiis, convitiisque proscindunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt; adversarios, eorumque Scholas, ac cœtus fogillant, & jure ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, hæreticorum vero contemptu, qui dissidantibus inter se Catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Et si vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, præsertim cum Librorum numerus continenter augeatur: *Faciendi enim plures Libri nullus est finis*, ut est apud Ecclesiasten *cap. 12.* compertum præterea Nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, & Christianam in scribendo moderationem servari merito volumus: *Non inutiliter* (inquit Augustinus in Enchirid. *cap. 59.* prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata; & abit error opinantium, se credere, quod nesciunt*. Qui veritatis studium, & purioris Doctrinæ zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam Evangelicæ mansuetudinis, & Christianæ caritatis rationem. Caritas autem de corde puro, pariens est, benigna est, non irritatur, non æmulatur, non agit perperam, atque (addit idem Augustinus, lib. contra Litteras Petiliani cap. *29. n. 31.*) *Sine superbia de veritate præsumit, sine fastidio pro veritate certat*. Hanc magnus ille non veritatis minus, quam caritatis Doctor, & scripto & opere præmonstravit. Nam in suis adversus Manichæos, Pelagianos, Donatistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiæ adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavit, ne quempiam eorum injuriis aut convitiis læderet, atque exasperaret; qui secus scribendo, vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi præcipue cordi esse, nec caritatem sectari se ostendit.

Si quoque non satis idoneam, justamque excusationem afferre videamur, qui ob singulare, quod profitemur erga veteres Doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur: nam si carpere novos audeant, forte ab lædendis veteribus filii minime temperaffent, si in eorum tempora incidissent, quod præclare animadversum est ab Auctore Operis imperfecti in Matth. hom. *42. Cum audieris*, inquit, *aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba quali sit circa suos Doctores: si enim illos, cum quibus vivit, sustinet & honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, & illos contempsisset*. Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt, ac disputant, id quod graviter ac sapienter a Vener. Servo Dei Prædecessore Nostro Innocentio Papa XI. præscriptum est in Decreto edito die secunda Martii millesimi sexcentesimi septuagesimi anni: *Tandem*, inquit, *ut ab injuriis contentiosibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum abstineant, ut paci & caritati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in Libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura & nota, nec non a quibuscumque convictis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, donec a sancta Sede recognitæ sint, & super eis judicium proferatur*. Cohibebatur itaque ea Scriptorum licentia, qui, ut ajebat Augustinus lib. 11. Confess. cap. 25. num. 34. *Sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est*, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiæ Dogmata, a quopiam in Libris obtrudi, oppositas vero erroris insimulari; quo turbæ in Ecclesia excitantur, dissidia inter Doctores aut seruntur, aut foventur, & Christianæ caritatis vincula persæpe abrumpuntur.

Angelicus Scholarum Princeps, Ecclesiæque Doctor, S. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit nunquam

quam satis laudata volumina, varias necessario offendit Philosophorum, Theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Ceteras vero tanti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere vites sit, sed omnes, officiose, ac perhumaniter demereri; nam si quid durius, ambiguum, obscurumve eorum dictis subesset, id leniter benigneque interpretando, emolliebat atque explicabat. Si autem Religionis ac Fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exponeret, ac refutaret, tanta id præstabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam Catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent ac gloriari Magistro (quos magno numero esse, pro singulari nostra erga ipsum cultu studioque gaudemus) ii sibi ad æmulandem proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi disputandique rationem. Ad hanc ceteri quoque se componere studeant, qui ab ejus Schola doctrinaque recedunt; Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositæ sunt: Cumque Angelicus Doctor Sanctorum albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrarium in agendo, ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimium interest publicæ tranquillitatis, proximorum ædificationis, & Caritatis, ut e Catholicorum scriptis abiit livor, acerbitas, a christiana institutione ac disciplina, & ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in hujusmodi Scriptorum licentiam gravitate pro munere suo censuram intendant Revisores Librorum, eamque Congregationis Cardinalibus agoscendam subjiciant, ut eam pro zelo suo & potestate coerceant.

Quæ hactenus a nobis proposita ac constituta sunt, Prædecessorum nostrorum Decretis plane consona, Congregationum quoque nostrarum legibus, & consuetudinibus comprobata, in Librorum examine ac judicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: Mandantes universis & singulis, qui in præfatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam præstant, ut adversus præmissa sic a Nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare præsumant, absque Nostra vel Successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

Non obstantibus contrariis quibuslibet etiam Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, necnon earumdem Congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis Decretis, usibus, stilis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrorum Decretorum, Mandatorum, Statutorum, voluntatum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, septimo Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

CAPUT III.

De auctoritate decretorum libros vetantium, de pœnis in eos latis, qui hujusmodi libros legant, retineant &c.

IN primo Capite ostendimus, antequam inventa esset ars typographica, Ecclesiæ curam universum fuisse, ut igne perderet hæreticorum, aliosque Religioni, ac pietati inimicos libros, vocato multoties in subsidium brachio sæculari, & Ecclesiasticis quandoque consuris adhibitis, ut hujusmodi libros detegeret, ut excitaret Episcopos ad eorumdem inquisitionem, fideleisque ad eos Episcopis deferendos, ut comburerentur. Id autem non ita intelligant velim, quasi illorum lectio vetita non esset, sed sola librorum combustio decerneretur. Nam regula generalis erat, ut ex S. Gregorio Magno lib. 7. epist. 54. colligitur, *damnato Auctore, damnari ejus scripturas, & libros, & opera*, in quibus errores essent, quorum causa damnaretur. Quæ vero damnatio fuisset operum, si retineri, ac legi potuisset? Immo dum sub anathematis pœna Auctores damnati essent, eisdem pœnis subjectos fuisse arbitror tenentes, legentesque eorum libros, præsertim cum errorum fautores haberentur, quorum apud se haberent, ac legerent libros. In altero autem capite ostendimus, post illius artis inventionem, & postquam tot hæreses in schismata divisere Christianos, consecutum utique nonnullos libros juxta antiquam consuetudinem comburi, at fieri non potuisse, ut hac via e fidelium manibus omnino præriperentur, quamobrem nova opus fuisse disciplina; quam quidem singulari Apostolicæ Sedis cura stabilitam, ac abolitam fuisse demonstravimus. In hoc itaque primum de disciplina, pœnisque constituris, deque observatione agimus, quæ ex decretis libros vetantibus oritur.

Primo itaque lex in Concilio Lateranensi sub Leone X. lata, inculcata in Concilio Tridentino, atque in Indice renovata, contra Typographos, qui libros evulgeut, qui prius ab iis non fuit approbati, quibus hoc munus commissum est, pœnam constituit contra illius violatores, *amissionis omnium librorum, eorumque publice combustionis, ac centum ducatorum*. Item *excommunicationis*, & integri anni *suspensionis* ab officio, & exercitio Typographico, præter pœnas arbitrio Episcoporum contumacibus infligendas.

Deinde in legentes, tenentes, ac imprimentes libros prohibitos variæ constituæ sunt pœnæ, pro varietate librorum; nonnulli etiam sub *excommunicatione* vetantur, quæ *Bulla Cœnæ* continetur, quæque est Romano Pontifici reservata. Alii vero sub pœna excommunicationis, quæ in Regulis Indicis exprimitur, prohibiti sunt, quæ tamen excommunicatio nulli reservatur: alii denique sub pœna tantum peccati mortalis, aliisque pœnis arbitrio Episcopi contumacibus infligendis. Ne vero Lectores cum P. Concina Tom. 1. Theol. Christ. libr. dist. 2. p. 221. putent, etiam libros omnes Catholicos, quacumque ex causa prohibitos, vetari sub peccato mortali, & excommunicatione non reservata, placet hic in medium proferre verba Const. Pii Papæ IV. incipien. *Dominici gregis. Si quis*, inquit, *adversus eas Regulas prohibitionemque fecerit, is quidem qui hæreticorum libros, vel cujusvis auctoris scripta propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habuerit vel ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ab eo in eum tanquam de hæresi suspectum inquiri & procedi liceat: præter alias pœnas super hoc ab Apostolica Sede fortasse cannibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habuerit, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severe feuoverit puniendum.*

In excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt legentes, recinentes quoscumque libros Lutheri, Calvini, aliorumque Hæresiarcharum, de quacumque argumento tractantes, sive ex professo de religione agant, sive non, sive hæreses insperas habeant, sive non. Hoc autem nomine designantur, qui novas hæreses, & sectas condiderunt, aut veteres sam sepelrat, & extinctas iterum instaurarunt, aut susciarunt. Quod quidem nomina ipsa designant Hæresiarchæ, Capitis, & Ducis in prima regula Indicis expressa. Eandem excommunicationem trahunt legentes, habentesque libros quorumcumque hæreticorum ex professo de Religione tractantes. Tractant autem ex professo de Religione, agentes de Sacra Scriptura, de Theologia Dogmatica, Scholastica, & Morali, de Jure Canonico, de Historia Ecclesiastica, de Clericis, de Monachis, de Sanctorum Cultu, de Sacramentis, de Sacris Ritibus, deque aliis ad Religionem pertinentibus. Itaque, qui *scienter*, hoc est, scientes Auctores esse hæreticos, vel libros esse ab Ecclesia veritos, hujusmodi libros legunt sine debita licentia, sive id ex mera curiositate, sive etiam animo refellendi errores id agant, excommunicationem ipso dictam incidunt; dummodo parvitas materiæ non excuset. Eandem incurrunt eisdem eruentes, etiam ad meram ornatum Bibliothecæ, immo & qui apud alios quoque retineant, qui facultatem habeant, retento dominio, nisi id per breve *ad tempus* spatium, quod aliquantulum extendi potest, dum justa causa adsit ipsi obtinenda facultatis. Excenditur quoque excommunicatio illa ad eos, qui operam ad horum librorum editionem conferunt; ut sunt, Typographus, qui sumptus suppeditat, qui arenas litteras jungunt, & componunt, qui prælo excudunt, quique typos perlegunt, & corrigunt. Ac demum ad eos, qui hujusmodi libros defendunt; dolendere autem dicuntur libros, qui eorum prohibitionem impediant, quia eoldem utiles bonosque esse, non vero damnandos prædicent; aliaque agant, quæ ad illorum defensionem pertineant. Ii omnes in duplicem excommunicationem incidunt, alteram Bullæ, cujus absolutio Summo Pontifici reservata est, alteram Indicis, quæ non est reservata.

Dum vero libri sint, ab hæretico homine conscripti, de Religione vero non tractent, sed Philosophiam, Rethoricam, Historiam Profanam, Medicinam, aliamque inferiorem facultatem exponant, si a Theologis, aliisque justa Episcoporum, vel Inquisitorum, examinati, approbatique sint, omnino permittuntur. Tunc enim præsumitur aut nullos habuisse errores, aut fuisse jam expurgatos. Quia vero quotquot exeunt ex hæreticorum officinis, justa præscriptum Regularum Indicis editi non sunt, omnes cujusque argumenti per regulam x. proscripti ex-

se videntur. Sed ad Catholicorum loca delati universim veluti permissi haberi solent, donec Ecclesiæ judicio in damnatorum catalogum referantur. Id autem non alia de causa, ut ego arbitror, nisi quod per Revisores deputatos ad examen librorum, qui in catholicorum civitates introducuntur, veluti examinari, probatique habentur. Quamobrem graviter peccant Revisores, si suspectos hujusmodi libros examinare negligant, ac Mercatores etiam librorum, alique, qui scientes illos e suspectis Typographis prodiisse, eisdem de industria deputatis Revisoribus occultare studeat. Nam præter quam quod contra Ecclesiæ legem agunt libros illos examini subjicientem, in causa sunt ut noxii libri e simplicioram manibus, aliisque, quos seducere, ac depravare possint, juxta Ecclesiæ voluntatem non eripiantur. Peccant isidem, & quidem graviter, qui hujusmodi libros legentes, in iisque vel hæreses, aut errores alios Religioni, pietatique contrarios offendentes, eos denunciare negligunt Sacræ Congregationi, vel Episcopis, aut Inquisitoribus, ut in catalogum prohibitorum referantur. Immo si libri alieni etiam a Religione argumenti, de Philosophia ex. gr. vel jure civili, tales sint ut hæreses plures *sapius* inculcent, vel unam eandemque crebro inferant, ac persuadere conentur, acuti passim usvenire solet Novatoribus, ii habentur pro libris de Religione tractantibus, inquit doctissimus P. Gretserus, ac jam damnati sunt per generalem legem, tum Bullæ in Cœna Domini, tum Indicis, illoque tenentes, ac legentes sine necessaria licentia, postquam noverint hujusmodi esse hæreticis infectos, atque ab Ecclesia damnari hæreticorum libros in pœnas incidunt illis legibus contentas. Nam omnium judicio per hæreticorum libros, ii intelliguntur, qui de Religione tractant, & hæreses continent: *non unam, vel alteram, sed plurics sibi eandem sapius, & cum studio repetitam & inculcatam*. Hujusmodi itaque libri, etsi in catalogo prohibitorum non legantur, tamen ut hæreticorum libri ipso jure damnati sunt. Addit etiam citatus Gretserus lectionem libri, qui de Religione non agat, sed aliquam hæresim tantum obiter contineat, excommunicationem secum ferre Indicis tantum, *ob materiæ participem*.

Si liber, qui de Religione non tractat, aut Catholici Auctoris, sub excommunicatione prohibeatur, reservationis vero ac Bullæ Cœnæ mentio non fiat, excommunicatio illa reservata non est.

Nota 1. In Bulla Cœnæ non prohibentur libri Ethnicorum, Judæorum, & Mahumedanorum: nam ii hæreticorum nomine non veniunt. Libri de Astrologia judiciaria, ac divinatione de rebus contingentes futuris, prohibentur a Sixto V. sub pœna excommunicationis late sententiæ Summo Pontifici reservatæ. Celebriores Theologi consent, nomine librorum hæreticorum venire etiam libros Photianorum, Armenorum, Jacobitarum, & recentiorum Nestorianorum, quia ii non sunt sub obedientia Romani Pontificis, sicut hæretici, atque eorum libri ita Religioni sunt inimici, & ad seducendum apti, ut penitus omnino debeat, Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, illorum quoque lectionem vitare voluisse. Hæc quantum ad pœnas, nunc de Decretorum vi, & auctoritate agendum est. Id vero nonnullorum dubiorum solutione præstabimus.

Nota 2. Consilt. plurics cit. *Omnium sollicitudi-*

rum, Christifidelibus in Regno Madurensi, aliisque finitimis Regionibus, interdicitur, *Gentilium libros legere, & retinere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nisi prius habita licentia Parochi, sive Missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committitur facultas super hoc dispensandi, & libros (qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, nihil contra bonos mores tractantes, Christianorum usu feligendi, eorumque lecturam permittendi.*

Quæst. I. *Utrum in prohibitione libri etiam manuscripta prohibita censeantur?*

Resp. Affirmat. Nam vel libri sunt hæreticorum, qui de Religione tractent, vel sunt libri Catholicorum in catalogum prohibitorum Ecclesiæ sententia relati. Utrique autem prohibiti sunt, sive manuscripti, sive typis editi circumferantur. Ad hæreticorum libros quod spectat, quis ignorat ab Ecclesia in Bulla Cœnæ, & in generalibus regulis Indicis omnes damnari hæreticorum libros, *qui de Religione ex professo tractant?* Itaque si manuscripta hæreticorum de Religione ex professo agant; dubitari non potest, quin generali illa lege prohibita fuerint. Deinde nemo negat, librorum nomine etiam manuscripta venire, quæ hoc nomine definiuntur, dum nondum haberetur ars typographica, ac etiam nunc exprimi solent. Denique, nemo ignorat Ecclesiam hos proscribere libros, ut a periculis, quæ ex eorumdem lectione immineant, Fideles liberet.

Itaque Ecclesiæ finis fuit hac prohibitione Fideles a lectione Scriptorum hæreticorum avocare, ne simpliciores corrumperentur, neve ipsi etiam docti in varios errores abirent, ut loquitur Pius IV. in sepe citata Constitutione. At si manuscripta non prohibuisset, incommoda hæc non evitaret. Nam possent hæretici sola manuscripta divulgare, aut alii curare possent ut hæreticorum libri ita describerentur, ficque omnem prohibitionem eludere. Accedit etiam, quod Ecclesia per hanc prohibitionem non minorem adhibeat sollicitudinem, quam adhibuisset ante inventionem artis typographicæ, ut a Fidelium manibus noxios libros præripiat. Ergo omnem prorsus lectionem vetat, etiam manuscripti. Ita sane omnes doctiores, & qui sunt in hisce rebus magis versati, sentiunt, & ut nimis laxam contrariam opinionem rejiciunt, atque ut omnino commentitiam habent declarationem Sac. Cong. ab Adversariis adfertam.

Si liber vero prohibitus, aut de Religione non tractet, vel sit Auctoris Catholici, cum non damnatus sit, quia typis editus, sed ob noxiam quam habet doctrinam, quis non videat etiam manuscriptum prohibitum esse?

Quæst. II. *Utrum libri Catholicorum prohibiti in uno, sint etiam in alio Idiomate vetiti?*

Resp. Affirmat. Nam regula præscripta a Clemente VIII. §. 6. ita habet. *In universum autem de malis, & perniciosis libris id declaratur atque statuitur, ut qui certa lingua initio editi, & deinceps prohibiti, ac damnati a Sede Apostolica sunt, eosdem quoque in quamcumque postea vertantur linguam, censeri ab Apostolica Sede sub eisdem pœnis interdicti, & damnati.*

Quæst. III. *Quinam concedere debeat legendi libros prohibitos facultatem?*

Resp. Jus concessum Episcopis, & Inquisitoribus fublatum esse per Constitutionem Gregorii PP. XV. incipientem *Apostolatus officium*, in qua statuitur, *ne de cetero similes licentiæ, nisi a Congr. Sanctæ Officii concedantur.* Deinde istud idem jus concessum fuit Sac. Congregationi Indicis, habetque Magister Sac. Palatii pro Roma, & ejus Districtu. Hoc autem notatum voluit, ut Lectores intelligant non posse locorum Ordinarios hanc licentiam concedere, nisi illius concedendæ facultatem habuerint ab Apostolica Sede, *quia inferior non potest legem Superioris tollere, neque absolvere a reservatis Papæ*, ut optime advertit Navar. l. 1. consil. tit. 2. consil. 1. q. 36. & quia per Superiorem Constitutionem hujusmodi jus Apost. Sedi reservatur.

Quæst. IV. *Utrum Decreta, quibus Romæ prohibentur libri, obligent omnes omnino Fideles?*

Resp. Affirmat. Primum id liquet ex verbis supracitatis regulæ Clem. PP. VIII. ubi dicitur libros prohibitos a Sede Apost. in quamcumque vertantur linguam, *censeri ab eadem Sede ubique gentium sub eisdem pœnis interdictos & damnatos.* Deinde, hujusmodi Decreta approbari solent a Summis Pontificibus, ac de re sunt, quæ ad omnes Fideles pertinet; cujusmodi est Fides, & morum doctrina. Quis vero dicat, Decreta edita a summis viris, qualesque sunt Cardinales, & approbata a Summo Pontifice, qui fatentibus omnibus Catholicis, auctoritatem, & jurisdictionem habet in universam Ecclesiam, vim non habere obligandi omnes Fideles? Ab eo enim approbata vulgantur, qui potestatem, & animum obligandi habet. Nec dicas recepta non esse, vel non esse satis vulgata. Quis enim dicat ex ovium acceptatione vim pendere legum, quas pro communi bono Supremus Ecclesiæ Pastor constituat, quibus velit omnes omnino obligare? Vel satis vulgata non esse Decreta, quæ ita publicantur, ut facile ad omnium notitiam pervenire possint? Nam præterquamquod Decreta hujusmodi typis consignentur, ut facile per manus Episcoporum ad omnium notitiam pervenire possint, libri proscripti Indici librorum prohibitorum inferuntur, ex quo Fideles omnes facile intelligere possunt quinam sint libri Apost. Sedis Decreto damnati.

Denique, id eadem Sac. Congreg. definivit die 4. Decembris anni 1754. in solutione dubiorum, quæ fuerant ex parte Episcopi Malacensis proposita, quorum primum erat: An Decreta Sac. Cong. obligent etiam in Regnis Hispaniarum? Alterum vero: An Episcopi procedere possint contra transgressores horum Decretorum? *Sac. Congreg. respondit ad 1. Id non posse verti in dubium, cum Decreta hujus Congregationis obligent universos Christianos. Ad 2. quod Episcopi possint procedere contra transgressores, utendo propria auctoritate.*

Nota. Si alicubi ex Sedis Apostolicæ indulgentia, vel tolerantia usu receptæ non sint regulæ Indicis, ac Bullæ Cœnæ, id unice inferri poterit, legentes libros prohibitos non incurrere in censuras in illis expressas. At certum est graviter peccare contra Ecclesiæ præceptum, quæ semper vetuit horum librorum lectionem, quæque eamdem per Romanum Pontificem inculcat, & renovat. Hinc boni probique Catholici ex omnibus partibus recurrere solent ad Apostolicum Sedem, vel ad habentes ex ea facultatem, ut legendi vetitos libros li-

cen-

centiam obtineant. Reliqua vide apud Auctorem. ✠

Quæst. IX. *Quid sit apostasia a Fide?*

Resp. Est totalis defectio seu recessus a Fide Christiana per baptismum suscepta. Iisdem omnino pœnis quibus hæresis, subjicitur; nam est vere hæresis, cum discedatur a Fide suscepta; quod autem discedatur totaliter est augmentum quoddam in eadem specie.

Præter illam, triplex est alia Apostasia, nempe ab obedientia, ab ordine clericali, & a statu Religionis. Apostasia ab obedientia, si late sumatur, reperitur in omni peccato mortali: si stricte, consistit in eo, quod quis justis præceptis superiorum suorum se opponit, & obedire recusat. Apostasia ab Ordine consistit in eo, quod quis sacro Ordine initiatus deserit habitum clericalem, ut more laici vivat. Apostasia a Religione est recessus a statu religioso ad statum vitæ secularis, dimisso habitu Religionis, vel eum animo non redeundi.

✠ Qui a Turcis capti sunt in puerili ætate, nec de rebus fidei ad salutem necessario credendis unquam edocti, putaverunt sectam Mahumetanam esse bonam, & secundum eam viventes salvari, si redeunt ad fidem Catholicam, non abjurant, sed expediuntur cum professione fidei, absolutione a censuris ad cautelam, & cum institutione. Congreg. S. Officii 22. Maji 1604. Non enim censentur Apostatæ formales, quia nihil de fide audierunt, desitque vox externa docens. Si autem in Apostasiam incidernnt adulti, aut scienter ratum habuerunt Apostasiæ delictum, recipiendi sunt tamquam Apostatæ formales, cum comminatione pœnarum in casu relapsus. Eadem Cong. die 28. Sept. 1755. Nunquam tamen Apostatæ a Fide Catholica, capti a Christianis super Naves Turcarum permittuntur redimi a Turcis. Eadem Cong. die 20. Martii 1591. adeo ut cum Turcæ declarassent cuidam Reipublicæ se non permissuros redimi illius subditos in captivitate manentes, nisi eas tibi effet redimere quemdam Apostatam Christianum ab ejus triremibus captum: Cong. S. Officii facultatem ab eadem Republica petitam restituendi Turcum cum Apostatam denegavit die 15. Novembris 1607.

Quæres, An Apostatæ a fide, si deinde capiantur a Christianis super navigiis Turcarum, liberitate donandi sint, vel remanentes servi?

Resp. Si capti sunt in puerili ætate, & apostatarunt, remanent liberi. Eadem Congr. die 2. Febr. 1624. Si adulti, distingue: siquidem piraticam artem exercentes contra Christianos, sunt captivi: Si autem capiantur super navigio mercatore non apto ad pugnandum contra Christianos, retinendi non sunt uti captivi sub prætextu Apostasiæ. Eadem S. Congdie 27. Martii 1649. & 25. Junii 1653. Rursus cum capiuntur pugnantes contra Christianos, insuiciendum, an coacte pugnaverint. Si quis enim probaret navem ascendisse, ut facilius ad Christianorum Regiones transiens, Catholicæ fidei se restituat, atque piraticam artem adversus Christianos coacte exercuisse, reconciliandus esset, atque libertate donandus. Eadem Cong. S. Officii die 1. Feb. 1629.

Adulti qui a Christiana fide abscesserunt, si deinde ad eamdem revertantur, non tenentur Apostasiam suam coram Infidelibus publice cum periculo vitæ retractare; sed satis est, ut coram Fidelibus expresse id faciant: implicite vero apud infideles detestando habitum qui sit protestativus falsæ sectæ, & abstinendo ab actibus infidelitatis. Ita respondit S. Congr. S. Officii ad 1. ex dubiis propositis a P. Francisco Lugobardo Ordinis Minorum Missionario Tuneti in Africa. Dubium autem propositum, hoc erat, utrum Apostatæ a Fide ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicite, & public coram Infidelibus cum periculo vitæ, ficut negarunt fidem, an vero sufficiat coram Fidelibus publice, & explicite abjurare Apostasiam in propriis balneis (quæ sunt captivorum carceres) & implicite apud Infideles abstinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum? *Sac. Congr. censuit Apostatas a Fide ad pœnitentiam redeuntes non teneri ad abjurandam Apostasiam publice coram Infidelibus; sed sufficere, ut eam abjurent in balneo coram Fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis & deponendo habitum Infidelium, quatenus sit protestativus falsæ Religionis. Si vero sit aquivocus; posse deferre, quod ex illa delatione ratione personæ aliqua oriatur suspicio, teneri aufugere, cum primum poterit.*

Quia vero aliquando contingere solet, ut Apostatæ pœnitentes in discrimine vitæ constituti arcessant Missionarium, a quo secretam petunt absolutionem, ne si moriturus suam pœnitentiam aperiens, ad actus falsæ Religionis inducatur ab Infidelibus, propterea laudatus P. Longobardus petiit tertio loco a Congreg. S. Officii: Quomodo se gerere debeat Confessarius erga Apostatas pœnitentes in articulo mortis constitutos, cum ab illis secreto arcessitur, ut secreto absolvat? Ratio difficultatis est, quia in illo articulo solent ab Infideli familia, vel Sacerdotibus induci ad actus falsæ Religionis, nec possunt abnuere absque mortis periculo. Sac. Cong. censuit: Confessarium debere absolvere Pœnitentem Apostatam in articulo mortis constitutum, abjurata prius verbo Apostasia in foro conscientiæ. Etsi per aliquod temporis spatium superviverit, & poterit, relinquat chirographum suæ detestationis declarativum, fatsem signo crucis conscriptum. Quod si neque hoc posset, committat Confessario, ut suam abjurationem Fidelibus manifestet. Non autem teneri tunc Apostatam Pœnitentem in articulo mortis constitutum, & suadentibus Turcis, cum periculo vitæ Fidem Catholicam, quam tunc, abjurata Infidelitate, amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere, vel non respondendo, vel æquivocis verbis utendo.

Ad hanc quæstionem iterum motam an. 1753. de Neophytis Tunkinensibus apostatis ad Christianam Religionem redeuntibus, Cong. S. Officii die 18. Novemb. ejusdem anni confirmato decreto mox allato in eamdem sententiam respondit: Neophyti Tunkinenses pro publica Apostasia tenentur tantum semel abjurare coram Christifidelibus: & abjuratione peracta, admittantur ad Confessiones Sacramentales injunctis pœnitentiis salutaribus arbitrio Confessarii, & servetur Decretum ab hac S. Congr. editum die 28. Julii 1630. tenoris sequentis, videlicet. Sac. Cong. censuit, Apostatas a Fide ad pœnitentiam redeuntes, ut supra: Substituendum esse Commissario, & Visitatori Apostolico Missionum Tunkini, utrum per verba illa *admittantur ad Confessiones Sacramentales*, intelligatur confessio, prout est pars Sacramenti tantum, vel intelligatur integrum confes-

sionis Sacramentum complectens etiam absolutionem? Eadem Sac. Congr. die 3. Septemb. 1736. respondit: Per illa verba *admittantur ad Confessiones Sacramentales* intelligendum esse de Confessionibus Sacramentalibus complectentibus absolutionem a peccato. ✠

✠ APPENDIX.

De communicatione in divinis cum Hæreticis, & Schismaticis.

ETsi Schismatici, & Hæretici nonnulla Christianæ religionis dogmata profiteantur, Sacramenta valide plerumque administrant, ac ritus a nostris habent cum Orthodoxis communes; tamen cum iisdem in religionis functionibus communicare non licet, ne tantæ cultus, venerationis, ac precum cum iis unitio, qui tamquam putrida membra ab Ecclesiæ corpore abscissi sunt, atque exules, orthodoxæ fidei renunciare, atque scitima, vel hæresim probare, & sequi videamur. Id satis indicatum est, tum ab Auctore duobus præcedentibus capitibus, tum etiam ea, quam ad cap. 2. adjecimus, appendice. Sed ut Catholicæ religionis Ministri, qui orthodoxos instituunt, & regunt in Hæreticorum, Schismaticorumque regionibus commorantes facilius intelligant, nullo præsertim negotio, nullaque humana auctoritate communionem hanc posse permitti, ne quidem cum Schismaticis, & Hæreticis Orientis, qui nominatim non sunt denunciati, primum motiva illa indicabimus, quibus communicatio inquinandi jure naturali, & divino prohiberi demonstratur; deinde vero hæc generalia principia ad particulares casus applicabimus, in quibus Supremæ Inquisitionis decretis definitum est, communionem hanc esse omnino deserendam.

Primo itaque certum est, ut cap. 2. abunde demonstravimus, nullo modo licere exterius orthodoxam fidem negare, vel falsam fictam simulare, etiamsi interius recta fides animo retineatur. At, qui cum Hæreticis, & Schismaticis in religionis actibus communicant, exterius orthodoxam fidem negant, vel falsam fictam simulant, quippe cum Hæreticis, vel Schismaticis in Sacris peragendis communicando, hujusmodi communione, facto offendunt suo, sese orthodoxæ religioni, a qua illi rejecti sunt & avulsi, renunciare, atque eorundem Sectam approbare; aut falsam, hæreticæ, vel schismaticæ Communionis exercitio sese manifestare & simulare.

Secundo, quisquis proximo peccandi occasionem præbet, malum de se est, sive naturali legi prohibitum. Communicans autem in divinis cum Hæreticis, & Schismaticis proximo occasionem peccandi præbet eam Hæreticis, vel Schismaticis occasio est, ut credant ipsum probare tamquam veram eorum Sectam, & fidem; quo fit, ut magis in errore confirmentur: Catholicis occasio est, ut putent fidem orthodoxam nequaquam esse: ac præterea exemplo suo etiam simpliciores ad communicandum allicit, in quibus maximum est subversionis periculum.

Tertio: periculum perversionis quisque vitare tenetur: communicatio vero in divinis cum Hæreticis, & Schismaticis raro a perversionis periculo sejuncta est. Vix enim fieri potest, ut ob frequentem hujusmodi communionem ex animo adversionem illam non abjiciamus, qua hæresim, aut schisma detestari tenemur. Atque ex historia Missionum constat, ob hanc communionem plures præsertim in Oriente perversos esse. Accedit etiam, quod hujusmodi communio raro in Oriente haberi potest, quin communicetur vel in ritu schismatico, & hæretico aut in actibus protestativis falsæ sectæ. Nam Schismaticorum, atque Hæreticorum hujusmodi Ecclesiæ vel dicatæ sunt Schismaticis, sive Hæreticis, quos impie colunt, ut Sanctos; vel horum imagines, atque reliquias habent, vel festa in illorum honorem celebrantur, vel denique in Sacris liturgiis inter Sanctos recensentur. Præterea in iisdem liturgiis commemoratio fit viventium Episcoporum, & Patriarcharum, qui Schismatici, vel Hæretici sunt, iique tamquam eximii orthodoxæ fidei prædicatores laudantur. Atqui hinc patet quam difficile sit cum hujusmodi Schismaticis, & Hæreticis in divinis communicare, quin vel in ritu communicemus schismatico, & hæretico, vel in actibus, qui schismatici, & hæreticos protestativi sint. Si qua par est attentione expendatur, quo libet ex indicatis motivis per se sufficiens esse, ut omnino illicita sit communicatio in divinis cum Hæreticis, & Schismaticis, facile quisque intelliget, nunquam in casu practico, ut aiunt, posse esse licitam. Qui fieri potest ut cum Hæreticis in sacris functionibus conveniamus, quin, vel occasio adsit periculi subversionis, vel occasio scandali, vel communicatio in ritu schismatico, & hæretico, vel approbatio quædam exterior, & simulatio falsæ sectæ; aut saltem, quin aliquis horum deferatur falsæ, & omnino detestandæ sectæ? Atque hinc patet pure atque merito, Sac. Congr. semper hujusmodi communicationem improbasse, ac semper ad dubia hac super re posita respondere, non licere.

Hæc satis sunt ad ostendendum illicitam esse hujusmodi communionem, nec ulla posse humana auctoritate permitti; sed pro majori Missionariorum instructione decreta nonnulla indicabimus Sac. Congr. quibus in casibus ab iisdem propositis omnino illicita decernitur.

Primo itaque Sac. Congr. Suprem. Inquis. die 3. Decemb. 1658. justit, ut ferthcretur Episcopo Tribigni: *Episcopus mandet Catholicis sibi subjectis, ne accedant ad missas & alia Officia Divina in Ecclesiis Schismaticorum, eosdemque moneat in casu carentiæ Missæ Catholicorum non teneri præcepto Missam audiendi.* Et petentibus PP. Cappucinis Constantinopoli commorantibus: *An eodem Decreto, quo prohibetur Catholicis Schismaticorum Missis, & eorum orationibus interesse, intelligantur etiam proinde vetiti, in quibus non reperiuntur Sacerdotes Catholici, de orationibus nihil contra fidem & ritum Catholicum continentibus?* Eadem Sac. Congr. respondit: *Affirmative* die 7. Augusti 1704. Eodem modo ad similia dubia respondit Ann. 1710. 6. Augusti, quæ pro Armenis Catholicis fuerant proposita.

Secundo. In Hæreticorum, & Schismaticorum Ecclesiis, Oratoria, & conventicula convenire, non licet Divini cultus causa, sive ad audiendas Hæreticorum conciones, vel vitandæ persecutionis, aut cujusvis damni gratia; vel ex curiositate; aut etiam animo detegendi eorum errores, quo facilius confutari queant. Vetuit hæc Paulus V. Kal. Octob. An. 1619. Epistola data ad Catholicos Anglos. Et Sac. Cong. Suprem. Inquis. die 27. Maji 1672. decrevit nullo modo licere Catholicis Hæreticorum conciombus interesse, neque militibus, *testimonium frequentationis concionum Hæreticorum exhibere, ne pigendia recipiant; & nisi ab iis absteneant, non esse dispositos ad Sacramentum Pœnitentiæ.*

Tertio. Non licet Sacerdotibus catholicis in Ecclesiis Hæreticorum, vel Schismaticorum Sacrificium Eucharisticum, vel divina officia celebrare; Sacra Congr. de Prop. Fide 22. Maji 1627. *Censuit non debere Missionarios divina celebrare in Ecclesiis, in quibus Hæretici sua profana, & sacrilega exercitia habent, ut tamen Catholicis fas sit, super altaribus portatilibus in privatis domibus positis sacrum peragendum esse.* Et 23. Augusti 1627. *Mandavit scribi Archiepiscopo Sadonensi ut provideat ne in Ecclesia Sancti Joannis de Carthia diœcesis Cattarensis Catholici cum Græcis Schismaticis divina celebrent; nam quamvis Altaribus diversis utantur, tamen propter Ecclesiæ sanctitatem est communicare cum Schismaticis in divinis.* Neque licet permittere Hæreticis, & Schismaticis, ut in nostris Ecclesiis celebrent, licet *antea prius sit petra sacrata.* Ex cad. Cong. die 26. Sept. 1695.

Quarto. Non licet extra casum necessitatis Sacramenta ex Hæreticis recipere; est enim iis jurisdictionem tribuere, qua carent, atque iisdem ut veris Ecclesiæ Ministris honorem deferre. Hinc Sac. Cong. Suprem. Inquis. die 16. Sept. 1668. definivit, non licere catholicis Hollandiæ proles suas hæretico Ministro baptizandas offerre, no cogantur mulctam 25. Florenorum Fisco solvere, neque ex iis Calvinisticum cœnam sumere, quamquam animo eam quidpiam prophanum conferent. Die 20. Julii 1708. decrevit, Catholicis Armenis Alippi non licere, ut quidem semel in anno, funere Communionem Eucharisticam a Sacerdotibus Armenis Schismaticis. Et 1709. die 28. Augusti, statuit: *Nullo modo licere ex Episcopo Schismatico Sacros Ordines suscipere, atque ordinatos ab hujusmodi Episcopis esse irregulares, & suspensos ab exercitio Ordinum.*

Quinto. Non licet, Schismaticorum sanas comitari, ex Decr. 30. Martii 1628. neque operam suam cum iisdem conferre ad sepeliendum cadaver Schismatici vel Hæretici in Ecclesia catholicorum, vel etiam catholici juxta ritum Schismaticorum, ex Suprem. Inquisit. Decret. 23. Julii 1609. & 6. Novemb. 1647. Nec denique, orare cum Schismaticis pro eorum defunctis; id enim est probare schisma offendendo in eo, sive extra veram Ecclesiam esse, ipsem æternæ salutis, atque honorem Schismaticæ sectæ deferre.

Ad majorem vero illustrationem addere placuit integram nonnullorum dubiorum solutionem, quæ prodiit ex Suprem. Inquisit. die 20. Maji ann. 1763. quæque ita se habet.

AD primum nempe: *An liceat Catholicis latini ritus concedere, vel permittere ut in eorum Ecclesiis Missam celebrent Presbyteri Græci ritus Schismatici, & hæretici, atque hoc admittere in functionibus Catholicorum defunctorum?* Quoad primam partem dicti dubii respondendum — *non licere* — maxime cum Patriarchæ Constantinopolitani commemorationem faciant, & fictum celebrent; infamis Palamas; id enim perinde est, ac consecratæ eorum hæreticis ritibus & communicare cum eis in eorum Sacris schismatico, & hæretico furfure pollutis, aut saltem occasionem præbere catholicis ad latinas intervenientibus Ecclesias communicandi cum hæreticis in divinis rebus, aut ad minus scandalum concipiendi. Quo vero ad secundam partem ejusmodi dubii, quatenus Schismatici comitantes fuerint catholicorum meram præsentiam materialem exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus, aut ritibus catholicis, quibus mos est funera efferre, & defunctos ad sepulcrum deducere, tolerari posse: quatenus vero in illa functione proprios ritus adhibeant, vel nostris se immiscent, non licere, nec esse permittendum.

Ad secundum nempe — *An liceat Catholicis Græci ritus non habentibus Catholicam Ecclesiam ejusdem ritus communicare in Divinis cum Græcis Schismaticis & hæreticis? non licere:* quia in casu proposito confugere possent ad Ecclesiam catholicam latinorum, & in defectu Sacerdotis catholici ritus Græci a Sacerdotibus Latinis Sacramenta suscipere.

Ad tertium nempe — *An liceat Confessariis, vel Sacerdotibus Latinis administrare Sacramentum Pœnitentiæ Græcis Catholicis communicantibus in Divinis cum Græcis schismaticis? — non licet extra casum extremæ necessitatis.*

Pro majori vero instructione illius, qui ex Peloponneso dubia proposuerat, aliorumque Missionariorum, eadem Sac. Congr. Supr. Inquis. transcribi mandavit id quod Sanctissimus ad materiam docuit in ejus Tractatu de Synodo Diœcesi. lib. 6. c. 5. ibi. — *Et utilissimus ea est misera nostrorum temporum conditio, ut multis in Provinciis, in quibus hæreses ante dominantur, aut grassantur impune, duram Catholici subeant necessitatem cum hæreticis conversandi, & familiariter agendi. Verum quamvis juxta præsentem disciplinam indultam a Martino V. in celebri Extravag. Ad evitanda, de qua nonnulla inferiut, liceat Catholicis cum hæreticis, modo non sint expresse, & nominatim denunciati, libere conversari, & cum iisdem communicare in rebus mere prophanis, & civilibus: non idcirco tamen arbitrari debent Catholici, fas quoque sibi esse cum iisdem hæreticis consortium habere etiam in rebus Sacris, & Divinis: quidem Paulus V. post maturam vel discussionem, neutiquam licere definivit, Catholicis Regni Angliæ hæreticorum Templa adire, ritibusque interesse, quos inibi exercent: ut legere est in duobus Decretis ab eodem Pontifice editis, uno scilicet anni 1606. altero anni 1607. quæ referuntur a Cardinali de Lauræa in 3. sent. part. 2. tom. 3. disp. 11. art. 9. §. 4. n 291. Haud equidem ignoramus, non deesse Theologos ab omni culpa absolventes Catholicos, qui cum Hæreticis, & Schismaticis nominatim non denunciatis communicant in divinis, atque etiam Sacramenta abinde recipiunt, dummodo hæ simul concurrant verum circumstantiæ: Primo scilicet, ut ad præditam communicationem Catholicos adigat gravissima, & urgentissima causa: Secundo ut Hæretici, aut Schismatici, a quibus Sacramenta expetunt, sint valide ordinati, ut Sacra administrent ritu Catholico, absque ulla admixtione ritus damnati: Tertio ut communicatio cum iisdem in Divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis, qualis erat in-*

ingressu in Protestantium Ecclesias, cum Catholici Angliæ illum inhibuit Paulus V. ideo quippe Regis edicta omnes edire susserant Hæreticorum Templa, ut tali passu se cum Protestantibus sentire fatererentur : Quarto demum, ut catholicorum cum Hæreticis communicatio in Divinis nulli scandalum ingeret. Verum in primis præsidia Theologorum sententia sua habet adversarios, neque ab omnibus admittitur tamquam in praxi secura : deinde ea etiam admissa, cum omnes circumstantiæ simul, & cumulatim adesse debeant, ut Catholicorum cum Hæreticis communicatio sine culpa, quemadmodum docent Sylvius in 3. part. S. Thomæ to. 4. qu. 60. art. 6. qu. 3. concl. 3. Card. de Lugo de Fide disp. 22. sect. 1. nu. 22. Thomas a Jesu Tractatu de omnium Gentium salute procurenda lib. 2. part. 2. 3. 4. vers. Sed major est difficultas pag. 556. Card. Albitius de incertitudine in Fide cap. 28. n. 30. & seq. Card. Gottus in 2. 2. S. Th. qu. 4. dub. 6. §. 7. num. 2. & qu. 2. de Infidelibus comparate ad Fideles dub. 3. art. 2. Idcirco fere impossibile est usuvenire, ut a fragilitate excusari valeant Catholici, sese in rebus sacris cum Hæreticis, vel Schismaticis admiscentes. Quamobrem Sacræ Urbis Congregationes, S. Officii videlicet, & de Propaganda Fide, illicitam semper reputarunt communicationem, de qua ejusmodi, quamque continuarunt Instructionem nobis in minoribus cum degentibus, qualemcumque rationem operum nanctis, ad Missionarios, cum opus fuerit, transmittendam, ubi rationes expenduntur, propter quas vix unquam accidere potest ut in praxi sit mortalis Catholicorum cum Hæreticis communicatio in Divinis. ✠

PARS II.

DE SPE.

Quæst. I. *Quid est Spes?*

Resp. Spes actualis est fiducia certa obtinendi beatitudinem æternam per media a Deo statuta : sive est actus, quo optamus, & certo expectamus a Deo per merita Christi beatitudinem æternam, seu possessionem Dei perfectam, & media illius assequendæ : eo quod Deus sit summum nostrum bonum, auxiliator omnipotens, misericors, & fidelis in promissis. Spes habitualis est habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ elicitivus.

Hinc 1. Spes est actus virtualiter duplex, sive est actus æquivalens duobus actibus, quorum unus est tantum desiderium efficax beatitudinis, seu amor Dei ut summi nostri boni ; & alter est confidentia seu erectio voluntatis adversus difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes, fundata in auxiliis, & promissionibus divinis. At profunde Spei duplex est objectum formale, seu motivum, unum totale constituens : nam motivum desiderii est Dei bonitas relativa, cujus possessio potest nos perfecte beare : motivum vero confidentiæ seu erectionis, est Dei virtus auxiliatrix, seu multiplex Dei perfectio, nempe benignitas, misericordia, omnipotentia, & fidelitas in promissis factis propter merita Christi. *In Spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus.* Tit. 1. *Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum.* Psal. 17.

Hinc 2. Spei objectum materiale primarium est Deus possidendus ; secundarium sunt media salutis a Deo instituta, nempe gratia, & bona opera ex viribus gratiæ facta, sine quibus Spes esset mera præsumptio : item bona temporalia, quatenus per bonum usum ex gratia Dei ad salutem conducere possunt : uno verbo, omnia quæ in oratione Dominica continentur. Deum autem possidendum esse objectum primarium Spei, pater ex Genes. 15. ubi Deus dicit Abrahamo : *Ego . . . merces tua magna nimis.* Et Joan. 3. *Nunc Filii Dei sumus : & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est* : (& videndo fruitive amabimus). *Et omnis qui habet hanc Spem in eo, sanctificat se &c.* Unde S. August. lib. 22. de Civit. cap. 30. ait : *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, & qui se ipsum, quo melius, & majus nihil potest esse, promisit.*

Hinc 3. Ad Spem pertinet timor privationis gratiæ Dei, & ejus possessionis.

Dici, *Certa*, scilicet ratione sui, & quantum est ex parte Dei ; quia nititur omnipotentia, misericordia & fidelitate Dei in promissis. Unde ad Hebr. 6. dicitur : *Anchora animæ tuta ac firma.* Est tamen incerta respectu nostri. Nam non sumus certi de nostra cooperatione, & perseverantia ad salutem necessaria. *Nescis homo utrum amore, an odio dignus sis : sed omnia in futurum servantur incerta.* Eccles. 9. Hinc illud ad Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Possumus tamen & debemus sperare perseverantiam finalem : nam ad hoc sufficit, quod sit certo futura conditionate, nempe sub hac conditione, si non defuerimus gratiæ Dei. Est autem certo futura sub hac conditione ; id enim docet Conc. Trid. sess. 6. c. 13. ubi de perseverantia finali loquens sic ait : *Nemo sibi certi aliquid absolutæ certitudine polliceatur ; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficere operans velle & perficere.*

Quæst. II. *An datum speciale præceptum Spei?*

Resp. Affirm. Constat 1. Ex Psalm. 4. *Sperate in Domino.* Et 1. Petri 2. *Sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam.* Et 1. ad Tim. 6. *Præcipe . . . neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* 2. Ex S. August. tract. 81. in Joan. *De his de nobis quam multa mandata sunt, quam multa de Spe.* 3. Quia Spes est medium ad salutem necessarium : *Spe enim salvi facti sumus.* Rom. 8. Estque dispositio necessaria in adulto ad justificationem obtinendam, ex Conc. Trid. sess. 6. c. 6. Deus autem præcepit omnia media ad salutem necessaria. Præterea Deus non vult salvare adultos sine propria cooperatione, quæ non fit sine Spe, per quam voluntas tendit in Deum ut suum summum bonum, & erigitur adversus difficultates quæ reperiuntur in virtutum exercitio. 4. Alexander VII. damnavit hanc propositionem : *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus Fidei, Spei, & Caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Præceptum Spei obligat ad eliciendos suo tempore actus Spei, aliosque connexos, & ad adhibenda omnia media necessaria ad beatitudinem consequendam ; prohibeque præsumptionem, desperationem, & incuriam salutis.

Quæst. III. *Quandonam præceptum Spei obligat ad eliciendum actum Spei?*

Resp. Obligat per se & ratione propriæ honestatis. 1. Initio usus rationis, quando quis novit æternam beatitudinem, ad quam destinati sumus ; nam tunc debet tendere ad suam beatitudinem ac suum summum bonum, & recte vitam suam instituere. 2. Quoties versatur in periculo desperandi, nisi actu Spei animum confirmet ; nam eodem præcepto tenemur sperare, & non desperare. 3. Sæpe in decursu vitæ, ut semper homo sit bene dispositus & corroboratus ad bonum faciendum & peccatum virandum. 4. In periculo mortis : nam tunc præcepta, præsertim Deum immediate spectantia, maxime urgent. Et tunc actus Spei necessarius est ad se confirmandum contra tentationes & dolores.

Obligat autem per accidens. Quando ex præcepto eliciendus est actus aliarum virtutum, ut orationis, pœnitentiæ &c. quæ sine actu Spei exerceri nequeunt. 2. Quoties urget tentatio, quæ superari non potest, nisi animus corroboretur per actum Spei. 3. Actus Spei requiritur ad justificationem peccatoris adulti.

Quæst. IV. *Quænam sunt peccata Spei opposita?*

Resp. Sunt desperatio, præsumptio, & incuria salutis.

Desperatio est diffidentia obtinendi beatitudinem, & media ad illam necessaria.

Præsumptio est inordinata fiducia obtinendi a Deo beatitudinem aliter quam ipse statuit esse obtinendam. Est autem inordinata ; 1. Cum quis innititur propriæ virtuti & viribus, ut si præsumat obtinere gloriam ex solis viribus naturæ per opera naturalia, ut faciebant Pelagiani. 2. Cum quis inordinate innititur omnipotentiæ & misericordiæ Dei, ut si speret, quæ Deus negare statuit, v. g. beatitudinem sine bonis meritis, ut faciunt Calvinistæ : vel si statuat perseverare in peccatis quamdiu bene valet, sperans se salvum pœnitentiam in articulo mortis, ut faciunt peccatores multi. Præsumptio extenditur etiam ad tentationem Dei, de qua alibi.

Ad incuriam salutis pertinet ea animi objectio, qua quis vellet bonis terrenis perpetuo frui.

Hæc peccata sunt per se mortalia, cum sint opposita virtuti theologicæ ; & graviter injuriosa Deo. *Ista duo accidunt animæ, aut desperatio, aut perversa spes*, ita S. August. ser. 87. de verb. Evang. nov. edit.

Hinc mortale est, 1. Non velle efficaciter, nec optare possessionem Dei. 2. Deliberate cupere perpetuo manere in hac vita, & magis amare bona creata, quam possessionem Dei. 3. Ex nimio damnationis metu, & diffidentia de Dei gratia ac misericordia, absolute cupere annihilari, vel nunquam fuisse. 4. Desperare de obtinenda vita æterna, & venia peccatorum, emendatione vitæ, vel auxilius gratiæ necessariis. 5. Sperare salutem sine bonis operibus ex gratia factis, vel ut debitam ob dotes, aut opera naturalia, aut veniam peccatorum sine pœnitentia. 6. Velle perseverare diu in peccatis ex spe misericordiæ divinæ, aut post lapsum in unum mortale multa alia committere, eo quod æque facile sit

obtinere veniam multorum, quam unius, quasi Deus sua misericordia esset fautor criminum, contra illud ad Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ &c.* Nam hæc & similia sunt divinæ bonitati, misericordiæ, vel potentiæ, vel gloriæ, vel providentiæ ac ordinationi, vel justitiæ graviter injuriosa.

ACTUS SPEI.

Summopere, mi Deus, tui visionem ac fruitionem in cœlo desidero, quia tu es animæ meæ summum bonum & unica beatitudo : & confido me hac perfecta beatitudine fruiturum esse propter merita Salvatoris mei Jesu Christi, per bona opera ex ejus auxiliis facta : quia tu Deus es benignissimus, misericordiosissimus, potentissimus, & in promissis servandis fidelissimus, atque virtus mea auxiliatrix.

PARS III.

DE CARITATE.

CAPUT PRIMUM

De Natura Caritatis.

Quæst. I. *Quid est Caritas?*

Nota. Amor proprie dictus est affectus, quo voluntas adhæret bono præcise qua bonum est. Dividitur in amorem caritatis, & concupiscentiæ. Amor caritatis seu benevolentiæ est ille, quo quis amat aliorum propter ipsum, & bona illius tamquam bona illius, qui sibi complacet in illius persona propter proprium ejus perfectionem. Ille amor vocatur amicitiæ, quando persona amata similiter afficitur erga personam amantem. Amor concupiscentiæ est ille, quo quis amat seipsum, & bona sua tamquam sua, vel alium tamquam sibi bonum.

Resp. Caritas actualis, quæ præciptur, est actus amoris benevolentiæ, quo Deum supra omnia propter se, & nos ipsos, & proximum sicut nos ipsos propter Deum efficaciter amamus, ex S. August. l. 8. de Trinit. c. 8. *Sic una eademque caritate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum : nos autem & proximum propter Deum.* Caritas vero habitualis est habitus per se infusus actuum caritatis cum auxilio gratiæ elicitivus, seu permaneter habilitans ad actus caritatis eliciendos.

Quare ex communi sententia, caritatis objectum materiale primarium est Deus, secundarium nos ipsi & proximus. Nam eodem habitu caritatis, quo Deum amamus, etiam nos ipsos & proximum propter Deum diligimus ; quia creaturæ intellectuales beatitudinis capaces, sunt aliquid specialiter ad Deum pertinens, & caritas est perfecta amicitia cum Deo. Est autem perfecta amicitiæ non solum amare primario eum, quocum primario & per se contrahitur amicitia, sed etiam secundario & propter illum diligere, ea quæ ad ipsum pertinent. *Si diligamus in-*

videm, Deus in nobis manet, & Caritas ejus in nobis perfecta est. 1. Joan. c. 4.

Objectum vero formale, seu motivum, est Deus ipse, quatenus in se bonus ac perfectus, sive infinita Dei bonitas absoluta, quæ adæquate sumpta, est complexio omnium perfectionum possibilium, & infinitarum, sive ipsum esse divinum absolute & in omni genere infinite perfectum. Nam caritas est amor benevolentiæ & amicitiæ erga Deum; & per amorem amicitiæ amamus alterum propter ipsum, & volumus ei bonum, ut ejus bonum est, propter propriam ejus perfectionem. Hinc caritas differt ab amore spei seu concupiscentiæ, quo amamus Deum præcise ut nostrum summum bonum, seu quatenus nobis bonus est, & nos perfecte beare potest. Caritas vero est amor benevolentiæ & amicitiæ, quo amamus Deum, quia in se bonus est, seu propter suam infinitam amabilitatem; cum enim caritas sit virtutum omnium præstantissima, debet habere motivum omnium præstantissimum, ideoque Deum ipsum prout est in se. (a)

Quæst. II. *Quænam bona Deo velle debemus?*

Resp. Deo velle debemus bona tum intrinseca, tum extrinseca. Bona Dei intrinseca sunt omnes perfectiones possibiles infinitæ, quas Deus habet in se. Bonum Dei extrinsecum est gloria ejus extrinseca, quæ consistit in manifestatione ejus perfectionum, & in eo quod perfecte cognoscatur, colatur, laudetur, & ametur a creaturis. Itaque cum amare sit velle bonum, amare Deum est illi hæc omnia bona velle, scilicet velle illi, per modum complacentiæ ac gaudii, omnes perfectiones infinitas, quas habet; velle per modum desiderii, seu optare efficaciter, & quantum in nobis est, efficere, ut a nobis & omnibus creaturis cognoscatur, laudetur, colatur, & perfecte ametur.

Quæst. III. *An Caritas est virtus omnium excellentissima?*

Resp. Affirmat. Constat ex 1. ad Cor. 13. *Major autem horum est Caritas.* Et ad Colossens. 3. *Super omnia Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ratio est, quia habet objectum & motivum omnium perfectissimum, attingitque Deum modo perfectissimo, scilicet propter seipsum.

Quæst. IV. *Quinam sunt Caritatis actus proprii & eliciti?*

Resp. Sunt amor, benevolentiæ, affectus unionis, complacentia de perfectionibus divinis, delectatio ejus gloriæ &c. odium & dolor circa malum bono divino contrarium ut tale, scilicet peccatum.

(a) Bonitas Dei est ratio, quæ nos ad eum amandum movere debet; ideoque bonitas Dei absoluta primario, & *remote*, & bonitas Dei relativa secundario, & *proxime*. Nam ut ait S. Th. 2. 2. qu. 26. art. 13. ad 3. Si Deus esset tantum bonus *absolute*, & in se ipso, non vero *comparate*, & respectu nostri, voluntatem nostram nullatenus ad sui amorem excitaret. Nam sine illicio quodam non excitatur voluntas ad amandum; quemadmodum sine luminis impressione non fit visio.

Quamobrem Deus a nobis propter se *absolute*, non diligitur eo sensu, quo spectetur damnatus prout in se perfectus est, removendo *convenientiam*, quam habet cum natura nostra, per quam nos ad se allicit. Nam eo modo a nobis æstimari quidem posset Deus, & magno loco haberi, non tamen videretur posse amari. Etenim ad amorem requiri videtur convenientia quædam objecti amati cum eo qui amat, per quam is, qui amat, allicitur, & ad amandum excitatur. Est autem respectus, seu relatio inter movens, & motum, alliciens & allectum, prout deque Deus a nobis diligi non videtur, nisi spectetur *relative* seu comparate ad nos, utpote quatenus nos ad se allicit, & certa quadam suavitate, saltem in imo, ut ita loquar, mentis nostræ fundo, quod in tormentis experiebantur Martyres, nos perfundit.

Distinguitur tamen actus caritatis ab actu spei, siquidem aliud est motivum unius, aliud alterius. Motivum actus caritatis, seu objectum illius formale est Deus, prout summe bonus, hoc est prout summa sua bonitate nos ad se alliciens, ut nempe ipsum rebus omnibus anteponamus, & omnia ad ipsius gloriam, quia id ordo postulat, referamus. Motivum actus spei est idem Deus, prout aliquando a nobis possidendus. Aliud autem est summum bonum tanquam nobis conveniens, maximeque nos alliciens, ac sibi quodammodo conjungens, amare; aliud possessionem illius tanquam quid ablem, & arduum adepturos esse nos sperare, ut docet idem S. Th. 2. 2. qu. 23. art. 6. ad 3. Nam, ut exemplum ponamus, si pauper quidam divitis alicujus ædes ingrediatur, in quibus laquearia auro splendentia, pretiosam supellectilem, numerosissimam familiam, lautissimam mensam videat, poterit iis rebus, tanquam sibi gratissimis ac convenientissimis affici, & ad earum amorem excitari, etiamsi non speret illas se adepturum: non tamen ab hujusmodi amore spem omnem excludi necesse est: siquidem & amor & spes in eodem vitæ statu maxime quoad habitum una conjungi possunt. At amplius quiddam est in caritate, & spe supernaturali quoad præsentis vitæ statum: etenim non tantum caritas non excludit a nobis spem supernaturalem, sed cum ea necessario conjungenda est in hac vita, ut docet Apostolus 1. Cor. c. 13. v. 13. *Nunc autem manet fides, spes, caritas*, quia si vere Deum amamus, ad ipsum anhelare nos oportet, & spe beatitudinis ad bene agendum nos excitare. Præcipuum quippe caritatis *studium* secundum S. Th. 2. 2. q. 24. art. 9. *est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, & eo fruatur; & hoc pertinet ad perfectos, qui conjungi desiderant, & esse cum Christo.*

Unde Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. declarat, eos Orthodoxos Religionis Doctrinæ adversari, *qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum fiduciam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ne in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam; cum scriptum sit:* Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem; *& de Mose dicat Apostolus, quod respiciebat in remunerationem.* Et c. 16. postquam allegavit hæc Apostoli verba ad Hebræos, cap. 10. v. 35. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem*; sic prosequitur: *atque ideo bene operantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

Ex quibus verbis constat, caritatem, etiamsi bonitate Dei absoluta, tanquam motivo, seu objecto formali primario, quod convenientiam sive bonitatem relativam, sive, ut loquuntur Scholæ, *amabilitatem* respectu nostri, tanquam motivum secundarium & proximum non excludit, moveri dicatur cum Scotistis; adjuvari nihilominus, confirmari, & corroborari tum motivo spei, tum aliarum virtutum motivis: ita tamen, ut hæc aliarum virtutum motiva, seu objecta formalia ad motivum caritatis referantur, eique subordinentur; quia caritas est reliquarum virtutum forma, quatenus earum actus ad ultimum finem dirigit juxta S. Th. 1. 2. qu. 23. art. 8. Finis autem ille ultimus est *gloria divina*, quam quærunt utique, qui Deum ut par est diligunt. Quærere vero gloriam Dei, est quærere ut glorificetur Deus. Id porro nulli magis habent cordi, quam qui *nihilum sui* agnoscentes, omnem suam perfectionem a Deo expectant; eique laudem dant gloriam. Hinc fit ut ceteris contemptis, hoc unum sibi necessarium judicent, scilicet ut ad Deum tanquam ad summum bonum per præceptorum ejus observationem, perveniant, & ipsius gloriam cum ceteris justis, qui *in perpetuum vivent*, per totam æternitatem celebrent, & dicant cum Propheta Rege, Ps. 113. v. 17. & 18. 2. *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum.*

CAPUT II.

De Præcepto Caritatis.

ARTICULUS I.

De Præcepto Caritatis erga Deum.

Quæst. I. *An extet præceptum Caritatis erga Deum, & ad quid obligat?*

Resp. 1. Extat præceptum amoris Dei speciale, & ab aliis omnibus distinctum. Constat 1. ex Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum.* At mandatum quod est primum & maximum, est sane præceptum speciale & ab aliis distinctum, & quidem primum & per se maxime datum; ita ut cetera omnia præcepta eo fine dentur, ut hoc ex omni parte perfecte observetur, juxta illud 1. ad Tim. 1. *Finis præcepti Caritas.*

2. Ex SS. Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus qui l. 1. Conf. cap. 5. ait: *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeat a me, & nisi faciam irascatur mihi, & minaris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te?*

3. Ex propositione damnata ab Alexandro VII. supra cit. & ex hac ab Alexandro VII. damnata ut hæretica: *Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.* Quæ propositio fuerat jam ante a Sacra Facultate Mussipontana speciali decreto damnata.

4. Quia cum Deus sit objectum summe amabile propter se, & finis ultimus rerum omnium, non potuit sapienter non præcipere creaturæ amoris capaci & liberæ, ut seipsum supra omnia propter se amet. Præterea (ut ait S. Th.) id quod est finis, per se debitum est, cum habeat rationem boni per se. At caritas Dei est finis omnium præceptorum, cum Deum tanquam finem attingat immediate & modo perfectissimo, nempe supra omnia propter seipsum, & ut in se est. Ergo est per se maxime debita.

Resp. 2. Hoc præceptum, prout est affirmativum, obligat ad eliciendum certis temporibus actum internum supernaturalem amoris Dei supra omnia propter se: ut constat ex illis verbis. *Diliges ex toto corde:* in sensu proprio significantibus internum dilectionis affectum, qui (ut exponunt Patres & Doctores) sit amor benevolentiæ efficax & appretiative summus, vi cujus homo Deo, utpote summe amabili ac bono, adhæreat supra omnia propter se, ipsi omnia bona velit, & faciat ea, quæ Deus ab illo saltem graviter exigit, se suamque beatitudinem & cetera omnia ad Dei gloriam referat, malitque privari omni bono creato, & pati omne malum, quam Deum offendere saltem graviter.

Itaque amor, qui primo & maximo mandato præcipitur debet esse, 1. Internus, verus, ac proprie dictus, ut patet ex his verbis præcepti, *Diliges ex toto corde.*

2. Debet esse appretiative summus in adhæsione, ita ut Deum plus amemus, quam nos ipsos & creaturas omnes, mallimusque privari omni bono creato, & pati quodvis malum, quam Deum offendere saltem graviter. Constat, 1. Ex Patrum ac Theologorum & totius Ecclesiæ consensu. 2. Ex his verbis præcepti, *Ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente tua*: in quo sensu explicantur a S. Augustino l. 1. de moribus Ecclesiæ c. 12. ubi ait: *Summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus: idque significatur & exprimitur ex eo, quod dictum est,* Ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente. Tum ex Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est me dignus.* Et, *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Et ad Rom. 8. *Quis nos separabit a Caritate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? ... Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Caritate Dei.* 3. Quia hunc amorem exigit summa ac infinita excellentia bonitatis divinæ. Enimvero cum Deus sit per totam essentiam infinite bonus & perfectus in omni genere excellentiæ, atque finis ultimus rerum omnium, idcoque infinitis titulis magis diligendus quam quodlibet aliud bonum; nulla creatura potest ei affectu & adhæ-

hatione præferri, aut æquari sine gravi ejus injuria ac contemptu. Præterea amor, qui a Deo præcipitur, debet esse proportionatus Deo summe bono, & amabili: at talis non esset, si Deus non plus amaretur quam quælibet creatura, quæ præ Deo nihil est. Igitur cum amabilitas sit mensura amoris, utpote ejus motivum, summa amabilitas exigit amorem summum appretiative.

3. Amor Dei præceptus debet esse efficax & universalis in suis effectibus, hoc est, debet ita voluntatem afficere ac disponere, ut semper sit parata ad servanda omnia præcepta, & vitandum omne peccatum, saltem mortale. Unde amor ille Dei continet propositum saltem virtuale efficax servandi omnia alia præcepta: Nam amor ille non est solum complacentia de divinis perfectionibus, sed est etiam amor seu affectus voluntatis efficax, efficaciter movens ad faciendo ea, quæ Deo placent, & ipse exigit saltem graviter, & ad vitanda ea, quæ ei displicent: amor enim qui præcipitur, est amor *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine*, ut habetur Deuter. 9. qui sane amor est efficacissimus. Amare autem efficaciter est bonum velle & facere amato, nec eum offendere saltem graviter. Præterea amor non potest esse appretiative summus, nisi Deus & ejus amicitia præferatur omni bono creato, ut malimus omne bonum creatum amittere, & quodvis malum pati, quam Deum offendere graviter, & ejus amicitiam amittere, ideoque efficaciter parati sumus ad nullum præceptum saltem in re gravi uniquam violandum. Quare præceptum caritatis obligat ad Dei amorem tum affectivum, tum effectivum, & ad servanda omnia alia præcepta, ut constat ex Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate ... Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit.* Et 1. Joan. 5. *Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Hinc transgressiones aliorum præceptorum sunt etiam communi ratione contra caritatem, ejusque habitum destruunt, si sint in re gravi.

4. Amor caritatis erga Deum debet esse purus in suo motivo. Nam ejus motivum est Deus ipse absolute ac in se spectatus, seu Deus ut est in se infinite bonus ac perfectus; sive est ipsa Dei amabilitas infinita & bonitas absoluta, ita ut Deus super omnia ametur propter seipsum, seu quia in se bonus ac perfectus est. Ita Theologi communiter. *Prob. 1.* ex S. Augustt. qui l. 1. de Doctrin. Christ. cap. 27. ait, Deum diligendum esse propter seipsum. Et l. 8. de Trinit. 1c. 8. *Ex mia rademque Caritate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum.* Et in Ps. 53. *Deus noster laudatur voluntate, amatur Caritate; gratuitum sit, quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud.* Ex S. Bernardo lib. de diligendo Deo, ubi ait: *Causa diligendi Deum Deus est, modus sine modo diligere ... Non sine præmio diligitur Deus, est absque præmiis inuitis diligendus sit. Vacua nempe vera Caritas esse non potest, nec tamen mercenaria est ... verus amor præmium non requirit, sed meretur.* Et Epist. 11. *Est qui confitetur Domino quoniam potens est, & est qui confitetur quoniam sibi bonus est; & est qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius filius, & defert Patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, utcunque pro se agunt: Sola, quæ in filio est, Caritas non quærit, quæ sua sunt.* Et ex S. Thom. 2. 2. qu. 27. art. 8. qu. 23. art. 5. ad 2. ubi ait: *Caritate diligitur Deus propter seipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a Caritate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia.* Et art. 6. *Fides, & spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni; sed Caritas attingit ipsum Deum, ut in ipso fertur, non ut ex eo aliquid nobis proveniat.* 2. Ex ipsa Ecclesiæ doctrina tradita in catechismis, in quibus caritas definitur, Virtus per quam amamus Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos propter Deum. Ergo caritatis motivum est Deus simpliciter, ideoque absolute & in se consideratus. 3. Quia caritas est amor benevolentiæ & amicitiæ erga Deum. At per amorem amicitiæ amamus alterum propter ipsum, & volumus ei bonum ut ejus bonum est, propter proprium ejus perfectionem. Et vero quis potest se absolute amari ut amicum, si scinet se solum ab eo amari, quia ei bonus ac benignus est? Præterea caritas, cum sit virtutum omnium præstantissima, debet habere motivum omnium præstantissimum, ideoque Deum ipsum prout est in se.

Equidem debemus etiam amare Deum ut nostrum summum bonum, quod nos perfecte beare potest. At hic amor non est amor caritatis, sed spei, nec sufficit: nam tenemur insuper Deum super omnia amare propter se, seu quia est in se infinite bonus ac perfectus, atque nos ipsos & beatitudinem nostram referre ad ejus gloriam; & hic est proprius actus caritatis: *Est enim caritas amicitia honesta, qua amicus amatur propter se*, ait Toletus. Et ita docet S. Thom. 2. 2. qu. 17. art. 8. ubi ait: *Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, utpote cui aliquid vult bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat: sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad Caritatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum: Sed spes pertinet ad secundum amorem.* Quare Filliucius ex illis docet, esse mortale diligere Deum principaliter propter beatitudinem, ita ut si hæc deesset, Deus non diligeretur supra omnia. Licitum est tamen ac bonum, diligere Deum propter mercedem æteroam, tamquam finem minus principalem.

Quæst. II. An teneamur etiam amare Deum supra omnia intensive, seu cum majore intensione, velamentia & conatu, quam omnes creaturas?

Resp. 1. Hoc præceptum, prout est negativum, prohibet pro quolibet tempore omnem generaliter Dei offensam, ira ut omnia peccata mortalia sint contra caritatem, ejusque habitum destruant: nam per quodlibet peccatum mortale creatura præfertur Deo super omnia diligendo: specialis tamen & matis directe vetat odium Dei.

Resp. Communiter negant Theologi. Quia intensio est caritatis perfectio solum accidentalis, & sine majori illa intensione servatur præceptum de Ordine caritatis eo modo, qui satis sit, ut caritas erga Deum sit re & opere efficacior, quam amor cujuslibet objecti. Quod autem præcipuum est in caritate, est ut sit efficax erga Deum, qui affectu & opere propter se præferatur omnibus creaturis.

Præterea cum Deus amatur appretiatione summa, amatur modo actum amoris constituente in gradu excellentiæ, ad quem nullus pertingere potest amor erga creaturam ordinatus, etiamsi infinita intensione amaretur: & si tunc Deus amatur modo proportionato suæ excellentiæ, ideoque modo sufficiente ad implectionem præcepti.

Præceptum autem diligendi Deum ex toto corde (*) intelligunt de totalitate (Vid. N. 131.) appretiationis, non intensionis. Appretiatio vero consistit non in vehementia & conatu affectus, sed in libera præelectione & prælatione.

Certe quando affectus erga creaturam actu obsistit amori Dei appretiative summo: tunc opus est maximo conatu voluntatis, ut Deus supra omnia ametur.

Quæst. III. *Quandonam præceptum Caritatis obligat ad amandum Deum?*

Resp. Sub mortali obligat per se (1) ad eliciendum actum internum amoris Dei supra omnia propter se: 1. Ubi primum, moraliter loquendo, quis rationis usum adeptus est, & habet sufficienter Dei notitiam, quam quidem tunc quisque sibi comparare tenetur. *Ita S. Thom. 1. 2. qu. 89. art. 6. Toletus, Layman, & alii multi.* Nam recta ratio dictat, creaturam rationalem, ubi primum, moraliter loquendo, capax est cognitionis & amoris Dei, eum debere amare ut rerum omnium finem ultimum, propter quem facta sunt omnia, & ad quem proinde omnes se suaque omnia ac totum vitæ cursum referre debent, & consequenter Deum super omnia propter se amare, atque implere debere primum & maximum mandatum. Præterea quando præcepta non determinant tempus, censentur obligare pro præsenti, seu primo quoque tempore, quo commode impleri possunt: alioqui posset quis semper in futurum usque ad mortem suam differre eorum observationem; & sic eludere præcepta. Undei Cajetanus & Navarrus dicunt, teneri omnes hoc omissionis peccatum confiteri in dubio, an tunc actum caritatis elicuerint, necne.

2. In quovis probabili periculo mortis, quamvis Sacramenta suscepta sint. *Ita communiter.* Tum quia hic actus sæpius ratione sui præceptus est, & tempus maxime necessarium est articulus mortis. Tum quia homo, instante termino vitæ, tenetur perfecte rendere in finem suum ultimum. *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur*, ad Rom. 14.

3. Quando est periculum labendi in mortale, nisi actus amoris eliciatur, & ingruit gravis tentatio, quæ non putetur posse aliter superari; nam ex caritate Dei tenemur ejus offensam vitare, & media ad hoc necessaria adhibere.

4. Sæpissime in decursu vitæ, ut satis patet tum ex natura caritatis, quæ est finis omnium præceptorum & actuum, & quæ (ut ait S. Augustt. in Ps. 121.) vacare non potest in anima amantis: nam caritas est amicitia quædam cum Deo; amicitiæ autem divinæ ratio, Deique bonitas infinita exigit, ne diutius amorem erga Deum differamus, & raro eliciamus, sed ut quamprimum possimus, & sæpissime in vitæ curriculo Deum amemus. Tum ex verbis præcepto additis, quibus Deus jubet illud fere semper habere in mente, videlicet ut actus amoris sæpissime eliciatur. Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostia domus tuæ.* Et vero nullus est habens jus exigendi ab alio amorem, qui petat ut semel tantum aut raro ametur; sed is exigit potius, ut sæpe affectu effectuque ametur. Ergo a fortiori jure Deus amoris erga se actum sæpius tota nostræ vitæ iteratum a nobis exigit. Præterea omissio amoris Dei per tempus notabile includit quemdam contemptum divinæ amicitiæ. Hinc ab Innocentio XI. damnatæ sunt hæ propositiones: 5. *Probabile est, ne singuli quidem rigorose quinquennii per se obligare præceptum Caritatis erga Deum.* 7. *Tunc solum obligat quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

Quoties autem intra annum obliget per se, non potest facile determinari. Scotus (Vid. N. 249.) putat adultum obligari ad illum actum singulis diebus Dominicis & festis. Quam opinionem, ait Cardenas noster, non esse contemnendam, quia cum constet hunc actum frequenter in vita eliciendum esse, & tempus definendum sit ex judicio prudentis; videtur prudens designatio temporis esse dies cultui divino dicatus; cultus enim optimus est actus caritatis, ut docet S. Augustt. Idem Cardenas asserit esse mortale, si intra mensem integrum omittatur. Soarez vero lib. 1. de orat. c. 30. docet divina præcepta affirmativa, ut caritatis, & similia, obligare, ut actus eorum non multo tempore differantur; in particulari autem judicare quando sit nimia dilatio, vel quæ sit debita frequentia, prudenti arbitrio relictum videri ex natura rei.

Obligat vero ex virtute Religionis, quando quis culpæ mortalis conscius, deficiente confessario, tenetur celebrare, vel Sacramentum quodvis conficere, aut suscipere. Nam tunc obligatur ad actum contritionis perfectæ, quæ includit actum caritatis. Requiritur etiam hic actus ad justificationem extra Sacramentum.

Ex dictis colligo, parentes & parochos (2) graviter teneri, suos docere obligationem, & modum eliciendi actus Fidei, Spei, & caritatis: confessarios vero teneri curare, ut pœnitentes in mortis periculo hos actus eliciant.

Nota. Ex Deligo, præcepta Fidei, Spei, & caritatis sunt in aliquo sensu supernaturalia, & in aliquo etiam sensu naturalia. Sunt supernaturalia tum ex parte objecti, tum ex parte fuorum actuum; nam

(*) *Dicendum (inquit D. Thom. 2. 2. qu. 24. art. 6. ad 2.) ex Augustino quod modus diligendi Deum est ut ex toto corde diligatur, idest ut diligatur quantumcunque diligi potest.*

(1) *Vid. N. 326. 331. 573. & Bened. XIV. Inst. Eccl. 72.*

(2) *Vid. Bened. XIV. Inst. Eccl. 72.*

nam impleri nequeunt nisi per actus supernaturales, quatenus Deus elevavit hominem ad finem supernaturalem, per tales actus supernaturales consequendum. Sunt vero naturalia ex parte obligationis, quia ex suppositione quod Deus elevaverit hominem ad finem supernaturalem consequendum per actus supernaturales, eo ipso absque alio novo præcepto & ex natura rei obligatur homo ad eliciendos actus supernaturales necessarios ad finem illum obtinendum; nam ex obligatione diligendi Deum & seipsum, obligatur ad comparandum finem illum adeo sublimem ac perfectum, & consequenter ad adhibenda media necessaria ad talem finem. Quare Lex naturalis ad tales supernaturales actus obligat in hypothesi elevationis; in statu autem naturæ puræ esset obligatio amandi Deum super omnia propter se actu naturali.

Quæst. IV. *An ex præcepto Caritatis teneamur omnes actiones nostras referre ad Deum?* (1)

Resp. Affir. Prob. 1. ex S. August. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 22. ubi ait: *Hæc regula dilectionis divinitus constituta est*: Diliges proximum sicut te ipsum; Deum vero ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, *ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferat, a quo habes ea ipsa, quæ conferi*. *Cum autem ait*, toto corde, tota anima, tota mente, *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat*. 2. Ex S. Th. 1. 2. qu. 100. art. 10. ad 2. ubi: *Sub præcepto Caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: & ideo præceptum Caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum*. Quia ex præcepto caritatis tenemur amare Deum, ut finem ultimum rerum omnium, & Deus non amatur ut finis ultimus rerum omnium, nisi omnia in ipsum referatur.

Porro omnes actiones nostras generatim ad Deum ex affectu caritatis referre tenemur tunc tantum, cum urget præceptum amandi Deum propter se, ut finem ultimum rerum omnium. Nam præceptum caritatis non obligat ad referendum omnes actiones & omnia in Deum, nisi obligando ad amandum Deum propter se, ut finem ultimum rerum omnium. Quare non tenemur omnes omnino actiones singillatim elicere ex motivo seu affectu caritatis: alioqui omnia opera fidelium, immo & fidelium in statu peccati manentium essent peccata, quod est error ab Ecclesia damnatus. item actus, quo quis detestatur peccatum præcise ob merum pœnalem, esset malus, quod repugnat tum Conc. Trid. sess. 7. can. 8. & sess. 14. c. 4. tum S. August. qui in Psal. 17. ait: *Ille timor qui nondum casus præsentium Domini & pœnas timet, timere facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ut perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & ille timor, nullis est*. Præterea Alexander VIII. damnavit has propositiones: 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, inter ut caelestem obtineat gloriam, non est recta, nec pla-*

cens Deo. 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quo per dilectionem operatur, peccatum est*. Denique actus eliciti ex motivo aliarum virtutum (*) sunt boni ac liciti, aliequi non esset actus virtutis. Et evidens est, omne bonum honestum esse honeste diligibile propter se præcise. Quid enim magis rationi conformeneum est, quam amare quæ sunt rationi & naturæ rationali consentanea qua talia?

Tamen dum non referimus ex affectu caritatis actiones nostras ad Deum, tunc tenemur eas ad ejus gloriam referre virtualiter, seu implicite, & ex intentione seu natura operis (ut ajunt) agendo scilicet ex motivo alicujus virtutis & honestitatis. *Prob.* 1. Ex 1. ad Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*.

Id esse præcepti satis indicat verbum imperativum, *Facite*, quod in sensu proprio sonat imperium seu mandatum, dum materia id patitur: & docet S. Tho. in epist. ad Colos. c. 3. ubi ait: *Quidam dicunt quod hoc est consilium, sed hoc non est verum*. 2. Ex S. August. in Ps. 65. *Quo fine facias, vide. Si eo id facis, ut tu glorificeris, hoc prohibuit: si autem ideo, ut Deus glorificetur, hoc jussit*. Et ex S. Basil. in Reg. interrog. 155. ubi ait: *Omnia propter Deum ex Dei mandato facienda*. Idem docent alii Patres. 3. Quia debemus Deo omnes actiones nostras ex titulo creatoris, ac redemptoris, & vi supremi ejus dominii, ex quo omnes actus nostri magis debentur Deo, quam cujvis domino temporali opera servi. Ergo omnes actus nostri debent ad Dei obsequium referri, saltem ex natura operis. 4. Quia (ut alias probatum est,) semper tenemur agere propter finem honestum, ideoque ex motivo alicujus virtutis. At omnis honestas & actus virtutis ex natura sua refertur & ordinatur ad Deum tamquam ad regulam, fontem, ac finem omnis honestatis, & ex le tendit ad Dei gloriam, cum sit conformis ejus volutati, eique placeat.

ACTUS CARITATIS.

DOmine Deus, te ex toto corde meo & super omnia diligo, quia tu Deus es ob infinitas perfectiones tuas omni, & summo amori dignissimus. Proximum quoque meum, sicut meipsum, propter te diligo.

ARTICULUS II.

De præcepto Caritatis erga proximum.

Quæst. I. *AN datur præceptum diligendi proximum, & ad quid obligat?*

Resp. 1. Extat præceptum speciale diligendi proximum non tantum actu externo, sed etiam interno, & amore benevolentiæ, quo ei velimus bonum quatenus ejus bonum est. Constat ex Matth. 22. *Secundum autem (mandatum) simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Et Joan. 15. *Hoc*

(*) *Quæ tamen eadem nullæ sint, nisi e caritate in Deum vivificentur.*

hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Et 1. Joan. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. Dilectio autem est affectus voluntatis, quo volumus bonum personæ amatæ. Hinc Innocent. XI. damnavit has propositiones. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*. 11. *Præceptum proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*.

Resp. 2. Hoc præceptum complectitur omnes creaturas rationales ejusmodi nobilium beatitudinis capaces. Nam ii omnes & soli caritate divina amari possunt & debent, quibus debemus & possumus propter Deum velle summum bonum beans, in cujus communicatione & capacitate laudatur dilectio caritatis. Ac proinde complectitur omnes Angelos ac homines beatos, animas in purgatorio detentas, & omnes homines viatores, sive sint justi, amici, consanguinei, Catholici; sive peccatores, inimici, extranei, & infideles: sunt enim hi omnes nobis proximi communione capacitatis ejusdem beatitudinis ac hæreditatis æternæ, quam jam beati possident, & ad quam illi destinantur, & quam possunt consequi quamdiu in via sunt. Ideoque amandi sunt amore benevolentiæ, tendentis ad unionem, quæ intercedere debet inter fratres & coheredes. Unde tenemur omnes omnino homines in universali amare, nullo excepto: in particulari vero hos determinate, quibus opitulari debemus, vel in quos odium deponi nequit, nisi fingillatim actu interno diligantur.

Hinc soli dæmones & homines jam damnati excipiuntur: quia caritas est amor benevolentiæ, quo volumus præcipue beatitudinem æternam, & quæad eam conducere possunt. At hoc non licet damnatis velle: nam amor ille repugnat caritati erga Deum, qua approbamus ejus justitiam; inquit S. Th. q. 25. art. 12. (*).

Resp. 3. Hoc præceptum, ut affirmativum, obligat ad amandum proximum propter Deum amore benevolentiæ affectivo & effectivo, sicut nos ipsos amamus, non quidem secundum omnimodam æqualitatem, sed secundum similitudinem, ut docet S. Th. 1. 2. q. 44. art. 7. ubi ait: *Cum dicitur, sicut seipsum, non est intelligendum quantum ad hoc quod aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi*, ita ut idem bonum proximo velimus, & ei quantum possumus procuremus in necessitate, quod tenemur nobis velle, & rationabiliter volumus, & quidem principaliter beatitudinem æternam, ac media ad eam assequendam necessaria; secundario autem bona temporalia necessaria ad vitam corporalem convenientem, & quatenus ex auxilio gratiæ ad salutem conducunt; atque quantum possumus, ei procuremus in ejus necessitate. *Velle debemus, ut omnes nobilissimum diligant Deum, & tantum quod vel eos adjuvemus, vel adjuventur ab eis, ad unum illum finem referendum est*, ait S. August. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 29. Et lib. 1. de morib. Ecclesiæ cap. 6. postquam hoc præceptum retulit, sic prosequitur: *Te autem ipsum salubriter diligit, si plus quam te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum tum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diliget, tamquam teipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis*.

Obligat autem ad eliciendum sæpe in vita actum internum amoris supernaturalis erga proximum propter Deum, & ad exercendum externum seu effectivum amorem, potrum in opitulatione proximi, sive spirituali, sive corporali: nam amare est bonum velle & facere cum possis, juxta illud 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Præterea internus amor proximi præceptus est in bonum ac utilitatem proximi: at non potest prodesse proximo, nisi per beneficia & auxilia.

Dixi, *propter Deum*, hoc est quia ad Deum pertinet ut imago ejus, ut capax dilectionis, & possessionis ejus, ut ab ipso creatus, redemptus &c. ita ut Deum in ipso amemus &c. & quia id Deo summo bono & amato placet. *Propter hoc ex Caritate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi & secundum naturalem Dei imaginem & secundum capacitatem gloriæ*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 44. art. 7. Nam amare proximum propter aliquam utilitatem temporalem, vel quodvis aliud motivum naturale, non est actus caritatis: *Si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, Caritatem non habet*, ait S. Greg. hom. 38. in Evang. Et S. Aug. lib. 1. de Doctr. Chr. c. 27. ait: *Omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum; Deus vero propter seipsum*. Et lib. 3. c. 7. *In eo se exercet omnis divinarum scripturarum studiosus, nihil in eis aliud inventurus, quam diligendum esse Deum propter Deum, & proximum propter Deum, & illum quidem extotis corde, ex tota anima, ex tota mente diligeres proximum vero tamquam se ipsum, ideest, ut tota proximi, sicut etiam nostri, dilectio referatur in Deum*. Et vero debemus diligere alios, sicut Christus nos dilexit, ex Joan. 15. supra cit. Christus autem omnes dilexit propter Deum.

Hinc objectum formale seu motivum caritatis erga proximum est infinita Dei bonitas absoluta, seu amabilitas, quæ sicut movet ad amorem Dei, movet quoque ad amorem proximi propter Deum, eo quod ad Deum pertineat, & Deus amet omnes homines, etiam peccatores, quamdiu sunt in via, volendo illis summi boni, nempe sui ipsius, fruitionem, eis conferendo media ad eam assequendam sufficientia, aliaque bona, relinque ut omnes amemus.

Resp. 4. Hoc præceptum, quatenus est negativum, vetat pro quovis tempore odium, & omnes actus oppositos amori benevolentiæ, ne scilicet proximo unquam velimus, optemus, inferamus malum spirituale, nec etiam temporale, saltem ut ipsius malum, & sine justa causa & auctoritate. Quod adeo, quia ex justa causa & auctoritate potest inferri malum temporale proximo ob finem bonum, v. gr. aliqua punitio a superiore correctionis causa, vel a judice ob crimina ex motivo justitiæ. Hinc nunquam licet odisse ullum hominem, quantumvis impro-

(*) *In peccatoribus ex caritate debemus diligere naturam, peccatum autem odisse: nomine autem dæmonis significatur natura peccato deformata: & ideo dæmones ex caritate diligendi non sunt, unde illud Isaiæ 28. pactum vestrum cum inferno non stabit*.

probum, ex displicentia personæ, ei optando malum, quatenus ejus malum est, aut gaudendo de ejus malo, vel dolendo de ejus bono, ut ejus bonum est.

℣. Auctoris assertio magis, ac magis confirmatur ex tribus ab Innoc. XI. damnatis Propositionibus, quarum proscriptione demonstratur, nos nequidem indirecte posse malum proximo optare, aut de ejusdem malo gaudere. 13. ita se habet: *Si cum debita moderatione faciat, potest absque peccato mortali de ejus alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

14. *Licitum est absolute desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ex successura ei pingui hæreditate.*

15. *Licitum est filio gaudere de parricidio Patris a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Duæ autem sunt regulæ generales duplicis hujus præcepti a Scriptura traditæ, & lumine naturali notæ. 1. Pro affirmativo: *Omnia quæcumque vultis (rationabiliter) ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc est enim Lex & Prophetæ*, Matth. 7. 12. Pro negativo. *Quod ab aliis oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, Tob. 4. Hinc S. August. lib. de vera relig. c. 48. ait: *Ea est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, & illi velit; & quæ accidere sibi mala non vult, illi nolit. Hanc voluntatem erga omnes homines servate.*

Quæst. II. *An teneamur diligere inimicos, id est, eos qui nos, vel nostros oderunt, vel aliqua injuria afficerunt?*

Resp. 1. Præceptum caritatis erga proximum obligat etiam erga inimicos, perinde ac si tales non essent. *Ita omnes.* Quia nihilominus sunt veri proximi, utpote ejusdem nobilium æternæ beatitudinis capaces, per quam capacitatem nobis societate quadam conjunguntur: quare tenemur eos non solum non odisse, sed etiam positive diligere amore effectivo, non quidem ut sunt inimici, (*) sed ut sunt homines beatitudinis capaces, & quia Deus vult ut illos amemus. Et constat etiam ex Matt. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quæ verba juxta Ecclesiæ & Patrum interpretationem, continent verum præceptum, quod est etiam juris naturalis. *Grave præceptum, sed grande præmium.* Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. *Audisti opus, expectla mercedem:* ut sitis (inquit) filii Patris vestri, qui in cœlis est. S. August. serm. 330. alias 92. de diversis.

Resp. 2. Ex caritate obligamur erga inimicos generatim ad ea omnia, ad quæ tenemur erga proximum modo supra explicato, siquidem sunt vere proximi nostri. Specialim vero tenemur, 1. Omne in illos odium, ac vindictæ affectum rejicere ac deponere; atque omnes offensas ex corde iis remittere, ita ut ob offensam illis non male velimus, sed ea non obstante semper parati simus iis exhibere debita internæ dilectionis signa, etsi veniam non petant, immo in odio contra nos persistant, ex Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et Eccl. 10. *Omni injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ.* Unde nunquam licet iis velle malum, ut eorum malum, nec de malo ut eorum malo gaudere, vel de eorum bono ut eorum bono dolere: hæc enim sunt odii actus. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & displiceat ei.* Prov. 24. *Si de prosperitate afflgitur, & de calamitate se odientis lætatur, constat quod non amat*, ait S. Greg. lib. 22. in Joan. c. 6. Neque licet a Deo vel hominibus vindictam injuriæ expetere ex displicentia personæ, multo minus eam sumere. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere . . . nulli malum pro malo reddentes.* Ad Rom. 12.

2. Tenemur eos non excludere ab actu interno caritatis, quem erga proximum elicimus, sed eos in eo generatim includere: immo in particulari hos numero ac determinate diligere, quoties periculum est ne ob gravem injuriam acceptam eos oderimus, eisque malum optemus, ut sæpe contingit, nisi illud odium actu amoris & oratione cohibeatur; nam tunc ille amor est medium necessarium ad servandum præceptum.

3. Tenemur inimicis ex interno affectu præstare communia dilectionis signa, & beneficia, quæ aliis ejusdem status & conditionis præstare solemus, qualiaque Christiano debemur a quovis Christiano, convivi a convivo, cognato a cognato, pauperi a divite, superiori a subdito &c. *Ita communiter cum S. Tho.* 2. 2. q. 25. art. 9. Nam tenemur inimicos diligere, eis benefacere, & pro eis orare, in particulari quidem quando occurrit necessitas; & in communi extra casum necessitatis, quando scilicet alios homines in communi amamus, vel alios hominibus benefacimus, aut pro eis oramus in communi, etiam absque obligatione. Hinc non licet inimicum excludere a communibus orationibus, vel eleemosynis, a salutatione, a responsione ad interrogata, misericm exposituram vendizione &c. Nam talis excluso esset vindicta privato illicita, & in talibus circumstantiis signum odii præbens scandalum: ideoque de se adversatur caritati, & quidem graviter.

Specialia autem benevolentiæ signa, & beneficia non tenemur eis præstare, per se loquendo, nisi iis indigeant; sed solum esse parati ad præbendum, quando egebunt. Quia præceptum de exhibenda benevolentia non obligat pro omni tempore, sed tantum in casu indigentiæ proximi, juxta illud Prov. 18. *Si eluxerit inimicus tuus, ciba illum . . . & Dominus reddet tibi.* Enim vero ex præcepto caritatis non aliter tenemur, per se loquendo, amare inimicos atque alios homines; nam non magis sunt proximi nostri quam alii homines. Non tenemur autem, per se loquendo, amare alios homines in particulari ex lege caritatis nisi in casu necessitatis; & extra casum necessitatis sufficit si eos amemus in communi, & eis communia benevolentiæ signa exhibeamus. *Diligere inimicos in generali, est in præcepto, in speciali autem, non est in præcepto, nisi secundum præparationem animi: si scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret.* S. Th. 2. 2. q. 27. art. 8.

Dixi, *per se loquendo*. Nam ob circumstantias quæ potest esse ratio obligationis ad ista specialia præstanda inimico, ut periculum scandali ex omissione, inimici necessitas spiritualis vel temporalis, exhibitio specialium signorum amoris ex parte ipsius. Item si per aliqua specialia beneficia vel signa amoris certo possis, saltem sine gravi incommodo, inimicum tibi & Deo reconciliare, adea teneris; quamvis ille prior offenderit, & nolit inimicitias deponere; nisi tu eum sic prævenias, juxta illud Rom. 12. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Quia ex caritate tenemur grave damnum proximi, præsertim spirituale, licet ex ejus culpa obveniens, impedire vel tollere, cum possimus saltem sine nostro gravi incommodo. Immo juxta Suarez, & alios, si inimicum ante offensam solebas salutare, alloqui, cum eo conversari &c. tamesti illa sint specialia dilectionis signa, teneris eadem præstare, nisi circumstantiæ speciales aliud postulent, vel excusent, ut si specialis illa benignitas inimico non sit profutura. Quia istorum recusatio extra circumstantias speciales censetur co ipso minuiter signum odii, vindictæ, vel contemptus, ac proinde odii fomitem & scandalum præbet, & caritati adversatur. Item tenemur specialia beneficia & amicitiæ signa inimico exhibere, si ipse ea nobis prius exhibeat, nam horum omissio censetur moraliter vindicta, & signum inimicitiæ, quæ præcepto negativo vetatur.

4. Tenemur inimico veniam petenti non solum offensam condonare ex animo, nempe odium, malevolentiam, & vindictæ appetitum rejiciendo ac deponendo (ad quod obligamur etiamsi non peteret) sed etiam externis benevolentiæ & reconciliationis signa exhibere, habita ratione circumstantiarum. Tunc enim horum omissio esset quædam odii declaratio, vindicta, & scandali causa. Excipe nisi fit pater, vel qui sis superior, qui quandoque potest justæ correctionis causa, ægra libenter vel subditos benevolentiæ signa differre, modo intus caritatem fervet.

5. Tenemur inimicis in necessitate sive spirituali, sive corporali opitulari, & damnum in honore, fama, corpore, vel rebus impedire, saltem dum sine nostro gravi damno possumus. *Benefacite his qui oderunt vos*, Matt. 5. Nam ad id tenemur erga proximum.

Porro qui alterum injuste offendit, tenetur veniam petere, nam id exigit ratio justitiæ. Quod si duo mutuo se offenderunt: tunc si offensio sit æqualis gravitatis, tenetur reconciliationem petere qui prius offendit; quia qui prius læsus fuit, prius jus habet exigendi satisfactionem: si offensio fit inæqualis, tenetur ille qui gravius offendit; nam gravior offensio prævaler priori minus gravi; & sic prius compensanda est. Et excessus ille est quasi nova injuria, quæ novum jus læso dat exigendi satisfactionem. *Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam, ut non possideamur a satana, cujus triumphus est discordia Christianorum*, ait S. Augusti. serm. 220. alias de diversis 54.

Resp. 3. Non tenemur renuitere inimico satisfactionem debitam, ut honoris, famæ, vel pecuniæ; quia eam exigere non est vindicta, seu usus juris. Quippe injuriam passus habet jus ad congruam satisfactionem, & jus illud per legitimam potestatem prosequendi. Et hæc compensatio seu restitutio non expetitur quatenus est malum inimici, sed quatenus in nostrum bonum justum cedit, & malum nostrum injustum expellit. Immo adversus illum licet instituere actionem tum civilem, tum criminalem, modo id non fiat ex odio, vindicta, vel alio pravo fine: civilem quidem, ut damnum illatum compenset, vel pro injuria satisfaciat: criminalem vero ex amore publicæ justitiæ, ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum reip. damno. Qui tamen uterque procedendi modus ordinarie non vacat periculo, cum pauci amore justitiæ aut boni communis ducantur, plurimi vero vindictæ explendæ desiderio. Ita S. Th. 2. 2. q. 108. art. 1. ubi ait: *Vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod Caritati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius, qui sibi injuste intulit malum, sicut non excusatur aliquis per hoc quod odit se odientem. Non enim debet homo in alium peccare propter hoc quod ille peccavit prius in ipsum. Hoc enim est vinci a malo, quod Apostolus prohibet*, Rom. 12. dicens: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. *Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pertinet per pœnam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad justitiæ conservationem, & Dei honorem: potest esse vindicatio licita, alias debitis circumstantiis servatis.*

Æquam tamen ad arbitrium prudentum satisfactionem ab inimico oblatam acceptare tenemur ex caritate: nec tunc licet judicem interpellare, nisi reus sit reip. noxius, vel periculum sit, ne alios similiter injuria afficiat. Nam extra hos casus actionem civilem instituere, & inimicum sumptibus onerare, est contra caritatis Legem, verantem ne alteri facias, quod tibi non vis rationabiliter fieri.

Quæst. III. *An vindicta, seu redditio mali pro malo, facta auctoritate privata, semper est illicita?*

Resp. Affirmat. Constat, 1. Ex Eccli. 28. *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam. Memento novissimorum, & desine inimicari.* Et ex Matth. 7. supra cit. Et ex Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes . . . Non vosmetipsos defendentes* (hoc est ulciscentes, ut habet vox græca) *Scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus &c.* Et 1. Thessal. 5. *Videte ne malum pro malo alicui reddat.* 2. Quia vindicta privata auctoritate illata, est non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam; tum quia est usurpatio alienæ potestatis, nempe superioris, ad quem solum punitio pertinet; tum quia quisque habet jus, ut non puniatur ab eo, qui nullam habet au-

(*) *In quo contaminantur peccato.*

auctoritatem & jurisdictionem in ipsum. Immo nunquam licet exercere punitionem infimici etiã justam, & legitima auctoritate factam, quatenus ejus malum est: nam hoc est actus odii nunquam liciti.

CAPUT III.

De Ordine Caritatis.

Quæst. 1. *An ordo in Caritate servari debeat?*

Resp. Affirmat. *Ita omnes.* Prob. 1. Ex Cant. 2. *Ordinavit in me Caritatem.* 2. Ex S. Augustin. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 27. *Ille juste & sancte vivit, . . . qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum; aut non diligat quod est diligendum; aut amplius diligat quod est minus diligendum: aut æque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est . . . Est Deus unus homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere quam seipsum. Item amplius alius homo diligendus est, quam corpus nostrum; quia propter Deum ista omnia sunt diligenda; & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus: quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo.* 3. Ex S. Thom. 2. 2. q. 44. art. 8. *Madet, qui pertinet ad rationem virtutis actus, cadit sub præcepto, quod datur de actu virtutis. Ordo autem Caritati pertinet ad ipsum rationem virtutis, cum accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile. Unde manifestum est, quod ordo Caritatis debet cadere sub præcepto.*

4. Quia objecta diligenda & optanda, non sunt æqualia inter se. Ergo debet esse inter illa ordo, ut caritas sit recta. 5. Deus rult, ut aliquos, nempe qui nobis sunt conjunctiores, plus diligamus.

Duplex autem est ordo in caritate servandus, alter in personis, alter in bonis. In personis homo amare debet, 1. Deum utpote principium ac finem ultimum rerum omnium, & summe bonum ac perfectum. 2. Seipsum. 3. Ceteros homines. In bonis primum locum tenent bona spiritualia, seu supernaturalia, nempe gloria, seu beatitudo æterna, gratia, virtutes, bona merita. Secundum bona naturalia & bona corporis, ut vita, integritas membrorum, sanitas &c. Tertium bona externa, ut honor, fama, divitiæ &c. Item bonum commune majus est bono privato: quia bonum commune est bonum totius, & bonum privatum est bonum partis, sicut autem totum est majus sua parte, ita bonum totius majus est bono partis, ideoque ei præferendum.

Quæst. II. *An & quomodo quisque seipsum magis diligere debet quam proximum?*

Resp. 1. Uniquisque tenetur seipsum magis diligere simpliciter & absolute, quam proximum. Ita S. Thom. q. 26. art. 4. & q. 44. art. 8. ad 2. *Prob.* 1. Ex Matth. 22. *Diliges proximum sicut teipsum.* Ubi dilectio sui proponitur ut regula & exemplar amoris proximi, regula autem prior & potior est quam regulatum. Quare præceptum diligendi seipsum includitur in præcepto dilectionis proximi. 2. Quia ex ordine caritatis homo magis inclinatur ad sui dilectionem quam proximi, estque sibi magis conjunctus. Unde illud Eccli. 4. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?*

Hinc 1. Quilque tenetur se magis diligere in bonis spiritualibus quam proximum, ita ut filii potius velit & comparet Dei gratiam, amicitiam, virtutes, & beatitudinem æternam, quam cuilibet alteri cum hæc bona sint omnium maxima & maxime necessaria. Quod indicant hæc Christi verba, Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur &c.* Quibus verbis Christus significat debere nos ante omnia saluti nostræ providere.

2. In quacunque corporali necessitate æquali licet sibi potius subvenire quam alteri privato; nam nemo tenetur diligere proximum magis quam seipsum, sed solum sicut seipsum. *Non est de necessitate Caritatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo teneretur ejus saluti providere. Sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem Caritatis,* ait S. Th. 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3. Immo juxta multos, tenetur seipsum magis diligere quoad vitam temporalem, & bona ejus conservationi necessaria, quam proximum parem vel inferiorem, quia (ut ait S. August. lib. de mendac. c. 6.) *Si pro illius temporali vita suam ipsum temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum, sed plus quam seipsum; quod sanæ doctrinæ regulam excedit.* Præterea per se loquendo caritas magis inclinat subjectum suum ad sui conservationem, quam ad conservationem alterius privati. Ergo qui privati vitam suæ præfert, agit contra inclinationem caritatis, ideoque contra ordinem caritatis; & consequenter peccat contra caritatem. Alii tamen multi cum S. Thoma censent, licere vitam propriam exponere pro servanda vita alterius privati, non quidem præcise ob bonum vitæ proximi, quæ ut talis non debet præferri vitæ propriæ, sed ob speciale quoddam virtutis exercitium, quod in certis circumstantiis exurgit ex alio titulo, v. g. si vitam exponat pro altero, cujus vita fit utilior ad promotionem gloriæ Dei; si pro parente, insigni benefactore &c. ad insigne opus pietatis, gratitudinis &c. Nam, inquiunt, actus virtutis christianæ, qui tunc exercetur, majus bonum est vita temporali. Textum vero S. Augustini allatum explicant, si vita amittatur ob vitam proximi præcise sumptam ut talem, non autem ob exercitium virtutis.

Dici. *Privatus*: nam subditus tenetur vitam propriam certo periculo exponere pro salute reip. vel principis sui, ut alteritas personæ reip. necessariæ. Nam membrum periculo exponi, immo & abscindi debet pro conservatione totius: & quilibet pars bonum totius suo privato præferre tenetur.

Resp. 1. Uniquisque ex caritate tenetur proximum magis diligere in spiritualibus, quam seipsum in corporalibus. Tum quia quilibet tenetur diligere proximum sicut seipsum: at quilibet tenetur seipsum magis diligere secundum animam quam secundum corpus: ergo similiter &c. Tum quia anima proximi secundum rectam rationem magis amabilis est quam corpus proprium; nam ipsa longe præstantior, quam corpus proprium, modo participat bonitatem divinam, quæ est objectum formale caritatis; estque capax possessionis Dei, non corpus proprium; & in ipsa Deus magis glorificari potest, quam in corpore proprio. Hinc

Resp. 3. Tenemur præferre salutem æternam proximi bonis omnibus nostris temporalibus, & vitam nostram corporalem certo periculo exponere, pro salute

Post hos ceteri secundum varias conjunctiones affinitatis, amicitiæ, societatis præferendi sunt extraneis: nam ratio dictat magis diligendos esse conjunctos, & conjunctiores quam minus conjunctos, & caritas ad hoc inclinat. *Cum omnibus prodesse non possit, his potissimum consulendum est, qui conglutinati tibi junguntur*, ait S. August. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 28. Patria tamen seu resp. præferenda est parentibus: quia est totum, cujus sunt partes parentes, qui proinde tenentur vitam pro illius salute exponere, cum totum parti, & bonum totius bono partis præferendum sit.

Resp. 2. Ceteris paribus ex consanguinitis præferendi sunt propinquiores. Nam si propter naturalem conjunctionem veneris magis diligere consanguineos, ceteris paribus: teneris etiam, ceteris paribus, propter naturalem conjunctionem majorem, magis diligere consanguineos propinquiores.

Item ex consanguineis æque propinquis tenemur magis diligere digniores, seu aliquam in consanguinitate eminentiam habentes: nam hoc ipso, ceteris paribus, sunt magis diligibiles. Hinc

Resp. 4. Inter ipsos consanguineos, 1. Patet & mater in necessitate extrema, ubi vita periclitatur, præferendi sunt filiis, & uxori, & aliis omnibus. Ita S. Thom. q. 26. art. 11. quia præter communionem sanguinis, habent eminentiam principii; sunt enim principium nostri esse, quod est ingens beneficium, & fundamentum ad recipienda ab alio beneficia. Extra necessitatem extremam, & ubi agitur de conservatione propriæ status, uxor & filii non emancipati, juxta multos, præferi debent parentibus, propter arctiorem in communi vitæ & vitæ societate conjunctionem viri & uxoris indicatam Gen. 2. & Matth. 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ &c.* Et quia bonum familiarum & reip. id postulat. Unde S. Th. 2. 2. q. 26. art. 9. ad 1. ait: *Filii magis debentur curæ provisoris.* 2. Ceteris paribus, pater præferendus est matri; quia est principalior ac nobilior causa nostri esse naturalis; cum sit præcipua causa generationis, estque similior capiti, & ad eum mare spectat cura liberorum: unde major ei honor & amor debetur. S. Thom. ibidem. 3. Uxor præferenda est filiis, quia est una cum marito, & principium liberorum. 4. Filii sunt præferendi ceteris omnibus, quia sunt conjunctiores, cum a substantia parentum procedant: fratres conjuncti ob majorem sanguinis conjunctionem.

Hinc in naufragio, vel alio mortis periculo, filius teneretur patrem præ aliis omnibus liberare, uxorem præ filiis &c.

Inter extraneos vero meliores præferendi sunt amabilis, nam ob majorem sanctitatem sunt Deo similiores & conjunctiores, ideoque magis amabiles: justus peccatori, fidelis infideli ob majorem conjunctionem spiritualem. Item persona publica, vel bono communi valde utilis, præferenda est privatæ; quia bonum commune, utpote bonum multorum, præferendum est bono privato, quod est unius vel paucorum. Item ceteris paribus, benefactor aliis præferendus est.

Hæc intelligi in pari necessitate. Nam extraneus in majore necessitate positus, præferendus est proprio, quo longe minus indigenti: cum enim præceptum caritatis non obliget ad beneficiendum alii, nisi

sint in aliqua necessitate, magis & potius obligat ubi major est necessitas. S. Thom. qu. 26. art. 2. ibi: *In aliquo casu est magis subveniendum extraneo, puta si sit in extrema necessitate, quam etiam patri non tantam necessitatem patienti.* Hinc extraneus in necessitate gravi spirituali debet præferri consanguineo gravem necessitatem corporalem patienti: quia tunc necessitas extranei est major ob indigentiam boni magis necessarii; & quia sicut tenemur magis diligere proximum in spiritualibus, quam nos ipsos in corporalibus, ita & tenemur magis diligere extraneum in spiritualibus &c.

Porro obligatio servandi hunc ordinem est ex genere suo gravis, cum nascatur ex præcepto caritatis gravissimo, & ejus materia ac finis sit gravis.

Quod si possis omnibus subvenire, tenetis.

CAPUT IV.

De Eleemosyna.

Quæst. I. *Quid est Eleemosyna?*

Resp. Est sublevatio alienæ miseriæ propter Deum. Sive est auxilium proximo indigenti datum ex compassione propter Deum. Estque opus misericordiæ imperatum a caritate. Misericordia autem est virtus quæ nos ex compassione inclinat ad subveniendum alienæ miseriæ, ex S. Aug. lib. 9. de Civit. c. 2. Illi per excessum opponitur nimia cordis mollities seu indulgentia; per defectum, cordis durities, & crudelitas.

Eleemosyna, seu opera misericordiæ ac caritatis magis vulgata, & ad quæ cetera reduci possunt, sunt quatuordecim. Septem corporalia, nempe visitare infirmos & carcere detentos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, vestire nudos, peregrinos hospitio suscipere, & sepelire mortuos. Et septem spiritualia, nempe præbere consilium, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari tristem, remittere offensam, ferre patienter injurias & molestias ac defectus proximi, pro omnibus orare, juxta hos versus:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Consule, carpe, duce, solare, remitte, fer ora.

Quæst. II. *An extat præceptum Eleemosynæ, & quandonam obligat sub mortali?*

Nota. 1. Necessitas seu indigentia proximi triplex est. Prima extrema, ex qua imminet mors vel mutilatio, nisi ei succurratur. Secunda gravis est, cum homo nisi ei subveniatur, non potest vitare grave malum, ut captivitatem, gravem infamiam, amissionem status vel dignitatis, jacturam notabilem bonorum, vel magnam miseriam, quæ reddat vitam graviter molestam. Tertia communis, quæ parit aliquod incommodum in necessariis ad vitam vel statum; ita tamen ut non reddat vitam nimis miseram vel molestam, specialis status & conditionis patientis. In hac versantur plerique mendici triviales.

Nota 2. Bona triplicis sunt generis. Nam 1. Alia sunt necessaria naturæ seu vitæ, illa videlicet, sine quibus conservari non potest vita nostra, & aliorum, quorum cura nobis incumbit. 2. Alia sunt necessaria statui; sine quibus non potest quis convenienter vivere secundum conditionem & statum præsentem propriæ personæ, vel aliarum, quarum cura ei incumbit; & hæc iterum duplicia sunt: quædam enim sunt necessaria ad statum simpliciter, ea nimirum, sine quibus aliquis suo statu excideret: quædam dumtaxat ad status decentiam modestiæ christianæ consentaneam. 3. Alia non sunt necessaria, sed superflua vel vitæ, vel statui, vel utrique.

Nota 3. Necessarium statui complectitur bona, quæ requiruntur ad sustentanda onera familiæ, ad alendos famulos, ad filios educandos, & in statu honesto juxta suam conditionem collocandos, filias dotandas, ad honestas donationes, moderata cum amicis convivia, hospitalitatem, item ad illum statum servandum in quolibet casu calamitatis probabiliter eventuro, ut sunt morbi, bellum, sterilitas &c. Dico, *probabiliter*: nam non debet attendi ad omnes casus, qui possunt contingere in futurum: *hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet.* Matt. 7. *sed debet dijudicari superfluum & necessarium secundum ea, quæ probabiliter & ut in pluribus occurrunt*, ait S. Th. q. 32. art. 5. ad 3. Quare multi habent superflua. *Multa superflua habemus, sinomnis necessaria teneamus; nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite, quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ*, ait S. Aug. in Psal. 147. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem; *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

Nota. 4. De necessariis vitæ non est obligatio faciendi Eleemosynam: quia suum suorumque vitam quisque potest; & ordinatis debet alienæ vitæ præferre, ut exigit ordo caritatis. Excipe, nisi persona indigens sit necessaria bono communi, quod semper proprio anteponendum est.

Resp. 1. Extat præceptum divinum naturale ac positivum dandi Eleemosynam, obligans sub mortali. Const. 1. ex Matt. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Ubi damnantur, qui Eleemosynam omisere. Et 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Caritas Dei manet in eo?*

2. Quia lex divina caritatis graviter obligat quemque ad proximum diligendum sicut seipsum; ideoque ad illi indigenti opitulandum: nam amare proximum est ei bonum velle, & facere quantum possumus, quando ille nostra ope eget. *Ad dilectionem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundum illud* Joan. 3. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Ad hoc autem quod velimus & operemur bonum alicujus, requiritur, quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per Eleemosynarum largitionem, & ideo Eleemosynarum largitio est in præcepto.* S. Th. 2. 2. q. 32. art. 5.

Hoc præceptum extenditur ad quælibet opera misericordiæ, & subsidia tum corporalia, tum spiritualia, quibus proximus indiget, cum fundetur in caritate, qua tenemur diligere proximum sicut nos ipsos, & ei facere quod nobis fieri rationabiliter vellemus. Et vero si tenemur subvenire proximo in necessitate corporali, multo magis etiam tenemur in necessitate spirituali: nam longe potior cura habenda est salutis animæ, quam vitæ corporalis, quæ propter illam amittenda est: cum salus animæ consistat in consecutione perfectæ ac æternæ felicitatis, & in vitatione infelicitatis æternæ. Quare quidquid dicetur de Eleemosyna corporali, idem cum proportione applicari debet spirituali. Præterea lex caritatis in proximum obligat ad amandum hominem, qui cum constet corpore & anima, potest secundum utrumque ope nostra indigere, & sic obbligat ad subveniendum proximo in ejus temporalibus & spiritualibus necessitatibus. Ita S. August. lib. de moribus Ecclesiæ, c. 27. ubi ait: *Homo igitur, ut homini appareat, anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim vero animæ hominis benefacit, qui hominem diligit.*

Triplex autem est necessitas spiritualis, scilicet extrema, cum proximus sine nostra ope non potest sibi necessaria ad salutem providere; gravis, cum potest quidem sine nostra ope sibi talia providere, sed non sine magna difficultate, vel incurrit gravissimum periculum peccandi ob pauperiatem, ignorantiam vincibilem, pravam consuetudinem, vel occasionem valde allicientem ad malum: & communis, cui potest ipse providere sine magna difficultate.

Resp. 2. Quilibet in extrema necessitate Proximi tenetur sub mortali ei subvenire non tolum de superfluis statui, sed etiam de necessariis ad status decentiam. *Est communis & certa sententia*, inquit Platellius. Quia caritas ordinata exigit, ut vitam proximi plus diligamus quam decentiam status nostri, & huic illam præferamus: ac proinde ut jacturam decentiæ status patiamur pro vita proximi servanda. Immo tunc etiam adjuvandus est proximus ex bonis quodam modo ad integritatem status necessariis. *Ita Suarez, Valentia, Sanchez, & alii multi.* Nam juxta ordinem caritatis vita proximi præferenda est cuidam integritati status propii. Et vero amissio integritatis status non reddit hominem miserum, & nemo prudens ad hanc amissionem avertendam exponet se morali periculo mortis: immo hanc amissionem quilibet facile patietur ad servandam suam vitam.

Hinc teneris sub mortali, proximo in tali necessitate subvenire cum dispendio bonorum etiam gravi, inquit Toletus; & ob hanc causam detrahere de status tui splendore, ornatu, integritate, famulorum numero, & aliis sumptibus.

Resp. 3. In gravi necessitate proximi quisque sub mortali tenetur ei subvenire de bonis statui superfluis. *Est communis & certa sententia.* Prob. Quia 1. hæc verba Christi: *Esurivi & non dedistis mihi manducare, sitivi &c.* important præceptum Eleemosynæ in necessitate non extrema, sed frequenti, quam indicant fames, sitis &c. Et Christus ibi innuit multos damnatum iri ob Eleemosynam egenis denegatam, ideoque indicat præceptum subveniendi proximo in frequenti & satis ordinaria necessitate. Idem significant hæc verba Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* 2. Ex SS. Patribus. Pro omnibus sint S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 3. *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si sciat eum fame laborare, erumnam perpeti, præsertim si mendicare erubescat, & non adjuves &c.* Et S. Aug. tract. 3. in 1. Epist. Joan. *Esurit frater tuus, in necessitate positus est, a creditore angustiatur, non habet ipse, habes tu... Quid ad me pertinet, forte dicis? Ego datturus sum pecuniam meam ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi respondent cor tuum, dilectio Patris non in te manet.* 3. Quia juxta omnes, quisque tenetur ex caritate proximum gravi malo liberare, cum potest sine suo gravi incommodo: nam quisque debet amare proximum sicut seipsum, & ei facere quod sibi fieri rationabiliter vellet. Non est autem grave incommodum dare superflua. 4. Nolle succurrere amico in gravi, sed solum in extrema necessitate, est per se dissolutivum amicitiæ. Ergo non subvenire gravi necessitati proximi est contra caritatem proximi & Dei, cui fit & denegatur id, quod fit vel denegatur pauperi, juxta illud Matth. 25. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis: quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

Immo in gravi necessitate proximi quisque tenetur ei subvenire de bonis ad integram status decentiam aliqualiter necessariis. *Ita Suarez, Valentia, & alii communius.* Prob. tum ex 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Caritas Dei manet in eo?* Non dicit substantiam omnino superfluam, sed absolute substantiam: nec dicit necessitatem extremam, sed necessitatem simpliciter. Tum quia quilibet tenetur amare proximum sicut seipsum *optere & veritate*; ideoque illi facere quod sibi rationabiliter vellet fieri in pari necessitate, ut jubet Christus, Matth. 7. At quisque rationabiliter vellet malo valde gravi liberari cum aliquo incommodo alterius longe minori, qualis est diminutio aliqua decentiæ status, ut si quis de splendore convenienti, de ornatu vestium, lautitia mensæ, de supellectili aliquid etiam notabile detrahit. Nam *talis decentia non consistit in aliquo indivisibili; quia multis additis homo non excedit status sui conditionem; multis etiam subtractis conditio sui status decenter conservatur. Statur in hoc prudentiæ, arbitrio & discretioni, quæ docet de omnibus*, ait S. Thom. in 4. dist. 15. qu. 2. art. 4. Et vero nolle pati aliquod incommodum ad liberandum a tam gravi malo proximum, non est illum amare sicut seipsum.

Porro S. Thom. sub necessitate urgenti gravem etiam comprehendit.

Hoc a fortiori intelligi debet de necessitate gravi spirituali, videlicet, cum proximus non potest sine magna difficultate salutem consequi, vitare peccatum & periculum peccandi, nisi ei subveniatur ex bonis illis, vel sustentatio suppeditetur Sacerdotibus, qui illos in spiritualibus adjuvent: nam tunc caritas obligat, ut cum aliquo damno temporali subvenias. *Qui diligit proximum, agit quantum potest, ut salvus corpore, salvusque animo sit; sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est*, ait S. August. lib. 1. de morib. Eccl. cap. 28.

Hinc peccant mortaliter divites, qui tempore caritatis annonæ nihil de status sui splendore, ornatu, & mensæ lautitia detrahunt, & sinunt pauperes inedia confici, vel qui in dubio de necessitate extrema aut gravi proximi, debitam diligentiam non adhibent ad veritatem indagandam: nam exponunt se peri-

riculo violandi præceptum caritatis non subveniendo proximo in necessitate.

Resp. 4. Est gravis obligatio faciendi Eleemosynam de superfluis vitæ & statui, etiam in communi pauperum necessitate: ita communiter.

Prob. Quia 1. Scriptura præceptum Eleemosynæ non restringit ad extremum & gravem necessitatem; immo hæc Christi verba, *Esturivi, sitivi &c.* imperant communem etiam necessitatem, quam patiuntur communiter pauperes: siluries enim & sitis communibus pauperibus convenit. Idem significant illa, 1. ad Timot. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere, communicare &c.* Itemque non expectare extremam vel gravem necessitatem ad tribuendum. Pondera hæc voces *præcipe* & *facile*. 2. Patres docent simpliciter superflua divitum esse pauperum, tamquam eis debita ex mandato Dei. S. Ambros. lib. de Nabuthe c. 12. *Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnibus usum datum, tu solus vindicas. Omnium est terra, non divitum ... debitum fenori reddis, non largitis indebitum.* S. Hieron. Epist. ad Hedib. *Si plus habes quam tibi ad victum vestitumque necesse est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris.* S. Augustin. in Psalm. 147. *Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res aliena possidentur, cum superflua possidentur.* S. Gregor. lib. 2. pastor. c. 22. *Cum quilibet necessaria indigentibus minime tribuit, sua illis reddimus, non nostra largimur: justitiæ debitum potius solvimus, quam misericordiæ opus implemus.* Idem docent S. Basil. Chrysost. & S. Th. 2. 2. q. 87. art. 2. ad 4. ibi; *Dominus non solum decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus jubet exhiberi, juxta illud* Luc. 11. *Quod superest, date Eleemosynam.* Quare etsi divites sunt superiorum domini respective ad alios homines, non tamen respective ad Deum, cujus sunt dispensatores, & non illis hæc bona dedit, ut ea in pauperes impendantur. Nam juxta SS. Patres laudatos, superflua impendi debent in pauperes non solum ex caritate erga proximum, sed etiam ex justitia erga Deum, qui ea bona in hunc dumraxat finem dedit. 3. Unusquisque tenetur diligere proximum sicut seipsum, & illi facere quod sibi rationabiliter vellet fieri. Matt. 7. At vellemus rationabiliter nobis succurri in necessitate communi ex bonis superfluis aliorum. 4. Alioqui pauperes illi inciderent in necessitatem gravem, immo & extremam. Item grave detrimentum inferretur reip. relinquendo ei totum onus alendi pauperes.

Hinc peccat mortaliter, qui ex superfluis nullatenus aut non sufficienter subvenit necessitatibus etiam communibus pauperum. Nec excusantur divites, qui solum post mortem volunt relinquere bona pauperibus, quia ante mortem urget præceptum Eleemosynæ. & in verum proximus patitur miseriam.

Nec cir. divitem posse reservare superflua ad se evehendum in altiorem statum, ad quem aptus est. Nam non potest, nisi satisfecerit debito caritatis, & subvenerit occurrentibus pauperum necessitatibus.

Resp. 1. Tanta Eleemosyna danda est, quanta sufficit ad levandam proximi necessitatem, ut patet ex ea ipsa, & fine præcepti Eleemosynæ, & quidem ab uno & eodem, si possit, & alii non possint, aut nolint dare.

Interea observanda sunt sequentia.

1. Eadem est obligatio præstandi gratis operam quamlibet, qua indiget pauper, v. gr. opificium, laborem, auxilium, patrocinium &c. quia eadem est ratio ac de pecunia vel alimento administrandis. S. Th. 2. 2. q. 60. art. 1.

2. Si alius adsit, qui succurrat, non obligaris; nam tunc pauper non indiget ope tua. At si alii, essi dittiores te, non subveniant, tu teneris: nam tunc pauper indiget tuo subsidio perinde ac si tu unus posses opitulari. Nec requiritur evidentia omnimoda necessitatis proximi, sed sufficit, quod eam possis prudenter judicare adesse, nec certo scias alium ei subventurum.

3. Prælati, Parochi, & Superiores tenentur ratione officii inquirere necessitates corporales & spirituales suorum subditorum: quia illorum curam ex officio gerere debent, & ergo illos parentum vicibus funguntur. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est ... pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere*, ait Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. Alii vero non tenentur inquirere; *Non tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus subveniat, sed eis, qui sibi occurrunt*, (vel quos aliunde novit) *misericordiæ opus impendere*, ait S. Th. 2. 2. q. 32. art. 2.

Quæst. III. *An præcepto Eleemosynæ satisfiat per mutuum, venditionem, vel alium contractum oneroſum?*

Resp. 1. Si proximus sit tantum pauper secundum quid, hoc est, fidhic & nunc careat necessariis, sed habeat alibi bona, vel spem certam ac proximam habendi ex fundo, agro, successione, vel ex industria propria &c. satisfit ei mutuando, non numerata pecunia vendendo &c. id quo indiget. Quia ille non est absolute ac simpliciter pauper & egens, cum indigeat solum pro definito aliquo loco & tempore; nec indiget ipsa re ut gratis danda, sed solum mutuatione rei. Ergo non tenetur ei dare absolute & simpliciter. Sic caritas sufficienter exercetur erga peregrinum hic versantem, dando ei unde necessitati subveniat, cum quere restituendi cum erit in patria, ubi bona multa habet. Sic sufficit mutuari frumentum agricolæ nunc egenti, sed uberrimam messem expectanti.

Resp. 2. Si proximus sit absolute pauper, ita ut nullibi bona habeat, nec spem proximam ac certam habendi: tunc est obligatio ei dandi necessaria gratis & absque omere restituendi. *Ita Abeiri, Valentia, Sanchez, & alii multi.* Prob. 1. Ex Luc. 14. *Cum facis convivium, voca pauperes: & beatus eris quia non habent retribuere tibi.* Et ex cap. 12. ubi Samaritanus in exemplum debitæ caritatis adductus, gratis opitulatur. 2. Quia nomine Eleemosynæ scriptura & Patres intelligunt liberalem & absolutam donationem factam pauperi; & hanc significat verbum *do*, simpliciter & absolute prolatum. Enimvero, vendere, locare, mutuare, non est Eleemosynam facere; aliquin cum divites pauperibus vendunt, diceremus eis Eleemosynam facere. 3. Patres supra citati docent, bona superflua divitum deberi pauperibus. 4. Caritas exigit, ut proximo absolute & simpliciter egenti subveniamus modo consentaneo caritati, quæ non quærit quæ sua sunt; & ejus miseriam absolutam leventus absolute, ac sine ullo onere & gravamine.

Quæst.

Quæst. IV. *Ex quibus bonis faciendæ sit Eleemosyna?*

Resp. Ex solis bonis propriis; quorum libera administratio habeatur, non ex alienis sine consensu domini. *Est communis & certa sententia.* Quia nemo potest donare id quod suum non est, vel cujus alienatio ei prohibita est, nisi careat propriis, & proximus in necessitate extrema verletur, in qua omnia sunt communia quoad usum. Aliquid sit injuria domino, vel administratori. *Honora Dominum de tua substantia.* Prov. 3. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum ... Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Eccl. 34. *Dicit tibi Deus: Fussi ut daret, sed non de alieno. Si habet, da de tuo; si non habes quod des de tuo, melius nulli dabis, quam alterum spoliabis.* S. Augustin. serm. 178. alias 19.

Hinc extra necessitatem extremam, 1. Famuli & ancillæ non possunt ex rebus dominorum, nec filii ex parentum bonis Eleemosynas facere sine eorum consensu expresso, vel tacito, aut prudenter præsumpto; cum non sint domini bonorum illorum. 2. Religiosus non beneficiarius, nec ullam habens administrationem, cui annexa sit potestas faciendi Eleemosynam, nullam potest largiri sine licentia Superioris expressa, vel tacita, qualem conferor habere iter facturo, aut in studiis versans extra Monasterium, ex pecuniis ei datis, vel (ut ait S. Tho.) *probabiliter præsumpta.* Quod si habent beneficium cum plena administratione, non indiget ad hoc licentia Prælati, quia potestas, immo & obligatio erogandi Eleemosynas ex bonis sui beneficii est annexa suo muneri. 3. Uxor non potest de bonis communibus & fructibus dotalibus facere Eleemosynas extraordinarias sine consensu mariti, ad quem pertinet illorum administratio. Potest tamen eo invito vulgares & modicas, & spectata facultate facere, quales solent fominæ ejusdem conditionis & facultatis, saltem nisi vir sufficienter largiatur, quia id censetur pertinere ad debitam uxoris sustentationem, quam præstare vir tenetur, nec circa eas est rationabiliter invitus. Tutores vero & curatores possunt juxta multos; facere modicas Eleemosynas ex bonis quæ administrant, quia pertinet ad rectam bonorum administrationem, ut aliquid ex eis erogetur in Eleemosynam, & hoc cedit in bonum pupilli & minoris, qui consentire debent. Item minor & pupillus possunt facere eas, quas alii ejusdem conditionis & facultatis facere solent, saltem si tutor aut curator nullas ex earum bonis faciat: quia tutor vel curator consentire debet; & in hoc distatur a filiis familias, quod habeant dominium bonorum suorum tamen majores facere possint, cum non habeant liberam bonorum suorum administrationem.

CAPUT V.

De correctione fraterna.

NOta. Correctio, seu correptio fraterna est admonitio, qua quis proximum ex caritate conatur revocare a peccato. Hinc differt. 1. A correptione judiciali, quæ fit auctoritate publica, & ad castigationem delinquentis: ad bonum commune potius ordinatur, quam ad ejus emendationem, e hoc actus justitiæ vindicativæ. 2. A paterna, qua superior cum auctoritate absque forma judicii corripit delinquentem, ad cum emendandum, & ad tollendum scandalum; nam hæc supponit specialem ad id auctoritatem in faciente, nec soldm ad bonum delinquentis, sed etiam ad bonum communo ordinatur.

Quæst. I. *An extet præceptum Correctionis fraternæ, & quis ac quando obligat?*

Resp. Extat tale præceptum. Constat 1. Ex Eccli. 16. *Corripe proximum, ne forte iteret.* Et 1. ad Thess. 5. *Corripite ut fratrem.* Et Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Quod de omni peccato intelligendum est, ibi enim species ponitur pro genere; nam tanto cur Christus præcipit corrigere peccantem contra nos, est quia vitam animæ peccando perdidit, ut docet S. August. & patet ex his verbis: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Immo multi Patres pro to *in te* intelligunt *curam te.* 2. Ex c. 13. *de Judic.* & *Facientis* dist. 86. & ex Patrum ac Doctorum consensu. 3. Quia Lex caritatis obligat ad subveniendum miseriæ proximi, præsertim gravi. Maxima autem miseria est peccatum; & proximus est in necessitate spirituali saltem aliquali, ob quam indiget correctione, quatenus fine ea peccatum vitare, aut ab eo resurgere non potest nisi difficulter, ob peccati nempe illecebras, & decoloninationem pravæ suæ voluntatis, vel ob ignorantiam aut inadvertentiam vincibilem. Unde correctio fraterna est moraliter necessaria, quod sufficit, ut fit in præcepto, quando do fructu ea ea fieratur.

Resp. 2. Hoc præceptum obligat sub mortali ad corrigendum proximum de quavis culpa mortali non emendata, quæ est gravissimum malum: nam materia gravis est.

Secundum Cajet. Valent. Layman, & alios, obligat etiam per se loquendo ad eum corripiendum de veniali. Nam caritas exigit, ut quodvis proximi malum, quantumvis in sub genere exiguum, impediamus vel tollamus, saltem cum facillime & sine ullo incommodo nostro possumus: sicut obligat, ut nullum malum quantumvis leve ei inferamus. Sed hæc obligatio est solum sub veniali, ob parvitatem materiæ, nisi fit periculum morale, ne ex venialibus sequatur mortale, vel grave scandalum, vel magnum damnum spirituale Ordini Religioso. Quare ex consensu Doctorum, Superiores Religiosorum tenentur sub mortali impedire & corrigere culpas venniales, per quas notabiliter læditur Religiosæ disciplinæ vigor; quia notabilis jactura disciplinæ, etiam per defectus levis, est grave malum Religionis, quod Superior teneatur ex officio avertere & tollere.

Dixi, *per se loquendo*, nam sæpe non est obligatio respectu venialis, eo quod sæpius talis correctio potius offenderet quam prodesset, præsertim secularibus: nisi fiat ergo aliquem perfectionis suæ studiosum, aut valde familiarem, aut ab eo, qui ratione officii peculiarem curam gerere debet proximi.

Resp. 3. Hoc præceptum obligat omnes & singulos, etiam æquales, inferiores, laicos, peccatores, quando utiliter corripere possunt sine sui gravi damno. *Ita communiter*, cum S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 1. *Prob.* 1. Ex Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Quod dirigitur ad eum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

emnem, qui proximi peccatum novit. Et ex Eccl. 17. *Mandavit unicuique de proximo suo*, adjuvando scilicet in omnibus necessitatibus tum corporalibus, tum maxime spiritualibus. 2. Ex can. *Tam* 24. qu. 3. *Tam Sacerdotes quam reliqui Fideles omnes summam curam habere debent de his qui perierunt: quatenus eorum redargutione aut corrigantur a peccatis; aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur*. Et, ex cap. 12. de hæret. ubi Innoc. III. ait: *Cum aliquid sit fratrem peccantem occulto corripere, quod quisque tenetur efficere secundum regulam evangelicam*. 3. Quia hæc obligatio oritur ex caritate & misericordia, quæ fircut ad eleemosynam corporalem, sic etiam ad spiritualem obligat omnes, qui possunt illam facere. Unde etiam subditus tenetur corripere superiorem: nam præceptum correptionis fraternæ obligat ad subveniendum per correptionem omni proximo in miseria spirituali constituto: nec ad hoc requiritur jurisdictio, sed sufficit conjunctio caritatis, quæ ceteris paribus, debet esse major erga superiores, qui etiam sæpe magis indigent, cum in majoribus obligationibus & periculis versentur; ut notat Suarez. Debent tamen corrigi seorsim, & magis obsecrando, quam arguendo, juxta illud ad Timot. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem*: nisi ex ejus peccato periculum gravis scandali, vel fidei immineret, tunc enim publice corripiendus esset superior ad tollendum scandalum.

Porro Superiores, ut Parentes, Domini, Pastores, Prælati, ad corrigendos subditos magis obligantur tum ex caritate, nam caritatis ordo id postulat, & sunt magis idonei; tum etiam ex justitia, ratione officii, unde illud 1. Timot. 5. *Si quis suorum ... curam non habet, est infideli deterior*. Hinc eorum obligatio ad plures actus se extendit: nam tenentur de eorum peccatis inquirere, ut illa corrigant, & eorum bonum spirituale promovere quantum possunt. Debent enim ipsi pervigilare, quasi rationem pro animabus eorum reddituri, ex Hebr. 13. Immo debant punire suos subditos, etiamsi nulla ut spes emendationis, ut scandalum tollatur, & alii deterreantur, & sic bono communi provideatur.

Resp. 4. Ut hoc præceptum obliget, ex communi sententia, requiruntur sequentia.

1. Ut proximus prudenter judicetur peccasse, vel esse in proximo periculo peccandi; alioqui temeraria esset correctio vel monitio; at nullus actus tenerarius præceptus est. Porro nemo inquirere tenetur nisi superior. Sed ut superior teneatur inquirere, sufficit suspicio, vel dubia cognitio, *Ita communiter*. Quia cum teneatur ex officio vigilare super gregem suum, etiam tenetur occurrere malis dubiis.

2. Ut fit periculum ne relabatur, vel permaneat in peccato, & ut pœnitur non aliter facile emendandus: alioquin non esset indigentia spiritualis, ideoque nec locus eleemosynæ spirituali. Præceptum autem subveniendi proximo non obligat, nisi in ejus necessitate seu indigentia.

3. Ut sit probabilis spes emendationis, ex Prov. 9. *Noli arguere derisorem*. Nam desperato fine nemo tenetur ad medium inutile; & correctio non est præcepta, nisi prout conducit ad emendationem proximi, quæ est ejus finis intrinsecus. Et vero tunc correctio esset imprudens: nemo autem obligari potest ad actum imprudentem. Ita S. Th. 2. 2. qu. 33. art. 6. ibi: *Duplex est Correctio delinquentis. Una quidem pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam. Et talis correctio non est dimittenda, propter turbationem ejus qui corripitur: tum quia si propria sponte emendari non velit, cogendus est per pœnas, ut peccare desistat: tum etiam quia si incorrigibilis fit, per hoc providetur bono communi, dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterrentur .... Alia est Correctio fraterna, cujus finis est emendatio delinquentis, non habens coactionem, sed simplicem admonitionem, & ideo ubi probabiliter æstimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum: quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari secundum id, quod exigit ratio finis.*

Excipe nisi redargutio necessaria vel utilis sit ad honori Dei vel famæ proximi confulendum, aut scandalum aliorum impediendum, ut cum quis blasphemias vel errores profert, aut detrahit proximo. Tum enim fieri debet correctio, etiamsi nulla sit spes emendationis delinquentis; ne tacendo videaris approbare malum; & quia teneris injuriam Dei, & grave malum proximi impedire cum potes. At tunc non erit stricte correctio fraterna peccantis, sed alius actus, caritatis Deo vel alteri proximo debitus.

Porro non est omittenda correctio propter aliquam tristitiam delinquentis, vel etiam iram cum aliqua levi culpa, si tandem speretur emendatio. Quia hæc per accidens sequuntur: & ad impediendum majus malum permitti possunt. Item correctio fieri debet, si decursu temporis, licet non statim, fructus speretur. Ita S. Augustin. Epist. 10. alias 87.

4. Ut non adsit alter magis idoneus, vel dignitate aut ætate superior, qui commodius possit & velit corrigere: nam tunc peccans non indiget tua correctione. Quod si ille tertius aptior nolit, teneris perinde ac si tu unus esses, qui posses corrigere: nam tunc tua correctione peccans indiget.

5. Ut opportuno tempore fiat, quando scilicet fructus probabiliter sperari potest: nam alioqui non prodesset, sed potius obesset. Præterea, ut ait S. Th. q. 33. art. 2. *Actus virtutum non qualibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quod sit actus virtutis, ut scilicet fiat ubi debet, & quando debet, secundum quod debet*. Quare non semper facienda est statim atque peccatum cognitum est.

Sed quid si dubitetur, sit-ne profutura Correctio?

Resp. Si de fructu dubites, & simul certo scias obfuturam non esse, teneris corrigere, quia sicut in morbo corporali, ita & in spirituali, remedium quod non est obfuturum, adhiberi debet in dubio, an sit profuturum, si nullum certius adsit: & quia adest materia correctionis, & fieri potest ut obtineatur ejus finis. Si vero dubites, non modo sit-ne profutura correctio, sed etiam num sit nocitura, eam omittere debes; quia cum correctio ad emendationem ordinetur, fieri non debet, cum æque imminet peccatum proximi ac ejus emendatio. Excipe, nisi alii qui moriturus esset in mortali: nam tunc etiam in dubio de peccato mortali, ipse admonendus esset, ne proximus damnetur in æternum.

Quæst.

Quæst. II. *An corripiendus est, qui peccat ex ignorantia?*

Resp. Corripiendus est, & docendus. 1. Si ignorantia sit culpabilis, quia est in gravi miseria spirituali, cum hæc ignorantia sit peccatum, nec excuset a peccato. 2. Si male agat ex ignorantia invincibili juris naturalis, vel etiam positivi humani, quando fructus speratur. Quia talis ignorantia est magnum quoddam proximi malum ac miseria, & vana incommoda afferre potest, ut scandalum, habitum pravum &c. immo & periculum posteæ peccandi formaliter: nam sæpe contingit ignorantiam fieri vincibilem ex invincibili, ideoque non amplius excusare a culpa. Præterea id exigit studium ac reverentia legis, cujus violatio facile impediri potest. Et multo magis, si ex illa ignorantia oriatur scandalum, vel irreverentia Dei, aut religionis, aut damnum tertii; ut si quis rem alienam bona fide retineret. 3. Si sit invincibilis ignorantia medii necessarii ad salutem, quia talis ignorantia conjuncta est cum evidenti periculo damnationis.

Quæst. III. *Quis ordo correctionis fraternæ servandus est?*

Resp. Per se loquendo servari debet, secundum omnes, ordo a Christo præceptus, scilicet ut proximus corripiatur primum secreto; deinde coram uno aut duobus aliis, si secreta monitio non profuerit; tum vero res ad Prælatum Ecclesiæ seu Superiorem defertur, Matth. 18. *Corripe eum inter te & ipsum solum .... Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos .... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ*. Quia *dic* ordo est præcepti cum positivi, nam hæc verba *adhibe*, *dic*, tam præceptum sonant, quam illud *corripe*: & Christus eodem tenore verborum substantiam præcepti & ordinem in ejus executione servandum statuit: tum etiam naturalis, nam lex naturalis præcipit ut proximum corrigamus sine detrimento illius famæ, si fieri possit; vel certe cum minimo quod sufficit ad correctionem, si fine aliquo fieri nequeat correctio. Neque enim licet proximi famam ladere sine necessitate. Igitur si sufficit secreta monitio, non licet adhibere testes; si unus testis sufficit, non licet adhibere plures; si testes non sufficiunt, deferendum est peccatum ad superiorem, qui pro sua auctoritate compescere potest peccatum, quod neque tu, neque testes coercere potuistis.

Dixi; *per se loquendo*. Nam cum præceptum hoc sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed quando caritas & recta ratio dictat. Unde hi casus ab omnibus excipiuntur in quibus peccatum proximi statim deferendum est superiori.

1. Quando peccatum proximi est ita publicum, ut non censeatur infamari per denuntiationem factam immediate superiori. Nam tunc cessat ratio servandi famam; & tunc non solum emendatio fratris, sed etiam reparatio scandali per punitionem procuranda est. Ita S. Th. in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. ad 2. addens: *Si autem nondum in publicum devenit, sed est in via deveniendi, tunc etiam denuntiandum est, ut scandalo futuro occurratur*.

2. Quando peccatum, etsi occultum, cedit in damnum communitatis, ut proditio, hæresis quæ ut cancer serpit, falsificatio monetæ, veneficium &c. & non constat impediri iri per secretam monitionem, vita S. Th. 2. 2. q. 33. art. 7. Nam bonum commune præferendum est privato, & illi sufficienter providendum, etiam cum infamia nocentis. Item si peccatum cedat in grave damnum tertii privati; ut si quis furtum gravem vel necem alterius machinetur, ad turpia solliciter &c. nisi constet hoc malum impeditum iri per secretam monitionem, ex c. 4. *de furt*. Quia secundum ordinem caritatis præferri debet innocens nocenti voluntarie lædenti. *Quædam peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel spirituale ... & quia ille qui sic occulte peccat, non solum in se peccat, sed etiam in alios; oportet ea sic procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur: nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire*. S. Tho. 2. 2. qu. 43. art. 7.

3. Quando prudenter judicatur non profuturæ tuæ monitio, nec aliorum inferiorum. Nam tunc duo priores actus essent inutiles; & proximus tunc eget correptione superioris ut patris, cui tunc revelatur ut singulari personæ, quæ tenet locum testis idonei; & quæ magis potest prodesse quam alii. S. Th. qu. 33. art. 8. ad 2. & caritas exigit ut bonum spirituale præferatur famæ.

4. Si alter fatisfactionem tibi debitam deneget, tunc potes illam petere a superiore: quia jure tuo uteris.

5. Quando proximus cessit jus quod habet, ut defectus & peccata denuntientur superiori, non præmissa monitione secreta, ut fit in nostra Societate. Nam quisque potest juri ac favori suo renunciare, c. 6. *de privil.* nisi id vergat in aliorum damnum. Ordo autem correptionis fraternæ in peccantis favorem constitutus est, & fundatur in jure famæ, cujus quisque dominus est. Porro non licet delictum grave subditi perfecte emendatum sine relapsus periculo deferre superiori: quia sine causa subditus apud superiorem infamaretur.

Ex dictis sequitur eum peccare mortaliter. 1. Qui ex timore, ne proximus offendatur, & ne ipse inde aliquod leve damnum patiatur, omittit in re gravi correctionem, quam putat profuturam. 2. Qui sine justa causa non servat ordinem a Christo præscriptum. 3. Qui corripit vel denuntiat non ex caritate, ut proximus emendetur, sed ex odio gravi, ut confundatur, ac deprimatur.

CAPUT VI.

De peccatis Caritati specialiter oppositis.

NOTA. Licet omnia peccata caritati generaliter adversentur, & ideo quodvis mortale ejus habitum destruat: sunt tamen quæ illi specialiter opponuntur, & directe pugnant contra ejus actus: Qualia sunt odium, acedia, invidia, & discordia, contentio, schisma, rixa, seditio, bellum, & scandalum: quæ sunt mortalia ex genere suo, cum directe ac specialiter opponantur caritati, & excludant a regno Dei, ad Gal. 5.

§. I. *De Odio Dei, & proximi.*

Quæst. I. *Quid est odium?*

Resp. Odium est aversio objecti. Duplex

plex est, unum inimicitiæ, quo alicui personæ ex eius difficultentia voluntas malum, quatenus ejus malum est; alterum abominationis, quo eam vel personam averlamur ut malam præcise, vel ut malam nobis aut aliis.

Quæst. II. Quale peccatum est odium Dei?

Resp. Omne odium inimicitiæ erga Deum est peccatum omnium gravissimum, quia per se immediate, directe & formaliter avertit a Deo, & opponitur directe actui caritatis Dei, qui est actus omnium præstantissimus, & cujus habitui. Nam ex Aristotele, illud est pessimum, quod optime est contrarium. Item omne odium abominationis erga Deum est intrinsece malum & mortale, quia est graviter injuriosum Deo, quasi in eum cadere possit aliqua malitia, vel defectus seu ratio, ob quam averlione dignus sit; cum tamen Deus sit essentialiter in omni ratione infinite bonus, & perfectus.

Hinc gravissimum scelus est optare, ut Deus non sit, ut careat aliqua perfectione, v. gr. scientia, justitia, omnipotentia &c. aut de illa dolere. Item gaudere de offenia Dei ut tali &c.

Quæst. III. Quale peccatum est odium proximi?

Resp. Odium inimicitiæ erga proximum est peccatum mortale ex genere suo. Nam directe opponitur caritati proximi, & graviter prohibetur præcepto diligendi proximum, ex Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est; & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Potest tamen esse veniale ex levitate materiæ, ut si ex levi displicentia personæ leve malum optetur. Aliud est de odio Dei, quod semper est mortale, nec admittit levitatem materiæ, cum vel levissimum malum Deo optare sit Deo graviter injurioſum, quasi in eo reperiatur aliqua ratio aversionis.

Odium vero abominationis erga proximum, si sine justa causa & inordinate concipiatur, est culpa gravis vel levis pro gravitate vel levitate materiæ. Interdum tamen culpa vacat, & est laudabile, tum scilicet non advertatur caritati, *sed* procedit ex amore benevolentiæ erga Deum, vel eum, quem sic aversamur, aut alterum proximum, servato ordine debito caritatis: ut cum quis avertatur peccatorem, non quo homo est, sed qua peccator est, seu quod peccator sit, ut eo averlando ejus peccatum, ut ejus malum est, juxta illud Prov. 13. *Abominantur impii eos, qui recta sunt via.* Nam sic odisse nil aliud est quam odisse peccatum in ipso; & tale odium cum unctum est cum caritate, qua eidem volumus salutem & ejus media, ac alia bona, quibus indiget.

Quæst. IV. An semper sit peccatum optare malum proximo, vel de eo gaudere?

Resp. 1. Nunquam licet optare & imprecari malum proximo, quatenus ejus malum est, vel gaudere de ejus malo ut tali, vel dolere de ejus bono, ut ejus bonum est. *Ita omnes.* Quia hæc sunt actus odii & inimicitiæ, & repugnant caritati, ideoque sunt mortalia ex genere suo, nec possunt esse venialia, nisi ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem mali optati.

Item non licet optare etiam inefficaciter malum proximi, quamvis non ut malum illius, aut gaudere de eo est inculpate advenienti, vel dolere de ejus bono, quamvis non ex displicentia personæ, sed præcise propter bonum minus nostrum, vel alterius proximi. Quia id actus repugnant debito ordini caritatis; ex quo tenemur bonum proximi majus, & altioris ordinis præferre nostro minori, & inferioris ordinis. Idque constat ex his propositionibus ab Innoc. XI. damnatis 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, vel de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 14. *Licitum est absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris: sed ut bonum cupientis, quia nimirum ex successione est pinguis hæreditas.* 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in obtectate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Resp. 2. Ex S. Th. in 3. dist. 33. art. 2. ad 4. *Quia caritas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se, quam alium, & propinquos quam extraneos, & amicos quam inimicos, & bonum commune multorum quam bonum privatum unius: potest aliquis salva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quam plus tenetur diligere, vel communitatis aut Ecclesiæ. Similiter de malo temporali ejus, secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus.*

Igitur 1. Licet velle dolere affectu inefficaci aliquod malum temporale alteri, v. gr. morbum, & de illo gaudere præcise propter ejus bonum spirituale, v. gr. ut peccare desinat, & resipiscat: quia secundum ordinem caritatis, bonum spirituale præferunt temporali.

2. Licet sic optare mortem justæ obventuram hæreticorum vel malefactori Reip. nocio, & de ea gaudere, non quatenus ipsius malum est, sed quatenus per illam mortem majora mala impediuntur, & ob multorum bonum, quod præferendum est bono unius privati.

3. Licite optas victoriam de hostibus in bello justo, vel Turcarum excidium ob ingens bonum justum tuæ communitatis, vel Ecclesiæ. Quia bonum Ecclesiæ vel communitatis tuæ præferre debes bono alterius communitatis.

4. Licet optare malefactori pœnam meritam per judicem justi gendam, vel ut ipse aut alii coerceantur ab injuria inferenda tibi aut aliis; nam hoc est consentaneum caritati, vel quia expedit Reip. & bono communi, nam est actus pietatis erga Remp. vel ut jus lesum reſarcietur, nam est actus justitiæ. At, ut dixi, nunquam licet optare aliis vel sibi majus malum ad vitandum minus; quia hoc est contra debitum ordinem caritatis. Hinc peccant mortaliter qui sibi mortem deliberate optant ex gravi impatientia, ad vitandas aliquas leves molestias.

Quæst. V. Quid dicendum de maledictione?

Resp. 1. Ex dictis constat esse mortale, proferre maledictionem gravem ex animo ut malum grave eveniat, v. gr. Diabolus te rapiat. Utinam mortuus sis &c. Immo sibi vel aliis malum grave ex ira imprecari, quamvis fine animo ut eveniat, sæpe mortale est, sive ratione contumeliæ gravis, spectatæ personæ qualitate, sive ratione scandali. Sic parentes, graviter percant libertis suis pratentibus grave malum oretenus ex ira imprecando: nam suo exemplo eos docent sibi invicem, vel aliis malum grave imprecari, & iræ servire. Nec a mortali excusatur, qui, durante passione, grave malum evenire deliberate voluit, etsi statim postea noluisset, immo doluisset, si evenisset: quia revera passioni iræ deliberate consensit in re gravi. Item mortale est seipsum ex ira deliberate dæmoni devovere, ob fœditatem ac pervesitatem rei. *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex lusu, aut ex subreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum, maxime ex affectu pensantur.* S. Thom. 2. 2. q. 76. art. 3. Hinc confitens maledictionem interrogari debet, an ex animo malum grave sibi, vel alteri imprecatus fuerit, an cum scandalo vel contumelia, & quale malum in specie optaverit; nam maledictiones sunt diversæ speciei, pro diversitate malorum optatorum; actus enim voluntatis mali sumunt speciem ejus ex objecto materiali.

Resp. 2. Maledictio gravis effusa in non subditum præsentem, non solum caritati, sed etiam justitiæ repugnat. Nam est etiam gravis & injusta læsio honoris proximi, seu contumelia, ideoque obligat ad satisfactionem.

Nota. Maledicere creaturis irrationalibus, quatenus sunt utiles homini, est æquivalenter maledicere homini. Maleficere illis in quantum sunt creaturæ Dei, est blasphemia. Maledicere vero eis secundum se consideratis *est otiosum & vanum, & per consequens illicitum.* Ita S. Thom. qu. 76. art. 2. Hoc tamen ultimum censetur solum veniale per se, ut si rusticus equis suis mortem vel diabolum optet.

§. II. De discordia, contentione, schismate, rixa, & seditione.

I. Discordia est dissensio voluntatis a voluntate alterius in iis, quæ quis tenetur velle ex caritate Dei vel proximi. Opponitur concordiæ, quæ consistit in voluntatum consensione. Estque peccatum mortale ex genere suo, ex Gal. 5. ubi *dissensiones* numerantur inter opera carnis, de quibus ibi dicitur: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Tum quia Prov. 6. *Deus detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias.* Tum quia specialiter opponitur caritati, cujus est voluntates unire. Sed ad hoc requiritur, ut scienter quis dissentiat a bono Dei vel proximi, in quo debet consentire, ut docet S. Th. q. 37. art. 2. addens non esse peccatum discordiæ, cum unus æstimet hoc esse bonum, & pertinere ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, aliis autem habet contrariam opinionem; nisi hujusmodi discordia sit cum errore circa ea, quæ sunt de fide aut necessitate salutis, vel pertinacia indebite adhibeatur.

II. Contentio est altercatio verborum, quibus inordinate quis alteri contradicit. Est peccatum mortale ex genere suo, ficut alia, quæ sunt contra caritatem. Unde ad Gal. 5. *Contentiones* numerantur inter opera carnis excludentia a regno Dei. Contentio autem semper est mortalis. 1. Si impugnatur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, & justi-

tiam, vel grave bonum proximi spectans. Si tamen veritas non impugnetur scito, sed solum exercitii causa, ad illustrandam explicandamque veritatem, vel ad explorandam doctrinam alterius, seclusa scandalo & modo inordinato, non est peccatum. 2. Si contentio fiat cum periculo scandali, vel cum gravibus maledictis, conviciis, contumeliis. Est autem solum venialis, seclusis conviciis ac scandalo, si materia sit levis vel inordinatio sit solum in modo, v. gr. si solum fiat cum nimia acrimonia, clamoribus, aut ex solo studio vincendi adversarium.

III. Schisma est voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiæ: sive est subtractio ab obedientia Ecclesiæ, vel Summi Pontificis ejus capitis in spiritualibus; vel etiam separatio voluntaria a solis ministris Ecclesiæ. De hoc sic ait S. Th. q. 39. art. 1. *Est speciale peccatum, ex eo quod intendit se ab unitate separare, quam caritas facit, quæ non solum alterum alterum unit spiritualis dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus. Et ideo proprie Schismatici dicuntur, qui propria sponte & intentione se ab unitate Ecclesiæ separant. ... Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput, scilicet Christum, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ Dei, subjectis communicare recusant.*

Schisma aliud est purum, quod caritati solum & paci ac obedientiæ opponitur, quale est in iis, qui cum credant unam esse Sanctam Ecclesiam sub visibili capite Romano Pontifice constitutam, & quidquid Ecclesia Romana credit, tamen ex malitia voluntatis, seu superbia, nolunt cum quadam rebellione Papæ subesse ac obedire, vel reliquis Ecclesiæ membris uniti esse. Et aliud cum, hæreli conjunctum, ut cum quis se *separat ab obedientia Papæ, quia non credit ejus potestatem*, ait Toletus.

Porro omnes hæretici sunt etiam Schismatici, cum ab unitate Ecclesiæ se separent, contrariam doctrinam sectando. Schismaticum esse, qui non a Papa, nec ab universis Ecclesiæ membris, sed solum a suo Episcopo Papæ unito & vere subjecto, se separat, vel etiam a solis fidelibus membris illius diœcesis, docent Bellarminus, Valentia, & alii, ex S. Cypriano, in can. *Scire* qu. 3. 1. Quia hic etiam implicite, & indirecte se separat a Summo Pontifice ac reliquis Ecclesiæ membris, quatenus Episcopus, ejusque subditi habent subordinationem & connexionem cum Papa & aliis Ecclesiæ membris, ut quædam pars cum suo capite, ac reliquis ejusdem corporis partibus. Sic manus a brachio separata, hoc ipso etiam separatur a capite & a toto corpore.

Est autem Schisma graviſſimum scelus, ut constat ex Patribus, cum lædat præclariſſimum quoddam bonum commune, nempe ipsam Ecclesiæ unitatem. *Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo fecisse quod a christianitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum,*

ait S. Auguſt. cum multis aliis Epiſcopis in ep. 32. quæ eſt Concilii Zertenſis.

IV. Rixa eſt pugna manuum & verborum inter privatos, cum ſcilicet aliqui ex ira invicem ſe percutiunt auctoritate privata. In aggreſſore eſt peccatum mortale ex genere ſuo, cum ſit contra caritatem & juſtitiam, & ad Gal. 5. *Rixæ* numerantur inter opera carnis excludentia a regno Dei. *In ro autem, qui ſe defendit, poteſt eſſe ſine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum mortali ſecundum diverſum motum animi ejus, & diverſum modum ſe defendendi. Nam ſi ſolo animo repellendi injuriam illatam, & cum debita moderatione ſe defendat, non eſt peccatum, nec proprie poteſt dici Rixa ex parte ejus. Si vero cum animo vindictæ vel ultr, vel cum exceſſu debitæ moderationis ſe defendat, ſemper eſt peccatum; ſed veniale quidem, quando aliquis levis motus odii vel vindictæ ſe immiſcet, vel cum multum non excedit moderatam defenſionem: mortale autem, quando confirmato animo in impugnantem inſurgit ad eum occidendum, vel eum graviter lædendum.* S. Th. 2. 2. q. 42. art. 1.

V. Seditio eſt bellum aggreſſivum unius partis Reſp. adverſus aliam, vel adverſus principem ſuum. Eſt ſemper mortalis, nam ſemper gravirer adverſatur unitati, paci, ac bono communi, & etiam juſtitiæ, cum auctoritas bellandi reſideat in ſolo principe, vel Rep. libera.

§. III. *De Bello.*

Quæſt. I. *AN bellum etiam offenſivum poteſt eſſe licitum?* (1)

Reſp. Affirm. Quia 1. Luc. 3. S. Joan. Bapt. rogatus a militibus quid ſibi ad ſalutem eſſet agendum, non juſſit ut militiam deſererent, ſed ne quemquam concuterent. 2. Deus, Deut. 23. Leges belli gerendi dedit. 3. Principi ſummo & Reip. liberæ licet jus ſuum queri ac repetere. Cum autem careant ſuperiore, a quo jus ſuum obtinere poſſint, debuit iis jure naturæ competere poteſtas ad jus ſibi dicendum, & cogendam partem adverſam ad ſibi ſatisfaciendum: alioqui non poſſet communitas perfecta in pace conſervari. De defenſivo per ſe patet, cum jure naturæ unicuique liceat injuſtam vim vi repellere cum debita moderatione.

Quæſt. II. *Quænam requiruntur ut Bellum ſit licitum?*

Reſp. Ex S. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum c. 74. & 75. ex S. Th. 2. 2. q. 40. & communi Doctorum ſententia, hæc tria:

1. Poteſtas ſuprema, quæ reſidet vel in Rep. libera, vel in Principe ſupremo, cui cura Reip. commiſſa eſt. Nam qui habent ſuperiorem, poſſunt ejus auctoritatem implorare ad injuriæ compenſationem; & ſic bellum non poteſt eſſe eis licitum.

2. Cauſſa juſta, quæ eſt duntaxat graviſſima injuria Principi vel ſubditis illata, quam tollere, vel pro ea ſatisfacere pars adverſa recuſet. Ex S. Auguſt. in c. *Dominus*, 23. q. 2. ibi: *Bella juſta definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere quod per injuriam ablatum eſt.* Nam caritas & juſtitia exigunt, ut fine graviſſima & neceſſaria cauſſa non inferantur aliis graviſſima damna, qualia ſunt in bello. Quod ſi majora incommoda, quam commoda præſertim reſpective ad honorem Dei & bonum religionis catholicæ ſecutura præviderentur, a bello abſtinendum eſt: quia ſecundum debitum ordinem rerum & caritatis, honor Dei, bonum Eccleſiæ, ſalus æterna proximi præferri debent bono temporali ſtatus politici.

3. Recta intentio, ut non geratur bellum ex odio, avaritia inordinata, cupiditate amplificandi imperii, ſed ad publicam quietem ac juſtitiam ſervandam, vel ad opitulandum injuſte oppreſſis.

Porro licet erſam aliis tamquam ſocius auxilium præbere Principi habenti juſtam cauſſam bellandi, & huic uti aliorum auxilio, quamvis ſint diverſæ religionis, modo abſit ſcandalum & periculum Fidei ac ſacrilegiorum, ſicut Judas Machabæus fœdus cum Romanis iniit, 1. Mach. 8. Nam, per ſe loquendo, licet alium in re juſta juvare. At non licet in bello etiam juſto advocare infideles & hæreticos in auxilium, vel iis opem ferre, quando adeſſent periculum ſcandali, ſacrilegiorum, incrementi hæreſeos, & detrimenti veræ religionis. Quia ſalus æterna proximi, & præſertim multorum, præferenda eſt cuilibet bono temporali; & Principes tenentur ſupra omnia Chriſto ſervire; ejuſque regnum, quod eſt Eccleſia catholica, quam ſanguine ſuo acquiſivit, quantum poſſunt, interrum conſervare, immo & amplificare. *Major vobis Fidei cauſſa debet eſſe quam regni, ampliſque pro parte Eccleſiarum clementia veſtra debet eſſe ſollicita, quam pro omnium ſecuritate terrarum. Subſequentur enim omnia proſpera, ſi primitus quæ ſunt Deo cariora ſerventur . . . ara veſtri enim imperii ſalute geritur, quidquid pro quiete Eccleſiæ, vel ſanctæ religionis obſervantia laboratur*, ait S. Cælſtinus 1. epiſt. ad Theodoſ. Imperat. in actis Concil. Epheſ.

Ceterum quamvis non poſſit dari bellum utrinque juſtum ex natura rei, cur circa idem non poſſint eſſe jura contraria; fieri tamen poteſt, ut neutra pars peccet bellando, ob ignorantiam invincibilem.

Quæſt. III. *Quænam ante bellum & in ipſo bello fieri debent, ac licent?*

Reſp. 1. Ante bellum tenetur Princeps rem diligenter examinare cum viris probis ac peritis, & habere certitudinem ſaltem moralem de juſtitia cauſſæ. Nam cum ex bello graviſſima ſequantur mala ac incommoda, etiam innocentibus; caritas & juſtitia exigunt, ut non inferantur, niſi plane conſtet de cauſſa juſta & ſufficienti. Et vero ſi non licet hominem privatum in dubia cauſſa punire, multo minus licet multos & totam Remp. Quod ſi juſtitia ſit dubia, & alter ſit in poſſeſſione, certe injuſtum eſt bellare, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Deinde tenetur parti adverſæ juſtitiam cauſſæ & ſuas prætenſiones proponere, ut illa poſſit ſatisfacere injuriæ illatæ, vel reſtituere oblata ſine alio damno: nam bellum ſine neceſſitate geri licite nequit, propter ingentia mala, quæ cum eo conjuncta eſſe ſolent. Ex S. Auguſt. in cap. *Noli*, qu. 1. *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas*. Hinc æqua ſatisfactio oblata acceptari debet; alioquit bellum ſine juſta cauſſa & neceſſitate fieret.

Reſp. 2. In bello juſto licita ſunt ea omnia & ſola, quæ juxta conſuetudinem chriſtianorum neceſſaria ſunt ad aſſequendum finem belli, ſcilicet vel ad recuperanda injuſte ablata, vel injuriam juſte vindicandam, & ad ſecuritatem Reip. ſtabiliendam. Nam cum finis licitus ſit, licita ſunt etiam media per ſe ad illum neceſſaria, non autem alia, quæ proximo nocent, cum nemini ſine juſta cauſſa damnum inferre liceat.

Hinc 1. Licet occidere hoſtes pugnantes & reſiſtentes, non tamen innocentes, qui non pugnant, ut ſunt clerici, fœnes, mulieres, pueri, ruſtici, opifices &c. quamvis ſint partes Reip. hoſtilis; quia nunquam licet directe occidere innocentes. Neque enim Reſp. poteſt puniri in ſuis membris, niſi ſecundum id quod ejus dominio ſubeſt, qualis non eſt vita civium. Indirecte tamen & per accidens poſſunt interfici, ut cum urbs expugnari, vel noncentes ſeu milites vinci nequeunt, niſi cum periculo & occiſione innocentium. Quia bonum publicum, quod ex victoria ſperatur, eſt majus bonum quam vita aliquorum, quorum mors præter intentionem ſequitur. Et alioqui non poſſet contra nocentes bellum geri, & ſic cauſſa bellandi fruſtra eſſet juſta.

2. Licet ſpoliare bonis cives etſi non putnantes, qui ſunt membra Reip. hoſtilis, ſi hoc neceſſarium ſit ad finem belli. Quia cum ſint pars Reip. ipſa juſte punitur in illis, & debilitatur privatione bonorum, quæ ejus dominio ſubjiciuntur.

3. Licet uti inſidiis & ſtratagematibus ex Joſue c. 8. & c. *Dominus* ſupra cit. quia non ſunt mendacia, ſed occultatio veritatis.

4. Civitas capta dari ſine gravi neceſſitate non poteſt in prædam, propter multa ſcelera & mala, quæ in tali depræedatione a militibus committi ſolent. Et ſi detur, tenentur duces diligentiſſime curare, ne ſcelera committantur.

5. Ea, quæ caveri nulla prudentia poſſunt, ut veneno inficere puteos, aquas, glandes, non licent: quia ſunt contra jura belli & gentium. Item chriſtiani a chriſtianis capti non poſſunt fieri ſervi; nam id ex conſuetudine gentis chriſtianæ receptum eſt, in honorem religionis chriſtianæ, & libertatis quam per Chriſtum conſecuti ſumus; unde eſſet contra jus gentis chriſtianæ.

6. Non licet victori ferinere urbes captas, & alia bona immobilia hoſtium, niſi quatenus debitam compenſationem vel ſatisfactionem non excedunt, vel neceſſaria ſunt ad ſecuritatem in poſterum contra victos ſtabiliendam. Nam compenſatio debet eſſe commenſurata debito, & pœna culpæ, alioqui eſt injuſta.

7. Princeps tenetur inchoatum bellum finire, ſi æqua ſatisfactio offeratur, ſecuritas ſufficiens præſtetur, & compenſentur impenſæ belli; quia tunc ceſſat cauſſa continuandi belli: quod proinde jam foret illicitum.

Reſp. 3. Jure naturali nihil fieri licet contra juſtitiam, jus gentium, fortitudinem, caritatem, & veram religionem. Et fides data hoſtibus ſervanda eſt, ex S. Auguſt. in cap. *Noli*. Nam hæc obligat jure naturali & gentium; & hoc neceſſarium eſt ad pacem ac bonum communæ regnorum. Nam ſi fœdera publica inter regna & principes non obligarent, nec neceſſario ſervanda eſſent, nulla quæ aut ſocietas inter genus humanum conſiſtere poſſet. Quod intelligo, niſi hoſtes ipſi fidem fregerint: nam tunc eſt quædam compenſatio, & pacta cenſentur fieri ſub hac conditione, ſi alter promiſſa ftererit, nec fidem fregerit.

Reſp. 4. Tenetur Princeps & ejus duces militibus juſta ſtipendia ſolvere, & impedire omnia crimina, quæ impedire moraliter poſſunt, curareque ne proprii ſubditi iniquis vexationibus graventur; alioqui tenentur ad compenſanda damna ſecuta ex omiſſione ſolutionis, vel diligentiæ debitæ, cum ſint eorum cauſſa contra proprium officium & juſtitiam.

Reſp. 5. Ex communi ſententia bona juſto bello capta, ſi ſint immobilia, cedunt Principi aut Reip. ſi mobilia ſunt capientium, niſi ex conſuetudine regionis ea dividenda ſint inter milites, aut una pars cedat Principi. Tamen bona injuſte aquiſita ab hoſtibus, reſtitui debent eorum dominis, ex l. 20. §. *de captivis* cum jus habeant in illa, nec ſint hoſtium.

Quæſt. IV. *An Repreſaliæ licitæ ſunt?*

Reſp. Affirm. Poſitis certis conditionibus. Quia auctoritate publica uſurpari poſſunt per compenſationem bona ſubjecta dominio Reip. quæ in culpa eſt, dum non procurat reparationem injuriæ a ſuis membris illatæ alterius Reip. civibus. Sed hæ conditiones requiruntur. 1. Ut conſtet de injuria illata. 2. Ut Princeps vel magiſtratus civium nocentium rogatus debitum ſatisfactionem deneget. 3. Ut fiat auctoritate Principis civium læſorum. 4. Ne plus damni inferatur quam juſta ſatisfactio requirit. 5. Ut non fiant in perſonas Eccleſiaſticas, & earum bona, cap. un. *de injur. in 6.*

§. IV. *De Scandalo.*

Quæſt. I. *QUid eſt Scandalum?*

Reſp. 1. Generatim duplex eſt, nempe activum & paſſivum. Scandalum activum eſt dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem peccandi. Sub dicto vel facto comprehenditur etiam omiſſio externa: nam qui omittit agere, vel loqui quod debet, alios eſt ſcandalo.

Dicitur minus rectum, hoc eſt, quod vel malum eſt, ut, ſi turpia loquaris coram adoleſcente; vel mali ſpeciem habet, ut ſi mulierem ſuſpectam domi tuæ aleres, licet cum ea nec peccares, nec periculum tibi eſſet cum ea peccandi; aut ſi juſta de cauſſa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Unde illud 1. ad Theſſ. 5. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.*

Scandalum paſſivum eſt ipſa ruina ſeu peccatum pro-

(1) *Vid. XIV. de Beatiſ. Serv. Dei lib 5. cap. 35. num. 16. 17. ac Seraphicum Com. in c. 3. Lut. & in Spec. Anim. c. 2.*

proximi, ex occasione facti vel dicti, vel omissionis alterius commissum. Dividitur in scandalum pusillorum seu infirmorum, quod oritur ex ignorantia vel infirmitate peccantis; & in pharisaicum seu mere acceptum, quod oritur ex ipsa malitia peccantis. Sic vocatur, quia Pharisæi ex nigra malitia occasionem peccandi ex factissimis Christi dictis & factis sumebant.

Quæst. II. *An scandalum ejt speciale peccatum?*

Resp. 1. Dare scandalum directe, indocendo licet proximum ad peccandum, etsi non ex intentione expressa ut peccet & pereat, sicut facit demon, sed propter utilitatem vel voluptatem aliquam propriam, aut alterius, est peccatum speciale contra caritatem. Nam Lex caritatis in Deum & proximum vetat ne offendam Dei & malum spirituale proximi quovis modo procuremus. Præterea hoc directe opponitur præcepto correctionis fraternæ, cum sint contraria revocare proximum a peccato, & eum in illud inducere.

Immo talis inductio habet duplicem malitiam in confessione exprimendam, unam contra caritatem, & alteram contra virtutem, cui repugnat opus illud malum; nam singulæ virtutes obligant directe ad suos actus eliciendos, & indirecte ad non procurandam sui violationem in aliis. Præterea inducens consentit peccato, ad quod inducit: Ergo illius rea est: nam ex Rom. 1. eadem pœna æterna digni sunt qui faciunt, & qui consentiunt facientibus.

Hinc 1. nunquam licet petere ab alio vel ei suadere id quod ipse non potest sine culpa præstare; nam hoc esset inducere in peccatum.

2. Qui feminam inducit ad fornicationem, peccat tum contra castitatem, tum etiam contra caritatem: cum sit ei causa ruinæ; unde hæc circumstantia inductionis in confessione explicanda est. Idque etiamsi ipsa fuerit parata ad malum: nam non est hic & nunc in actuali voluntate peccandi; sed solum in habituali; unde sine tua inductione hic & nunc non committeret hoc peccatum.

3. Contilium pravum specificatur a peccato, quod consulitur, & est etiam contra caritatem.

4. Laudans alium de peccato commisso, vel vituperans quod non commiserit, tenetur explicare speciem peccati, circa quod fuit laus, vel vituperium. Nam illæ laudes vel vituperia sunt exhortationes ex se ordinatæ ac aptæ ad inducendum in peccatum, & ad complacendum de illo, si commissum est: quare sumunt ab illo suam specialem malitiam tanquam ab objecto.

Resp. 2. Dare scandalum indirecte tantum, non intendendo peccatum alterius, nec ad illud inducendo, sed præcise faciendo vel dicendo coram illo aliquod malum, vel mali speciem habens, est peccatum mortale ex genere suo, & speciale contra caritatem. Ita *S. Antoninus, Navar. Suarez, Valentia, & alii multi*. Prob. 1. Ex Matth. 18. *Væ homini illi per quem scandalum venit*. Ubi Christus loquitur de scandalo simpliciter & generaliter. Et, ex Roman. 14. *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas*; ubi agitur de cibis Lege veteri abrogata vetitis, ideoque jam licitis. Et ex 1. ad Corint. 8. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis*, &c. Ubi ut grave peccatum contra caritatem reprehenditur scandalum indirectum, quo fideles pleno instructi carnes idolo immolatas comedebant coram infirmis falso putantibus id esse de se illicitum, qui inde præter intentionem comedentium impelli poterant ad eas contra conscientiam erroneam comedendas. 3. Quia secundum omnes, Lex caritatis in Deum & proximum obligat ad cavendum & impedendum etiam in aliis peccatum; quod est offensa Dei & maximum malum proximi. Item obligat ad proximum a peccato per correctionem fraternam retrahendum: ergo a fortiori obligat ad non conficiendum eum per scandalum in peccatum vel ejus periculum. Et vero ad contrahendam malitiam aliquam sufficit ut libere fiat id, quocum conjuncta est, & cognoscitur vel cognosci potest ac debet esse conjuncta: nam tunc illa malitia est saltem interpretative volita.

Immo hoc scandalum indirectum, ex communi sententia, contrahit etiam malitiam peccati, cujus datur occasio, exprimendam in confessione. Tum quia dans illud, vult saltem interpretative tale peccatum alterius, volendo sine justa causa id, ex quo prævidet secuturum, vel ejus periculum: tum quia virtus omnis non solum vetat actus sibi contrarios, sed etiam, ne detur aliis occasio illos ponendi.

Est autem mortale, si detur occasio culpæ mortalis; veniale vero si detur solum occasio venialis, seclusio periculo gravioris mali; nam quamvis peccatum veniale sit gravius malum quolibet temporali; est tamen leve in suo genere, & reparatu facile.

Hinc peccant mortaliter contra caritatem & castitatem, 1. Qui imagines, vel statuas nudas faciunt, vel palam exponunt; nam hæ æque saltem inducunt ad peccatum, quam sermo obscenus. 2. Qui scribunt, imprimunt, recitant, tradunt libros amatorios, cantilenas turpes &c. Item qui componunt, vel agunt comœdias obscenas, aut periculosas ratione verborum, factorum, aut gestuum: nam hi omnes sunt causa ruinæ multorum. Nec refert quod eam non intendant, nam dant ei sufficientem causam. Item qui sua præsentia eas approbant, iis consentiunt, & cooperantur solvendo mercedem agentibus. 3. Femine quæ nudum pectus gestant, nam hæc denudatio apta est scandalum parere infirmis, eos ad complacentias & desideria prava inducendo, & christianæ modestiæ ac sanctitati repugnat. Nec potest excusari consuetudine, utpote contraria præcepto divino. 4. Puella, quæ sine justa causa se præbet conspiciendam ei, a quo putat se turpiter concupiscendam, quamvis id faciat ex mera vanitate, & sine animo ejus amorem excitandi. *Ita communiter*. Item mortaliter peccant, qui alios vexationibus inducunt ad blasphemias, contumelias graves, imprecationes, &c. nam cooperantur ad peccatum.

Præterea observanda sunt sequentia.

1. Peccatum scandali hoc ipso committitur, quod datur proximo occasio peccandi, quamvis is reipsa non peccet; nam ad hoc satis est, quod peccatum proximi ex tua actione vel omissione minus recta in talibus circumstantiis, spectata ejus fragilitate, sequi probabiliter possit. Nam tunc ei creas probabile periculum peccandi, & quod tunc non sequatur peccatum, per te non stat, sed per ipsum: sicut mortaliter peccat, qui explodit catapultam cum periculo occidendi hominem, licet nullus reipsa occidatur.

2. Pec-

2. Peccatum coram aliis commissum habet malitiam scandali tunc solum, quando est periculum probabile, ne ii, coram quibus committitur, inde impellantur ad peccandum. Hinc blasphemia coram fatuis Religiosis non habet rationem scandali. Qui vero publice peccat, tenetur eam scandali circumstantiam contineri ratione periculi, cui se in citandi multos ad peccandum suo pravo exemplo exponit, ut recte docent Azor, Sanchez, & alii.

3. Numerus eorum, quibus scandalum datur, debet in confessione declarari, sicut numerus hominum uno ictu occisorum. Nam numerus se habet, ut objectum peccati, illudque in suo esse individuali constituit; & non solum aggravat, sed etiam multiplicat peccatum.

4. Actus venialis, vel ex objecto indifferens potest esse mortalis ratione scandali, quando a tali persona & coram talibus fit, ut probabile sit periculum, ne inde alii ex infirmitate, vel ignorantia sumant occasionem peccandi mortaliter, ex c. 2. *de voto sperrunt*. Nam ex 1. ad Cor. 8. sup. cit. comestio carnis idolo immolatæ quæ per se licita est, fit mortalis ratione scandali.

5. Cum fit actio de se licita, quæ aliquam speciem mali habet, tollitur scandalum, declarando justam causam agendi, quando hoc fusius ad amovendam suspicionem omnem mali. Sic comedens carnes die vetito ob rationem occultam, impedit scandalum, hanc aperiendo.

6. Quamvis juxta multos liceat, non auferendo occasionem peccati, permittere unum peccatum, ut impediantur plura: v. gr. licet hero non auferre occasionem furandi famulis, aut filiis, quos ad furandum propensos ac paratos novit, ut sic deprehensi puniantur & refrigidant, eo quod tunc rationabiliter permittat furtum unum, ut vitentur plura: non licet tamen talia ultro ponere, aut pericula objicere; quia esset positive cooperari peccato & occasionem præbere, ac creare alteri periculum peccandi, quod non licet.

Quæst. III. *An teneamur omittere opus de se non malum, nec speciem mali habens, ob scandalum passivum aliorum vitandum?*

Resp. 1. Non tenemur illud omittere ob scandalum ortum ex malitia, cum adest rationabilis causa, aut utilitas magna nostra, vel aliena etiam temporalis. *Ita S. Th. qu. 43. art. 8.* Quia cum scandalum illud ex sola malitia scandalizati oriatur, ei soli imputatur: alioquin quivis per suam malitiam posset impedire commoda aliorum. Si tamen nulla esset necessitas, vel notabilis utilitas operis illud faciendi, omitti deberet: quia tenemur ex caritate impedire peccatum proximi, est exitola ejus malitia secuturum, cum nulla adest justa causa illud permittendi. *Layman, Valentia & alii.*

Resp. 2. Ad vitandum scandalum passivum ex infirmitate vel ignorantia ortum, tenemur omittere opus utile non malum, nec mali speciem habens, vel saltem differre, donec proximus moveatur ne scandalizetur, cum id sine gravi incommodo possimus. Nam ex lege caritatis tenemur impedire peccatum proximi infirmi, cum possumus sine gravi nostro incommodo seu damno, ex Eccli. 27. *Mandavit ille unicuique de proximo suo*. Hinc mulier, quæ prævidet aliquam in particulari ex suo aspectu fu-turum occasionem peccandi ob infirmitatem, tenetur vitare ejus conspectum, cum potest sine gravi incommodo. Non est tamen obligatio omittendi actionem de se licitam, nec habentem per se, aut communi prudentum judicio speciem mali, ne quis generatim ac indeterminate sumat inde occasionem peccandi; nam alioquin hoc esset omni intolerabile, & omnium immunem scrupulis. Illinc mulier, ad vitandum periculum vagi ac indeterminati scandali, non tenetur abstinere ab ornatu honesto & ordinario secundum suam conditionem, seeus de extraordinario nec convenienti.

Quæst. IV. *An omitti debet opus bonum ad vitandum scandalum passivum pusillorum seu infirmorum?*

Resp. 1. Ad vitandum scandalum nunquam licet facere actionem prohibitam lege naturali; quia nunquam licet facere actionem intrinsece malam, seu dedecentem naturam rationalem. Neque etiam licet omittere actum lege naturali præscriptum, in iis circumstantiis, in quibus præcipitur: quia omissio talis actus est intrinsece mala, cum lex naturalis non præcipiat nisi id quod necessarium est ad honestatem morum. Spectatis omnibus circumstantiis. Constat etiam ob scandalum aliorum nunquam posse omitti ea quæ necessaria sunt necessitate medii ad salutem, quia (ut ait S. Th. qu. 43. art. 7.) *Secundum ordinem caritatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius.*

Item non licet ob scandalum passivum omittere opus bonum in detrimentum fidei vel boni communis spiritualis. Quo spectat illud S. Gregor. homil. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.*

Resp. 2. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, multi putant debere præterniitti præcepta mere positiva, præsertim humana, nisi ex ejusmodi omissione majus damnum immineret vel tibi, vel aliis. Sic si te ituro ad Sacrum die festo excitanda sit cædes, vel gravis rixa, non debes ire. Item si mulier prævideus in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum ex infirmitate, teneiur omittere sacrum etiam die festo semel aut iterum: quia cum præcepta omnia caritati deserviant, & ei tamquam fini subordinentur, non obligant in iis circumstantiis, in quibus caritas dictat omittendam eorum observationem, ut impediatur grave peccatum proximi.

Resp. 3. De bonis operibus, quæ sunt solum consilii, docet S. Thom. qu. 43. art. 7. ea omitti non debere, ad vitandum scandalum ex mera malitia acceptum, juxta illud Matth. 15. *Sinite illos, cæci sunt*, &c. Nam Pharisæi scandalizabantur, quod Christus cum publicanis & peccatoribus comederet, nec propterea id omisit. Et aliqui quivis sua malitia posset bona spiritualia aliorum impedire.

Si vero scandalum ex infirmitate aut ignorantia oriatur, occillari debent, vel interdum differri, donec ratio sic agendi propulsa sit. Nam ex Lege caritatis tenemur proximi ex infirmitate vel ignorantia lapsuri ruinam impedire, cum facile possumus. At tunc facile possumus, cum tale opus non sit præceptum, nec necessarium, & illud differendo, vel etiam omittendo ad impediendum peccatum proximi, exerceamus actum caritatis magis me-

meritorium, quam foret ipsum opus, quod omittitur.

Quod si post redditam rationem non desinant inde scandalizari; tunc scandalum ex mera malitia oritur, & sic propter ipsum non esse dimittenda bona opera, docet S. Th. *ibid.*

Quæst. V. *An licet minus peccatum suadere vel omitti committere gravius, quando aliter gravius impediri nequit?*

Resp. 1. Id non licet loquendo de suasione, aut alia inductione directa. Tum quia semper per se malum est inducere ad peccatum quodvis, esti leve: nam nunquam licet facere malum, nec proinde illud consulere, ne quidem ut eveniant bona, ex Rom. 3. Tum quia qui consulit minus peccatum, etiamsi consulat ad impediendum majus, ita peccatum illud minus consentit, illudque approbat, quod est intrinsece malum. Tum quia suadens esset moralis causa peccati minoris, ad quod alter non erat determinatus: utroque ei merito imputaretur: Porro illud effatum: *E duobus malis minus eligendum est*, non habet locum (Vid. num. 333.) in peccatis, quæ libere fiant, & vitari possint; sed in his solum malis, quorum unum sustinendi necessitas incumbit.

Tamen peccata inæqualia committere volentem deterrere licet a graviore, tacendo de alio minus gravi, quia hoc est dumtaxat suadere omissionem gravioris.

Quæst. VI. *Quandonam est peccatum scandali vendere vel dare alteri rem aut operam de se licitam, qua male usurus præsentitur, vel probabiliter putatur?*

Resp. 1. Peccatum est, quando denegari potest sine gravi damno. Quia secundum omnes, teste Delugo, quisque tenetur ex caritate impedire peccatum proximi, si potest saltem sine gravi incommodo. Ergo a fortiori tenetur non suppeditare materiam vel operam, qua usurus est ad peccandum: tam caritas est velle bonum delicto, & removere malum illius. Deinde quisque tenetur peccantem corripere, scandalum amovere: ergo & a fortiori materiam peccandi non præbere. Præterea talis merito censetur saltem interpretative velle ruinam alterius.

Hinc moraliter peccant caupones, qui secundum refectionem bene pransis, vel carnes die jejunii præbent hospitibus, quos sciunt vel prudenter judicant non habere dispensationem; nisi forte ex denegatione gravissimum malum ipsis imminear, ut mors, incendium, vulnera, &c. Secus si ista præbeant viris honestis potentibus, de quorum dispensatione non certo iis constet: nam in dubio debent præsumere esse legitime dispensatos. Item qui præbent vinum copiosum iis, quos eo inebriandos prævident: nam sine justa caussa omittunt impedire peccatum proximi; immo materiam peccandi suppeditant, cum moraliter possint & debeant iis denegare. Nec lucrum est quærendum ex casu, in quo est alterius peccatum, nec est tanti momenti, cum tamen ebrietas sit damnum maximum animæ & corporis, & scandalosum, ac sæpe nocendi injuste aliis occasionem & caussam afferat. *Ita Sanchez, Valent. & alii.*

Idem dic de iis, qui vendunt venenum aliis, quos non constat bene usuros, ver. gr. ad confectionem medicinæ vel colorum: aut merces iis, qui abusuri sunt. Neque hi excusantur eo quod si non vendunt, alii vendituri sunt, quia illi præcabunt vendendo; non licet autem peccare, eo quod ceteroquin alii sint peccaturi, neque factum aliorum immutat tuam cooperationem.

Neque etiam excusantur eo quod ii, quibus ista tradunt, jam sint animo parati ad peccandum: quia adhuc cooperantur actui externo malo, quo prava illa voluntas executioni mandatur. At peccatum est non solum velle malum facere, sed etiam facere & exequi malum, & ejus executioni cooperari; nam lex non solum voluntatem v. gr. furandi, se inebriandi &c. sed etiam ipsum furtum actuale, ipsam ebrietatem, ejusque cooperationem vetat, & actio externa seu executio rei illicita dedecet naturam rationalem, estque illicita & contra legem divinam.

Resp. 2. Non licet præbere operam vel rem alicui quæ in talibus circumstantiis proxime ad peccatum adjuvat, & ad illud determinate ordinatur. Quia tunc est mortaliter cooperari peccato alterius. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat heram suam ascendere fenestras ad fruendum virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domina male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*: Nam hæ actiones in talibus circumstantiis proxime ad peccatum adjuvant & ordinantur. Quare qui eas ponit, merito censetur velle peccatum alterius, & ei consentit. Hinc etiam non licet famulo gladium præbere hero suo alterum occidere volenti, furanti scalam admovere, meretricem domum deducere, litteras amatorias ipsi deferre, &c. Nam hæc & similia ad peccatum proxime concurrunt seu conducunt.

Resp. 3. Licet rem & operam ex se licitam, nec per se ac proxime ad peccatum concurrentem præbere ea abusuro, si adsit caussa justa & proportionata excusans, & desit intentio cooperandi ejus peccato, nec alter adjuvetur contra bonum Reip. vel Ecclesiæ. Nam tunc ista suppeditans, in æstimatione prudenti non censetur cooperari alterius peccato, sed solum illud permittere ex urgenti caussa, ob quam non tenetur illud impedire, & peccatum soli malitiæ abutentis imputatur.

Hæc autem caussa tanto gravior & urgentior debet esse, 1. Quanto gravius est peccatum, quod non impeditur. 2. Quanto subministratio tua minus remote illud attingit. 3. Quanto probabilius est, te non suppeditante, alterum non executurum peccatum. Item ex communi sententia, requiritur majus caussa quando alter non est paratus ad peccandum, quia gravius malum patitur. 4. Si abusurus sit contra justitiam: tunc enim requiritur tantum malum vitandum, quod ex caritate non tenearis subire, ad impediendum tale damnum tertii: nam strictius tenemur impedire peccata alterius, quæ nocent aliis, quam quæ non nocent; in his enim solis peccans damnum spirituale voluntarie subit, in illis autem insuper innocens damnum invitus patitur.

Hinc 1. Parochus potest & debet Eucharistiam mi-

nistrare peccatori occulto eam publice petenti.

2. Excusantur caupones vinum vendentes militibus abusuris ad ebrietatem, si denegare non possint sine damno vitæ, vel bonorum omnium.

3. In necessitate licet ab alio petere, quod potest sine peccato facere, quamvis præsentiat peccaturus, v. g. mutuum quo indiges, (Vid. n. 247.) ab usurario. (1)

(1) *Cum de materia hactenus disputa fere innumeri casus proponi queant, ac multa itidem a casuistis diversorum morum regulis discrepantia legantur de iisdem exarata apud varios Scriptores; idcirco magnopere expedit meminisse primum informatam universis Christi, & Apostoli sententiam, qua ad scandalum referuntur (Matt. c. 18. v. 7. & 8. & ad Rom. c. 14. ad Cor. c. 8. & 10. ad Thess. c. 4.) tum etiam eruditam sublimibus Angelici doctrinis (quæ exstant in 2. 2. q. 43. per tot. & in Lection. ad loc. cit. D. Pauli) exinde namque quilibet ingenii, judiciique vi vel mediocriter pollens, simulque a præjudiciis solutus aptas elicere poterit responsiones ad particularia dubia apud Casuistas confertim occurrentia. Quod speciatim attinet ad cooperationem alienis actionibus malis in quovis eventu difficiendum, utrum materialis seu remota, vel formalis seu proxima in genere moris ea sit. Ad utramque autem cooperationis speciem rite detegendam P. Cuniliatus (Tract. de 1. Decal. Præc. c. 3. §. 6. n. 192.) septem recenset conditiones, quæ, non simul concurrunte, materialem dumtaxat: ubi deficiunt, etiam formalem cooperationem manifestant.*

TRACTATUS
DE VIRTUTE RELIGIONIS.

REligio est virtus qua Deo, ut rerum omnium principio, cultus debitus ac supremus exhibetur. Per cultum intelligitur testificatio excellentiæ divinæ, cum submissione nostra erga Deum. Religio non est virtus theologica, sed moralis, cum habeat pro objecto materiali actus, quibus Deus colitur, & pro objecto formali specialem honestatem elucentem in præstando cultu Deo debito ob summam ejus excellentiam, quæ excellentia divina est titulus seu ratio, ob quam honestum est præstare Deo cultum supremum. Est tamen Religio virtutum moralium præstantissima, quia ejus objectum immediatius, & perfectius tendit in Deum, quam objecta aliarum virtutum moralium.

Actus (1) præcipui Religionis sunt adoratio, sacrificium, oratio, devotio, quæ est prompta & efficax voluntas præstandi ea, quæ ad Dei obsequium pertinent: item laus Dei, gratiarum actio, votum, juramentum, administratio & susceptio sacramentorum &c.

Porro tenemur Deum colere non solum actibus internis, sed etiam externis. Nam cum spiritu & corpore conflemur, tenemur utriusque actibus colere Deum, utpote utriusque principium.

CAPUT PRIMUM.

De Adoratione, Oratione, & speciatim de Horis canonicis.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est Adoratio?*

Resp. Adoratio late sumpta est actus, quo testificamur alterius excellentiam, & nostram erga illum submissionem ob ejus excellentiam. Hinc complectitur non solum excellentiæ alterius significationem, qui est proprie honor, sed etiam submissionem, & hujus testificationem, quam utramque superaddit honori. Consistit formaliter tum in voluntate testificandi excellentiam alterius, & se illi submittendi, hujusque submissionis signum exhibendi ob ejus excellentiam; tum in exhibitione talis signi.

Adoratio late sumpta dividitur 1. In latriam, quæ exhibetur Deo ob increatam & infinitam ejus excellentiam; in duliam, quæ exhibetur Sanctis ob eorum creatam excellentiam supernaturalem: in hyperduliam, quæ sanctæ Virgini Dei Matri ob singularem ejus supra omnes Sanctos & Angelos excellentiam supernaturalem creatam exhibetur; & in politicam, quæ defertur viris principibus, sapientibus &c. ob creatam excellentiam naturalem, ut potestatem, sapientiam &c. 2. In absolutam, qua persona adoratur propter excellentiam sibi intrinsecam; & in relativam, qua aliquid adoratur, ob excellentiam personæ, ad quam habet habitudinem aliquam, vel conjunctionem.

Adoratio vero stricte sumpta est cultus latriæ soli Deo debitus, continens in actu quo testificamur increatam ac infinitam Dei excellentiam, & nostram summam submissionem erga illum, agnitionemque supremum ejus in res omnes dominium, juxta illud Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Constat autem 1. Solum Deum adorandum esse cultu latriæ, Sanctos vero colendos esse cultu duliæ, & B. V. cultu hyperduliæ. Nam adoratio debet esse commensurata excellentiæ, cum propter illam exhibeatur. 2. Christi, B. Virginis, & Sanctorum imagines, & reliquias colendas esse cultu relativo proportionato personæ, cujus sunt: adoratio enim imaginis constituit in signo aliquo externo submissionis ac reverentiæ exhibito imagini propter excellentiam prototypi, ad testificandum submissionem nostram internam erga ipsum prototypum, hujusque excellentiam ac superioritatem agnoscendam, ex Conc. Trid. sess. 25.

Quæst. II. *An & qualis Oratio sit præcepta?*

Nota. Oratio late sumpta est actus mentis in Deum, sive quivis pius animæ motus, seu affectus in Deum, qualis est actus fidei, spei, amoris, laudis, gratiarum actio, &c. Stricte sumpta, est petitio decentium Deo facta, sive immediate, sive mediante Sanctorum intercessione. Duplex est oratio, scilicet mentalis, quæ fit sola mente; & vocalis, quæ non solum mente fit, sed etiam voce exprimitur. Item dividitur in privatam, quæ fit a persona privata ac privato nomine; & in publicam, quæ fit a communitate, vel a Ministro nomine communitatis. Hinc recitatio breviarii privatim a Clerico facta, est oratio publica, quia nomine Ecclesiæ & tanquam eius lecatus eam fundit.

Resp. 1. Oratio frequens est omnibus adultis præcepta. *Prov.* 2. Luc. 18. *Oportet semper* (Vid. N. 370.) *orare, & non deficere:* hoc est oportet orare frequenter & perseveranter. Et cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante Filium hominis.* 2. Quia sine oratione debita non obtinentur auxilia omnia necessaria ad observanda omnia mandata & advincendas tentationes, ex Jac. 4. *Non habetis propter quod non postulatis.* & in primis donum perseverantiæ non est præparatum adultis nisi orantibus, ut docet S. Augustin. lib. de dono perseverant. cap. 16. Quare Cælestin. Rom. alit: *Preces nunquam infructuosum necessarium nobis debit* (Deus) *ad id quod optaremus consequendum, præsertim cum quadam esse cogor, quæ nisi rite adjumento non liceat impetrare.*

Hinc oratio est adultis necessaria etiam necessitate medii ad salutem, cum Deus statuerit non dare gratiam perseverantiæ, & alia quædam necessaria, nisi orantibus.

Præcipuum autem orandi obligat in gravi necessitate ac tentatione propria vel proximi, & sæpissime in vita; quia continuo Dei auxilio egemus, & ad illud obtinendum instituta est oratio tanquam medium ordinarium.

Resp. 2. Oratio debet esse pia & honesta: aliquando non esset actus religionis, nec cultus Dei. Ut talis sit, debet fieri cum intentione, attentione, fide, reverentia, humilitate, devotione, decenti ac pia corporis compositione, & de rebus necessariis, vel condecentibus ad salutem & ad gloriam Dei: ita ut res de se indifferentes non petantur, nisi quatenus ex Dei ordinatione & cum ejus gratia possunt conferre ad ejus gloriam & salutem nostram.

Porro mortale est petere a Deo rem malam vel auditam ad illam, quia in hoc est gravis irreverentia in Deum, quasi esset auctor vel fautor peccati. (a)

Quæst.

(1) *Universim actus Religionis undecim enumerat Angelicus, videlicet devotionem, orationem, adorationem, sacrificium, oblationes, primitias, decimas, votum, juramentum, adjurationem, & laudes Dei; eosque seorsum exponit ordine indicato* (2. 2. qu. 82. & seq. usq. ad qu. 92.) *Quoniam Angelicus omnia omnino præterit, alios strictim declarat, ideo quisquis exactam illorum cupit notitiam, singulas hasce quæstiones Angelici percurrat. Nam nimis multa foret a nobis adjicienda, si vellemus levare Lectorem opere ipso.*

(a) Ne quis Antonium nimiæ brevitatis, alitve silentii adjectionem Auctores in re hac magni momenti infundet, varias primum orationis conditiones explicabimus; deinde ejus effectus; tertio quis orandus; quarto pro quibus orandum; quinto Encyclicam Epist. Bened. XIV. de oratione annectemus. Ad conditiones quod attinet, debet oratio esse a voluntate deliberata; hæcque deliberatio debet esse vel expressa, vel virtualis, ideoque expressa a recta ratione. Si enim preces aliquas lectionis gratia percurreres, non orares. Secunda conditio est attentio, quæ pariter opus est, ut sit vel expressa, vel virtualis. Triplex est attentio juxta D. Th. nempe ad verba, ad sensum, ad Deum, quælibet quarum sufficit. Tertia conditio est pietas, quæ eo spectat, ut pia, honesta, decentia, atque propter bonum finem a Deo petantur. Quarta est humilitas, qua peccator demisso animo divinæ se sistit Majestati, cui suam extremam pauperiatem, indigentiamque repræsentet. *Ego vero egenus* (ajebat David) *& pauper sum, Deus, adjuva me.* Quinta est fervor, quo Deo preces fundimus; tepida enim, & frigida oratio nulla est. Sexta est fides, qua firmiter credimus nos assecuturos fore quod petimus.

Effectus orationis sunt meritum, satisfactio, & impetratio. Meritum orationi debetur, quatenus ex caritate proficiscitur media Religione. Satisfactio quodlibet opus meritorium comitatur. Impetratio rei quam petimus, propterea est orationis fructus. Hæc quoque oratio ut impetret a gratia sua efficaciam, habet, ex S. Th. 2. 2. q. 83. art. 15. quatuor conditiones necessarias ad impetrationem; 1. quod pro se præcipue orans petat; 2. quod necessaria ad salutem; 3. quod pie; 4. quod perseveranter petat. Orationes peccatorum ex misericordia audit Deus, non ex justitia, ut docet Angelicus ibi *art. 6.*

Deus solus, & ut Trinus orandus est in hoc sensu, quatenus solus Deus auctor est gratiæ, & gloriæ, ac rerum omnium omnipotens effector & conservator. Oratio enim est actus Religionis. Religio vero solum Deum spectat ceu finem, cui cultum exhibet. Sancti invocandi sunt, non ut auctores divinorum bonorum gratiæ, & gloriæ, sed ut advocati, patroni, intercessores pro nobis orent, & in-

tercedant apud Deum. Similiter ac Sanctos invocamus & deprecamur B. Virg. Mariam, scilicet ut meram deprecatricem, & mediatricem. Immo in hoc genere intercessorum Christus Dominus primus est, principalque Advocatus & intercessor noster, qui solus Deo mundum reconciliavit, solusque dignam, & superabundantem oblationem pro peccatis nostris Deo obtulit. Dum igitur Sanctos invocamus, rogamus ut per Jesu Christi merita apud Deum pro nobis intercedant, ac petimus ut ipsi orent, quod nos oramus, & ad eorum patrocinium, intercessionemque confugimus, utpote qui propinquiores sint Deo, & magis digni. Definitum quoque fuit a Trid. Synodo sess. 25. pie ac utiliter Sanctos sive Angelos, sive homines invocari.

Orandum est non pro Sanctis, qui sunt in termino, & nihil amplius indigent pro æterna eorum salute; non pro damnatis, quia utpote similiter in termino nulla pro ipsis remanet spes salutis: Sed orandum est pro omnibus viatoribus, & pro animabus Purgatorii. Orandum pro omnibus amicis, inimicis, justis, peccatoribus, fidelibus, & infidelibus; siquidem enim Christus pro omnibus mortuus est, ita pro omnibus orandum, ut fructum recipiant Divinæ redemptionis, quam Christus sua passione, & morte operatus est. Pro peccatoribus orandum, & infidelibus, ut convertantur: pro fidelibus justis, ut in justitia perseverent.

Pro animabus Purgatorii, ut docet Ecclesia contra Novatores: Ecclesia siquidem sive militans, sive triumphans unum corpus constituit, cujus caput Christus est. Igitur omnia membra ad invicem, & cum capite communicare debent, ac proinde animæ Purgatorii juvandæ sunt, non secus ac unum corporis membrum alterum adjuvat. Et huic sententiæ accedit perpetua Ecclesiæ consuetudo. Certum est autem suffragia fidelium pro mortuis oblata in totum, vel in partem, prout dispunit voluntas Divina, & providentia, pœnas alicuius defuncti expiare, ac tollere, cum ira Deus disposuerit.

Ceterum peccatores, qui in publicis ministeriis nomine Ecclesiæ orant, ad preces recitandas obstringuntur. Similiter peccatores privati orare debent, ut veniam suorum peccatorum impetrent, quia licet preces peccatorum, utpote qui gratia sint destituti, non sint meritoriæ, sunt tamen impetratoriæ. Viatores omnes five justi, five peccatores orare debent: omnes enim externa penuria laboramus, & ideo omnes necessaria subsidia quotidie necesse est ut imploremus.

Denique encyclica Epist. Bened. XIV. in qua agitur de oratione tum vocali, tum, ut ajunt, mentali, hujusmodi tenoris est.

Quemadmodum nihil est hominibus a familiari Dei consortio, & consuetudine avulsi, & ejectis ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam salutem procurandam, & ad Deum quasi manu facta cisendum magis opportunum, salutare, & necessarium oratione, quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio Supernorum, inspibilium desiderium, conjunctio Spiritui Sancto, & ad Deum locutio; ita ne desolatione desoletur universa terra ex eo, quod nullus recogitet corde, omnes & singuli ubique, & semper salutaribus præceptis monendi sunt, quod oporteat semper orare, & nunquam deficere; ut in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud Deum, ipse qui dives est in omnes eum invocantes, ne non ubi se deprecationes, nec suas a nobis amoveat miserationes. Ea propter Prædecessores nostri Romani Pontifices Divina institutione formati, ut Christifideles ad orationi, sive Vocalis sive Mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, & sine intermissione frequentandum incitarent, eosdem cum cohortationibus inflammare, tum cælestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis credederat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones, & de injunctis eis quomodolibet debitis pœnitentiis elargiti sunt relaxationes iis, qui sive vocales preces recitaverint, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditarentur. Non autem laudatissimi eorumdem Prædecessorum nostrorum exempli incensi, non solum omnes & singulas indulgentiat, peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes per eosdem nostros Prædecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodo nunquam revocatæ fuerint) aut quomodolibet oranibus quocumque modo, sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas Apostolica auctoritate, tenore præsentium, sub iisdem prorsus modo, ac forma confirmamus, & quatenus opus sit de novo concedimus: Verum etiam alias insuper iis præfertim, qui mentali orationi, seu meditationis studio operam dederunt, ut infra, impertimur. Primum itaque omnibus, & singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, & ubicumque locorum publice, & private, quiscumque homines orandi, seu meditandi rudes quomodocumque orare, & meditari docuerint, sive qui piæ orandi, & meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodo vere pœnitentes, ac sacra Communione refecti, qua vice id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint, ac similiter vere pœnitentes, ac sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, semel in mense pro uniuscujusque commodo, & arbitrio plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem hora singulis diebus, & per totum mensem orationi mentali dabunt operam, & vera pœnitentes & confess Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias apud Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate, & tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Et si autem juxta Divinum Domini

Quæst. III. *Quinam obligantur ad Horas canonicas?* (1)

Notæ. Horæ canonicæ sunt oratio vocalis publica auctoritate Prælatorum Ecclesiæ constituta, ut quotidie certis horis nomine Ecclesiæ recitetur, ad laudandum & precandum Deum.

Resp. Secundum omnes Doctores, ad eas sub mortali singulis diebus obligantur 1. Omnes infigniti aliquo ex sacris Ordinibus, etsi non beneficiati: immo etiam excommunicati & degradati, cum nullo privilegio ab hoc onere liberentur, nec æquum sit ut commodum ex delicto reportent. Subdiaconi autem incipiunt obligari ipso die suæ Ordinationis, saltem quoad partem respondentem horæ, in qua ordinantur: nam cum obligentur ratione Ordinis sacri, statim illo suscepto obligantur.

Porro sunt qui docent, Clericum, qui totum officium recitavit antequam ordinem vel beneficii possessionem caperet, teneri iterum recitare partem officii respondentem horæ, in qua cœpit obligari. Tum quia observatio præcepti supponit obligationem contractam, tum quia Horæ canonicæ recitantur a Clericis nomine Ecclesiæ; & ante subdiaconatum vel beneficii adeptionem, officium non recitatur nomine Ecclesiæ, cum nondum quis sit minister ad hoc deputatus.

2. Omnes Religiosi & Moniales professi & ad chorum deputati, etiam fugitivi, ejecti, & ad triremes damnati: nam hi manent vere religiosi, ideoque obstricti obligationibus religionis, quibus si possunt satisfacere tenentur; culpa enim nemini debet suffragari. Hæc obligatio in Clericis non beneficiatis, & Religiosis ac Monialibus recitandi etiam privatim, si in choro non recitaverint, oritur præterim ex antiqua & universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente & fundata in eorum statu ad Dei cultum instituto, & constat ex communi usu & consensu totius Ecclesiæ, ut docet Suarez. Dixi Professi ad chorum destinati, nam non obligantur Novitii, Converfi, Laici, Religiosi Societatis Jesu antequam sint in Sacris, Religiosi militarium Ordinum &c.

3. Omnes Beneficiari, non solum ex religione, ut supradicti, sed etiam ex justitia: quia sub hoc onere beneficium eis collatum est, & his acceptatum.

Hinc peccat mortaliter, qui ex prædictis uno die officium totum vel partem ejus notabilem omittit sine justa & gravi causa excusante; ut constat ex consensu Doctorum & totius Ecclesiæ. Nam violat præceptum in re gravi ad religionis virtutem præstantissimam pertinente. Pars autem notabilis & sufficiens ad mortale juxta omnes censetur una parva Hora, v. g. Nona, vel quælibet pars officii ei æquivalens; immo juxta varios media pars unius Horæ parvæ. Item qui interruptim per totum officium omittit quantum est integra Hora parva, peccat mortaliter, quia partes pertinentes ad unum totius diei officium coalescunt moraliter in unum, & constant unam notabilem quantitatem.

Ceterum explicandus est in confessione numerus Horarum omissarum; quia omissio plurium vel sunt plura numero peccata, vel unum pluribus æquivalens: & per plurium omissionem saltem multum aggravatur culpa, & variatur judicium de illa. Præterea numerus Horarum est quid se tenens ex parte objecti, & constituit peccatum in suo esse individuali.

Quæst. IV. *Quanam requiruntur ad debitam recitationem Horarum?*

Resp. 1. Quoad officii qualitatem ex Bulla S. Pii V. *Quod*

mini Nostri Jesu Christi præceptum oporteat, ut quisque oraturus, ne ad instar hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum, & clauso ostio oret cælestem Patrem in abscondito: tamen cum ipse Dominus dixerit, quod ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: & Sanctus Joannes Chrysostomus prædicet, esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem, & caritatis clamorem felici sortiatur, ex qua orationes infirmiores, si simul complexæ, validiores in cælum evehi: optimum esset, ubi commode fieri posset, ut quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus, & singulis Diœcesibus in more poneretur, ut singulis diebus, dato certo Campanarum signo, sive in Ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi erit, masculi a fœminis seorsim collocatis, convenire facile possit, & nulla subsistatur confusio, & inordinatio: sive in propria domo patresfamiliat, eo aut alio opportuniori tempore ante imaginem sacram cum tota familia convenientes orent. Ea propter Vos, Venerabiles Fratres, rogamus, & in Domino hortamur, ut omnibus & singulis Ecclesiarum, piorumque locorum, in Civitatibus quidem Cathedrali, aliarumque præcipuarum Ecclesiarum, in oppidis vero Parochialium Ecclesiarum Superioribus, ac Rectoribus injungatis, ut præmisso Campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus tibis opportunius in Domino visum fuerit, Lando, decernendoque omnes Christifideles uniuscujusque curæ commissos, quot in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios patres erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accendere, neceffitatem, utilitatemque proponere, indulgentiarum thesauri, quos de benignitate Apostolica elargimur, explicare, & ad ipsos ea, qua decet, pietate, ac reverentia invrandos inflammare studeant, & exitantur; atque etiam, si commode, ut præmittitur, fieri potest, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant, & curent. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumpti, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscripti, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munisti, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Interim Apostolicam Bened. Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Decemb. 1746. Pontificatus nostri anno 6.

(1) *De recitatione Divini Officii alibi Bened. XIV. doctrinam referemus, scilicet in calce hujus capitis.*

V. *Quod a nobis.* Sæculares & Regulares tenentur sub mortali servare formam Breviarii Romani: alio quia suæ obligationi non satisfaciunt. Excipiuntur Capitula & Monasteria, quæ ducentis ante hanc Bullam annis habebant Breviarium particulare, quibus tamen permittitur ex Episcopi seu Prælati, & universi Capituli consensu assumere Romanum. Qui autem ab hoc tempore habent Breviarium proprium sui Ordinis vel Diœcesis suæ, tenentur illud etiam privatim recitare: nam Bulla tales reliquit dispositioni juris communis, quod quemque obligat ad recitandum officium suæ Ecclesiæ, ex cap. 13. & cap. 14. dist. 12. & ex Clem. 2. de celebratione Missarum, ubi Clemens V. permittit Clericis, & Monachis, ut officium recitare possint juxta formam Officii Cardinalium aut Episcoporum, cum quibus vivunt.

Qui nuntur Breviario Romano, non obligantur extra chorum ad officium Beatæ Virginis, nec ad officium Defunctorum diebus in rubrica præscriptis, ex Bulla citata. Tenentur tamen sub mortali ad officium Defunctorum 2. Novembris, item ad Litanias in festo S. Marci, & diebus Rogationum, si non intersint processioni: nam ex communi sensu, & consuetudine, censentur pars officii illorum dierum, vel alterum officium eodem die præceptum. In Ecclesiis vero, ubi erat consuetudo officium parvum Beatæ Virginis recitandi, hanc servari vult Pius V. ibidem.

Qui non tenentur Breviario Romano, ad ea omnia tenentur, ad quæ ante Bullam Pii tenebantur; nam a nulla re eximuntur per Bullam, & excepto jure regulam in casibus non expressis.

Tenetur autem quilibet recitare officium proprium diei, alioquin non satisfacit præcepto, licet aliud etiam æque longum, v. gr. officium de feria loco officii de Sancto, vel contra recitaverit. Tum quia Ecclesia non officium in genere, sed hoc officium in individuo, seu officium tale proprium hujus diei, prout hos psalmos, has preces, & lectiones continet, præcipit; cujus obligatio est tali die affixa, & sic cum eo transit. Unde quamvis substantia præcepti in genere sit de septem Horis: tamen substantia præcepti in particulari pro tali die est de septem Horis talibus, quæ scilicet constant talibus psalmis, lectionibus &c. Tum quia Bulla Pii V. præcipit officium diei juxta formam Breviarii Romani, ad quam pertinet distributio officii per dies feriales, & festos tempori accommodatos: tum quia aliqua officia de aliquibus Sanctis injunguntur de præcepto recitanda tali die, cum antea essent ad libitum. *Ita S. Antonin. Tiller. Bellarm. Bonac. Reginald. de Moya &c.*

Porro Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Iudex Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.*

Hinc qui scienter officium mutat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuum beneficii, cum non satisfecerit etiam quoad substantiam præcepti recitandi officium debitum & ab Ecclesia præscriptum. Qui vero inadvertenter officium aliud recitavit, tenetur eodem die officium proprium persolvere, & recitare, quæ omisit, si fine gravi incommodo possit. Qui autem in aliquibus Horis erravit, ubi id advertit, tenetur supplere quod omisit, & reliquas Horas legere juxta officium eo die currens.

Nota. Qui per errorem, etsi inculpabilem, hodie recitavit officium crastinum, cras debet iterum idem officium recitare: quia per legem tale officium pro tali die determinatum est. Item officium de Sancto die suo omnissum, secundum multos non debet alia die non impedita recitari; quia officia sicut jejunia diebus suis affixa sunt, & rubricæ solum excipiunt casum quo dies illi impediantur altiori festo.

Resp. 1. Quoad tempus, in recitatione publicæ servanda est recepta cujusque Ecclesiæ consuetudo. In privata vero ad vitandam mortalem culpam sufficit, si recitetur officium totum a media nocte usque ad alteram mediam noctem. Quia in privata recitatione temporis variatio non est gravis inordinatio: & obligatio servandi tempus præscriptum, si quæ fuit gravis, imminuta est per consuetudinem in privata illa recitatione. Ita S. Antonin. 1. part. tit. 13. c. 4. ibi: *Non videtur de se esse mortale, quandocunque quis tarde dicat officium, dummodo non transeat diem, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem.* Immo ob justam causam, v. gr. iter, negotia, legitimam occupationem licet in illa privata recitatione antevertere, vel protrahere tempus præscriptum, quod quidem ex consuetudine magnam habet latitudinem. Nam quod sit ex justa causa, rationabiliter & prudenter fieri censetur. Sine causa tamen tempus debitum ac proprium notabiliter variare est veniale, ut v. gr. si leges Primam, vel etiam, juxta Laymann, Tertiam post meridiem, aut Vesperas ante meridiem, excepta Quadragesima; quia est contra consuetudinem communem, & congruentem rationem temporis: Sexta & Nona ante vel post meridiem dici possunt.

Ex consuetudine licet Matutinum cum Laudibus recitare paulo, ab eo circiter tempore, quo sol est proprius ad ocasum quam ad meridiem, ut videre est in tabula de tempore incheandi Matutinum pro die sequenti, Romæ affixa typis Rever. Cameræ Apostolicæ, hic post indicem posita (1). Secus de aliis Horis, quia consuetudo id non permittit, nec obligatio affixa diei potest impleri ante illam diem, cum ante illam diem nondum sit; & caret in aliis præcepta de jejunio, auditione Sacri &c. Obligatio autem recitandi officium est affixa diei in honorem, quem tali die Deo exhibere debemus juxta præscriptum Ecclesiæ. Præterea qui suo die omisit officium, non tenetur aliud alio die recitare, quia obligatio affixa diei transit cum ipso die: Ergo nec potest diem prævenire, cum par sit ratio.

Secundum multos, non est mortale extra chorum celebrare Missam ante Matutinum & Laudes: quia inquiunt extra chorum non est gravis obligatio præmittendi; nec est gravior inordinatio in inversione ordinis inter Matutinum & Missam, quam in inversione ordinis inter Horas ipsas, quæ solum venialis est, cum tamen major sit ordo inter ipsas Horas, quam inter eas & Missam, nec consuendo præmittendi recepta est sub mortali, eo quod nulla sit necessaria connexio & dependentia inter Missam & Matutinum. Verum hæc opinio tuta non videtur; nam est gravis obligatio recitandi etiam privatim Matutinum cum Laudibus ante celebrationem Missæ. 1. Ob consuetudinem vim Legis habentem. 2. Quia in rubricis Missalis Romani inter defectus in ministerio Missæ ponitur, quod celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. 3. Julius III. in Bulla *Sacræ* concedit Societ. Jesu privilegium postponendi officium celebrationi Missæ *ex legitimis & justis causis*, in quo onerat conscientiam Superiorum illud dispensantium: quod inane & illusorium esset, si nulla foret obligatio.

✠ Auctoris opinio P. Danieli Concina æquo rigidior visa est, ac solido destituta fundamento. *Consuetudo*, inquit, *quam opponunt, non obligat sub gravi culpa; quod autem in Rubricarum libello cavendum dicitur, ne ante Matutini recitationem celebretur Missa, non propterea loquitur culpam perpetrare lethalem eum, qui talem ordinem violat: quia licet omnes Rubricæ conjunctim acceptæ, quæque formam substantialem ritus constituant, obligent sub gravi, non tamen qualibet divisim accepta. Numquid aliæ Rubricæ, quæ vel in Breviario, vel in Missali habentur, totidem sunt præceptæ, quæ sub lethali culpa obligant? Væ recitantibus officium vel celebrantibus Missam, si omnes Rubricæ essent de præcepto graviter obligante.* Ita doctus Theologus Tom. 2. Theol. Christ. lib. 2. dist. 2. q. 5. Nec ego in ea opinione sum, ut graventi hanc obligationem contra communem Theologorum sententiam meri, ac proponere velim, sed ut Sacerdotes intelligant, quo innixus fundamento auctor ita opinatus sit, & ut quoad fieri possit, ante Missæ celebrationem Matutinum recitare procurent, animadvertendum duxi, consuetudinem recitandi Matutinum saltem cum Laudibus ante Missam antiquam esse, ac eo tempore ortam esse, quo in Ecclesia latina, una tantum in qualibet Ecclesia Missa celebrabatur; quæ Missa ei, quam nunc Conventuales vocamus, respondet. Hanc autem consuetudinem vigusse quoque dum plures privatæ Missæ celebrari coperunt, constat ex Innoc. IV. qui in Epistola ad Legatum Sedis Apostolicæ in Regno Cypri circa medium tertiædecimi sæculi, obligationem ex hac consuetudine ortam, ita Græcis inculcavit: *Sacerdotes dicant horas canonicas ante suas, sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non præsumant.* Et S. Anton. part. 2. scripsit, *ob consuetudinem generalem* recitandi Matutinum ante Missam peccare mortaliter, qui ante Missæ celebrationem Matutinum cum Laudibus non recitaverit. Atque hinc facile conjicimus, Rubricam illam, quæ in Missali præscribitur, ut qui celebraturus sit, Matutinum saltem cum Laudibus recitaverit, positam esse ad indicandam obligationem ex antiqua, & usu recepta consuetudine derivatam. Deinde Clericatus decil. 30. de Sacrif. Missæ quinque supra quinquaginta Auctores laudat, qui docent peccare mortaliter eos, qui in pravo habitu persistant celebrandi quotidie Missam ante Matutinas laudes. Hinc S. Mediolanen. XIV. Const. *Etsi Pastoralis*, Italo-Græcos monet, *ut priusquam Missam celebrent, officium matutinale recitare curent.* Hæc additi, ut Sacerdotes intelligant, non omni culpa vacare, qui sine legitima causa Matutinum ante Missam recitare præmittunt. Si autem legitima causa adsit, ut administratio Sacramentorum, vel alia, etiamsi gravis non sit, a culpa omnino excusantur, ut optime notat idem SS. Pater in opere, quod ante Pontificatum evulgaverat de Sacrif. Missæ l. 3. c. 13. ✠

Resp. 2. Quoad ordinem, est veniale sine justa causa ordinem Horarum invertere, v. gr. Tertiam ante Primam recitare, ita constat ex communi Doctorum sensu. Quia hoc est contra ordinem ab Ecclesia præscriptum: & ad modum præcepti pertinet ordo Horarum. Tenentur autem præceptum non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad modum servare. Hæc tamen inversio extra chorum non est mortalis citra contemptum: quia præceptum observatur quoad substantiam omnes Horas dicendo intra diem naturalem. Imo nec est venialis, si fiat ex inadvertentia, aut ex causa legitima, nec est obligatio reperendi; ut si quis ab ægro invitetur ad recitandas secum Vesperas, cum necdum Nonam persolverit. Nam cum hic ordo & modus non pertineat ad substantiam Officii: censetur Ecclesia permittere eum mutari, cum adest rationabilis causa.

Resp. 3. Quæliber Hora recitari debet continuate: nam unitas unius ejusque horæ, & usus Ecclesiæ id exigunt. Deinde est aliqua irreverentia cœptam orationem sine causa interrumpere: si enim vituperabile est, sermonem cum terreno principe inchoatum sine justa causa abrumpere; a fortiori si id fiat erga Deum Regem Regum. Facta tamen sine causa interruptio, juxta multos est solum venialis in officio privato, quia hic defectus non est in substantia, sed solum in modo accidentario; cum singuli psalmi, lectiones, & orationes per se suam habeant completam significationem. Quod si subsistit justa causa, ut si ex officio, vel obedientia, vel caritate aliquid faciendum occurrat, quod non possit commode differri, tunc nulla culpa erit, nec repetenda priora, nisi pauca dicta sint: nam tunc rationabilis est interruptio.

Secundum multos, Matutinum licite separatur a Laudibus, immo justa aliquos, unum nocturnum ab alio per duas circiter horas. Sed videtur obstare præsens Ecclesiæ consuetudo contraria; & Azor ad hoc exigit justam & rationabilem causam; quia tres nocturni cum Laudibus habentur tamquam officium unius Horæ, ac proinde simul recitari debent.

Resp. 5. Quoad modum, officium recitari debet *studiose & devote*. Ita Conc. Gener. Later. IV. cap. *Dolentes* de celeb. Missæ ubi Clericis strictæ præcipit *in virtute obedientiæ, ut divinum officium noctumum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote.* Studiose, inquit Glossa, quantum ad officium oris, & devote quantum ad officium cordis. Etsi vero hoc exigit vera ac religiosa oratio & laudatio Dei. Itaque officium recitari debet tum *studiose*, hoc est, integre & perfecte, absque præcipitantia, contractione, & abbreviatione syllabarum: cum *devote*, id est, cum intentione orandi ac laudanda Deum, & de-

(1) *Hora recitandi Matutini die præcedenti incipit post exactas tres partes diei, uti in Calendario Romano advertitur est.* Inst. Eccl. 24. *Lambertini* §. 12. *Non est tamen Matutinum segregandum a Laudibus, sine justa causa, quæ optime suggerit Ecclesia, sejungendo Matutinum a Laudibus Nocte Natalis Domini.* Inst. Eccl. cod. §. 9.

debita attentione mentis, ac reverentia tam interna, quam externa.

Item pronuntiatio debet esse articulata & sensibilis, seu per se audibilis recitanti, itaut recitans, seclusis impedimentis, seipsum audire possit. Nam oratio vocalis, prout a mentali distinguitur, debet habere sonum distinctum; omnis autem sonus est per se audibilis, cum sit objectum auditus. *Ita Medin. Navar. Reginald. Sanch. &c.*

Quæst. IV. *An ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio & attentio interna, & qualis?*

Nota. Intentio hic est volitio orandi & laudandi Deum. Attentio duplex est, externa, & interna. Attentio externa consistit in attentione ad prolationem verborum, ut distincte ac integre pronuncientur, excludente omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, & evagationem sensuum circa objecta distractiva. Attentio interna est advertentia mentis vel ad sensum verborum, vel ad Deum, aut res divinas.

Resp. 1. In recitatione officii requiritur intentio seu voluntas orandi, vel explicita, qua quis initio velit expresse orare; vel saltem implicita, qua velit recitare ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ: in hac quippe volitione implicite includitur intentio Deum orandi & laudandi, cum id quod Ecclesia præcipit, sit laus Dei, & oratio. Nam cum recitatio externa officii sit indifferens, ut est oratio, studium, exercitium memoriæ &c. debet ab intentione orandi tamquam a forma determinari, ut sit oratio & cultus Dei, qualis præcipitur. Et vero recitatio officii ex alia intentione, v. gr. studendi, non est vera oratio vocalis, nec actus religionis. Præterea oratio est locutio cum Deo, & non loquitur cum Deo, sicut nec cum homine, qui non intendit cum eo loqui.

Resp. 2. Ad satisfaciendum præcepto requiritur quoque non solum attentio ad verba, ut distincte ac integre pronuncientur, & qua excludat omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, ita ut qui plaudendo, scribendo, ludendo, comœdias spectando, fabulantes audiendo &c. Horas memoriter recitarent, non satisfaceret præcepto; sed requiritur etiam attentio interna ad Deum seu res divinas, vel ad sensum verborum, vel saltem ad verba ut laudes Dei, orationem & pias affectiones continentia, considerando Deum præsentem cum pio humilique ad ipsum affectu, & intendendo per illa Deum orare ac laudare, atque omnem voluntariam distractionem rejiciendo. *Ita Reginald. Azor. Layn. Valentia, Suarez docens, hanc esse communem sententiam.*

Prob. Quia 1. Præcipitur oratio vera, quæ sit actus religionis gratus Deo, & utilis Ecclesiæ. At sine attentione interna oratio non est verus Dei cultus, nam omnis cultus Dei fieri debet in spiritu & veritate, & non solo corpore, ex Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate; nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Nec est vera oratio, cum omnis oratio ex S. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 24. fit ascensus mentis ad Deum: sed est quædam species hypocrisis, & simulatio orationis, ex Matth. 15. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens; Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Neque est utilis *Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitus corporalis vocis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri?* ait S. Augustin. ser. 29. in Psal. 118. *Quomodo te audiri postulat a Deo cum te ipse non audiat?* ait S. Cyprian. lib. de orat. Dominica. Enimvero qui utilis esset ejusmodi Oratio, utpote injuriosa Deo? *Ipsas superfluas (res) cogitare, injuria est ejus, cum quo loqui cupimus. Oratio tua locutio est ad Deum.* Ita S. Aug. in Psal. 85.

2. Cap. *Dolentes* sup. cit. præcipitur devotio simpliciter. At devotio externa sine interna excludente omnem distractionem voluntariam, non est devotio, sed simulacrum devotionis: sicut homo pictus non est verus homo, sed simulacrum hominis. Deinde hæc verba Concilii (*quantum eis Deus dederit*), significant devotionem indigentem gratia Dei, idcoque internam: nam solam externam solent habere hypocritæ.

3. Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. jubet ut officium recitetur *reverenter, distincte, devote*, quæ tria frustra addidisset, si præciperet tantum reverentiam externam. Et ideo multa Concilia, ut Trevir. II. Burdigal. ann. 1583. Bituric. ann. 1584. Narbon. & Conventus Melodun. differte præcipiunt ut officium recitetur *attente & devote*; & Concil. Colonienſe, *elevata mente in solum Deum*. Item Cleros Gallican. anno 1700. ut obtinam & verbo Dei contrarium damnavit hanc propositionem: *Præcepto satisfacit, qui voluntarie labiis tantum, non autem mente orat.*

Hinc peccat moraliter qui per notabilem officii partem voluntarie distrahitur, perinde ac si partem illam omitteret; cum recitatio sine attentione debita non sit recitatio religiosa quæ præcipitur, nec vera oratio. Item peccat, qui recitat in loco distractionibus exposito, v. gr. foro publico, vel loco ubi est frequens concursus, clamor, aut strepitus profanus hominum, aut ubi habentur disputationes, ut expresse docent Bonacina, Castropal. &c. Nam cum teneatur ad attentionem internam, tenetur etiam ad removenda ejus impedimenta, & alias voluntarie se exponit periculo non attendendi.

Obj. Ex his sequitur, quod distractio voluntaria in oratione non præcepta vacet culpa; quia per illam destruitur substantia orationis vocalis, & sic tunc solum cessat oratio.

Resp. negat. Quia est irreverentia contra Deum, exterius Deum alloqui, ac profiteri se Deum colere, & id non facere interius, sed alia animo volvere, estque simulatio cultus divini. Est etiam irreverentia orationem inchoatam sine causa intercumpere.

Nota. Sufficit attentio virtualis, quæ est attentio ad Deum vel res divinas initio orationis habita, & virtualiter perseverans in processu orationis, quamdiu non revocatur, neque expresse per volitionem expressam non amplius attendendi, neque implicite per distractionem voluntariam; ut si advertens te distrahi, mentem non revoces ad Deum vel res divinas. Nam cum attentione illa virtuali subsistit vera oratio, & actus humanus religiosus, & sæpe attentio actualis non est in nostra potestate. Hinc non teneris repetere quæ involuntarie distractus recitasti, cum virtualiter attenderis. Immo melius est, si non re-

petas, ad vitandam anxietatem & perturbationem in recitatione officii. Sed ubi quis advertit se distrahi, tenetur mentem statim revocare ad Deum vel res divinas, vel ad sensum verborum: alioquin tunc habet virtuale propositum non attendendi, ficut ille, qui occupat se in rebus exterioribus, quæ non patiuntur secum interiorem attentionem.

Quæst. V. *An satisfacit, qui legit cum socio extra Ecclesiam?*

Resp. Affirm. Quia id congruit cum publico usu Ecclesiæ, & recitantes sibi commune faciunt quod alternatim recitant. Sed tunc singuli debent alternos Psalmorum versus distincte & integre, & voce audibili a socio recitare; ita ut unus non legat suum versum priusquam alter integre absolverit suum, & audiatur ab alio. Nam socius non communicat in parte, quæ anticipate dicitur, & quam non audit; & sic non potest attendendo illam facere suam; ideoque tenetur supplere, antequam suam ipse partem recitet, non enim satisfacit præcepto nisi devote & attente recitando partem officii, & aliam audiendo. Si plures quam duo simul legant, debent, facto solum duplici choro, alternatim recitare, sive plures sint ex una parte, sive pauciores, alias fieret contra usum Ecclesiæ. Secus est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam legere potest.

Quæst. VI. *Quanam excusant a lectione Horarum?*

Resp. Sequentia. 1. Gravis infirmitas, ita ut sine notabili incommodo, seu nocumento, vel incremento morbi, aut periculo gravi recitari nequeant, ex c. 3. dist. 91. in dubio, ex communi sententia consulendus est medicus probus & peritus, & illius judicio standum; quia ratione officii & peritiæ in arte, hoc judicium ad illum pertinet. Si ipse dubitet, opus est tunc dispensatione Superioris, qui si aliri nequit, & medicus suspicetur grave nocumentum sequi posse, docent tunc ægrum excusari, quia Ecclesia non obligat tunc ad se exponendum periculo gravis damni. Qui autem non potest recitare solus, sed potest cum socio, ad hoc tunctur, si socium commode habere queat, quia sic potest moraliter observare præceptum; & obligatus ad finem, eo ipso obligatur ad usum mediorum saltem facile comparabilium. Immo Suarez, Bonacina, & alii docent beneficiatum tunc teneri conducere socium cum quo recitet, si sufficientes ad hoc fructus ex beneficio colligat: quia fructus illos percipit ut officium persolvat, & per illos potest sibi comparare necdium persolvendi.

2. Gravis & repentina occupatio, quæ sine scandalo vel notabili damno proprio aut alieno omitti, vel differri nequeat. Nam Ecclesia non præsumitur velle obligare cum tanto gravamine. Quando tamen aliqua occupatio, vel ægritudo impedit, vel impeditura prævidetur tempore legitimo, tunc est obligatio anteponendi, vel postponendi Horas intra eumdem diem. Quia obligatio cadit in totum diem, & durat per singulas ejus partes, potestque impleri quoad substantiam quavis illius hora. Ergo si una pars diei est impedita, dici debet officium quavis alia.

3. Recitandi impotentia, ut cæcitas, vel carentia Breviarii inculpata, si aliud haberi nequeat: nam nemo tenetur ad impossibile. Quo casu si totum officium, aut parva Hora memoriter dici possit, dici debet. Nam generaliter loquendo, qui non potest totum officium recitare, sed potest partem ejus notabilem, vel unam parvam Horam, ver. gr. Primam, vel Tertiam, aut Completorium, ad eam sub mortali tenetur; tum quia innocen. XI. damnavit hanc propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, possit autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia minor pars trahit ad se minorem.* Tum quia hoc præceptum obligat ad omnes & singulas Horas, & quævis Hora sit per se oratio Canonica integra, ab aliis distincta, confertque notabiliter ad finem præcepti. Porro carens officio particulari tenetur recitare officium communem, vel simile.

4. Legitima dispensatio Papæ. Aliqui docent ex usu ubique recepto Episcopos & Superiores Ordinum posse dispensare cum suis subditis ad breve tempus, in dubio de morali impotentia recitandi; & hoc videtur necessarium ad tollendas perplexitates, & impediendum grave nocumentum.

APPENDIX COMPENDIARIA.

Ex Operibus Benedicti XIV. quoad Horas Canonicas.

CAnonici, & beneficiari tenentur ex jure Ecclesiastico recitare officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere, Canonici vero Cathedralium, vel Collegiatarum præstare id in Choro tenentur. *Inst. Eccl.* 107. §. 7.

Canonici tenentur recitare divinam psalmodiam in Choro, adjungentes se eidem Choro, nec sufficit si tantum adsistant, alioqui non faciunt fructus suos, nisi tamen adfuerit privilegium Apostolicum non præsumptum, nec abrogatum. Ita in Encyclica ad Episcopos Italiæ *Cum semper. Bull.* Tom. I. n. 103.

Nec solum tenentur adsistere, sed etiam alta voce recitare, & associare cantum Horarum Canonicarum, nulla in contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione Sac. Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. *de reform.* evincitur. *Instit. Eccl.* 107. n. 16. Idcirco tenentur Canonici, & alii addicti Choro cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibito S. Congregationi in causa Murana Mansionariæ die 13. Novembris 1735. a secretario ejusdem Congregationis demonstratur. *Inst. Eccl.* 107. §. 26.

In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes *Divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia*, sed ut censuit S. Congregatio, non est sublata Capitularibus facultas *se se invicem substituendi, dummodo substituens, & substitutus, eidem servitio adscripti non sint.* Cavendum est tamen ne nimis frequentes sint istæ substitutiones. Non possunt uti hac facultate illi Canonici, qui extra civitatem, vel suburbia constituti. Nec ea uti potest nisi Canonicus, vel Mansionarius, non vero coadjutores eorum, ut ex pluribus Decretis Sacr. Congr. *ibid.* §. 17. 18.

Si Chorus Ecclesiæ efficiatur incommodus, puta hyemali tempore, potest adaptari eidem muneri prælando aliqua Capella ejusdem Ecclesiæ, ut ex Decreto S. Congr. *ibid.* §. 19.

In ordine ad recitationem Horarum præfertur illa sententia, quæ docet eos, qui admittent jocos, risus, & ca-

& cachinnos, & confabulationes in choro, reos esse peccati gravis, & ad restitutionem teneri, *ibid.*

In Decretali *dolentes* de celebr. Miss. pœna in eos qui hæc similia agunt, suspensio indicitur; hæc tamen suspensio est ferenda non latæ sententiæ, ut explicavit Honorius III. *in cap. 3. de Vita & honestate Clericorum*, inserto in quinta compilatione Decretalium edita a Clronio, *ibid. §. 29.*

Mos non mulctandi Canonicos, nisi cum supervenerint in Choro post absolutum primum Nocturnum cum Lectionibus, vel post sex priores psalmos in Matutinis de Feria; etiamsi consuetudo adsit, reprobatur a Sac. Congr. Conc. in Interamnensis visitationis die 24. Maji 1674. *ibid. §. 23.*

Quamquam in Choro teneantur recitare semel in hebdomada Officium Defunctorum, extra Chorum tamen non tenentur; quod etiam de officio B. M. V. Psalmis Pœnitentialibus, & Gradualibus definivit S. Pius V. in sua Constit. LXIV. *Inst. Eccl. 109. §. 9.*

Missa Conventualis, quamquam non veniat nomine Horarum canonicarum, venit tamen nomine Divini Officii. Quare si Cathedralis & Collegiatarum Canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem Missæ, *ibid. §. 11.*

Immemorialis consuetudo non excusat Canonicos Cathedralium & Collegiatarum insignium a residentia; bene tamen in Collegiatis non insignibus, & rurallibus, in quibus adeo tenues sunt reditus, ut Canonici aliunde non habentes unde vivant, non habitant. *Inst. Eccl. 107. §. 2.* ex Decr. Sac. Cong.

Absentia a choro per tres Menses non intelligitur permissa a Tridentino, si Ecclesiæ Constitutioni servitium totius anni absque ulla intermissione requirant, ut explicatum est in Decreto S. Cong. *Inst. Eccl. 107. §. 10.* Qua in re nulla contraria consuetudo etiam immemorabilis admittitur, ut censuit S. Cong. in suo Decreto, *ibid.*

Ad vacationem trium mensium concessa a Tridentino non requiritur licentia Episcopi, si tamen intra discessim consistant; requiritur autem vicissim si se ab illa absentent, petita tamen non debet ab Episcopo negari; ita ex Decretis Sac. Congreg. *ib. §. 36.*

Canonici vigore trimestris a Conc. Trid. sibi concessi non possunt simul abesse a choro ultra tertiam partem uno, & eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimæ, & Adventus, & in festis solemnioribus. Ita ex Decreto Sac. Congr. *ibid. §. 35.*

Pro absentibus habentur, qui absunt ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut præscripta quantitas trium mensium anno spatio superetur. Ita ex Decr. Sac. Congr. *ibid. §. 32.* Hinc Sac. Congr. in aliis Decretis, *ibid. §. 33.* relatis deridit pluriquam trimestre in valere, ut censeantur absentes. Nec approbavit eadem Sac. Congr. illos, qui calculum conficiebant ab hora in horam, & non a die in diem, *ibid.*

Absentes a servitio tempore vacationis non lucrantur distributiones quotidianas, nisi concessæ sint illis a Constitutionibus confirmatis a SS. Pontificibus ante Concil. Trident. Ita ex Decr. Sac. Congr. *ibid.*

Canonici qui absuerint ultra trimestre non sunt citandi, ut veniant ad servitium Ecclesiæ, qua in re differunt a Curatis non residentibus, qui ex Concilii præscripto citandi, vel admonendi sunt, ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur Canonici, ut dedicant causam cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus juxta præscriptum S. Concilii: Ita ex Decreto S. Congr. *ibid. §. 37.*

Porro ut tunc procedatur ad privationem Canonicatus, præcedere debet trium annorum absentia, tum expediendæ sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non comparet, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex Decr. Sac. Congr. *ibid.*

Attamen intra hoc triennium expectationis processit potest ad suspensionem delinquentis juxta dispositionem Cap. *Ex tua de Cleric. non resid.* Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi a Concilio præscripta; attamen nunc pergendum non est ad sententiam privationis. Ita ex Decr. Sac. Congr. *ibid.*

Quoad distributiones Concil. Trid. *sess. 21. cap. 3. de Reform.* mandat, ut separetur e massa capitulari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentes divinis officiis assistentes. Addit vero idem Concilium, quod si dignitates, & personatus Ecclesiarum Parochialium, & Collegiatarum numeribus suis defuerint, amittant distributiones, quæ applicentur *Fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, arbitrio Ordinarii*. Quod posterius intelligitur de dignitatibus reditus suos habentibus a Mensa Capitulari distincti: nam illæ, quæ participant ex eadem mensa, distributiones amittunt, sed quæ accrescunt præsentibus. *Inst. Eccl. 107. §. 31.*

Vetat insuper Sac. Concil. *sess. 24. cap. XII. de Reform.* ne Chorales secum invicem pacificantur, ne multentur absentes. Vetat etiam ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint, cui Decreto insistens Sac. Congr. Concilii semper negavit valere illas condonationes, *ibid. §. 41.*

Hoc tamen non obstante fas est Episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sapius respondit Sac. Congr. *ibid. §. 34.*

Caterum cum Sacrum Concilium exceptos judicet ab ea distributionum amissione illos, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis necessitas corporalis, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat; hinc Sac. Congreg. censuit in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin & si quis discedens a civitate sanus proponens reditum ad civitatem post legitimam vocationem, si interim segritudine afficiatur, nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in civitate, ut ex Decr. Sac. Congr. *ibid. §. 46.*

Verum non omnis segritudo excusat, nec omnes semper; nam si quis cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc etsi segritudo gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit Sac. Congr. *ibid. §. 47.*

Accidere tamen posset, ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed segritudine, qua afficitur, adesse Choro non permitteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in choro non recitet, ut censuit Sac. Congr. *ibid. §. 48.*

Debent etiam eas distributiones ex ea die, qua lu-

mine captus est, & non solum ex ea, qua se admitti ut præsentem postulavit, censuit Sac. Congr. *ibidem*.

Quin nec teneri illum substituere alium pro omne Missarum in Collegiata eadem Sac. Congregatio Decr. censuit, *ibid.*

Quando pestis grassatur (quod judicium Episcopo remittitur) Canonici qui se absentant ab Urbe, vel oppido, distributiones lucrantur, ut ex Decr. Sacr. Congreg.

Nec privantur etiam, qui assueti alias interesse choro, vexationibus injustis coacti se se e loco seducunt, ut ex Decr. Sac. Conc. *ibid. §. 52.*

Cujusmodi sunt etiam detenti injuste in carceribus, quæ injustitia tunc judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in judicatum transferiri; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est, quæ omnia ex Decr. Sac. Congr. *ibid. §. 52.*

Sententia in favorem rei illa dicitur hic, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam; sicut etiam, *quæ ex hactenus deductis* declaratur innocens; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est, quæ omnia ex Decretis Sac. Congr. *ibid. §. 52.*

Ex evidenti Ecclesiæ utilitate absentem ad distributiones admittit Bonifacius VIII. in cap. unic. *de Clericis non resid. in sexto*. Quare absens a choro decausa negotiorum Ecclesiæ suæ, vel capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit Sacr. Congr. *ibid. §. 8.*

Itaque canonicus Theologus, qua die legit, potest non amissis distributionibus a choro abesse, etsi vacare ille posset, ut censuit Sac. Congr. *ibid. §. 55.*

Hinc etiam Canonicus Pœnitentiarius, vel alius canonicus ab Episcopo deputatus in eum locum, dum actu audit confessiones tuto abest a choro, & distributiones obtinet, ut pluries censuit Sac. Congr. *ibid. §. 53.* Si vero absit dum actu non audit confessiones, distributiones minime percipit, ut ex aliis Decr. Sac. Congr. *ibid.*

Lucratur etiam fructus Prebendæ, non vero distributionem, etsi absens ille, qui habet canonicatui suo adnexam, sed extra civitatem, curam Animarum; tenetur enim in Parœcia residere pro eo tempore, quo in Parochiali Ecclesia residet, & Sacramenta administrat. Ita ex Conc. Trid. *sess. 22. cap. 3. de Reform.* addita Bulla 63. S. Pii V.

Qui vero habet curam Animarum in ea Ecclesia, in qua est canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum, quæ spectant ad curam Animarum, distributiones quotidianas obtinet, *ibid. §. 56.*

Fas est Episcopis servitiis suis adjungere saltem geminos canonicos cathedralis, seu etiam collegiatarum; attamen non potest seligere canonicum seu dignitatem, neque etiam coadjutorem. Hos vero lucrari fructus prælendæ, non vero distributiones constat. Ita ex pluribus Decretis Sac. Cong. *ibid. §. 57. 58.*

Canonici, quos Episcopus mittit Romam invisuros sacra limina suo nomine, vel illum ea occasione comitantes, distributiones quotidianas non amittunt, ut pluries censuit Sac. Cong. *ibid. §. 59.*

Ex lege Concilii Trid. *sess. 24. cap. 12.* possunt cogi canonici *Episcopo celebranti, vel alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire*. Porro ex Decr. Sac. Congr. discimus Episcopo in cathedrali celebranti in Pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationibus absunt. Tenentur vero etiam præstare illi munus subdiaconi; quod verum est etiamsi Episcopus celebret, seu Ordines ministret extra cathedralem intra Diœcesim & suburbia, tenentur enim etiam tunc præstare munus Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri adsistentis, & duorum illorum canonicorum, qui Episcopo Ordines ministranti eum Archidiacono adsunt. Ita ex plur. ribus Decr. Sacr. Congr. *ibid. §. 60.*

Porro hæc assistentia locum habet etiam cum Episcopus in sua cathedrali præsens est Missæ, & divinis officiis diebus dominicis, & festis etiam non solemnibus, & diebus ferialibus quadragesimæ. Quod verum est etiam, quando Episcopus in aliis Ecclesiis civitatis pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali, & mitra, aut cum cappa divinis officiis, & Missæ solemni, alia Pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens canonicorum, & Ministrorum in Ecclesia cathedrali remaneat. Ita ex Decreto Sac. Congr. *ibid.*

Valent etiam hæc dum Episcopus in Ecclesia cathedrali adest concioni diebus quadragesimæ, & aliis intra annum. Non vero si cum cappa assistit concioni, quæ habetur in aliis Ecclesiis civitatis, etiam exemptis, *ibid. §. 62.*

In his omnibus rerum circumstantiis canonici, qui Episcopo inserviunt, si actu debeant choro interesse, non semper tamen obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt pontificaliter celebranti, non vero Episcopo Diœcesim visitanti, vel Missam privatam celebranti, *ibid. §. 61.*

Animadvertendum est canonicos non præsentes, de quibus supra dictimus, non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis Anniversariorum, quæ ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes, ut ex Decr. Sac. Congr. *ibid. §. 61.*

Demum distributiones quotidianas obtinent canonici, & Beneficiati, qui interdum intra annum intra domum Religiosam quasi exercitia spiritualia præstant cum licentia Episcopi, non tamen si in Adventu, Quadragesima, & festis solemnibus id agunt, & ita agunt, ut servitio chori nullum detrimentum inferatur. Ita ex Encyclic. Clem. XI. *ibid. §. 63.*

Distributionibus etiam quotidianis non privantur canonici, & manionarii emeriti, sive si coadjutorem habeant, *ibid.* Debent tamen indultum hoc obtinuisse a Sac. Cong. ni cujus nec loci residentia astringuntur. Quamquam possunt ab Episcopo compelli ad assistendum choro, si cultus divinus detrimentum patiatur. Ita ex Decr. Sac. Congr. *ibid. §. 64.*

Porro si coadjutor sive intra civitatem ægrotet, sive extra, non tenetur coadjutus assistere choro, & nihilo secius lucratur distributiones, quæ ipsi omnino debentur, etiam cum iis emolumentis, quæ præsentibus accrescunt, *ibid. §. 65.*

Distributionibus privatur Vicarius Generalis Episcopi, canonices examinator, quisque in Tribunali S. Officii munus suum præbet, ministri camerales, scilicet subcollectores spoliorum, & decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre a Tridentino concessum. De-

nique nec magistri juris canonici & Sacræ Theologiæ in publicis universitatibus docentes; qui tamen si recurrerint ad Sac. Congr. obtinent fructus Præbendæ, & si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum, quod etiam postremum conceditur iis, qui causa studiorum in publicis universitatibus absunt, *ibid. §. 72.*

Absentes vero causa studii ex Decr. Innoc. XII. si indultum sibi concessum non exhibuerint Ordinario loci, & in Actis cancellariæ non registretur intra tempus in indulto præfixum, perinde est ac si non adfuissent, *ibid.*

Coadjutoribus non conceditur indultum absentandi se se causa studii, *ibid.*

Studium vero præstari debet in publica universitate, ac prodesit pro eo pariter tempore, quo lector privatam lectionem habet, & non in Aula publica universitatis, ut ex Decr. Sac. Congr. *ibid.*

Si eo tempore, quo officia persolvuntur in choro capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, canonici non possunt absentare se se absque subtractione distributionum pro eo tempore, quo absunt, ut ex Decr. Sac. Congr. *ibid. §. 73.*

Nec etiam deserere possunt chorum ut Missam celebrent, vel confessiones audiant, nisi superior id jusserit, monetur tamen superior ut ab his justis tubus abstineat, in Decr. Sacr. Congr. Anni 1573. *ibid. §. 74.*

Dignitatem novam in cathedrali Ecclesia erigere nemo potest, nisi unus tantummodo summus Pontifex, ut pluries decisum in Sac. Congr. Conc. notatur. *Tract. de Synod. Diœcef. lib. 7. cap. 13. §. 8.*

Pro canonico theologali concursus indictus est ex Bulla Bened. XIII. *Pastoralis Officii*; ejus tamen collatio pertinet ad Episcopum ex can. *Ad regimen* de Præbend. Concursus ille indictendus est ab Episcopo, a quo examinatores destinandi sunt quatuor in Theologia licentiati, sive sæculares, sive regulares, nec requiruntur Synodales. Concurrentes debent esse Doctores in Sacra Theologia, vel saltem intra annum tenentur doctoralem lauream in aliqua universitate approbata studii generalis assequi. Quæ omnia ex eadem Bulla resultant.

Acta vero concursus transmittenda sunt ad Romanum Pontificem, a quo dignior eligetur, ut in eadem Bulla, & *Inst. Eccl. 57. §. 4.*

Nec sufficit laurea canonica ex responso Sac. Congr. *Inst. Eccl. §. 57. §. 4.*

Nec sufficit etiam si hæc laurea recepta ab aliquo privilegium obtinente, sed requiritur omnino obtinuisse in universitate approbata, quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex Bulla 70. S. Pii V. *ibid. §. 5.*

Theologus canonicus satisfacit suo muneri, sive legit Sacram Scripturam, sive Theologiam Scholasticam, ut lapsus resolvit Sac. Congr. *ibid. §. 6.* Non tamen si legat Theologiam moralem ut *ibid. §. 7.*

Ex Præbenda Theologali segreganda est tertia pars, ex cujus redditibus data proportione solvenda est sua portio Sacristiæ Metropolitanæ, respondens diebus, quibus canonicus deellet suo muneri, *ibid.*

CAPUT II.

De observantia Festorum.

Nota. Præceptum tertium Decalogi de sanctificatione Sabbati, est partim morale, partim ceremoniale, ut docet S. Th. 2. 2. qu. 122. art. 4. ad 1. Morale, quatenus homo jure naturali tenetur aliquod vitæ suæ tempus impendere cultui divino, ac rebus divinis. Ceremoniale, quantum ad designationem temporis, & secundum hanc rationem mutatum est ab Apostolis, a quibus sabbato substituta est dies Dominica, quæ est prima hebdomadæ, in memoriam Resurrectionis Christi, qui hac die a laboribus vitæ suæ, Passionis, & ignominia mortis gloriosus requievit. Item aliquot festorum observatio ab Ecclesia præcipitur in memoriam beneficiorum Dei, & in honorem Sanctorum, in quorum sanctitate & victoria ac mercede, Dei bonitas, potentia ac liberalitas laudatur, & ad quorum imitationem fideles excitantur. Quibus quidem diebus Festis Ecclesia præcipit eumdem cultum qui diebus Dominicis præcipitur; in hoc enim consistit festivitas diei, & constat ex sensu & præzi Ecclesiæ.

Præceptum autem de sanctificatione Festorum per se omnes sub mortali obligare constat, tum ex consensu Doctorum & fidelium, tum quia ejus materia est gravis, & ad cultum Dei pertinet. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Quæst. I. *Quænam opera sunt vetita diebus festis?*

Resp. 1. Prohibentur omnia opera servilia, exceptis iis, quæ jure aut consuetudine legitime sunt permissa, ut coquere cibos, aut alia id genus ob necessitatem, c. 3. *de Feriis*. Opera autem servilia dicuntur opera corporalia, quæ ad necessitatem vel commodum corporis, aut ad aliquid corporale, a servis aut mercenariis exerceri solent, videlicet omnia opera artium mechanicarum, & ruralia, ut fabricare, fuere, arare &c. Quibus opponuntur opera liberalia, quæ ad animum excolendum spectant, idcoque digna homine libero, ut legere, scribere, docere &c. *Nullius servilis actus exercitium est contra observantiam Sabbati, puta si quis doceat verbo vel scripto.* S. Thom. 2. 2. qu. 122. art. 4. ad 3. (1)

Porro quando opus est vere servile, non refert utrum fiat ex recreatione, an ex lucro: quia intentio operantis non mutat naturam operis. Deinde operari spe lucri commune est omnibus. *Opera autem*

(1) *Opera servilia diebus festis prohibentur, ne, ruralibus quidem exceptis. Concedantur tamen si urgeat vera, & non affectata necessitas. Affectata illa diceretur, in qua opera, quæ diebus præcedentibus fieri possent, ad diem festum transferrentur. Petenda est tamen a superiore facultas, si quid insurgat necessitatis. Hanc vero facultatem dare solet Episcopus Parochis ruralibus in ordine ad opera agreſtia, qualia se habeant oneratio plaustrorum, collectio frugum, & fructuum, herbam secare, colligere famem, quando periculum imminet vere tempestatis, vel quando die sequenti transferenda sunt in Civitatem, nec possit id commode differri. Lambertinus* Inst. Eccl. 55. §. 33.

tem in quantum sunt communia & servis & liberis, servilia non dicuntur. S. Th. ibid.

Nota. Venatio & piscatio sunt opera servilia (1) Nam sunt actiones corporales, per se & primario ordinatæ ad utilitatem corporis, & ad aliquod opus corporeum, scilicet ad captionem & occisionem ferarum, & piscium. Idem die de opere pingendi, cum sit opus corporale immediate ordinatum ad artefactum sensibile affimilandum rei veræ, soleatque a mercenariis, seu iis, qui lucrum ex arte quærunt, fieri. Et in Conc. Meldensi an. 845. expresse prohibentur pictura & venatio. De piscatione constat ex cap. *de Feriis*, ubi specialiter sub certo onere conceditur facultas halecia piscandi ob necessitatem.

Scribere vero, & pulsare instrumenta musica, non sunt servilia: nam scriptio ordinatur ad animum instruendum; cum sit quædam locutio permanens, ex se ordinata ad conceptus mentis declarandos, seu ad instruendam mentem propriam vel alienam: pulsatio autem instrumenti musici ordinatur ad delectationem animi. Idem multi dicunt de transcriptione, rum quia per se ordinatur ad mentem instruendam, & exprimendos animi conceptus, tum quia transcribere nil aliud est quam scribere, quod alius vel ipse transcriptor permanenter locutus est. Aliud est de impressione: nam quæ ad eam immediate ac per se concurrunt, ad instruendam mentem non deserviunt, sed ad efficiendum quoddam artefactum corporale seu sensibile.

Quamvis autem itineratio, si præcise consideretur, ut est processus ab uno loco ad alium, sive pedibus, sive equo aut rheda, non sit opus servile, cum hoc sit naturale, & commune omnibus; tamen servile est ducere jumentum, currum, aut navigium mercibus onustum: item imponere onera, ea tollere, & alia hujusmodi: quare non licet vectoribus iter die festo inchoare, quamvis continuatio itineris ante festum suscepti iis permittatur, vel ob publicam necessitatem, vel ob damnum quod parerentur ex mora.

Resp. 2. cap. 2. & ult. *de Feriis*, & Pii V. constit. *Cum Primum*. Vetita sunt insuper, 1. Opera judicialia, seu forensia, quæ cum aliquo strepitu fiunt; hoc est actiones, quæ ad decisionem causarum spectant, ut reum citare, testes examinare, formare processum, exigere juramentum judiciale, exhibere instrumenta, proferre aut exequi sententiam &c. Hæc enim strepitum judicialem continent. 2. Mercatus, nundinæ & celebratio contractuum; ita ut non liceat die festo negotiari etiam privatim, inire contractus permutationis, emptionis, locationis &c. quia intelliguntur nomine mercatus: nisi ex consuetudine approbata aut ex justa ac necessaria causa excusentur. Ratio prohibitionis horum operum est, quia animam multum distrahunt, & avocant a rebus divinis, ad quas Festa destinantur, atque ut animus his expeditus possit Dei obsequio, & piis operibus vacare.

Violatio autem hujus prohibitionis est ex genere suo mortalis, cum pertineat ad religionem, & ordinetur ad finem gravissimum, qui est Dei cultus. Hinc est mortale duas horas sive contioenter, sive interrupte laborare: nam est tempus notabile. Immo non pauci docent laborem unius horæ esse mortale, præsertim si opus sit valde servile & defatigans. Ita *Azor, Reginald. Bonacina, Grandin. &c.* Opus tamen servile potest esse veniale ex brevitate temporis. In Mercato vero, & præsertim in placito, materiæ quantitas non solum ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis definitur. Sic brevis agitatio litis in re magni momenti, & prolatio sententiæ, est gravis culpa.

Ad Mercatum Nundinalque quod attinet SS. M. Bened. XIV. duas constitutiones edidit. Priori, quæ incipit *Paternæ Caritatis*, tom. 1. pag. 378. statuit, Senogalliensium Nundinarum tempore abstinendum esse diebus Festis ab operibus servilibus: altera vero, quæ incipit *Ab eo tempore*, pag. 381. decernit.

Primo: *Mercatus, & Nundinas festis diebus non licere. Nundinas autem intelligimus, quæ sunt ex rebus mutoribus, & semel in anno sunt, vel raro in eodem loco, & de longinquo ibidem conveniunt homines: Mercatus vero, qui sunt in rebus minoribus ad quotidianas necessitates pertinentibus ut sunt: singulis septimanis, & ab hominibus de vicino ibidem convenientibus. Verba sunt Venerab. Servi Dei Umbervi de Romanis, Quinti Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum*, in egregio opere de eruditione Religiosorum Prædicatorum lib. 2. Tr. 2. n. 92. pag. 351. Editionis Romanæ. *Id autem pronunciamus, non quia vendere, ac emere se opus servile, idroque vetitum diebus Festis: sed quia actiones hujusmodi impediunt, & distrahunt Christifideles a cultu divino, ad quem Dies Festi sunt instituti.*

Secundo: *Auctoritum profecto esse abstinere Mercatuum, itemque Nundinarum illidem diebus.*

Tertio: *Ecclesiasticis legibus quovis tempore illas fuisse vetitas.*

Quarto: *Hujusmodi justas, sanctasque leges canusse effectus.*

Quinto tandem: *Quia malum universale est, ac alte radices egit: est opus prudentia, & maturitate, ne fructu careat medela: ac quinam exasperes; quod possumus exigendum est, non quod optamus. Admonitionibus proinde uti satius videtur, quam minis; & si minæ quandoque intententur, servandum est egatum munitum sapientissimum S. Augus. in Epis. 22. ad Aurelium Carthaginiensem Epis-*

(1) *Piscatio inter opera servilia die festo vetita referenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, & quod satis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo piscatio eorum nulla foret, tunc pauperioribus piscatoribus datum est, ut operi illi incumbere possint, dummodo id non præsent die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi, juxta ac olim concessum fuit Trevirensibus ab Alexandro III. Idem* ibid. lib. 13. cap. 28. §. 10. Nov. Edit.

Adde quod ait, non posse Molitores molitioni incumbere, etiamsi molendinum aqua, seu jumentis, seu vento volvatur; non possunt, inquam, seclusa consuetudine, vel necessitate, quæ necessitas, si adsit, in Diœcesi Bonnensi facultas non a Parocho, sed a Curia Archiepiscopali conceditur. Idem Inst. Eccl. 55. §. 37.

Episcopum, qui agens de auferenda convivorum licentia totam passim Africam fuse occupante sub inani obtentu honorandi Festa Sanctor. Martyrum scripsit: Non afpere, quantum existimo, non duriter, non modo imperiose ista tollumus; magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando: sic enim agendum est cum multitudine. Severitas autem exercenda est in peccata pauciorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum: ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius moveantur spirituales, vel spiritualibus proximiores, quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cetera multitudo frangatur.

Circa finem vero: *Inter Nundinas, quæ in Provinciis nostris aguntur, illustriores, ut bene nostis, sunt Senogallienses protectæ multis diebus. Cum Anconitanam Ecclesiam Senogalliensi finitimam vegetemus, non sine maxore intelligimus, tempore Nundinarum ea omnia fieri Festo etiam die, quæ aliis hebdomadæ diebus divino cultui non consecratis peragebantur. Huic malo occurrere satagentes, die 24. Augusti superioris anni Constitutionem nostram de Nundinis Senogallien. finitimam publicavimus, qua præter cetera sussimus, ut Diebus Festis Apotheca clauderentur, neque matutinis horis, aut vesperino tempore, quibus Divina Officia in Ecclesia celebrentur, vel Dei verbum Populo nuntiatur, contractus fierent. Imminutum vero hac de causa sacularibus negotiis tempus compensaturi, Nundinarum dies, cum iisdem Privilegiis, & immunitatibus opportune multiplicavimus. Exequentes debitæ justa nostra hoc anno mandata, meliorem atque utiliorem rerum ordinem peperemus, magno omnium Civium, & bene moratorum hominum solatio.*

Id ipsum, Vener. Fratres, & vos agite. Constituite Auctoritate nostra, matutinas, & vespertinas horas, quibus Festo Dei, quo Nundinæ habentur, claudi debeant Apothecæ, ne publice possint exercere commercia, ut qui ad Nundinas confluxerunt, Missæ Sacrificio, & Divinis Officiis interfint, aliisque Christianis operibus Festum sanctificent. Vigilate, ut omnia plene, & exacte impleantur. Nos autem per publicum Edictum non prætermittemus extendere Nundinarum privilegia ad diem sequentem, qui Festus non erit, ut temporalia negotia sanctarum horarum spatio, propter Dei cultum, & animarum salutem intermissa, integri diei accessione commode peragantur.

Resp. 3. Choreæ, saltationes, & theatrici ludi diebus præsertim festis damnantur a SS. Patribus, & prohibentur a multis Conciliis. Tum quia retrahunt a divino cultu, & piis operibus, quibus dies festi specialiter destinati sunt: tum quia sunt ordinarie multis, præsertim juvenibus & puellis, occasio peccandi; nam in choreis ex mutuo aspectu, colloquio, manuum contactu, instrumentis mulcis, & multo sibi invicem placendi desiderio valde commovetur concupiscentia ad libidinem, excitantur turpes cogitationes, & cupiditatem, venereæque delectationes, & excitatæ facile admittuntur. Item a multis Episcopis, & Principibus merito veritum est, ne caupones vel alii tempore divini officii & concionis loci incolas ad potandum vel ludendum recipiant. Hoc-

que per se malum est, cum sit ecoperari violationi Festorum, ac scandalo, & præbere facultatem peccandi.

Invercumda spectacula festis potissimum diebus frequentari solita idem SS. Pater sequenti Constitutione prohibuit; quam integram referendam duximus, quod ea explicetur ac confirmetur Auct. doctrina.

Nihil profecto Nobis ad vigilias Dominici Gregis assidue excubantibus accidere potuit acerbius, vibique quod minus hac tempestate opinaremur, quam ut deformes, & invercundi Ethnicorum mores, a quibus Christiani hominis pudor, & modestia semper abhorruit, denuo ibhic invecti essent ac velut postliminio restituti. Quamvis enim nimirum Nos latuerit, fecisse olim Lupercalium Administri, sacra Fauno, vel Pani per ludum, atque lasciviam persolvendi modo hac illuc per Urbem discurrisse, Sanctumque Pontificem Gelasium Prædecessorem nostrum tanta commotum impudentia, ac obscenum morem execrantem, litteras dedisse Andronico Senatori, Populoque Romano acri nefarii ritus asserori: Nihilo tamen minus memoriæ prodituum est, quinto post Christum sæculo exeunte, Theodorico Italiæ Rege, & Anastasio Orientis Imperatore, pessem illam penitus fuisse sublatam, & exstinctam. Nunc vero multorum relata, (quod dolenter dicimus) certisque indiciis admonemur: profanum nervem, perpetua involvendum caligine, e tenebris antiquitatis rursus emergere, ac in nostris Diœcesibus fuse revocari, cum ad Sanctorum Patrocinorum Festa solemniter recolenda, Pueri, ac interdum etiam Adolescentes, cursu in spem Bravii nudi contendere jubeantur, maxima utriusque sexus, ac omnium ætatum spectante frequentia. Quæ quidem spectacula eo nequitiæ magis, ac improbitatis præferuntur, quo magis, non impuro alicui, ut antea, Numini, sed piæ, castæque Sanctorum memoriæ nuncupantur.

§. 1. Qua igitur corporis nuditate impudentissime habita sunt apud veteres Lupercalia, eadem Festi Christianorum dies ibhic celebrantur: nec minus injuriæ in illis verecundia passa est, quam in his bodie morum honestas habeat detrimenti. Dies Festi non ad id instituti sunt, ut Christianus Populus ejulis, choreis atibus, ludis, spectaculis, aliaque id genus licentiæ liberius vacet, sed ut Fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, & assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animæ vniversorum curationem instituta adhibeant, sedulique se exerceant in his operibus, quæ veram pietatem continent, & ut demum Sanctos una cum Christo Regnantes, tamquam Patronos, congruis officiis, & honoribus prosequantur.

§. 2. Dedecet præterea membrorum nuditas, atque ita decet, ut veteris Ecclesiastica Disciplinæ, vel Salvatoris Imaginem nudo pectum corpore in variabulis, vel Simulacris expressas: Et quamvis nudo corpore Christum Cruci fuæ affixum, & illorum temporum mores, & gravium Scriptorum auctoritas suadeant: adhuc Christianorum Pietas a tali spectaculo semper abhorruit. Athletarum pugnæ (ut litteris consignatum est) in studio apud Græcos, in Circo apud Romanos usui fuere, atque in illis Disco, Lucta, & Cestu strenue certassa est, usque veterum reflantur Monumenta, interdum nudi, interdum etiam fascia tecti homines dimicarunt. In vestris igitur Diœcesibus, Venerabiles Fratres, nonnihil priscæ licentiæ adhuc remanet: & cum in Plateis seminudi his luctationibus vacent homines: tumque ex industria sapius, sapius vero ex violento motu nudi penitus circumagantur: facile quisque conjicere potest, quam absonum, & indecorum sit his indis adhuc non interlndere.

§. 3. Quapropter ne insuncto Nobis Apostolicæ servitutis officio deesse videamur, districte per hac scripta mandamus, ut turpes, & obscenæ hujusmodi exercitationes, Puerorum, & Adolescentum nudarum cursus, luctaque quocumque nomine, vel occasione exhibendæ, a vestris Diœcesibus eliminentur. Et quia inobedientia delictum, mixti, ut ajunt, Fori videri potest; curabimus diligenter, ut si qui legum vestrarum rationi fuerint refragati, in eos, etiam qui nostro nomine Civitatibus temporaliter præsunt, vigide, & condigne animadvertant; sicque fore speramus, ut fœda hæc corruptela, utroque percussa gladio, radicitus evellatur.

§. 4. Verum quia emptoribus etiam Causis Vindices non desunt, & perpugnaces asserores: si qui forte sint, qui impudenter exprobrent, hujusmodi ludos Pontificum Antecessorum tolerantia, ac diuturno usu invaluisse; hi probe sciant, nullum ex temporali lapsu deplorate causæ comparari præsidium. Et ne longe a vestris Diœcesibus petantur exempla, in memoria revocent, Choreas etiam quasdam mulierum, & virorum publice eo die haberi solitas, quo S. Xisti Pontif. & Mart. Matrime Civitatis Patroni memoria recolebatur, justu Episcopi provide vetitas fuisse. Et editum Episcopi, licet acri calamo Romanæ Curiæ Advocatorum impetitum, die 2. Aprilis 1695. a Congreg. Negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, strenue fuisse propugnatum. Ceterum cum Sancto etiam Gelasio obloquentes, antiqui moris fuisse Lupercalia, Sanctissimus Pontifex consuetudinem pudori inimicam, & honestati detrahentem reprobavit, ratus Prædecessorum summum leges salubertimæ institutas non defuisse, sed hominum fraude, & malitia leges ipsas fuisse contemptas.

§. 5. Quemadmodum itaque Nos de perfecta Prædecessorum nostrorum vigilantia egregie, ut par est, sentimus, & abusum non illorum incuria, sed subditorum inobedientiæ dominas deferendum: sic a vobis spectabiles Ecclesiarum vobrarum Antistites a quavis negligentia nota vindicantur. Quanti Dei

(1) *Apostolicis duabus Constitutionibus hactenus recitatis adde duas præclaras ejusdem Bened. XIV. Inst. Eccl. (43. & 64.) nec non alia, quæ de Festorum observantia in Opere de Syn. (lib. 13. cap. 20. n. 7. cap. 16. nu. 10. & sequ. usq. ad fin.) protenata occasione curam tradidit. Multa quoque de Festis a Seraphico Doctore (in 3. sent. dist. 36. dub. 2. in Spec. Anim. cap. 2. infer. 4. de decem Præcept. & alibi) excerpta reperire est. Angelicus similiter variis in locis (in 3. sent. dist. 7. qu. 1. art. 1. in 2. 2. qu. 122. art. 4. in Opere de decem Præcept. §. de 3. præc.) de iisdem disserit. Adde quæ idem Benedictus XIV. scripsit quoad Choreas Instit. Eccl. 76. §. 5. nimirum quod quamvis ex sui natura licitæ videantur, vix tamen in actu, quamodo nunc fiunt, permitti possint, cum plerumque sint peccandi occasio.*

Ait insuper ibidem §. 7. Theologos asserere a Clericis choreas non sine peccato gravi agi posse: & §. 8. prohiberi posse ab Episcopis Clericos omnes, ne choreas ducant, ne in illis judant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus Ecclesiasticis, Canonicalibus, Parochialibus, seu etiam Beneficialibus deputatis pro domicilio Beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium, quæ verba sunt Decr. Sac. Congr. ibidem relati.

honorem, Sanctorum cultum, & animarum salutem facitis, Venerabiles fratres, vos hortamur, & obtestamur, ut corrupti hujusmodi mores, specie quadam lætitiæ invecti, reformentur: atque credite vobis vere ab imparo, prophanoque Ritu declinantes, ad piam, & fructuosam festos dies celebrandi rationem traducantur. Non inverta in optati eventus auspicium, Apostolicam Benedictionem ex animo Vobis impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 12. Aug. 1742. Pontificatus Nostri Anno Secundo. (1)

Quæst. II. *Quænam causæ excusant ab obligatione omittendi opus servile, vel forense, aut contractus?*

Resp. Sequentes. 1. Necessitas propria vel aliena, Spiritualis vel corporalis, quæ præverti non potuit, ut cum fine gravi damno opus aliquod omitti aut differri nequit. Ex Matt. 12. & cap. ult. de Feriis. Sic excusantur, 2. Pauperes clam die festo fine scandalo laborantes, auditu officio, quando aliter se & familiam sustentare nequeunt. 2. Famuli & ancillæ justu dominorum laborantes, si omittere non possint fine gravi damno, nec ad id cogantur in contemptum legis, vel religionis. Si tamen id frequenter contingat, eos deferero debent, ut monet Suarez. 3. Institutores pontium, fontium, viarum publicarum, & similium, si fine gravi jactura boni communis differri opus nequeat. 4. Ruri laborantes ad virandum imminens damnum, ut si ob pluviam imminentem, triticum vel segetes colligantur, vehantur &c. Sed in his casibus petenda est licentia ab Episcopo, vel Parocho, juxta conseruduram, quando potest adiri: ne quis facile hac in re decipiatur, & fingat necessitatem ubi non est, præsertim si labor fiat publice, ut scandalum vitetur. Quamvis autem multi excusent sartores, qui vestes, quas alii diebus perficere non potuerint, perficiunt diebus festis, quando urget earum usus ob celebritatem exequiarum, aut nuptiarum; certe peccant si in eam necessitatem sua culpa se conjecerint, ut non raro accidit.

1. Pietas in Deum, per quam ficent opera ad Dei cultum proxime pertinentia, ut altare instruere, templa ornare &c. Ita Catech. Rom. Ideo Christus, Matt. 21. dicit sacerdotes in templo sabbatum violare, & sine crimine esse. Non licet tamen verrere templa die festo, nec parietes eorum ornare peristromatis, quando pridie commode fieri potest. Alias dicunt esse veniale. Neque licet ea, quæ ad

Dei

Dei cultum remote spectant, ut confiere ornamenta etiam gratis, construere templum &c.

3. Caritas erga proximum. Sic licet parare medicamenta infirmis tunc egentibus, non tamen pauperibus danda per anni cursum, saltem si hoc fieri possit alio tempore. Nam ex Matth. 13. licet die sabbati benefacere proximo indigenti. Cum enim caritas sit finis præceptorum, nulla debent ejus exercitium impedire. Præterea tenemur diligere proximum sicut nos ipsos: si ergo ob propriam necessitatem licet; etiam licebit ob necessitatem proximi.

4. Confuetudo ab Episcopo permissa. Sic venatio & piscatio moderata ex recreationis causa extra officia divina, nec non emptiones ac venditiones rerum parvi momenti, præsertim ad victum quotidianum necessariarum, clausa officina, dicuntur in variis locis permissæ. Item excusant Barbitonsorem, qui sciente, nec vetante Episcopo artem suam exercet erga rusticos & opifices, qui aliis diebus eum adire nequeunt, aut nolunt, alioquin se & suam familiam sustentare non possit. (a) *Observatio sabbati quoad circumstantiat temporis & modi, & loci pro maxima parte relicta ejus determinationi Prælatorum, quæ cognoscitur tum ex eorum institutis, tum ex consuetudinibus per eos legitime toleratis*, ait Gerson in regulis moralibus.

5. Dispensatio legitima Papæ vel Episcopi, vel etiam Parochi ex consuetudine ob gravem & justam causam, quando non datur facilis accessus ad Episcopum.

Quæst. III. *An per quodvis mortale peccatum graviter violatur hoc præceptum, ita ut circumstantia Festi addat novam speciem malitiæ mortalis contra religionem, in confessione exprimendam?*

Resp. Multi negant. Quia, 1. Peccatum non est opus servile proprie, sed solum metaphorice: nam non est opus proprium servorum, sed commune omnibus etiam nobilibus; verba autem præcepti sunt proprie accipienda. Hoc repugnat praxi & persuasioni fidelium ac confessariorum: nam nec pœnitentes hanc circumstantiam confiteri solent, nec de ea interrogari. Fatentur quidem peccatum esse magis contra finem præcepti, nempe cultum Dei in genere, quam sit opus servile, sicque explicant textus Patrum objici solitos. At negant esse contra substantiam præcepti prohibentis opera servilia, & cultum illum specialem, qui tunc præcipitur per abstinentiam ab opere servili. Jam vero, inquiunt, finis præcepti non semper est præceptum. Item fatentur quod circumstantia illa diei sacræ per se addat malitiam venialem.

Alii affirmant, & probant. 1. Ex S. Aug. serm. 22. *Ille vero observat sabbatum, qui non peccat. Ita enim præcipitur: Omne opus servile non facietis. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Ex S. Greg. Nyssen. hom. 7. in Eccl. *Quærendum est ergo quid sibi velit præceptum etii sabbati? ... ut nihil agamus illorum, quorum opus est otium.* Ex S. Thom. qui 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. dicit expresse, peccata contraria observantiæ sabbati, & magis agere contra hoc præceptum qui peccat mortaliter, quam qui laborat. Et ex S. Anton. par. 1. tit. 14. cap. 4. §. 4. ibi: *Talis circumstantia, scilicet in die festo, trahit peccatum in aliam speciem. Nam fornicatus in festo, facit contra duo præcepta, scilicet: Non mœchaberis, & illud de sanctificatione sabbati.* 2. Ex c. 1. de Feriis. *Omnes dies Dominicos cum omni reverentia decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere.* Et ex can. 1. dist. 3. ex lib. de vera & falsa pœnit. *Considerat qualitatem criminis in loco, in tempore: oportet enim pœnitere fornicatem ... Si in loco sacro, ... Si in tempore orationi constituto, aut festivitate Sanctorum ... Omnis ista varietas considenda est & detestanda.* 3. Quia omne opus servile prohibetur, Peccatum autem est opus maxime servile, juxta illud Joan. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* 4. Dies festi sunt tempus ab Ecclesia determinatum ad implendum præceptum divinum naturale, præscribens, ut homo sæpe Deum colat, & ad hoc se liberum ac expeditum præstet, vitando scilicet ea, quæ cum impediunt a divino servitio, quale est omne opus servile, & præsertim peccatum quod magis servitium Dei impedit, quam opus manuale. Quod si pœnitentes hanc circumstantiam non confiteantur, dicunt hoc provenire ex defectu instructionis.

Alii vero, quibus assentior, distinguunt, & docent peccata, quæ includunt oppositionem specialem, vel assumunt impedimentum sanctificationi festorum, ut cum reddunt hominem incapacem applicationis ad divina, ut ebrietas, quæ longo tempore privat potestate proxima vacandi rebus divinis; item fetidor &c. prohiberi hoc præcepto, & contrahere malitiam mortalem contra religionem, secus de aliis. Patres autem supra citati videntur posse intelligi de sine præcepti, vel de sensu eius mystico. (Vid. N. 192.)

Quæst. IV. *Quanam opera diebus festis exercenda sint?*

Resp. 1. Generatim opera religionis, pietatis & caritatis, ut sunt interesse officiis divinis, Missæ, & Vesperis, orare, pie meditari, libros spirituales legere, audire conciones, sacramenta suscipere, visitare infirmos & carcere detentos &c.

Prob. 1. Ex Deut. 5. *Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum. Hoc verbo* (inquit Catech. Rom.) *ostenditur sabbati diem religiosum esse divinisque actionibus, & sanctis rerum officiis consecratum. Itaque diem sabbati tum plene & perfecte celebramus, cum pietatis & religionis officia Deo præstamus.* Dies autem Dominica substituta est ab Apostolis sabbato, cum obligatione eam sanctificandi, ac colendi Deum, & Ecclesia alios festos dies eum eadem obligatione instituit. Ex S. Greg. lib. 11. epist. 3. ubi ait: *Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum.* Et ex Nicolao I. ad consult. Bulg. cap. 11. *Idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis & hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, mysteriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum omnibus.* Instit. Eccl. 43. per totum. *Opus est tamen servile, nec nisi ex consuetudine tolerandum.*

(a) *In Diœcesi, ubi adest consuetudo exercendi artem barbitonsoriam, etiam die festo, permitti potest, sed tantummodo definitis diebus, non vero*

eorum affurget, eloquiis divinis intendere; eleemosynas indigentibus ministrare vultque Christianus. Et Const. 3. Pii V. *Antiquorum canonum statuta renovantes, mandamus, ut omnes in diebus præfatis (festivis) Ecclesias frequentent, divinis officiis devote intendant, ab omni illicito & servili opere abstinant, mercatus non fiant, profana negotiationes, & judiciorum strepitus cunquiescant.* 3. Ex multis Conciliis præcipientibus ut fideles doceantur diebus festis, qui Dei cultui dicati sunt, vacandum esse divinis officiis, concioni, & piis operibus. Et ex Catech. Rom. ubi ait: *Parochus diligenter doceat quibus in operibus & actionibus Christiani dies hos festis exercere se debeant:* nam varia opera religionis & caritatis supra dicta recenset: 4. Quia solidus dies sanctificandus est, & Deo consecrandus: ergo non solum matutinis, sed etiam pomeridianis horis Deo vacandum est. *Debet ergo die festo insistí operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, lectionis, & eleemosynæ, & hujusmodi*, ait S. Antonin. par. 2. tit. 9. cap. 7. §. 4. addens quod abstinere quidem ab opere servili, & Missam audire sit in præcepto obligante sub mortali, non tamen vacare Deo pro majori parte diei: quamvis non sic vacare peccatum sit, fcilicet veniale. Quare Rituale Tullense docet, fideles non posse sine legitima excusatione abesse a Vesperis. Enimvero pomeridianum tempus sanctificari debet per illarum auditionem; ideo enim ubique solemniter diebus festis canuntur, & ad illas populus convocatur.

Resp. 2. Speciatim omnes fideles usu rationis præditi tenentur sub mortali audire Missam, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ, & ex variis Conciliis. Immo omnes jure divino & naturali, suppositis institutione hujus unius Sacrificii, tenentur sæpe in vita interesse Missæ Sacrificio; quia jure naturali tenentur Deo supremum cultum internum & externum sæpe exhibere per Sacrificium ab ipso institutum. Unde Ecclesia solum determinavit tempus, & addidit aliquas preces ac ceremonias sacras, ut digne ac devote celebretur.

Quæst. V. *Quanam requiruntur ad implendum præceptum audiendæ Missæ?*

Resp. Sequentia. 1. Ut audiatur Missa integra. Constat tum ex sensu & praxi Ecclesiæ, tum ex c. 62. de consecr. dist. 1. ibi: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus; ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat.* Hæc obligatio est sub mortali culpa, ut constat ex fidelium & Ecclesiæ consensu: nam materia ejus est ex suo genere gravis, & ad virtutem religionis gravissimam & ad supremum Dei cultum pertinet.

Hic autem canon Concil. Agathensis ab universali Ecclesia receptus est, & ejus legem ac consuetudinem continet. Die autem Dominica ceteri dies festi pari ratione comprehenduntur, cum æque sint divino cultui addicti. Porro ibi sit mentio sæcularium sed ampliative, non exclusive, & subintelligitur vox *etiam*, & Ecclesiæ sensus ad omnes extendit, ex cap. *Omnes*, ead. dist. Hinc juxta omnes, mortale est sine justa causa excusante omittere partem Missæ notabilem, ut tertiam: veniale vero si pars exigua sine causa omittatur. Nam præcipitur auditio Missæ non solum quoad sacrificium, sed etiam quoad totam liturgiam, scilicet, preces, lectiones, actiones & cæremonias sacras, quæ in ea fiunt. Undo cap. *Omnes fideles* de consl. dist. 1. dicitur: *Qui autem non perseverant in oratione usque dum Missa peragatur . . . convenit communione privari.*

Porro juxta multos peccat solum venialiter, qui ab initio Epistolæ usque ad finem Missæ intereft, quia putant partem omissam non esse notabilem. At ex communi sententia omissio initii Missæ, & aliorum usque ad Evangelium inclusive, immo secundum multos etiam exclusive, est mortalis; quia hæc pars omissa notabilis est respectu Missæ. Immo est mortale abesse solo tempore consecrationis: nam est pars maxime notabilis & principalis, cum in ea consistat essentia Sacrificii, & Ecclesia præcipiat Missam principaliter quoad sacrificium. *Tunc sunt Missæ, quando munera offeruntur, & corpus vel sanguis Domini consecratur*, ait S. Cæsarius. Idem dicunt aliqui de communione Sacerdotis; quia vel est essentialis pars Sacrificii, vel saltem est de illius integritate, & complemento substantiali, ac proinde est pars notabilis: pars enim notabilis æstimari debet non solum ex dignitate operis; nec levè censeri debet abesse ab essentia, vel integritate ac complemento Sacrificii; cui toti intereffe teneris. Hinc qui potest solum intereffe confecrationi, & non reliquæ parti Missæ, ad id tenetur: nam illa pars est principalis, & continet essentiam Sacrificii, nec principale sequitur accessorium. *Deluge.*

Ceterum tota Missa ejusdem Sacerdotis audienda est, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Quare non satisfacit, qui plures partes simul a diversis audit: nam Ecclesia præcipit, ut audiatur Sacrum per modum totius successivi, cum revera tale sit: nam Missa est totum ex partibus successivis coalescens, & Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audienda Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Neque etiam satisfacit, qui duas partes a duobus Sacerdotibus successive audit, quia partes diversarum Missarum non faciunt unam Missam integram, cum ad se invicem non ordinentur, nec communicentur inter se, sed disjunctæ maneant, & sint partes diversarum Missarum non constituentes unam in ratione Sacrificii vel actionis sacræ. At præcipitur auditio Missæ integræ. *Deluge & alii.*

2. Requiritur intentio audiendi Sacrum tamquam actionem sacram, qua Deo supremus cultus defertur, & quæ sit saltem implicita ac virtualis intentio offerendi per Sacerdotem & cum Sacerdote illud sacrificium, sed communicandi sua assistentia oblationi, Sacrificiis, orationibus, & aliis actionibus sacris. Nam per illam intentionem auditio Missæ debet determinari ex parte audientis ad actum religionis, & cultum supremum, alioqui auditio non esset religiosa, qualis præcipitur; si enim quis intereffet Sacro ex mera curiositate spectandi, non faceret actum religionis, nec servaret præceptum.

3. Requiritur præsentia corporis humana; ut patet ex verbo *Audiendi*; & ex sensu ac usu Ecclesiæ: nam ideo necesse est adire locum, in quo Missa celebratur. Sufficit tamen, si quis ex signis quibusdam colligere possit quid a sacrificante agatur, spectata loci natura, sitque per moralem conjunctionem pars ejus multitudinis, quæ dicitur præsens, & est in conspectu altaris. Hinc sufficit Sacerum

crum audire ex quovis templi loco, ex quo possis saltem mediantibus aliis percipere quid geratur, immo ex gradibus vestibuli, si propior accessus sit impolitus, quamvis per accidens sacrificans non videatur nec audiatur.

4. Requiritur moralis ac pia præsentia, ita ut quis sit non solum corpore præsens, sed etiam animo pie intentus in res divinas, seu in Deum ipsum per preces, oblationes Sacrificii, laudem, amorem, &c. Nam præcipitur auditio Missæ religiosa, qua Deus colatur. At Deus non colitur vere sine attentione; nam Deum *in spiritu & veritate oportet adorare*, Joan. 4. Quare Conc. Trid. sess. 22. non permittit Sacrum fieri in privatis domibus, *nisi prius qui interfunt, detenter composito corporis habitu declararint se mente eisum, ac devoto cordis affectu non solum corpore adesse*. Et Clerus Gallic. ann. 1700. damnavit hanc propositionem: *Ecclesiæ præcepto* (audiendi Missam) *satisfit per reverentiam exteriorem, animo licet voluntarie in aliena, immo in prava cogitatione defixo*.

Hinc qui per notabilem Missæ partem confabulatur, vel dormit, vel res alias fixe considerat, vel voluntarie distrahitur, peccat moraliter, nisi aliam postea Missam audire statuerit. Satisfaciunt rameu, qui quotidie modo ministrant Sacro, etsi occupentur quærendis e sacristia necessariis, v. gr. vino, thure, &c. Quia hæc ordinantur ad Missam, & fiunt in loco, qui communicat templo, unde non censentur moraliter abesse. Item satisfaciunt, qui occupantur pulsandis organis, vel sublibus attollendis, quia hæc ordinantur ad sollemnitatem officii, nec tollunt advertentiam ad ea, quæ in ara geruntur; qui vero notabili tempore Missæ confitentur, non satisfacit præcepto: nam caret attentione ad Missam requisita, videlicet attentione ad Deum, divinave mysteria, qualis esse nequit in narrandis, & investigandis peccatis, eorumque circumstantiis, & in colloquio cum Confessario. Ita *Suarez, Deluzo, Azor, &c.*

Nota 1. Communiter docent non esse jure communi obligationem audiendi, aut faciendi festa Sacra die natali Christi, neque audiendi Sacrum, feria quinta, & Sabbato, aut officium feria sexta majoris hebdomadæ.

Nota 2. Circa parochiæ (1) frequentationem hæc habet Concil. Trid. sess. 22. *Moneant* (Episcopi) *populum, ut frequenter ad suas parochiales, saltem, diebus Dominicis, & majoribus festis, accedant*. Et sess. 24. c. 4. *Moneat Episcopus populum diligenter teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*. Clerus vero Gallic. ann. 1700. damnavit hanc propositionem: *Nullus in foro conscientiæ parochiæ suæ interesse tenetur*.

✠ *Nota*. Alexander VII. anno 1665. 30. Jan. damnavit propositiones quæ sequuntur: *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam Confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morum doctrinam, quæ sibi in Catechesibus annuntiantur, & docentur.*

Talem legem in hac materia neque Episcopi, neque Concilia Provinciarum, vel Nationum sancire, neque delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt. ✠

Quæst. VI. *Quænam excusant ab audizione Sacri?*

Resp. Excusant, 1. Impotentia non solum physica, sed etiam moralis, quando scilicet audiri non potest sine gravi damno, scandalo, vel periculo: ut constat ex communi interpretatione & consuetudine. Hinc excusantur infirmi, quibus graviter obesset foras prodire. Qui tamen ex privilegio possunt audire, vel celebrare in oratorio domus suæ, ad id tenentur. Nam non habent moralem impotentiam; & præcipiens aliquid, simul præcipit omnia media ad illud necessaria tum ordinaria, tum extraordinaria, saltem non valde difficilia. Ita *Deluzo*. Nec universim verum est, neminem teneri uti privilegio, teneris enim uti quoties ejus usus est necessarius ad servandum aliquod præceptum, quod per talem usum fit moraliter possibile.

2. Caritas, ut si infirmus careat præsentia aliorum. Nam (ut docet S. Bern. in I. de præcept. & disp.) quod propter caritatem introductum est, non obligat cum eadem caritatis dispendio:

CAPUT III.

de Voto.

Quæst. I. *Quid sit Votum?*

Resp. Est promissio deliberate facta Deo de bono meliori, & possibili. Dixi, *Deo facta*, nam Votum est actus latriæ soli Deo debitus in testificationem supremæ excellentiæ illius ut auctoris bonorum omnium, vel in signum gratitudinis debitæ primo ac supremo Benefactori. S. Th. 2. 2. q. 88. tr. 3. art. 3. ad 3. ubi ait, Votum factum Sanctis sic intelligendum esse, *ut ipsa promissio facta Sanctis vel Prælatis, cadat sub Voto materialiter; in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod Sanctis vel Prælatis promisit*. Quare promissio facta Sanctis est solum materia Voti, & ut sit proprie Votum, debet ei adjungi tacite vel expresse alia promissio, qua promittimus Deo, nos id facturos, quod promittimus Sanctis aliisque proximo pertineat solum ad dulliam.

Quæst. II. *Quænam requiruntur ad valorem Voti?*

Resp. Ex communi, sequentia.

1. Volitio se obligandi: nam nemo sponte suscipit obligationem sine voluntate se obligandi. Neque enim ad Votum sufficit propositum quamvis firmum, ex c. 31. *de Voto*, ubi dicitur, in metu mortis proponem animo, quod Religionis habitum esset aliquando suscepturus, si plus non est in Voto processum, transgressorem judicari non posse, si non impleat

(1) *Etsi superiori ætate actis exstiterit contentio præsertim inter Parochos, & regulares Mendicantes, num fideles tenantur diebus festis Parochiali Missæ interesse, sicuti prioribus Ecclesiæ sæculis constat fuisse obligatos; nunc tamen eosdem minime teneri novimus ex Bened. XIV. Eumdem pariter consule (Inst. Eccl. 34.) ut intelligas, non ante Parochiale Sacrum posse in ritualibus Oratoriis fieri Sacellis, ædificatis in solo publico, Missa celebrari nisi ex*

pleat quod dixit. Nam propositum est simplex voluntas faciendi vel omittendi aliquid; promissio vero superaddit voluntatem se obligandi alteri. At ex eo quod voluntas proponat aliquid, non hoc ipso vult se obligare, nec obligatur. Sufficit autem intentio virtualis & implicita se obligandi, ut cum quis scienter Votum obligare, deliberate vovet, quamvis de hac obligatione actu non cogitet; vel ignorans rei naturam, vult tamen Votum facere prout in se est, ut fortium est fieri, seu facere quod alii faciunt, dum vovent; nam tunc virtualiter & implicite se obligare vult. Idem dic de eo, qui recipit Ordinem sacrum, ignorans illi annexum esse Votum castitatis; nam qui vult statum aliquem, vult virtualiter & implicite onera illi statui adnexa. Neque requiritur ut dicat expresse, *Promitto, voveo, me obligo &c.* Sed satis est, quod hæc dicatur aquivalenter & implicite, etiam interius. Ut si dicat cum intentione se obligandi: *Domine, redde mihi sanitatem, & sivam casse*: vel, *Si convalescero, dabo talem Eleemosynam*: E contra nebum *Promitto*, nisi adsit intentio vovendi, significat simplex propositum, ut patet in actu contritionis, quo aliqui promittunt fugam peccati, nec tamen vovent.

II. Advertentia & deliberatio, qualis sufficit ad culpam mortalem directe voluntariam. Quia Votum est actus simpliciter humanus, in subiber, tamquam in hominis arbitrio de se relictus, ex cap. 6. *de Voto*, ubi dicitur, quod *universis libertum sit arbitrium in vovendo*. Præterea nemo tenetur sibi obligationem ex genere suo gravem imponere, nisi plene advertat quid agat. Quare signis ex subitaneæ motu, lingua mentem prævenience dicat: *Voveo*, non obligatur.

Talis autem deliberatio sufficit ad Votum; nam deliberatio, quæ sufficit ad damnationem se reatu æternæ damnationis, sufficit etiam ad se ligandum Deo vinculo promissionis.

Item valet Votum temere & imprudenter, immo & illicite, puta cum inani gloria factum, modo finis malus non redunder in ipsam materiam. Nam ad valorem Voti sufficit ut sit de re meliori & possibili, & fiat cum sufficienti cognitione ac libertate. Hinc patet, omnes & solos rationis usu præditos, & sufficientis deliberationis capaces, posse vovere in materia sibi licita, ex c. 2. *de Voto*.

III. Requiritur ut promissio sit voluntaria. Nam Votum est actus moralis ac liber, quo Deus colitur. Quare nullum est Votum factum ex errore circa rei promissæ substantiam; cum tali error impediat, ne objectum sit cognitum, ac proinde ne sit volitum. Idem die de Voto simplici facto ex errore circa causam finalem: quia censetur factum sub tacita conditione, si causa finalis subsistat, & quia subsato motivo volendi non est volitio. Hinc si voveris jejunium pro salute patris, quem falso putabas ægrotare, non valet Votum. At valet Votum, si error sit dumtaxat circa aliquam circumstantiam non mutantem notabiliter rem promissam: ut si voveris castitatem, falso putans esse servatu facilem; vel circa causam solum impulsivam, ut si voveris dare eleemosynam Petro pauperi præ aliis, quia falso putas esse pium. Nam talis error non impedit consensum absolutum circa substantialia. Votum vero sollemne non irritatur per errorem vel dolum circa motivum extrinsecum: tum quia per illum non infi-

catur matrimonium carnale, ergo nec spirituale cum Christo: tum quia qui statum aliquem assumit, censetur velle absolute illum assumere, etiamsi intercedat error vel dolus, qui non sit circa substantialia.

Item secundum communem sententiam, metus gravis injuste incussus ad extorquendum Votum, irritat quodvis Votum, vel juro naturali, eo quod Deus non accepter Vota injuriose extorta; cum nemo prolus promissionem sibi rati modo factam acceptaret; & ne det occasionem injustæ coactioni: vel saltem jure canonico, ex c. 1. *De iis quæ vi &c.* Nam licet sibi agatur solum de susceptione & professione Religionis, tamenfic receptum est, ut etiam extendatur ad Votum simplex: ita ut saltem usu & consuetudine Vota qualibet ex metu gravi facta, irrita sint. Sed quia hoc non est omnino certum de Votis simplicibus, nam Suarez & alii dissentiunt: ideo in praxi tutior pars est, vel Votum servare, vel petere dispensationem. Porro certum est valere Votum etiam sollemne, factum ex metu sponte suscepto, ut naufragii, mortis, pœnæ æternæ &c. c. 23. *de Regul.* vel ex metu juste incusso: quia tunc Votum est simpliciter voluntarium & nulla intervenit injuria. Valet etiam quodvis Votum ex metu levi, etsi injuste incusso; quia non irritatur ab Ecclesia, & est sufficienter voluntarium, sibique voventi imputare debet quod tali metui cesserit.

IV. Ut sit de meliori bono, id est de eo, quod omnibus spectatis ad salutem utilius & Deo gratius est, quam directe oppositum, seu negatio illius. Quia votum debet esse gratum Deo, cum sit actus quo colitur, & quia promissio seu pollicitatio alieri oblata non parit obligationem, nisi ab eo acceptetur; at non potest Deo placere, nec ab eo acceptari voluntas se obligans ad relinquendum id quod melius est & ipsi gratius. Imano hoc est illicitum, & contra reverentiam Deo debitam, quia offertur ei aliquid, quod ei placere nequit: quod est illi quodam modo illudere, nisi ignorantia excuset.

Hinc invalidum est Votum, 1. De Matrimonio contrahendo, quia melior est Cælibatus. Si tamen matrimonium judicaretur remedium voventi necessarium ad vitandam incontinentiam, juxta multos valeret votum, quia melius est nubere quam uri, 1. Cor. 7. Idem dicun si quis voveret pauperculam vel porditam uxorem ducere. 2. De re illicita, quæ promissio est mortalis contra religionem, ob gravem irreverentiam contra Deum: nam promittere Deo rem ipsi ingratam, est ei minari. Idque juxta Suarez, Leisium, Reginald. etiamsi res illa sit solum venialiter mala, & ut talis cognoscatur a vovente; quia est facto attribuere Deo approbationem peccati saltem venialis, & iuniuere Deo placere peccatum, eoque coli: quod est graviter injuriosum Deo, & directe repugnat ejus summæ sanctitati ac bonitati. 23. De re optima, sed ad obtinendam rem malam, vel ad gratias agendas pro re mala obtenta, v. gr. vindicta, non autem præcise pro bono effectu secuto ex peccato. Nam Deus non acceptat aliquid, ut sit auctor peccati, & illud promoveat, vel in gratiarum actionem pro eo, quod fuerit auctor peccati: nam esse auctorem peccati etsi venialis, repugnat bonitati ac sanctitati divinæ. Valet tamen Votum de actione bona sub conditione rupti adjecta in ejus odium, ut de eleemosyna danda, si

UNIVERSITÄTS- BIBLIOTHEK PADERBORN

peccaveris: quia quod directe promittitur, est bonum melius, & ordinatur ad actum bonum, nempe in odium & vindictam peccati, si committatur. 4. De re, quæ omnibus spectatis est indifferens: nam nil confert ad cultum Dei, nec ei placet. Immo tale Votum est cultus vanus ac superfluus, ideoque peccatum saltem veniale. Ut autem res indifferens fiat honesta, debet non solum referri ad finem honestum, sed etiam ex se, vel ex circumstantiis esse apta ad finem illum consequendum, cui relatio extrinseca rem non immutet. Igitur superstitiosum & nullum est Votum non edendi capita animalium in honorem S. Joannis Baptistæ, vel carnes asinas in honorem S. Laurentii. Porro executio Voti illiciti continet eandem malitiam, quam ejus emissio: quia executio ex obligatione Voti, est Voti facti approbatio.

V. Ut sit de bono possibili. Nam impia & illusoria esset promissio rei, quæ præstari non posset: & nemo obligari potest ad impossibile. Hinc iterum est Votum numquam peccandi venialiter, etiam cum deliberatione imperfecta. Nam hoc ita impossibile est in hac vita cum auxiliis ordinariis, ut numquam vitentur omnia peccata venialia sine speciali privilegio, ex Concil. Trid. sess. 6. can. 22. Votum autem requirit, ut quod promittitur, prævideatur esse faciendum, & fieri posse moraliter. Docent tamen valere Votum numquam peccandi ex proposito & perfecta deliberatione, quia hoc est possibile cum divina gratia absque privilegio; & tale Votum a viris sanctis quandoque factum legimus.

VI. Ut vovens non sit jure positivo inhabilis ad vovendum.

Nota. Laudabiliter posse voveri Deo aliquid ad quod jam obligamur; & per tale Votum novum vinculum induci est omnino certum, inquit Lessius, tum ex perpetuo usu Ecclesiæ, ubi vovetur non solum abstinentia a nuptiis, sed etiam abstinentia ab omni voluptate illicita extra matrimonium, quæ omnibus est præcepta. Tum quia opera præcepta sunt Deo gratissima, ergo possunt illi promitti, & hæc promissio novam obligationem affert: nam debitor potest se pluribus nominibus ad idem obstringere, sicut creditor pluribus titulis potest idem exigere a debitore. Quare violatio talis Voti duplicem habet malitiam, unam contra præceptum, & alteram contra religionem ob Votum.

Quæst. III. *Quotuplex est Votum?*

Resp. Dividitur 1. in reale, personale, & mixtum. Votum reale est, quo promittitur pecunia vel res pretio æstimabilis, quæ actio voventis non fit. Personale est, quo promittitur actio personalis aut omissio ipsius voventis, ut Votum castitatis. Mixtum est, quo promittitur & actio vel omissio personalis, & aliquid pretio æstimabile ab ea distinctum, ut si voveas ire ad B. Virginem Lauretanam, itaque munus offerre. 2. In temporale, quod est ad certum tempus; & perpetuum, quod censetur fieri, cum nullus est obligationi constitutus finis, ut si dixeris: Voveo deinceps castitatem. 3. In absolutum, quod fit sine conditione; & conditionatum, quod fit sub aliqua conditione, v.g. Voveo eleemosynam, si pater convaluerit: unde non obligat nisi posita conditione; sed ea posita statim obligat, quia obligatio desinit esse suspensa. Porro nullum est Votum factum sub conditione repugnante naturæ & substantiæ Voti, vel rei promissæ, ut si promittearis Religionem, ea conditione ut aliquid proprium retineas. 4. In solemne, (1) quod ab Ecclesia approbatum & absolute ac in perpetuum acceptatum est, & simplex, quod emittitur absque acceptatione Ecclesiæ, saltem in perpetuum.

Quæst. IV. *An, quomodo, quos, & quando Votum obligat?*

Resp. Obligatio Voti (2) ex suo genere gravis est, ita ut ejus violatio in materia gravi sit mortalis. Ita omnes. Constat 1. ex Psal 49. *Redde Altissimo Vota tua.* Et Eccl. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio; sed quodcunque voveris redde.* Et 1. ad Tim. 5. de viduis quæ continentiæ Votum violaverunt, dicitur: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 2. ex traditione, & sensu Ecclesiæ. 3. ex c. 8. de Voto. *Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeo tamen salutis necessaria est post Votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire.* Quia hæc obligatio pertinet ad gravissimam virtutem Religionis, qua quis tenetur reddere Deo obsequium promissum, & ab eo acceptatum; denique peculiariter ipsi debitum; *Maxime debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti, & ideo maxime obligatur homo ad hoc quod impleat vota Deo facta. Hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo. Fralitio autem voti est quadam infidelitatis species: unde Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda, quia displicet Deo infidelis promissio*, ita S. Th. 2. 2. q. 88. art. 3. Præterea violatio fidei Deo datæ in re gravi continet gravem irreverentiam in Deum, propter summam ejus majestatem. Hinc S. Augustin. Epist. 217. alias 45. ait: *Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Prius quam esses voti reus, liberum fuit: quamvis non sit gratulabunda libertas, qua sit ut non debeatur quod cum lucro reddituri. Nunc vero quia tenetur apud Deum fraudis tua, non ex ad magnam injustitiam invite; sed a magna iniquitate deterreo.*

Materia autem illa Voti est gravis, de qua possit dari præceptum sub mortali obligans: seu quæ per se, vel ex circumstantiis notabiliter conducit ad bonorem Dei, vel spiritualem utilitatem voventis. Hinc qui semel non implet Votum jejunandi, confitendi, vel audiendi Sacrum &c. peccat mortaliter; cum hæc materia gravis sit, & sufficiens ad mortale in præcepto Ecclesiæ.

Votum tamen ex communi aut fere communi sententia obligat solum sub veniali in re levi. Quia Votum est quædam lex privata, quam quis sibi imponit, & species quædam pacti: lex autem & pactum non imponunt obligationem nisi proportionatam materiæ. Deinde omissio fidelitatis & justitiæ in re parvi momenti non censetur gravis injuria & offensa. Præterea res ex omni parte levis non est capax obligationis gravis, nec pondet a voluntate hominis obligationem gravem alligare rei, quæ non est capax illius; nec Deus videtur acceptare talem obligationem irrationabilem. Unde qui voviset singulis diebus anni dare unum assem pauperibus, peccaret solum veniaiter semel, aut bis omittendo. Secus, si decreviset non implere Votum, quia materia talis Voti collective sumpta gravis est.

Porro non pauci docent voventem posse in re gravi se obligare solum sub veniali, si expresse velit, (exceptis votis status religiosi, quæ sunt per se vota veniunt in perpetuum obligantia, & nisi Ecclesia aliter (tarurit); tum quia cum obligatio voti voluntarie assumatur, pendet a voluntate voventis, nec ex lege divina oritur, nisi dependenter a voluntate voventis; tum quia votum est lex privata, quam vovens libere sibi imponit; legislator autem potest in materia gravi velle tantum se obligare sub veniali. Constat autem voventem rem gravem obligari sub mortali, nisi expresse voluerit se obligare solum sub veniali: nam quisque censetur se accommodare capacitati materiæ & usui communi, nisi constet aliud expresse intendisse.

Ceterum violatio Voti præter malitiam irreligiosæ perfidiæ, & infidelitatis erga Deum, involvit defectum formitatem sacrilegii, saltem secundum quamdam eminentiam: quia per voti violationem id quod fuit Deo per promissionem dicatum, el denegatur.

Resp. 2. Quando non constat de alia speciali voventis intentione, non alter obligat Votum in quavis materia, quam si esset lex de ea re a Deo, vel ab Ecclesia lata. Quia Votum est quædam lex, quam homo sibi imponit circa materiam illam promissam, immo sit communiter juxta hanc intentionem. Hinc Votum jejunandi, audiendi Sacrum, obligat ad modum præcepti Ecclesiastici de eadem re, ideoque eodem modo servandum. Et vovens excusatur a talis voti implerione in iis circumstantiis, in quibus excusaretur a præcepto Ecclesiæ, nisi contrarium expresse vel virtualiter intenderit.

Resp 3. Ex communi sententia, Votum personale solum voventem obligat, nec per alium impleri potest: quia res promissa est propria actio, vel omissio voventis, non alterius. Hinc si non possit illud per se exequi, non tenetur alium substituere, nisi id expresse intenderit. Votum vero reale obligat vovenlem ad persolvendum per alium de propriis bonis, si per se ipsum implere nequeat; quia res promissa est bonum temporale voventis, quod potest ejus nomine per alium tradi. Item hæredes, secundum omnes, tenentur exequi Vota realia defuncti, secundum vires hæreditatis, salva legitima hæredis necessarii c. 9. *de testam.* & l. 1. §. *de pollicit.* Nam hæres debita bonis annexa solvere tenetur ex justitia, ratione rei acceptæ cum tali onere, & ex contractu implicite inito per acceptationem hæreditatis; hæreditatem enim adeundo, sicut commoda ejus & omnia jura defuncti acquirit, ita etiam debita & onera realia bonis annexa in se suscipit. Bona autem Deo promissa, sunt ipsi speciali jure debita. Quod si sint plures hæredes, quisque tenetur pro rata, juxta portionem hæreditatis, quæ ei obtigit, nisi res debita & legata possideatur ab uno, vel obligatio sit individua.

Idem est de Voto mixto quoad partem, qua personale est, ac de Voto personali; & quoad partem qua reale est, ac de Voto reali; cum sit vere personale quoad unam partem, & reale quoad aliam. Hinc obligat hæredes non qua parte est personale, sed qua parte est reale: ut si quis peregrinationem, & statuam argenteam vovit, tenetur hæres ad statuam dandam, non item ad peregrinationem, nisi eam promiserit, aut hac lege hæres institutus fuerit.

Qui autem vovit factum alterius, tenetur curare quantum potest, ut alter impleat: hoc enim censetur intendisse. Ite alter tamen nullatenus ad id tenetur, nisi consenserit: nam Votum obligat eum solum qui promittit. Hinc liberi non obligantur Votis parentum eos religioni devovientium, nisi ea rata habuerint, c. 14. *de Regular.* Si vero populus vovit festum vel jejunium, consentiente Episcopo, ad hoc tenentur posteri, non vi Voti, sed ex præcepto Episcopi approbantis, & ita implicite præcipientis illud festum aut jejunium.

Resp. 4. Impleri debet Votum tempore a vovente præfinito: nam promisit rem tali tempore, unde illam tunc debere tenetur. Hinc qui vovit jejunium tali die, peccat mortaliter si eo die non jejunet perinde ac si die ab Ecclesia statuto non jejunaret, quamvis proponeret alio die jejunare. Quod si ex impotentia, vel negligentia Votum tempore præfinito non impleatur, debet posita impleri, nisi ex intentione voventis, aut Voti natura, res promissa sit affixa certo diei in devotionem illius ad honorem Sancti, vel mysterii, cujus tunc memoria celebratur: ut si quis voverit jejunium vigilia alicujus Sancti principaliter in illius honorem; tunc enim obligatio cum die extinguitur, quia tunc intentio fuit se obligandi ad actum hoc tempore faciendum, non alio, & res promissa est dependenter ab hoc tempore ac per modum unius. Quando autem tempus non ipsius temporis intuitu & devotione constitutum est, censetur adjici ut terminus non ad finiendam obligationem, sed ultra quem non sit differenda; & sic statim potest impleri debet. Nam cum voveris non ultra eam diem differre, es semper in mora differendo, & teneris semper implere: quia perseverat debitum, quoad substantiam, duasque obligationes contraxisti, unam faciendi opus, alteram faciendi tali tempore: unde hac non impleta, manet illa principalior, quæ semper urget.

Si vero nullo definito tempore absolute voveris, teneris Votum exequi quam primum commode & recte

(1) *Non est confundendum votum* simplex *cum* privato, *nec* solemne *cum* publico, *ut Scotus perfecte notavit* (*in 4. sent. dist. 38. qu. unic.*) *his verbis*: dico, quod Votum continentiæ potest esse publicum vel privatum, simplex vel solemne. Neque istæ duæ distinctiones sunt eædem; quia tam publicum, quam privatum potest esse simplex, vel solemne. *Hinc ex Bened. XIV.* (*lib. 13. de Syn. c. 12. n. 11.*) Quamvis in Decretali, *Uxoratus*, habeatur, continentiæ Votum a conjuge jam sene, qui in sæculo remanet, emittendum, publice in conspectu Ecclesiæ manifestari debere: evinde tamen non sequitur, solemne illud esse. Nam illud tantummodo continentiæ Votum solemne censetur, quod est sacro Ordini, vel Regulari professioni adnexum.

(2) *Honesta opera, quæ sunt vi Voti, quamvis prodeant ex gravi obligatione, sunt nihilominus majoris bonitatis, ac meriti, quam alia consimilia opera sponte & extra Votum peracta. Vid. num. 493.*

recte potes judicio prudenti. Nam statim moraliter loquendo exigitur a Deo, ex Deuter. 23. *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et Eccl. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* Deinde res absolute & sine dilatione promissa statim debita est l. 14. §. de regul. jur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*: fiatur culpabilis est omnis mora, quæ rationabili causa non colonestatur. Non est tamen continuo mortale differre ad valde breve tempus, modo Votum brevi poterit persolvi queat. Nam potest esse materiæ parvitas in mora illa, sicut in aliis rebus. Hæc omnia communem doctrinam continent.

Porro si Votum fuerit negativum, seu de omissione, toties peccatur, quoties fit actio omittenda: quia Votum illud instar præcepti negativi obligat pro toto tempore, pro quo factum est, & omnis omnino emissio promissa est.

Sed an vovens votum implere ante tempus sibi præfixum teneatur ob impedimentum futurum?

Resp. 1. Quando opus vovetur ut proprium operis certi diei, seu temporis, ex communi sententia non tenetur vovens prævenire, etiamsi prævideat impedimentum pro illo die. Quia non vovit actum, nisi tali die faciendum: unde ante illum non obligat Votum. Idem dic, quando terminus seu dies additur non solum ad differendam executionem, sed etiam ad suspendendam obligationem usque ad talem terminum: quia res non est promissa ante illum, nec vovens intendit se obligare nisi ex tali die.

Resp. 2. Quando terminus solum ponitur ad differendam solutionem, & non ad suspendendam obligationem, tunc ex communi sententia vovens tenetur Votum persolvere ante terminum, si prævideat impedimentum pro illo futurum; quia tunc Votum statim se fit, obligat absolute, ut intra terminum definitum opus fiat. Unde obligat determinate pro illo tempore, pro singulis vero partibus quasi disjunctive. Et ideo vovens tenetur absolute implere Votum in aliqua parte hujus temporis. Ergo si prævidet futurum esse impedimentum in posteriori parte temporis, tenetur in priori facere, quod est prævenire terminum. Et aliqui contra promissionem illatio fieri ultra tempus præmittum. Item licet terminus temporis sit constitutus ad finiendam solutionem, si opus promissum non est proprium operis alicujus determinatæ partis totius temporis usque ad illum terminum, tenetur vovens implere Votum ante terminum illum, si ante illum impedimentum prævideat: ut si quis vovit jejunare sex dies mensis, non designando illos, limitando tamen obligationem ad mensem, ita ut cum illo extinguatur in omni eventu; tunc si prævideat futurum, ut post decimum diem mensis jejunare nequeat, tenetur in prioribus diebus totum Votum implere, & ita prævenire terminum: quia tunc totum tempus mensis est tempus absolutæ obligationis, quæ debet impleri in parte ejus possibili. Quæ omnia confirmantur exemplo præceptorum; v. gr. confessio singulis annis. Ita Suarez, addens teneri vovensem in omnibus casibus vitare impedimentum, ut Votum illum tempore promisso impleri possit: nam Votum obligat saltem implicite ad non ponendum impedimentum, cum hoc sit necessarium ad implendam rem expresse promissam: alioqui obligatio Voti esset inefficax & inanis.

Quæst. V. *Quid dicendum in dubio circa Votum?*

Resp. Sequentia. 1. Nullus tenetur Voto, de cujus emissione dubitat; si post diligens examen nulla ei apparent probabilis conjectura, quod Votum illud fecerit. Quia obligatio Voti, quæ voluntarie suscipitur, sine rationabili fundamento, adeoque irrationabiliter affirmaretur. Nemo autem tenetur obligationes, quæ nullo fundamento rationabili nituntur.

2. In æquali utrinque probabilitate Votum servari debet. *Ita Azor. Vasq. Thyrsus Gonzalez. &c.* Quia tunc non potest prudenter negari Votum fuisse. Deinde in dubiis tutior pars eligi debet; alioquin talis se exponeret periculo peccandi: nam cum detur lex certa non violandi Votum, hoc ipso quod dubitat an voverit aliquid, dubitat an illud omittendo, violet eam legem, ideoque peccat. Qui autem agit dubius an peccet, se committit periculo peccandi, & reipsa peccat. A fortiori tenetur Voto, qui scienter se post superinium vovisse, dubitat an habuerit intentionem se obligandi, vel sufficienter advertendam. Nam actus præsumitur factus ut fieri solet ac debet, nisi contrarium constet, & res in dubio judicari debet a communiter contingentibus. Si quis tamen paullo post quam aliquid promisit, dubitat utrum habuerit intentionem vovendi vel se obligandi, an vero sit dumtaxat simplex propositum, ordinarie præsumitur non vovisse. Quia verum Votum ordinarie fit cum tanta deliberatione, ut facile quisque paullo post ejus emissionem possit illud reminisci.

3. Certus de Voto, sed dubius de solutione, tenetur illud implere: nam debito certo non satisfit nisi per solutionem certam.

4. Quando solum dubitatur de quantitate vel qualitate rei promissæ, Votum explicandum est secundum vovensis intentionem, ultra quam non obligat, ex Deut. 23. *Fabies sicut promisisti Domino, & proferta voluntate, & ore tuo locutus es.* Nam (ut ait S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 2.) *Obligatio voti ex voluntate procedit. Nam votere voluntatis est, ut Augustinus dicit: in tantum ergo fertur obligatio Voti, in quantum se extendit voluntas & intentio vovendi.* Si de intentione non constet, elicienda est ex conjecturis, ex materia, & præsertim ex fine, quem in Voto ipse fecit; nam causa finalis, seu ratio volendi est mensura rei volitæ. Et si ita inspectis adhuc dubium manet. Votum explicandum est secundum communem & usitatam verborum, quibus usus est, acceptationem: nam quisque censetur velle facere, quod verbis in sensu usitato acceptis indicat. Quod si non reconditur verba, quibus usus est, eligi debet pars tutior. *Si dubitet quomodo se in vovendo habuerit, debet quamvis aliam eligere, ne se diffirmiter committat*, ait S. Th. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. ad 6.

Quæst. VI. *An votum fictum, seu exterius factum sine animo vovendi, vel se obligandi, peccatum sit?*

Resp. Affirm. Quia illa fictio seu simulatio est mendacium aliquod, & vana usurpatio nominis Dei, continens irreverentiam contra Deum. Secluso autem contemptu, scandalo, injuria, non esse per se mortale docet Suarez: quia, inquit, velle possibile proferre verba vovendi sine volitione vovendi, non est gravis irreverentia ac injuria Dei, & fictio non est respectu Dei, sed tantum respectu hominum, quibus per illam potest fieri injuria levis. In votis tamen sollemnibus, vel quæ fiunt in assumptione status religiosi, docet fictionem esse mortalem: quia in ea fit injuria gravi religioni, & consequenter etiam Deo, & Ecclesiæ, & vix separari potest a gravissimo scandalo.

Quæst. VII. *Quot modis tollitur obligatio Voti?*

Resp. Ex communi sententia, his. 1. Cessante causa finali, ob quam factum est; nam *cessante causa cessat effectus*, c. 60. *de appellat.* sed cessante causa finali, deficit intentio vovendi, utpote deficiente proprio ac principali motivo & vovens non censetur voluisse promittere & se obligare illa cessante; ut si jejunium, per mensem vovesis ad obtinendam sanitatem patris, si hic moriatur, desinis obligari.

2. Materiæ defectione, vel mutatione notabili, ut si res promissa, antea honesta, fiat turpis, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni ratione novæ circumstantiæ, aut prohibitionis, vel si fiat impossibilis. Nam Votum est essentialiter de bono meliori & possibili. Item quando non potest servari sine gravi periculo mortis, vel gravis damni in bonis temporalibus, in fama, vel honore, quod sit accidentarium Voto, nisi constet ex natura Voti vel aliter, voluisse se in tali eventu obligare. Nam in tali casu materia non est eadem, nec voventes intendunt committere tunc se obligare. Neque tunc est obligatio præstandi aliquid aliud loco rei promissæ, quia Votum non obligat ultra intentionem vovensis, quæ non est obligandi se ad aliud, quam ad id quod vovet, nisi illud fuerit in hoc, inclusum saltem virtualiter. At Voti obligatio non cessat ob difficultates potius obrenientes, quas si vovens præviderit, non vovisset. Nam, ut notat Lessius, multi cassitentes vovent, & religiosam professionem, qui tales potius tentationes ac difficultates patiuntur, quas si præviderint, vovere noluissent; & tamen omnium judicio non licet deinant teneri Voto. Hæc enim omnia præcogitare poterant ac debebant. Quod si non fecerint, sibi imputent, & multo idonea adhibenda hoc ut Votum implere possint. Votum quippe obligat secundum mentem, quam vovens reipsa habuit explicite vel implicite dum vovit, & secundum communem usum ac sensum prudentum. Quare Voti vel juramenti obligationem non tollit id quod, si antea accidisset vel præsitum fuisset, impedivet ne fieret; sed requiritur mutatio, ita notabilis, ut faciat quasi aliud objectum, ad quod vovensis intentio prudenter ex circumstantiis præsumatur se non extendisse.

3. Irritatione, dispensatione, vel commutatione.

4. Defectu conditionis ponæ, si Votum sit conditionatum. Quia vovens noluit se obligare, nisi conditione illa posita, & res non est promissa nisi sub illa conditione, ac proinde eam præstandi obligatio suspensa est, donec impletur conditio, quæ posita, fit absoluta.

Si vovens Voti conditionem honestam per dolum, fraudem, vel minas impedit, peccat contra Votum, & eo remanet obligatus. Nam Votum sub conditione aliqua honesta factum obligat ad rem promissam implendam sub conditione illa, quæ a vovente non sic impediatur, ideoque etiam ad illam non sic impediendam, alioqui esset illusorium. Unde si vovens impedit per vim, dolum, fraudem, vel rogas, peccat, & Voto tenetur proinde ac si conditio evenisset: *Ita Sanchez, Azor, & alii multi apud illum.*

Sed quid, si materia Voti fiat impossibilis solum quoad aliquam partem vel modum?

Resp. Tunc si commode talis materia dividi possit & soleat, vovens tenetur ad eam partem quam potest. Quia censetur partes illas divisim promisisse; nam voluntas censetur ferri in objecta secundum eorum naturam & communem usum, nisi constet, oppositum expresse intendisse. Hinc si non potes dare pauperibus centum quos promisisti, teneris dare decem quos potes. Si vero res promissa dividi nequeat, aut non soleat, ad nihil teneris: ut si voveris ædificare Ecclesiam, & postea non habeas pecuniam sufficientem, nisi ad ponenda fundamenta; ad nihil teneris: quia parte Ecclesiæ, non divisim, sed collective tamquam unicum objectum censeris promisisse, nisi contrarium expresse intenderis.

Quod si actus non possit fieri solum quoad circumstantiam seu modum, qui non fuerit intentus principaliter, nec ut conditio necessaria ad obligationem substantialem, tunc res promissa implenda est quoad substantiam. Quia tunc substantia actus fuit principaliter & absolute promissa; circumstantia vero seu modus, ut aliquid accessorium: principale autem non debet impediri per defectum accessorii. Sic qui vovit jejunium in pane & aqua & postea solum servare jejunium ordinarium, ad hoc tenetur: nam jejunium quoad substantiam principaliter vovit, modum vero illum in pane & aqua solum accessorie. Secus si quis non vovit substantiam actus, sed dependentes a tali modo, qui nequeat servari, ut fere fit, cum modus ille notabiliter eluit difficultatem actus: nam tunc intento actum faciendi non est absoluta, sed cum tali conditione, qua sublata cessat intentio se obligandi, ideoque obligatio: ut si vovisti ire Romam equo, vel rheda, & postea utrumque deest, non teneris ire pedibus.

Si vero modus aut circumstantia sit solum possibilis, res autem principalis impossibilis, cessat obligatio Voti, quia non fuit intentio se obligandi, nisi dependenter a principali.

Ceterum si impossibilitas, aut impedimentum non sit perpetuum, eo postea sublato, votum impleri debet; nam tunc finem suspenditur ejus obligatio. Si vero sit perpetuum, cessat omnino obligatio Voti, nec vovens tenetur in aliud commutare, nisi hoc voviset.

Quæst. VIII. *Quæ sint Vota, & a quibus irritari possint?*

Nota. Irritatio Voti est abdicio ejus obligationis facta nomine proprio ab eo, cujus potestati subjecta est voluntas vovendis vel materia Voti. Duplex est, alia directa, quæ directe cadit in Votum, efficitque ut Votum sit nullum defectu conditionis ad illud requisitæ, sufficit consensus ejus, cui voluntas vovensis subjecta est; alia indirecta, quæ cadit dumtaxat in materiam Voti, seu quæ sit tantum ratione materiæ, alteri subjecte remanente Voto.

Resp. 1. Vota omnia eorum, quorum voluntas sub-

subjecta est potestati dominativæ alterius, possunt ab eo directe irritari, nec postea revivicunt. *Ita communiter*. Quia tales ita dependent ab alio, ut sine ejus injuria non possint de seipsis disponere contra ejus voluntatem; ac proinde eorum Vota irritam ac inefficacem habent hanc conditionem, *Si Superior non contradixerit*. Nam neque potest vovere contra jura alterius. Quare Superiore nolente voluntatem subditi obligari, cessabit obligatio ob defectum conditionis. Quamdiu tamen non irritatur Votum, servari debet: quia licet non sit firmum, est tamen validum donec superior contradicat, ex cap. *Monachi*, 29. qu. 1. ubi Votum a Religioso sine consensu superioris factum dicitur solum frangendum; hoc est irritandum: ergo supponitur validum. Quare in hujusmodi Votis non includitur hæc conditio affirmativa, *Si Superior consenserit*, sed negativa, *nisi Superior contradixerit, vel dum Superior non contradixerit*, ut notat Sanchez.

Hic ex communi sententia, 1. Omnia Vota impuberum, etiam implenda tempore pubertatis, possunt directe irritari a patre, vel in ejus defectum ab avo paterno, aut tutore, ut qui vices patris gerit; non tamen a matre, nisi sit nutrix. Ratio est dispositio Juris Canonici, quod Votis impuberum ob horum judicii imbecillitatem apponit hanc tacitam conditionem, *Nisi pater, vel tutor contradixerit*, cap. *Puella* 20. q. 2. Multi docent eadem Vota impuberum a patre irritari posse tempore pubertatis. Quia Vota illa per tractum temporis non amittunt hanc suam conditionem, *Nisi pater contradixerit*, sed semper manent subjecta patri, idque expedit ad subveniendum indiscretioni liberorum. Sed juxta varios, id fieri non potest tutor, quia eo ipso quod pupillus fit puber, tutor fit curator, cui persona pupilli seu minoris non committitur sicut tutori: at pater semper manet pater: *Suar. Reginald.* Insuper modo libere in pubertate talia Vota non ratificaverint, scientes non fuisse firma; nam hæc ratificatio est nova Voti emissio.

2. Superiores Religiosorum possunt directe irritare omnia Vota suorum subditorum, excepto Votis, quæ ex instituto Religionis fiunt, & Voto stricti Religionis. Constat ex communi Doctorum sensu, & usu in Religionibus recepto. Et ex cap. *Monachi* cit. & ex S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 1. idque vel ex natura status Religiosi, & Voti obedientiæ, per quod abdicavit jus omne disponendi de ipso, & cuncta in superiorum potestatem transtulit, ita ut *velle & nolle non habeat; sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum pposuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependeat*, c. 11. de elect. in 6. vel. hoc provenit ex dispositione Ecclesiæ per usum statutum, quæ sicut in Votis impuberum, ita in Votis Religiosorum hanc tacitam conditionem inesse voluit, *Si Superior non contradixerit*, ut scilicet melius Religiosi in via spirituali a suis Superioribus dirigerentur. Potest quoque valide Prælatus secundum communem sententiam irritare Votum subditi a se, vel a Prædecessore æquali aut inferiore approbatum. Quia per istam approbationem seu licentiam, non amisit jus superior, quo inferiorum voluntates sibi habet perfecte subjectas ad eorum rectam gubernationem; nec ideo suam potestatem a se abdicavit. Sed hoc non videtur omnibus certum. Fatentur autem omnes talem peccatorum, si sine causa consensum revocet, quia abutitur sua potestate contra bonum subditi, & impedit majus Dei obsequium. Novitiorum vero Vota non possunt directe irritari, cum sit adhuc sui juris; sed solum potest suspendi executio Votorum personalium, quatenus impediunt observantiam regularem, & eorum rectam gubernationem, ita ut si exprediantur a Religione, statim revivicat eorum obligatio.

Porro Religiosi, & quivis subditi dominativæ alterius potestati, ex communi sententia licite ac meritorie ea omnia bona opera vovent, quæ nec regula, nec superiorum præcepto eis interdicta sunt, nec eos a debito illorum obsequio retrahunt; & talia Vota statim obligant, non expectato superiorum consensu, donec ipsi non contradicant. Quia cum ea materia sit bona nec interdicta, est apta Voto emittendo, & quamdiu non interdicitur, est in voventium potestate.

Resp. 1. Vota, quorum materia est alteri subjecta, possunt ab eo indirecte irritari seu potest eorum executio & obligatio suspendi, etsi ante subjectionem facta fuerint, ex c. *Nolite* 33. q. 5. Quia nemo potest & censetur promittere aliquid in damnum seu præjudicium etiam futurum aliorum, & executio talis Voti hoc ipso fit illicita, quod alter potestatem habens in rem vel actionem promissum, contradicit; nam nunquam licet jus alterius violare.

Hinc secundum communem sententiam, 1. Irritari a patre possunt indirecte & ratione materiæ Vota puberum, quæ obsunt disciplinæ & convenienti gubernationi familiæ, in qua pater habet jus regendi filiam donec emancipetur. Sic potest suspendere obligationem Voti perpetuo abstinendi a carnibus. At nil potest circa Vota puberum, quæ nullatenus ejus potestati officiunt, ut sunt certæ preces, consueta pietatis officia, Votum castitatis, religionis &c. nam puber, in ordine ad obsequium divinum, habet jus disponendi de se, & suis actionibus personalibus, quæ non adversantur rectæ gubernationi familiæ.

2. Maritus potest irritare indirecte Vota uxoris, quæ officiunt usui matrimonii, prolis educationi, & gubernationi familiæ, ut sunt Vota peregrinandi, jejuniis jejunandi &c. quia juri mariti obsunt: non autem Vota de certis precibus, aut continentia post ejus mortem servanda; nec enim maritus potest prohibere uxori omnia opera consilii, cum omnia juri ejus non officiant, & subjectio uxoris ad virum oriatur solum ex matrimonii fœdulo, utpote ei commensurata. Uxor vicissim potest hic irritare Vota mariti, quæ obsunt vitæ sociali, & moderatæ debiti redditioni, cum ad hæc jus habeat. Possunt tamen unabo ex communi consensu continentiam vovere, & tunc neutri debitum petere, aut petenti reddere licebit, cum juri suo cesserint.

3. Herus potest suspendere executionem Votorum famuli & ancillæ, quatenus solum impediunt, vel imminuunt obsequium sibi debitum, cum alias ejus juri non officiant.

Observa. Vota directe irritata nunquam revivificant, quia superior eis contradicendo, efficit ut sint nulla, defectu conditionis requisitæ; cum inferior non possit valide vovere nisi sub hac conditione tacita, *Si pater vel superior non contradixerit*. At vo-

vota indirecte irritata suspendantur solum, quamdiu materia est subjecta alteri, & revivificant ac obligant, quando definit ei subesse. Quia Votum erat validum absolute, & ob solam materiæ subjectionem suspensum erat, & ejus executio jam est licita, cum nulli obsit.

Hinc Vota conjugum, puberum, & famulorum perpetua, quæ tempore subjectionis vel ante emissa, suspensa fuerunt, eos obligant cum eorum materia desinit subjici alteri ex potestati. Unde uxori, quæ sine consensu mariti continentiam vovit, non licet nubere post ejus mortem.

Resp. 3. Qui Vota irritandi potestatem habent, illa valide irritant etiam sine justa causa, quia ad validum usum juris sui non requiritur causa. Peccant tamen si sine causa faciant, cum sit abusus potestatis contra bonum proximi, & honorem Dei.

Quæst. IX. *Quinam possunt dispensare in Votis & juramentis?*

Resp. Papam & Episcopos habere potestatem dispensandi in Votis, & juramentis. Constat, 1. Ex Matt. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum . . . . & quæcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, Etc. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*. Quæ verba utpote generalia, intelligi debent de omni vinculo voluntarie contracto ab homine erga Deum. 2. Ex perpetua Ecclesiæ usu. 3. Quia ad commune bonum fidelium expedit, immo necessaria est hæc potestas.

Dispensatio autem Voti est absoluta condonatio rei Deo promissæ, facta nomine & vice Dei a superiore tamquam ejus Vicario; qui tamen tunc non dispensat in lege divina servandi Votum: nam obligationem servandi Votum non relaxat tum, cum ipsa viget; sed solum ipsam promissionem, seu rem promissam remittit nomine ac vice Dei, & tamquam ejus Œconomus. Lex autem divina non obligat ad servandam promissionem Deo factam, cui Deus per suam Vicariam cessit.

Resp. 1. Potestas ordinaria dispensandi in Votis & juramentis competit solis Prælatis habentibus jurisdictionem in foro externo. Nam hæc potestas ad externam Ecclesiæ gubernationem pertinet, sicut potestas ferendi leges & censuras; unde non est ordinis, sed jurisdictionis. Hinc eam habent, 1. Papa ea omnes fideles in omnibus Vota. 2. Episcopi ea tum subditos in Votis Papæ non reservatis: nam hæc potestas est necessaria ad regimen Episcopale. Item habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, eam dispensandi potestatem habent, ut ordinariam. Potestatem vero delegatam habent qui ab iis accepere.

Vota autem Papæ reservata, præter sollemnia, sunt quinque, scilicet, castitatis perpetuæ, ingrediendi Religionem approbatam, & peregrinationis in Jerusalem, ad Limina Apostolorum, & ad S. Jacobum in Compostella, *Exurav. Etsi Dominici*, de pœnit. Quæ tamen si conditionata fuerint, pertinent ad Episcopum ante impletum conditionem. (1)

Resp. 3. Ex communi sententia ad valorem dispensationis requiritur etiam justa causa. Quia Deus non dedit hominibus potestatem relaxandi sine causa sua Vota & juramenta sibi facta; cum talis remissio sit irrationabilis & honori Dei ac bono animarum obsit. Nec Prælati sunt domini jurium Dei, sed solum œconomi: at œconomus nil potest circa bona & jura domini, nisi secundum ejus voluntatem rationabiliter præsumptam. In dubio tamen de sufficienti causa, potest subditus stare judicio Prælati dispensantis vel commutantis. *Ita S. Th. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2.*

Hinc dispensans in Voto gravi sine justa causa, peccat mortaliter. Quia in re gravi ad Religionem pertinente arrogat sibi potestatem, quam non habet; & peccat contra fidelitatem ex munere debitam. Justæ autem causæ dispensandi hæ recensentur: honor Dei, utilitas Ecclesiæ, commune bonum Reip., spiritualis utilitas voventis, periculum moralis sæpe violandi Votum ex fragilitate, levitas mentis, ex qua Votum factum est, perturbatio animi, notabilis difficultas superveniens executioni Voti, aliæque id genus, quæ generatim revocari possunt ad pietatem, utilitatem spiritualem, & necessitatem. Quamquam ex his aliquæ videantur sufficere ad Votum commutandum: nam longe gravior requiritur causa ad dispensandum, quam ad commutandum, & raro utendum est para dispensatione, sed admittenda est aliqua commutatio.

Quæst. X. *Quinam possunt commutare Vota?*

Nota. Commutare Votum est mutare materiam Voti in aliam sub eadem obligatione.

Resp. 1. Quisque potest privata auctoritate, & sine alia causa, commutare Votum suum in id quod evidenter melius est, & aliunde non præceptum, modo id Ecclesia non prohibuerit: *Est saltem communis sententia*. Quæst. 1. ex cap. 3. de jure *Non præsumitur infringere qui in melius illud commutat*. 2. Debitum rei minus bonæ abunde & perfectius solvitur Deo in re meliore, quæ semper est Deo gratior, & in qua etiam res promissa continetur, virtualiter saltem quoad finem Voti, qui est rem gratam Deo facere. 3. Deus semper acceptum habet obsequium majus ei delatum loco minoris, cum magis velit a nobis fieri id quod melius est, & ei gratius. Hinc Votum recitandi septem psalmos commutari potest a vovente in Votum audiendi Sacrum. Multi exemplum Vota Papæ reservata, quæ sine ejus auctoritate commutari nequeunt, eo quod talem commutationem sibi propeam reservavit, nisi in statum Religionis commutentur. *Ita Suarez, Sanchez, Layman, &c.*

Porro melius hic censetur id quod spectatis omnibus est Deo gratius: tale autem non est semper id quod secundum se, & ex genere suo præstantius est, sed quod saluti voventis magis expedit, cupiditates efficacius coercet, & voluntatem Deo perfectius subjicit. Hinc quamvis oratio sit absolute melior jejunio, non licet tamen propria auctoritate hoc in illam commutare: quia hic & nunc potest jejunium esse Deo gratius, utpote utilius ad bonum spirituale hujus hominis. In dubio an opus sit melius, requiritur auctoritas Prælati, c. 1. *de Voto*. Et de hoc omnes consentiunt, teste *Azor*.

Resp. 2. Ex communi sententia, Votum non potest valide commutari privata auctoritate in opus minus bonum, quia tunc interceliit partialis dispensatio,

(1) *Vid. Bened. XIV.* de Syn. *lib. 9. c. 1. n. 1.*

rio, quæ necessario requirit potestatem Ecclesiasticam; tunc enim tota res promissa non redditur æquivalenter.

Immo requiritur potestas superioris ad commutationem Voti in æquale. *Ita saltem communior sententia*. Prob. Tum quia jura non dicunt sufficere auctoritatem privatam nisi ad commutandum in evidenter melius, ex cap. 1. *de Voto*. Tum quia talis commutatio requirit permissionem nomine Dei factam, ut res jura solvatur pro alia æquali, ad proinde auctoritatem Prælati, vicem Dei gerentis, nam res in specie fuit promissa ac debita: ergo alia non melior solvi nequit sine consensu creditoris: sathem Dei, arg. ex l. 1. §. de rebus creditis. Illa: *Aliud pro alio, invito creditore, solvi non potest*.

Resp. 1. Ex communi sententia, non solum ad licitam, sed etiam ad validam commutationem illa minus bonum, præter auctoritatem, requiritur justa causa; quia in illa admittenda aliqua dispensatio, qua condonatur aliquid, quod ex Voto debitum Deo. Requiritur etiam aliqua causa, sed minor, ad commuta ionem validam in æquales: quia Deus non concedit ut solutio rei sibi debitæ hac sine causa in re alia non meliore; & fidelitas Deo debita exercite rem promissam solvi, nisi adsit justa causa vera aliam æqualem dandi, vel nisi detur melior. *Ita Sanch. & alii communiter*.

At hoc tamen juxta multos sufficit major devotio ad illius æquale præstandum: nam non requiritur adeo gravis causa, cum non fiat relaxatio, sed mera translatio obligationis. Si tamen superior bona fide præferatur, putans esse causam justam, licet talis non sit, justa multos valet commutatio; quia bona fides superioris est pro causa, cum Deus non sit in hoc peritior excelso.

Resp. 2. Ex communiore sententia, quicumque habet potestatem dispensandi, etiam solum delegatam, habet etiam potestatem commutandi. Tum quia qui potest plus, potest & minus in eodem genere, *ex reg. 34. Jur. in 6.* Tum quia qui potest remittere absolute totum debitum, a fortiori potest illud remittere sub conditione dandi aliud. Cui autem solum concessa est potestas commutandi, is non habet potestatem dispensandi, quia hæc major est, nec continetur in alia.

Immo non potest commutare nisi in æquale, nam vox & natura commutationis æqualem subrogationem importat, & commutatio in minus continet aliquam dispensationem admittam. *Ita S. Carol. in instruct. confess. Et est communis sententia*.

Observa 1. Peregrinationes recte commutantur in jejunia, largas eleemosynas, crebram Confessionem & Eucharistiæ sumptionem: quia plerumque hæc sunt magis salutaria, & Deo gratiora. 2. Juxta multos ei, cujus Votum commutatum est, licet ad prius redire. Tum quia commutatio facta est in ejus favorem, cui proinde renuntiare potest; tum quia videtur dolum facta sub conditione. *Si nolit prius Votum implere*. Excipit Reginaldus, si commutatio facta fuerit in quelibet, & acceptata a vovente, eo quod acceptatio talis commutationis vim habet novi Voti, quo acceptans obligavit se ad reddendum Deo aliquid melius quam antea voverat. Unde implere commutare Votum ex meliori in minus bonum, quod non licet privata auctoritate & sine justa causa, 3. Si opus subrogatum fiat impossibile, vel difficilius, juxta multos, vovens non tenetur implere prius, etiamsi possit; quia hujus obligatio per commutationem extincta est. Obligatio autem extincta, præsertim quæ propria voluntate suscepta est, non reviviscit nisi propria voluntate iterum assumatur. Sed tamen dici potest commutatio facta sub hac tacita conditione, ut tunc prius impleatur, si moraliter possit impleri.

CAPUT IV.

De Juramento. (1)

Quæst. I. *Quid sit Juramentum?*

Resp. Est invocatio Dei in testimonium, sive est assumptio divini testimonii ad confirmandum. Unde jurare est Deum invocare, seu assumere in testem, non quidem ut hic & nunc veritatem aliquo miraculo testetur, hoc enim esset tentare Deum; sed quando & quoties ei placuerit sive in hac vita, sive in altera, quando do illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

Hinc Juramentum differt ab adjuratione, quæ est actus, quo quis alterum rogat, vel præcipit aliquid per Deum: ut scilicet ejus timore, reverentia, vel amore cogatur, aut præmoveatur ad aliquid agendum vel non agendum, ut illud, 1. Thessalon. 3. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc*.

Ad Juramentum duo ex communi sententia requiruntur. 1. Intentio saltem virtualis jurandi, seu Deum in testem assumendi. Ita S. Th. q. 1. 2. q. 98. art. 3. ad 2. Nam Juramentum debet esse actus humanus, quatenus Juramentum est, ac proinde ab intentione jurandi proficisci: aliquin qui præcise recitat verba jurandi solum ex intentione docendi, juraret. 2. Locutio, qua Deus in testem advocetur. Quæ locutio non solum in verbis consistit, sed etiam in quovis signo, quo exprimitur Dei invocatio, v. gr. nutu, contactu Evangelii, elevatione manus &c. quando hæc fiunt ex intentione jurandi. Immo illa locutio potest esse mere interna, & sic juramentum potest esse mere internum.

Hinc 1. Modi loquendi, quibus Deus in testem non adducitur, non sunt Juramenta, ut cum dicitur: *Tam verum est, quam sol lucet, quam loquor &c.* Juraret tamen qui animo Deum ut testem invocandi, adhiberet verba, vel alia signa, quæ aliquo de se talem Juramenti significandi vim non habent, ut si cum intentione jurandi diceret: *In veritate hoc faciam*, ut notat Sanchez. Hæc vero locutio, *Tam verum est, quam Deus existit*, vel *quam Christus est in Eucharistia*, est blasphemia, si loquens intendat significare tantam esse in suo dicto certitudinem, quam est in ea veritate fidei: sed non est Juramentum, nisi per hæc verba intendat adducere Deum in testem.

2. *Certissime, sine dubio, in veritate*, & similes locutiones non sunt Juramenta; secus si dicatur, *In veritate Dei* vel *Christi*.

3. Ex communi sententia, non sunt ordinarie Juramenta hæ formulæ: *In fide mea, Per fidem meam*: quia ordinarie accipiuntur de fide seu fidelitate humana, sine ullo respectu ad Deum. Unde nemo prudens putat sibi esse rem juramento confirmatam ob hanc solam locutionem. Item juxta multos, istæ; *In conscientia, Super vel per meam conscientiam*: quia saltem apud doctos significant solum hominem loqui ex veritatis notitia, & ex conscientiæ dictamine. *Azor* tamen dicit, pleroque sentire illis contineri vim Juramenti. Ex communi sententia, non sunt ordinarie Juramenta hæ formulæ. *In fide boni viri, in fide boni Christiani*, vel *Sacerdotis*; quia ut ordinarie accipiuntur, significant rem asseri vel promitti ea fidelitate, & veracitate, quam debet habere vir probus, Christianus, Sacerdos, ut ordinarie accipiuntur; nam tunc Deus non adducitur in testem. Ab iis tamen abstinendum est ob scandalum; nam non omnes ita hæc verba intelligunt: & sunt Juramenta apud eos, qui existimant esse, vel apud quos per consuetudinem accipiuntur velut Juramenta. Si autem *Per fidem meam, Per fidem boni Christiani &c.* intelligitur hæc divina, erit Juramentum: qui enim dicit *Per fidem divinam*, vel *veritatem Dei*, censetur Deum illius auctorem in testem adducere. Quare rudes interrogandi sunt an per illas formulas intenderint Deum in testem advocare, & omnes ab his avocandi sunt.

4. In istis locutionibus: *Deus scit, Coram Deo loquor, Deus videt conscientiam meam*, spectanda est intentio loquentis. Nam si narrative solum proferantur sine intentione jurandi, non sunt Juramenta; quia proprie ille non jurat, qui testimonium Dei non implorat ut exhibendum: secus, si invocative usurpentur.

5. Istæ locutiones, *Abnego Deum, Per mortem, Per ventrem, Per caput Dei*, sunt potius blasphemiæ quam Juramenta; nisi quis per tres posteriores locutiones intenderet Christum adducere testem.

6. In omnibus modis loquendi habenda est ratio usus, & spectandæ sunt circumstantiæ & intentio loquentis. Nam Juramentum est, si adhibeantur quævis verba, vel signa cum intentione jurandi, ut docent *Suarez, Azor, Sanchez, & alii*: etsi illa Juramenta significandi vim non habeant: nam tunc per verba illa, quæcumque sint, loquens vult assumere Deum in testem. In dubio de ejus intentione judicari debet secundum communem verborum, quibus usus est, acceptionem.

Quæst. II. *Quotuplex est Juramentum?*

Resp. Juramentum dividitur. 1. In explicitum, quo Dei testimonium expresse invocatur; dicendo v. g. *Deum testor, Juro per Deum, Per Deum ita est, Deum testem invoco &c.* Et implicitum, quo implicite solum Deus adducitur in testem, ut *Per Deum, Vivit Deus*, hoc est per vitam Dei, seu per Deum viventem; vel cum quis jurat per creaturas nobiliores, in quibus Dei potentia, vel alia perfectio specialiter elucet, vel quæ habent specialem relationem ad Deum; tunc enim earum auctor tamquam in illis repræsentatus seu præsens censetur in testem adduci, ut si dicas, *Juro per Cælum, per Terram, per Templum, per Evangelium, per fidem Christianam &c.* Ex Matth. 23. *Quicumque juraverit in Templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in Cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.* Item per *Sanctos* intuita Dei, qui in eis peculiari modo habitat, & virtutem ac veritatem ostendit. Vel *Per meam animam, in animam meam*: nam Deus in anima rationali specialiter splendet tamquam in imagine, proindeque censetur Deus in ea splendens adduci in testem. *Sanchez, Suarez, & alii*.

2. In solemne, quod fit cum aliqua solemnitate, v. g. certa verborum formula, vel coram Notario & duobus testibus, vel in judicio, vel contactu Evangelii, aut Reliquiarum. Et simplex, quod fit absque solemnitate.

3. In contestatorium, quo Deus solum ut testis vocatur, v. gr. *Per Deum*. Et execratorium, quo Deus in testem simul & vindicem advocatur, unde fit per imprecationem, ut, *Puniat me Deus, Damnet, Volo mori, Damnor me aufferas, Numquam videam Deum, &c.* Nam hæc heri nec esset nisi ex Dei vindicis ac judicis mandato. Item *Per meam vel alteram vitam, aut salutem, vel in vita, salute*: nam sensus est: Deus auferat mihi, vel illi vitam, si &c. Item *super animam meam*: nam sensus est: Damnum patiatur anima mea, nisi ita sit; & ista, *Ita me Deus adjuvet*, hoc est: Nisi ita sit, Deus me non adjuvet. Cum autem exercitationes, quæ Dei nomen vel sanctorum, aut nostra Mysterio

(1) *Tractatio de Juramento ardissimæ connexa est non tantum cum gravedine alias de Voto, sed etiam cum illa, quæ de Blasphemia est, ut patebit singulari tres invicem conferendi. Quoniam vero de Juramento non in sola Morali Facultate, sed in utroque præterea Jure tum Civili, tum Canonico, frequens occurrit mentio, plurimæque gravissimæ quæstiones de illo moveri solent: id circo qui exactam ac vere profectam ejusdem notitiam nancisci cupiat, non a Theologis dumtaxat, quales præsertim sunt Angelicus (2. 2. q. 89. per tot.) & Seraphicus (in 3. Sent. dist. 39. per tot.) verum & a Jurisperitis subsidia sibi conficisci necesse est; inter quos præsto erit Doctissimus Covarruvias, qui professum & egregium de hac materia edidit Tractatum, sive ut ipse nominat Relectionem in cap. Quamvis pactum, de Pact. in 6. Itidem Bened. XIV. multa sparsim edocuit, sed quæ magna ex parte referuntur ad varia particularia juramenta Cardinalium, Episcoporum, Confultorum, Judicum, Notariorum, Testium, Contestatorum, aliorumque; ut videre est in Libris de Synod. (4. 9. 12. 13.) atque in tribus prioribus Libris de Beatif. Serv. Dei &c. Quæ quidem per accommoda, ac perutilia sunt, relata ad praxim hujus præsertim Romanæ Urbis. Porro Juramentum, quod duce Angelico (N. 199.) manifestavimus verum esse actum virtutis Religionis, multiplici nomine differt a Voto, juxta sequentem Seraphici animadversionem (in 4. Sent. dist. 38. art. 1. qu. 1. in fin.) Quod ultimo quæritur de differentia votiad juramentum obligatorium, dicendum, quod triplex est differentia, scilicet in objecto, medio, & fine. In objecto, quia votum fit Deo; sed juramentum homini. In medio, quia juratur per Deum; sed vovetur per promissionem. In fine, quia juramentum est ad adhibendam veritatem; votum autem ad agendam honestatem, & boultatem. Atque hic Notis saltem longiusculis modum jam imponere cogimur.*

fleria continent, ex ira proferantur, tunc sunt blasphemiæ, quia contumeliose pronuntiantur.

4. In assertorium, quo confirmatur dictum vel factum de præsenti vel præterito, aut propositum de futuro sine promissione, ut cum quis jurat se facturum aliquid, licet illud nemini promittat. Et promissorium, quo quis confirmat promissum, & se obligat alicui ad aliquid pro futuro. Hoeque est vel absolutum, vel conditionatum, quod scilicet habet conditionem expressam, aut tacitam, ex dispositione juris, vel intentione jurantis.

Quæst. III. *An & quando licet jurare?*

Resp. 1. Licet cum certis conditionibus jurare. Constat 1. Ex Deut. 6. *Per nomen illius jurabis*. Et Psalm. 62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*: 2. Ex traditione & praxi Ecclesiæ. 3. Quia juramentum est actus latriæ, quo jurans tacite testatur Deum habere rerum omnium cognitionem, & veracitatem infallibilem, ac providentiam rerum humanarum.

Immo est obligatio jurandi, 1. Quando a superiore legitime exigitur. 2. Quoties necessarium est ad subveniendum proximo: nam lex caritatis obligat ad ejus necessitati subveniendum medio licito, præsertim facili, quale est Juramentum.

Resp. 2. Ut licite fiat Juramentum, requiruntur tres conditiones ceu comites, scilicet veritas, judicium, & justitia. Ita omnes; & constat, tum ex Joannis 4. *Jurabit, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & justitia*. Tum quia si una ex illis desit, committitur irreverentia in Deum.

Veritas exigit, ut jurans prudenter & certo judicet verum esse id quod dicit, & moraliter certus sit se verum effecturum id, quod promittit. Judicium, ut cum discretione, prudentia, consideratione, maturo examine veritatis, ac reverentia, nec sine necessitate & gravi causa jurent. Justitia demum exigit, ut Juramentum promissorium vel assertorium de futuro sit de re licita & honesta.

Quæst. IV. *An semper est mortale, si una ex illis conditionibus desit?*

Resp. 1. Si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit Juranti, est perjurium, & semper mortale peccatum, etiam in re levi asserta. *Ita omnes Theologi*. Preb. Quia 1. Deus non potest esse gravi incommodo ac injuria adduci in testem fallitatis, sive in re magna, sive in parva, vel jocosa. *Quia per hoc datur intelligere, vel quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem tegari velit*: S. Th. 2. 2. q. 98. art. 2. Quod est valde injuriosum Deo; nam alioqui non esset summe verax, nec proinde Deus; cum vel leviissima fallitas summæ ac infinitæ veracitati repugnet. Unde assumere Deum in testem mendacii vel leviissimi, est ex natura actionis, Deo negare infallibilem ac summam veracitatem. Præterea (ut ait S. Th. qu. cit. art. 3.) *Ea quæ ex se sunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei sunt, sunt peccata mortalia. Unde multo magis quidquid est quod de sui ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale: periurium autem de sui ratione importat contemptum Dei. Unde manifestum est, quod periurium ex sui ratione est peccatum mortale*. 2. Ex S. Aug. serm. 28. de verbis Ap. St. *Periurium peccatum est, & grande peccatum, nemo dubitat*. 3. Innoc. XI. damnavit hanc propositionem. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem*. Quare omne periurium stricte dictum, quod est mendacium Juramento confirmatum, seu falsum juramentum, mortale est, etiam si joco fiat. *Ille qui jocose periurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget, & ideo non excusatur a peccato mortali*. S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 3. ad 2.

Porro latius a S. Hieronymo & jure aliquando sumitur, nempe pro quolibet juramento illicito, etiam vero, sed sine necessitate facto.

Ergo mortaliter peccat, 1. Qui jurat id de quo dubitat, vel non est certus; nam exponit se periculo jurandi falsum. Immo pejerat; nam mentitur, asserens tamquam certum id quod putat tale non esse. 2. Qui jurat verum, putans esse falsum; nam talis formaliter & specialito ejus conceptu jurat falsum, & mentitur, cum loquatur contra mentem; habetque voluntatem adducendi Deum in testem falsitatis. 3. Qui jurat id quod verum est, & tale putat, sed levibus conjecturis adductus. Ita Catech. Rom. quia exponit se periculo jurandi falsum. 4. Ex communi, qui aliquid Juramento promittit sine voluntate implendi: nam juratus se aliquid facturum, jurat se habere firmam voluntatem faciendi: unde si non habeat, mentitur. Vel si juret se facturum id, quod scit sibi esse impossibile, quia non potest habere propositum efficax implendi: nam propositum non est de re impossibili, cognite ut tali, idque etiamsi res sit mortaliter tantum impossibilis; quia jurat se facturum id, quod judicare debet non facturum. Item si dubitet an possit aut debeat præstare: nam pejerat, vel saltem se exponit periculo pejerandi; & in his omnibus deficit certa veritas de præsenti, quam semper in re qualibet habere debet juramentum promissorium, & quæ exigit, ut sit animus firmus & certus promissa perficiendi.

Resp. 2. Quoad defectum judicii constat. 1. esse semper mortale, si defectus considerationis sit circa Juramentum ipsum, vel circa veritatem, propter periculum perjurii, ut si deliberate jures sine prudenti judicio de veritate, vel sine consideratione ad hoc requisita, etsi contingat esse verum, quod juras; nam exponis te periculo jurandi falsum. Hinc peccant mortaliter, qui factum quod audiru tantum, vel aliis signis non omnino certis cognoverunt, tamquam certo cognitum juramento affirmant. Item qui jurant de alicujus pœnitia, judicium ferunt sine sufficienti illius notitia, & certitudine de illa. Si vero defectus considerationis sit solum circa necessitatem & gravitatem rei, ex communi sententia est solum venialis, seclusis contemptu, scandalo, & periculo jurandi falsum: ut cum quis certus de veritate, non satis conferat an sit causa sufficiens jurandi.

Constat 2. esse peccatum saltem veniale, jurare sine necessitate, vel magna utilitate, ex Matth. 5. *Ego dico vobis non jurare omnino ... Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non*, &c. Et Jacob. 5. *Nolite jurare quodcumque Juramentum ... ut non sub judicio decidatis*. Nam est irreverentia contra summam Dei majestatem, quod interponatur ejus auctoritas, & ipse adducatur in testem sine necessitate, vel magna utilitate, aut ad res vanas ac leves confirmandas. Sic illicita sunt Juramenta urbanitatis gratia emissa, ut non ingrediendi vel egrediendi prius, defectu necessitatis & gravitatis rei. Ea autem non videntur violari, si jurans altero urgente præcedat; tum quia imbibunt hanc tacitam conditionem, *Si non nimium repugnaveris, non præcedam*, tum quia illud Juramentum cedens in hominem alterius, remittitur ab eo, cum jure cessens contendit ut juratus prior transeat.

Non est tamen ex communi sententia mortale, jurare sine necessitate, vel super re levi, aut vana, sed vera & licita; modo absit contemptus, scandalum, & periculum pejerandi: quia in hoc non censetur gravis irreverentia. Ita S. Anton. p. 2. tit. 14. c. 4. ibi: *Requiritur judicium, id est discretio, ut scilicet non juretur, nisi in casu necessitatis, vel magnæ utilitatis, ... aliàs jurando leviter, aut communiter sit, est verum sit & licitum quod juratur, est peccatum, non tamen mortale, nisi fieret in contemptum*. Qui tamen sæpe jurant sine necessitate, pejerandi periculum incurrunt, & proinde mortaliter peccant. Nam qui sic jurant ex consuetudine, propter nimiam facilitatem, & proclivitatem per eam contractam, leviter & remere jurant: sunque in periculo mortali jurandi sine judicio prudenti de veritate, ideoque pejerandi.

Resp. 3. Quod spectat ad defectum justitiæ, constat 1. Eum, qui jurat se facturum rem illicitam sine animo faciendi, esse perjurum, quia Juramentum mendacium confirmat. 2. Eum, qui jurat se facturum rem graviter illicitam, duplex mortale peccatum admittere; unum, quod velit rem graviter malam; alterum contra religionem; nam gravis est in Deum irreverentia, Dei auctoritate ac testimonio se firmare in proposito Deum graviter offendendi: in hoc enim est gravis abusus nominis & auctoritatis Dei. Hinc c. *Qui Sacramento*; 22. qu. dicitur. *Qui Sacramento se obligaverit, ut litigans cum quibusdam, ad pacem nullo modo redeat, pro periurio uno anno a communione Corporis & Sanguinis Domini segregetur, reatum suum elemosynis, fletibus, & quantis potuerit jejuniis absolvat*. 3. Esse pejus jurare de re venialiter mala parranda, quam de re indifferenti, vel de honesta sine causa. Communius tamen docent esse solum venialе grave; quia putant non esse gravem irreverentiam, nisi fiat cum quadam contumelia, vel verbis, quæ blasphemiam sonant, aut adsit periculum perjurii. 4. Esse mortale contra religionem Juramento confirmare injuriam mortalem, ut gravem detractionem veram, vel concumeliosam: nam assumere nomen Dei tamquam instrumentum ad gravem injuriam proximo inferendam, ideoque Deum graviter offendendum, gravis est in Deum irreverentia. An autem propriam culpam mortalem prætiriam Juramento affirmare cum jactantia & delectatione, sit, præter culpam lethalem jactantiæ & delectationis, mortale peccatum contra religionem, alii affirmant, quia putant esse gravem irreverentiam; alii probabilius negant, eo quod Juramentum per se non cadat in illam affectionem, ut malam, sed ut veram.

Nota. Per præceptum, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, non solum prohibentur omnia Juramenta contra honorem Dei facta, sed etiam quælibet vana usurpatio ejus nominis.

Quæst. V. *Quæ & quanta est obligatio Juramenti promissorii, & assertorii de futuro?*

Resp. 1. Est obligatio sub mortali præstandi rem licitam Juramento promissam, vel assertam, saltem si res illa sit gravis. *Ita omnes*. Constat 1. Ex Matth. 5. *Reddes Domino Juramenta tua*. Et ex cap. 12. de jurejur. ubi Summus Pontifex statuit Clericum ab Ecclesia removendum, eo quod non solverit pensionem aliquam Juramento promissam. 2. Quia hæc obligatio ex suo genere gravis est: nam est obligatio virtutis religionis, & ex præcepto colendi Deum: ergo ejus violatio est ex suo genere mortalis. Deinde tendit ad firmanda pacta inter homines, controversiasque dirimendas; ad quem effectum necesse est, ut ex tali Juramento nascatur gravis obligatio servandi promissa: alioquin hoc vinculum non esset satis firmum, & facile ab hominibus rumperetur.

Idem docent Toletus, Lessius, & alii, etiamsi res sit levis. Quia 1. Jurans se aliquid facturum, Deum testem assumit, se non solum habere animum faciendi, sed etiam se facturum, nisi legitima causa excuset; & hic auctoritate divina se obligat ad servandum promissum. Unde duplex veritas exigitur, una præsens, scilicet animus rem juratam præstandi; altera futura, scilicet illius executio suo tempore futura. Ergo si non exequatur, facit, quamvis in se est, ut Deus falsum testatus sit; voluit enim ut Deus testaretur aliquid futurum. 2. Si non servatur Juramentum, etsi de re levi, efficitur Deus testis falsitatis; veritas quippe talis Juramenti consistit in conformitate cum re promissa, nam ab eo quod res est, vel non est pro tempore importato, propositio est vera vel falsa. Hinc S. Th. q. 89. art. 7. ait: *Tenetur ut faciat, verum esse id quod juravit: alioquin deest veritas Juramento*. 3. Est mortale contemnere Dei auctoritatem interpositam pro quacumque re. Aliud est de violatione voti, quæ in re levi est solum venialis, quia non est gravis injuria nec irreverentia in Deum non præstare rem levem promissam, quæ parum conferat ad ejus honorem. At est gravis injuria adducere Deum in testem falsitatis etiam in re levi, & quamvis est in se efficere, ut testatus sit falsum in quavis re; neque enim stare potest veracitas Dei infinita, si Deus possit testari falsum in re aliqua etsi levi, ac proinde rem levem juratam non exequi, est facto negare veracitatem Dei, & quantum est in se illam destruere.

Verum S. Antonin. p. 2. tit. 12. c. 4. §. 2. Sylvester, Soras, Navarrus, Suarez, Sanchez, Azor, Sylvius, & alii communiter, aut saltem communies docent, Juramentum promissorium obligare tantum sub venieli in re levi, sive res levis sit tota materia promissionis, sive solum pars illius. Probant, quia 1. Rem futuram promittens Juramento, Deum adducit dumtaxat in testem, se habere animum implendi promissum, & se obligare ex auctoritate Dei ad illud præstandum, pro capacitate scilicet materiæ, seu rei promissæ. Unde si rem Juramento promissam cum animo eam vere præstandi, omittat, non mentitur, quia nihil dicit aut facit contra mentem, sed solum eam mutat. Ergo non inducit Deum in testem mendacii; sed infideliter agit, nolens nunc præstare rem sub auctoritate divina promissam. Quæ infidelitas est irreverentia in Deum, mortalis quidem in re gravi, sed venialis in re levi. Negant autem cum, qui aliquid Juramento promittit, pro-

prie assumere Deum in testem futuræ executionis Juramenti, sed adduci solum volunt in testem præsentis promissionis, & obligationis promissæ perficiendi inde ortæ, & tamquam fidejussorem quoad executionem futuram.

2. Sicut in humanis contractibus quando quis assumitur testis promissionis, non censetur inductus fuisse ad testificandum falsum, si postea non fieret promissum; sed solum ut attestetur de contractu presenti & obligatione inde orta: ita Deus non adducitur ut testis falsi, quando assumitur ut testis promissionis Juramento firmatæ cum animo eam implendi, quamvis postea non impleatur; ideoque tunc Deus non efficitur testis falsitatis, si non servatur promissum.

Fatentur quidem rem Juramento promissam dari debere etiam ex reverentia debita auctoritati divinæ, quæ interpolita fuit ad corroborandam promissionem. Quare si promissio non impleatur, peccatur contra reverentiam auctoritati divinæ debitam; sed volunt hanc irreverentiam esse gravem vel levem pro gravitate, vel levitate materiæ seu rei promissæ; perinde ac violatio voti est gravis vel levis culpa & irreverentia pro gravitate vel levitate rei Deo promissæ.

Itaque hi Doctores sentiunt Deum nunquam adduci in testem futuræ executionis promissionis, sed tantum in testem promissionis, & obligationis inde ortæ, & voluntatis promissa præstandi. Quæ quidem obligatio pertinet non solum ad virtutem justitiæ & fidelitatis, sed etiam ad religionem propter interpositam auctoritatem Dei; & commensuratur capacitati materiæ, ita ut gravis sit in re gravi, levis vero in re levi promissa. Juramenti autem promissorii veritas consistit in conformitate ejus cum proposito se obligandi, vere promittendi, & promissa perficiendi.

Nota. Licet Juramenti obligatio non transeat ad hæredes, cum sit obligatio propria voluntate suscepta ex juratione, ideoque personalis; tenetur tamen ex justitia implere Juramenta realia defuncti, quæ non fuerint per injuriam extorta; nam succedunt in onera realia defuncti sicut in ejus Jura. Defunctus autem per promissionem Juramento confirmatam contrahit onus & debitum reale, quod proinde transit ad hæredes. Debent etiam impleri erga hæredes promissarii, quia actiones & Jura defuncti transeunt ad illos.

Item Jurans obedientiam alteri ratione dignitatis & officii, v. gr. Episcopo, tenetur vi Juramenti obedire omnibus ejus successoribus in ea dignitate seu officio, ex c. 14. *de Jurejur.* quia censetur jurasse obedientiam omni habenti tale officium seu dignitatem, quæ est causa & ratio juramenti.

Resp. 2. Juramentum promissorium habet eadem conditiones, limitationes, & extensiones expressas ac tacitas, quas promissio, vel contractus, cui adjicitur, habet ex mente contrahentium, ex dispositione Juris, vel recepta consuetudine; eodemque modo explicandum est, ex cap. 25. *de Jurejur.* & *Lult. cod. de non numer. pecun.* Nam talis est intentio Jurantis; & Juramentum non mutat, sed præcise confirmat contractum ac promissionem secundum eorum naturam, & eodem modo quo intelliguntur & accipi solent, non aliter; solumque addit obligationem Religionis. Sic jurasti puellæ nuptias, scilicet nisi illa fornicetur &c. quia promissio ipsa sic intelligitur, nec aliter obligat. Hinc Juramentum conditionatum non obligat ad rem promissam, donec impleatur conditio, ex cap. 1. *de Jurejur.* quia conditio suspendit pactum, & proinde Juramenti obligationem. Obligat tamen ad expectandum eventum conditionis.

Resp. 3. Juramentum de futuro sine promissione obligat, quia simplex assertio de futuro confirmata Juramento obligat ex virtute Religionis ad faciendam veram rem assertam de futuro. Et jurans se aliquid facturum absque promissione, jurat non solum se habere voluntatem ad præstandi, sed etiam suo tempore facturum, sicque tenetur efficere veram assertionem suam de futuro, *Suarez, Sanchez &c.*

Porro de Juramentis servandi statuta Communitatis, Collegii, Capituli &c. docet cum multis Sanchez, ea intelligenda esse ita obligare, ut res illa servanda contineatur in statutis, nimirum si statutum est tanti momenti, ut obliget sub mortali, obligabit Juramentum sub mortali; si autem sit leve, ita ut sub veniali tantum obliget Juramentum, sub veniali obligabit. Ratio est, quod hic non juret præcise servare rem illam in statuto contentam, sed prout continetur in statuto, seu statutum ipsum, quale est. Ergo obligatio Juramenti metienda est juxta statuti obligationem. Ita Sanchez, qui inde infert, virtute hujus juramenti non teneri juramentum ab observanda ea statuta, quæ recepta non sunt, aut in desuetudinem abiere, quia hoc juramentum est de solis statutis servandis quatenus obligant. Ergo quoties ex quavis causa obligare desinunt, cessabit perinde juramenti obligatio; quia jam illa non sunt statuta, atque juramentum fuit illis accessorium, quatenus statuta erant: Item eo modo juramentum obligabit ad statuta servanda, quo illa recepta sunt.

In generalibus vero juramentis obediendi Præfato, aut Rectori, jurata obedientia non censetur exigi, inquit Reginaldus, nisi id ipsum exprimatur præcipiendo in virtute præstiti juramenti, vel alia verborum forma æquivalenti.

Quæst. VI. *Quibus casibus Juramentum non obligat?*

Resp. His. 1. Si fit de re illicita etiam venialiter, ex regul. jur. 56. in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* nam juramentum non est vinculum iniquitatis, ex c. 18. *de Jurejur.* Enimvero nemo potest obligari ad peccandum, cum contra quilque teneatur ad non peccandum; alioquin teneretur ad duo contradictoria, ideoque ad impossibile. Immo qui rem illicitam faceret ob juramentum, bis peccaret, nam præter peccatum illud, quod patraret, gravem irreverentiam contra Deum admitteret, utendo ejus nomine & auctoritate tamquam vinculo ac instrumento seu motivo ad eum offendendum. Quare non obligat juramentum de re, quæ sit in damnum tertii, cap. 28. *de jurejur.* vel contra bonum publicum, aut legem divinam, vel ecclesiasticam, vel etiam civilem, nisi hæc fit immediate in favorem privati, cui licite renuntiare possit: Nam illicitum est damnum alteri sine justa causa & legitima auctoritate inferre, bono publico nocere, & leges violare. *Non enim dicenda sunt juramenta, sed potius perjuria, quæ contra utilitatem ecclesiasticam, & SS. Patrum veniunt instituta*, ait Concil. gener. Lateran. III. cap. 16.

2. Si fit de re inutili, id est, quæ neque ex se, neque ex fine aut circumstantiis, ad Dei obsequium, vel hominis utilitatem conducit. Nam juramentum non est vinculum rerum vanarum, & otiosarum, nec Deus vult illas fieri ob nominis sui reverentiam. Immo tale juramentum est peccatum, cum sit abusus sancti & terribilis nominis Dei, & irreverentia in Deum. Aliud est, cum res de se indifferens ordinatur ad finem bonum, ad quem conducit; vel est utilis alteri, in cujus gratiam jurata est, ut si juraßi, te nullas merces nisi a Titio empturum, obligaris. Nam honestum est reddere proximo rem promissam, quæ ei utilis & grata est: juramentum autem de opere honesto obligat.

3. Si fit de re impossibili ex materia boni, & contraria consiliis Christi; ut si jures te non ingressurum Religionem: nam Deus non vult illud servari, cum majus Dei obsequium impediat. Obligat tamen, si res illa sit promissa homini, & ei utilis: quia homo vult illam fieri ob suam utilitatem, & habet jus ad illam. Unde illam præstando exercetur debitus actus veracitatis, fidelitatis, justitiæ, & Religionis. Hinc si juraßi dare virginti aureos Petro divini, non potes illos dare pauperibus, licet, secluso promissione, hoc sit melius. Nam ex cap. 25. *de Jurejur.* servari debet juramentum homini præstitum, quando non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in alterius detrimentum injustum.

4. Si fit de re impossibili: nam ex reg. jur. *impossibilium nulla est obligatio*: cum nemo possit ad impossibile obligari.

5. Si fuerit error, vel dolus circa rei promissæ substantiam. Quia deest consensus substantialis circa juramentum; nam jurans non habet intentionem jurandi rem illam, circa quam errat, sed aliam quam apprehendit, ut si juras te daturum vas aliquod, putans esse æneum, cum sit aureum. Idem dic, si error verteretur circa causam finalem, quia etiam deest verus consensus, cum desit motivum verum volendi, & jurans censetur jurare sub conditione: Si res ita est: ut si jures te daturum vigini Petro, eo quod falso afferat sibi faville in aliquo negotio.

6. Si promissio jurata non fuerit acceptata ab homine, in cujus gratiam facta est. Quia juramentum sicut ipsa promissio includit hanc conditionem: Si ab altero acceptetur. Secus si promissio facta sit in honorem Dei, ut si alteri juramento promittas, te Sacramenta suscepturum. Religionem ingressurum &c. Tunc enim est Votum juratum, cum ad Deum directe spectet, & ejus intuitu fiat: unde statim acceptatur a Deo.

7. Ex iis, quæ ab Auctore superioribus in quæstionibus sunt explicata, facile patet jure meritoque damnatas, ac sub pœna etiam excommunicationis prohibitas esse Societates, quæ vulgo dicuntur: *de' liberi Muratori*, seu *des Francs-Maçons*. Etenim jurejurando ad Sacra Biblia interposito homines in hujusmodi Societates coopiantur, quæ civilibus canonicisque legibus damnatæ sunt: quæ Catholicæ Religionis puritati non parum obesse possunt, quod in eisdem cujuscunque Religionis & sectæ homines conveniant; quæque apud prudentes probosque viros ita male audiunt, ut qui eisdem nomen dent, pravitatis & perversionis nomem incurrant: Et arctum, & impervium secreti fœdus ineunt, quo occultantur ea, quæ in hujusmodi Conventiculis fiunt, quæ sane nec bona esse, nec aperam præferre juramenti materiam, ex eo liquet; primum, quia nisi hæc mala essent, tanto nequaquam odio fucem haberent: deinde quia vehemens suspicio est, Religionis puritati obesse, ut supra indicavi; & quia publica populi Christiani fama fert, ea inepta esse atque perversa: demum quia hujusmodi jurejurando ita servando secreto adstringi contendunt, quali eis liceat hujus juramenti obtentu se teneri, quominus a legitima potestate interrogati omnia fateri teneantur, quicumque exquirantur ad dignoscendum, an aliquid in hujusmodi Conventibus fiat, quod sit contra Religionis aut Reipublicæ statum & leges. Hæc ex duabus Constitutionibus Pontificis deprompsimus, quarum altera est Clementis XII. quæ incipit *In eminenti*: altera vero Renedicti XIV. qua illa confirmatur, cujus initium est *Providas Romanorum Pontificum*. Ut autem sciant Sacræ Religionis Ministri, qua ratione cum hujusmodi hominum genere se gerere debeant, gravissimas præfatæ prohibitionis & damnationis causas, quæ in Benedictina Constitutione recensentur, ordine referemus, ac pœnas recensebimus, in quas hujusmodi homines eorumque fautores incurrunt.

Prima itaque est, *quod in hujusmodi Societatibus, & Conventiculis, cujuscunque Religionis ac Secta Homines invicem consociantur; qua ex re satis patet, quam magna pernicies Catholicæ Religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum, & impervium secreti fœdus, quo occultantur ea, quæ in hujusmodi Conventiculis fiunt: quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Cæcilius Natalis apud Minucium Felicem in causa ejusdem diversa protulit:* Hostilia semper publico gaudent, fœdera secreta sunt. *Tertia est jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt: quasi liceat alicui, ea utilibet promissionis aut juramenti obtentu se teneri, quominus a legitima potestate interrogatus, omnia fateri teneantur quæcumque exquirantur, ad dignoscendum, an aliquid in hujusmodi Conventibus fiat, quod sit contra Religionis aut Reipublicæ statum & leges. Quarta est, quod hujusmodi Societates non minus Civilibus quam Canonicis Sanctionibus adversari dignoscuntur, quam scilicet Jure Civili omnia Collegia & Sodalitia præter publicam auctoritatem confociata prohibentur, ut videre est in Pandectarum lib. XLVII. Tit. 22. de Collegiis, & Corporibus illicitis, & in celebri Epistola C. Plinii Cæcilii Secundi, quæ est XLVII. libri X. in qua ait: edidit Suo, secundum Imperatoris mandata, veritum fuisse ne Hetariæ fierent, idcirco ne Societates, & Conventus sine Principis auctoritate inirí, & haberi possent. Quinta est, quod jam in pluribus Regnibus memoratæ Societates & Aggregationes Secularium Principum legibus proscriptæ atque eliminatæ fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes & probos viros eadem Societates & Aggregationes male audirent, eorumque judicio, quicumque eisdem nomen darent, gravitatis & perversionis notam incurrerent.*

Prohibetur autem in antea dictis Constitutionibus,

ut quis sub quovis praetextu aut quæsito colore audeat vel præsumat prædictas Societates inire, vel propagare, conjovere, aut in suis ædibus, seu domibus, vel alibi recepture, atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive aliat consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, vel indirecte, per se, vel per alios quoquo modo præstare; nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi Societatibus adscribantur, annumerentur, seu interfint, vel ipsos quomodolibet juvent, ac foveant; sed omnino ab iisdem Societatibus, Cœtibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus, seu Conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub pœna Excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo, per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in articulo mortis constitutis, absolutionis beneficium valeat obtinere. ✠

Quæst. VII. *An Juramentum injuste extortum obligat?*

Resp. Affirm. Nisi sit de re illicita. Hoc certissimum est apud omnes, inquit Sanchez. *Prob.* 1. Quia est verum juramentum. Ergo ex eo oritur obligatio Religionis erga Deum, cujus auctoritas interpolita est; cum hæc obligatio ex natura rei sit inseparabilis a juramento, quod est de re licita, nec alteri noxia. 2. Ex cap. 6. & cap. 8. *de Jurejur.* ubi Alexander III. loquens de juramento ex gravi & injusto metu extorto, ait: *Non est tutum quemlibet contra Juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Nec Ecclesia tale juramentum irritat, sicut votum ex metu gravi injuste extortum. Nec obstant c. 27. *de Jurejur.* & c. 2. *de pact.* in 6. ubi dicitur: Pacta, quæ seclusio juramento sunt irrita, servari debent eo accedente, dum licite possunt, si præsertim sit sine vi & dolo. Nam Pontifex vult solum pacta illa non firmari juramento vi, vel dolo præstito, & juramentum extortum relaxationis causam ex se ipso præbere ob injuriam, quam continet. Equidem juramentum non firmat promissionem quæ nulla esset: at firmat assertionem inclusam in promissione.

Hinc 1. Captivus teneatur cum periculo vitæ redire in carcerem, quo se rediturum juravit illud prævidens, licet mors & carcer sint injusta: nam cum hæc promissio prudens sit, jurans enim extitum sine illa non obtinuisset; nec mutatio circa rem promissam facta fit: ejus executio, nempe reditus, est actus licitus, & opus fortitudinis, patientiæ, magnæ veracitatis & fidelitatis, ideoque est materia juramenti; nec in cenfetur se occidere, sed tantum se exponere periculo mortis ob justam causam. *Ita Toletus, Suarez, Delugo, Sanchez &c. & ego saltem communior sententia.* Nam reus tenetur non fugere, etiam cum periculo mortis prævifo, si juravit non fugiturum: nam juramentum de re licita præstitum in gratiam tertii obligat.

Hinc 2. Qui latroni ex metu mortis juravit se daturum pecuniam, & infuper eum non denunciaturum, non tenetur quidem ad non denunciandum; quia hæc pars juramenti est illicita, utpote contra bonum publicum; sed teneatur pecuniam promissam tradere, non quidem ex vi promissionis injuste extortæ, cum actio injuriosa non possit dare jus injurianti in injuriatum invitum; sed ex religione erga Deum, cui soli acquiritur obligatio: ideoque fuit semper tenetur accepta restituere ob injuriam illatam. Potest tamen jurans juramenti relaxationem petere, vel solutam pecuniam repetere. Ita S. Th. 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 3. *In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit: & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juraverit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam.*

Quæst. VIII. *Quid dicendum de juramento ficto & doloso?*

Resp. 1. Juramentum exterius factum sine animo jurandi, est semper intrinsece malum. Quia 1. Est mendacium: nam sic jurans exterius significat se habere animum jurandi, quem tamen non habet. 2. Est irreverentia in Deum, abuti ejus nomine & majestate ad decipiendum proximum. 3. Est intrinsece malum, avertere finem principalem juramenti, qui est firmare veritatem, & finire litem, & pacta. At nisi homines graviter obligarentur ad habendam finceram intentionem, cum jurant, prorsus everteretur juramenti finis, & securitas, ut notat Suarez, inde inferens obligationem hanc esse gravem, utpote ortam ex intrinseca ratione juramenti, & reverentia divini testimonii. 4. Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Cum caussa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Hinc juramentum sine animo jurandi factum etiam de veritate, in contractibus, in judicio, in re quavis gravi, semper est mortale contra religionem. Nam est gravis illusio, & abusus nominis Dei contraria fini juramenti: si enim homines scirent, posse licite jurari sine peccato mortali, nil utilmarent juramentum. Et ita docet communis sententia, quoties juramentum legitime præstur, vel ipsorte fit. Sed idem dicendum videtur, etiamsi minus legitime exigatur.

A fortiori semper est mortale sic ficte jurare falsum, cum semper sit gravis irreverentia in Deum, ipsum exterius adducere in testimonium falsitatis, & ipsa verba secundum se habeant turpitudinem, & indecentiam gravem.

Resp. 2. Etli juramentum factum sine animo jurandi, sit solum fictio juramenti, cum verba per se non habeant efficaciam, nisi ut sint vera signa mentis; tamen est obligatio faciendi quod juratur, ratione injustitiæ, vel damni inde orti aut orituri, vel scandali, si non præstetur. Nam quisque tenetur cavere ne ex sua actione sequatur alteri damnum ac scandalum, & secutum tollere. Immo juramentum dolosum, saltem si non injuste exigatur, impleri debet ex virtute religionis; quia, ut ait Valentia, præceptum naturale religionis obligat ad tuendum honorem divinum, non solum efficiendo

veritas id, in cujus confirmatione revera invocatum est divinum testimonium; sed etiam id quod rationabiliter potest credi fuisse divino testimonio confirmatum: alioqui minuitur per se loquendo honor divinus.

Resp. 3. Qui jurat cum restrictione mentali, aut æquivocatione, 1. Peccat mortaliter contra religionem; nam gravem irreverentiam Deo infert, abutendo ejus nomine & auctoritate ad decipiendum injuste proximum; estque perjurus: *Perjuri sunt, qui servatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt*, ait S. Auguft. epift. [as 31. Enimvero restrictio mentalis, & æquivocatio proprie ac simpliciter dictæ, sunt mendacium. Nam in illis locutio totaliter sumpta est contra mentem, cum neque ex se, neque ex circumstantiis habeat vim significandi rotam propositionem luternam, sed solum significet id quod verba in sensu obvio præ se ferunt in talibus circumstantiis; quod quidem est contra mentem. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regio a similibus exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* 2. Talis peccat etiam contra justitiam, quando juramentum juste exigitur, vel sponte fit, ut in judicio, contractibus &c. Nam violat jus, quod alter habet, ne decipiatur, & ut clare, sincere, & secundum ejus intentionem juretur. Quare deceptor obligatur juramento secundum intentionem illius, cui jurat, nam tenetur tollere deceptionem injustam. Ita S. Th. 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 4. ibi: *Quando non est eadem juramiti intentio, & ejus cui jurat, si hoc proveniat ex dolo juranti, debet Juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui Juramentum præstatur. Unde Isidorus dicit: Quacumque arte verborum quis juret; Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit ... Si autem juranti dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem juranti. Unde Gregorius dicit, lib. 17. Moral. Humana aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia talia, foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Hinc rogatus juridice, an crimen aliquod admiserit, quod per se non admisit, sed per alium cui id præcepit, perjurus est, si juret se non admisisse; quia hoc juramentum accipiendum est secundum legitimum verborum sensum; quem aut ex communi acceptatione seu usu habent, aut in quo cationes & leges accipiunt. At fecisse vere dicitur non solum ille, qui per se ipsum fecit, sed etiam fieri mandavit, cap. 6. *de sent. excomm.* & lib. 2. 6. *de vi & vi armata.* Ita Sanchez.

Resp. 4. Juramentum factum cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi, vel implendi, 1. Est obligatorium: quia est verum Juramentum, cum ad hoc sufficiat voluntaria invocatio Dei in testimonium. At obligatio ex natura rei inseparabilis est a juramento, suppolita materia licita, nec jurans potest hanc ullatenus vitare, sed necessario tenetur illum implere ob interpositam auctoritatem Dei falsem per modum fidejussoris. *Ita Suarez, Lessius Valentia, & alii multi.* 2. Ex communi sententia, semper est mortale; tum quia gravis est irreverentia in Deum, adducere eum in testem, nolendo obstringi illius testimonio, vel obligationem inde contractam implere; tum quia est perjurium, cum sit mendacium juramento confirmatum: nam jurans vocat Deum in testem voluntatis se obligandi, & implendi, quam significant voces ex usu & fine juramenti, quamque scit se non habere.

Nota. Clerus Gallicanus ann. 1700. has propositiones ut perniciosas, & bonæ fidei contrarias damnavit: *Qui intentionem jurandi non habet, licet falso juret, non peierat, etsi alio crimine teneatur, puta mendacii alicujus. Qui jurat cum intentione non se obligandi non obligatur ex vi Juramenti.*

Quæst. IX. *Quot modis tollitur obligatio Juramenti promissorii?*

Resp. Ex communi sententia his. 1. Materiæ mutatione, videlicet si res jurata fiat postea impossibilis, vel illicita ob superioris prohibitionem, vel prorsus inutilis ad intentum finem, vel noxia ei, cui promissa est. *Cum aliquis jurat, vel promittit se facturum valumtatem alterius, intelligenda est debita conditio: Si scilicet id quod ei mandatur, licitum sit, & honestum & possibile, seu moderatum*, ait S. Th. qu. 98. art. 2. ad 3. Item ex communi sententia, si fiat aliqua mutatio ita notabilis, ut res jurata videtur in alio statu constituta, & diversa notabiliter ab ea, quæ promissa est, ex cap. 27. & 25. *de Jurejur.* Nam talis mutatio quasi aliud objectum facit, ad quod jurantis intentio non extenditur, ut si jurasti te jejunaturum certo die, & eodem die incidas in morbum gravem.

Hinc parentes, qui juraunt se punituros liberos, vel heri famulos, non tenentur eos punire, si pœna jurata digna non sint, quia invalidum fuit ab initio Juramentum, utpote de re illicita; vel licet pœna digni sint, si punitio videatur plus obfuturа quam profutura; vel si filius corrigi paratus, veniam petat: nam notabiliter mutatus est status rei; & Juramentum comminatorium habet hanc conditionem tacite intellectam: *Nisi sit melius non servare. Nisi punitio inutilis sit.* Nam sicut Juramentum non est vinculum iniquitatis, ita nec est impeditivum majoris boni, nec vinculum rerum vanarum & inutilium. Idem dic si id accidat, quod si fuisset Juramenti tempore, jurans temeratius ac infipiens haberetur, nam tunc ad id nullatenus se extendit jurantis intentio.

2. Condonatione seu remissione facta ab eo, in cujus sollius favorem juratum est, ob subtractionem materiæ, nisi res promissa fuerit principaliter in honorem Dei. Nam hoc ipso quod promissarius promissioni renunciat, tollit juramenti materiam, quod proinde jam non obligat.

3. Commutatione facta a superiore justa & caussa, si promissio facta sit Deo; si vero facta sit in utilitatem hominis, & ab eo acceptata, res promissa potest commutari cum ejus consensu.

4. Irritatione facta ab eo, cui persona seu voluntas jurantis, vel materia juramenti est subjecta, sicut dixi de voto. Nam Juramentum non obligat in damnum seu præjudicium tertii, & sit sub conditione: Nisi contradixerit talis persona; alioqui res jurata esset illicita, utpote contra jus alterius. Sic Superior Regularium potest valide, etiam sine caussa, irritare juramenta subditorum, pater filiorum,

maritus uxoris, dominus servi circa ea, quæ eorum potestati subjiciuntur, & in iis casibus, in quibus possunt eorum vota irritare. *Ita S. Thom.*

3. Si alter non fervet promissa, cap. 3. *de Jurejur.* Ratio horum generalis est, quia in juramento promissorio, sicut in voto & promissione, hæ conditiones generales secundum canones & communem usum includuntur: *Si potero; Si res non mutetur notabiliter; Si accepter; Nisi remittat; Si ei, cui voluntas vel materia subest, non contradicat, aut aliter dissonat; Salvo jure superioris; Si alter set præmissa, suam obligationem implear.* Unde non impleta conditione cessat obligatio.

6. Demum dispensatio, quæ fieri potest ob justam causam a superiore habente ordinariam potestatem dispensandi in votis, ut sunt Episcopi; non tamen ii, qui solum habent potestatem delegatam dispensandi in votis: nam juxta stylum Curiæ Romanæ, privilegium dispensandi in votis distinguitur a privilegio dispensandi in juramentis. *Ita Navar. Azor, Lessius &c.*

Juramentum tamen promissorium, sicut votum, factum in commodum tertii, & ab eo acceptatum, non potest sine ejus consensu relaxari, hæc communi etiam in melius a superiore, cum alter per acceptionem jus ad rem illam acquisierit, nisi in tribus casibus. 1. Ob bonum commune, quod privato præferri debet, ut si quis juratus promiserit alteri beneficii sui resignationem, Episcopus alium multo digniorem & aptiorem judicans, possit illum solvere ab obligatione juramenti. 2. In personam alterius criminis, in materia, quæ Superioris jurisdictioni subjacetur. Ratione injuriæ juranti illatæ, ut cum Juramentum fuit metu, vel fraude extortum &c.

Quæst. X. *An licet exigere Juramentum ab eo, qui prævidetur perjeraturus?*

Resp. Non licet personæ privatæ, etiam in judicio. *Ita S. Th. q. 98 art. 4. Sanchez, Reginaldus, Vasquez, Suarez hanc vocant communem doctrinam &c.* Prob. 1. ex S. Augustino, serm. 18. de verbis Apostol. *Si scit, & cogit jurare, homicida est; ille enim suo perjurio se perimit; sed vide manum interficientis & expressit & pressit.* 2. Cum tunc nulla sit utilitas exigentis, merito censetur, consentire perjurio, & illius occasionem offerre. 3. Tenemur ex caritate impedire peccatum proximi, saltem cum facile possumus. Sed tunc facile potest impediri perjurium, cum nulla sit utilitas exigendi a tali Juramentum. Nec quis habet jus illud exigendi, nisi quatenus ad debitum recuperandum conducit; sed ad hoc non conducit, cum alter prævidetur perjeraturus. Hoc procedit, etiamsi alter sponte se offerat: quia tunc exigens tribueret illi occasionem perjurii exequendi, & consentiret executioni pravæ voluntatis.

Id tamen licet judici ad instantiam partis: quia id exigit juris ordo, & officium judicis, qui debet procedere secundum publicam scientiam, ad quam hoc Juramentum inservit. Quo casu non judex, sed is, qui jus dicere debet, censetur Juramentum exigere. Ita S. Th. *supra.*

Obj. Licet interdum exigere Juramentum ab eo, qui prævidetur juraturus per falsos deos, ut docet S. Augustin. in cap. *Movet* 22. q. 2. Ergo a pari &c.

Resp. Disparitas est, quod Juramentum quamvis per falsos deos valeat ex parte juratis ad faciendam fidem, & firmandum pactum; ac proinde potest esse medium utile ad avertendum grave damnum petentis. Licet autem ex gravi necessitate ad aliquo petere id quod potest licite præstare, essi prævideatur peccaturus. At perjurium constitum non potest prodesse privato, ideoque non est justa causa illud non impediendi.

Sed quid, si dubites an alter sit perjeraturus?

Resp. Tunc potes exigere Juramentum in re gravi. Quia in dubio nemo præsumitur malus, aut peccaturus; & hoc potest esse utile ad recuperandum id quod tibi debetur, nec aliter potes illud recuperare.

Quæst. XI. *Quid dicendum de consuetudine jurandi?*

Resp. Quisque tenetur sub mortali consuetudinem jurandi sine necessitate vitare, & contractam evellere. Quia hæc affert morale periculum perjurandi, ut constat experientia, & ex cap. 29. de Jurejur. *Ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpe contingit.* Et ex S. August. epist. 29. *Jurandi consuetudine & in perjurium sæpe cadit, & semper perjurio propinquatur.* Idem docent S. Chrysostomus homil. 24. ad popul. Antiochen &c. Ratio est, quia hæc consuetudo propter nimiam facilitatem & proclivitatem ex ea contractam constituit hominem in periculo morali jurandi leviter ac temere; ideoque sine consideratione sufficienti ad judicium prudens ac certum de veritate, & consequenter in periculo jurandi falsum. At quisque tenetur sub mortali vitare ac tollere periculum morale peccandi mortaliter; nam *qui amat periculum, in illo peribit*: Eccli. 3. Et quisque tenetur graviter velle efficaciter vitare peccatum mortale. Ergo &c. Hinc illud Eccli. 23. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa ... Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.*

Quod verum est etiam de consuetudine jurandi absque advertentia an juretur, necne, ut recte docent Suarez, Sanchez &c. quia hæc consuetudo exponit periculo proximo incidendi in juramenta falsa, quæ quamvis inadvertenter & sine animo jurandi prolata sint, habent tamen turpitudinem ac difformitatem objectivam, ob quam graviter dedecent naturæ rationali, & ratione cujus homo tenetur ea non velle neque in se, neque in causa; quippe exterius sonant perjurium, & eum sensum ingerunt audientibus. Hæc autem juramenta indeliberata sunt sufficienter voluntaria ac libera in causa, nempe in consuetudine, & in negligentia eam extirpandi. A fortiori id verum est de consuetudine jurandi advertenter & indiscriminatim, sive verum sive falsum, vel jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem: quia exponit se proximo periculo jurandi falsum. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, & alii.*

CAPUT V.

De Vitiis & Peccatis Religioni oppositis.

NOta. Peccata Religioni opposita sunt ex genere suo mortalia, & ceteris paribus graviora iis, quæ sunt contra alias virtutes morales: nam opponuntur virtuti inter morales præstantissimæ. Hæc duplicia generis sunt: alia quæ eppenuntur per excessum, & nomine superstitionis comprehenduntur, non quod Deus nimium vero cultu coli possit, cum sit infinito honore & amore dignus; sed quod adhibeatur cultus inordinatus, ac vitiosus. Alia per defectum, quæ irreligiositatis nomine exprimuntur.

ARTICULUS I.

De Superstitione, & ejus speciebus.

Quæst. I. *Quid est Superstitio?*

Resp. 1. Est cultus inordinatus ac vitiosus veri vel falsi numinis. Unde duplex est generatim, una ex parte rei cultæ, & est cultus falsi numinis; & alia ex parte modi colendi, qua verus Deus, sed modo inordinato colitur, & elicitur vitiosus cultus veri Dei.

Quæst. II. *Quotuplex est species Superstitionis?*

Resp. 1. Duplex est ex parte medii colendi verum Deum, scilicet cultus falsus, & superfluus. Cultus falsus est, cum falsa miracula prædicantur, vel scriptis mandantur, & sic verorum fides enervatur; vel falsæ Reliquiæ obtruduntur, vel cum auctoritate propria proponitur aliquid tamquam institutum a Deo vel ab Ecclesia, quod revipsa non est; vel adhibentur cæremoniæ veteris legis, quæ sunt a Deo repudiatæ; vel cum laicus Deum colit tamquam publicus Minister Ecclesiæ. Hæc superstitionis species est semper ex se mortalis: quia gravem irreverentiam Deo infert, graviterque repugnat ejus honori ac cultui, qui sola veritate nititur. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Joan. 4.

Cultus superfluus est modus veri Dei colendi præter Dei & ecclesiæ institutionem, aut communem Ecclesiæ usum, & inutilis ad honorem Dei, & ad excitandam spiritus devotionem, vel demandam concupiscentiam; ut orare adhibito certo numero, situ, colore cereorum; non nere die Sabbati in honorem B. M. interim aliis festivitas indicendo &c. Nam superfluum est medium quod fini non congruit: finis autem divini cultus est honor Dei per subjectionem mentis, & corporis. *S. Th. q. 93. art. 1.* Et num exterior Dei cultus ad interiorem ordinetur, caussa ille, qui ad interiorem non conducit, superfluus est, qualiscumque illum adhibentis fit intentio. Hæc superstitio, juxta communem sententiam, est solum venialis, modo actio aliunde nulla lege sit prohibita, & absit scandalum, & contemptus cæremoniarum Ecclesiæ ac communis fidelium usus: quia & materia levis, & circumstantiæ & indiscriminatim, sive verum sive falsum, vel jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem: quia exponit se proximo periculo jurandi falsum. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, & alii.*

CAPUT V.

De Vitiis & Peccatis Religioni oppositis.

NOta. Peccata Religioni opposita sunt ex genere suo mortalia, & ceteris paribus graviora iis, quæ sunt contra alias virtutes morales: nam opponuntur virtuti inter morales præstantissimæ. Hæc duplicia generis sunt: alia quæ eppenuntur per excessum, & nomine superstitionis comprehenduntur, non quod Deus nimium vero cultu coli possit, cum sit infinito honore & amore dignus; sed quod adhibeatur cultus inordinatus, ac vitiosus. Alia per defectum, quæ irreligiositatis nomine exprimuntur.

ARTICULUS I.

De Superstitione, & ejus speciebus.

Quæst. I. *Quid est Superstitio?*

Resp. 1. Est cultus inordinatus ac vitiosus veri vel falsi numinis. Unde duplex est generatim, una ex parte rei cultæ, & est cultus falsi numinis; & alia ex parte modi colendi, qua verus Deus, sed modo inordinato colitur, & elicitur vitiosus cultus veri Dei.

Quæst. II. *Quotuplex est species Superstitionis?*

Resp. 1. Duplex est ex parte medii colendi verum Deum, scilicet cultus falsus, & superfluus. Cultus falsus est, cum falsa miracula prædicantur. vel scriptis mandantur, & sic verorum fides enervatur; vel falsæ Reliquiæ obtruduntur, vel cum auctoritate propria proponitur aliquid tamquam institutum a Deo vel ab Ecclesia, quod revipsa non est; vel adhibentur cæremoniæ veteris legis, quæ sunt a Deo repudiatæ; vel cum laicus Deum colit tamquam publicus Minister Ecclesiæ. Hæc superstitionis species est semper ex se mortalis: quia gravem irreverentiam Deo infert, graviterque repugnat ejus honori ac cultui, qui sola veritate nititur. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Joan. 4.

Cultus superfluus est modus veri Dei colendi præter Dei & ecclesiæ institutionem, aut communem Ecclesiæ usum, & inutilis ad honorem Dei, & ad excitandam spiritus devotionem, vel demandam concupiscentiam; ut orare adhibito certo numero, situ, colore cereorum; non nere die Sabbati in honorem B. M. interim aliis festivitas indicendo &c. Nam superfluum est medium quod fini non congruit: finis autem divini cultus est honor Dei per subjectionem mentis, & corporis. *S. Th. q. 93. art. 1.* Et num exterior Dei cultus ad interiorem ordinetur, caussa ille, qui ad interiorem non conducit, superfluus est, qualiscumque illum adhibentis fit intentio. Hæc superstitio, juxta communem sententiam, est solum venialis, modo actio aliunde nulla lege sit prohibita, & absit scandalum, & contemptus cæremoniarum Ecclesiæ ac communis fidelium usus: quia & materia levis, & circumstantiæ & indiscriminatim, sive verum sive falsum, vel jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem: quia exponit se proximo periculo jurandi falsum. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, & alii.*

CAPUT V.

De Vitiis & Peccatis Religioni oppositis.

NOta. Peccata Religioni opposita sunt ex genere suo mortalia, & ceteris paribus graviora iis, quæ sunt contra alias virtutes morales: nam opponuntur virtuti inter morales præstantissimæ. Hæc duplicia generis sunt: alia quæ eppenuntur per excessum, & nomine superstitionis comprehenduntur, non quod Deus nimium vero cultu coli possit, cum sit infinito honore & amore dignus; sed quod adhibeatur cultus inordinatus, ac vitiosus. Alia per defectum, quæ irreligiositatis nomine exprimuntur.

ARTICULUS I.

De Superstitione, & ejus speciebus.

Quæst. I. *Quid est Superstitio?*

Resp. 1. Est cultus inordinatus ac vitiosus veri vel falsi numinis. Unde duplex est generatim, una ex parte rei cultæ, & est cultus falsi numinis; & alia ex parte modi colendi, qua verus Deus, sed modo inordinato colitur, & elicitur vitiosus cultus veri Dei.

Quæst. II. *Quotuplex est species Superstitionis?*

Resp. 1. Duplex est ex parte medii colendi verum Deum, scilicet cultus falsus, & superfluus. Cultus falsus est, cum falsa miracula prædicantur. vel scriptis mandantur, & sic verorum fides enervatur; vel falsæ Reliquiæ obtruduntur, vel cum auctoritate propria proponitur aliquid tamquam institutum a Deo vel ab Ecclesia, quod revipsa non est; vel adhibentur cæremoniæ veteris legis, quæ sunt a Deo repudiatæ; vel cum laicus Deum colit tamquam publicus Minister Ecclesiæ. Hæc superstitionis species est semper ex se mortalis: quia gravem irreverentiam Deo infert, graviterque repugnat ejus honori ac cultui, qui sola veritate nititur. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Joan. 4.

Cultus superfluus est modus veri Dei colendi præter Dei & ecclesiæ institutionem, aut communem Ecclesiæ usum, & inutilis ad honorem Dei, & ad excitandam spiritus devotionem, vel demandam concupiscentiam; ut orare adhibito certo numero, situ, colore cereorum; non nere die Sabbati in honorem B. M. interim aliis festivitas indicendo &c. Nam superfluum est medium quod fini non congruit: finis autem divini cultus est honor Dei per subjectionem mentis, & corporis. *S. Th. q. 93. art. 1.* Et num exterior Dei cultus ad interiorem ordinetur, caussa ille, qui ad interiorem non conducit, superfluus est, qualiscumque illum adhibentis fit intentio. Hæc superstitio, juxta communem sententiam, est solum venialis, modo actio aliunde nulla lege sit prohibita, & absit scandalum, & contemptus cæremoniarum Ecclesiæ ac communis fidelium usus: quia & materia levis, & circumstantiæ & indiscriminatim, sive verum sive falsum, vel jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem: quia exponit se proximo periculo jurandi falsum. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, & alii.*

pactione cum eo, ut cum qu's verbis dæmonem invocat, vel aliquid usurpat, per quod putat dæmonem cooperari. Alia fit cum invocatione tacita & implicita; ut cum ad occultorum notitiam obtinendam adhibentur media vana & improportionata; tunc enim talis notitia non potest expectari nisi a dæmone, cum constet ejusmodi signa vana a Deo non esse instituta, nec a bonis Angelis exhiberi; nec habere connexionem naturalem cum illa, ut dum quis cupit futura cognoscere invertendo cribrum, aut proferendo certa verba.

Resp. 3. Divinatio ex parte medii multiplex est; scilicet Præstigium, cum dæmon variis apparitionibus oculos perstringit; Necromantia, quæ fit per mortuos in speciem suscitatos; Chiromantia, quæ per lineas manus; Auspicium, quod per visceratum animalium; Auspicium, quod per motum, situm, aut numerum avium; Augurium, quod per garritum, aviorum; Astrologia judiciaria, quæ per situm ac concursum siderum: Sors divinatoria, item divinatio, quæ fit per somnia, vel signa innata, ex aqua, igne, corporibus terrestribus apparentia &c. Sed communiori sententia hæc omnia inter se specie moralli qu differunt; quia non habent malitiam sufficiunt inter se diversam.

Nota 1. Aliquos effectus naturales, v. gr. serenitatem, pluviam, tempestatem conjicere licet ex aviam & animalium motu, garritu, volatu: nam hæc sunt proportionata cognitione talium, saltem probabili.

Nota 2. Duplex est Astrologia; alia naturalis & licita, qua ex siderum concursu prænuntiantur eclipses, venti, pluviæ, frigus, æstus, & similes effectus, qui cum illis connexionem naturalem habent. Alia judiciaria, qua ex siderum concursu futura libera prædicuntur. Hæc a Scriptura, Patribus, & multis Conciliis, & utroque jure, & a Sixto V. Constit. 17. graviter damnatur ac prohibetur, cum actus liberi non possint per astra cognosci, quippe qui ab astris non pendent, sed a sola voluntate libera. Sicque Astrologia illa continet superstitionem, sicut aliæ divinationes, cum fundetur in astris tamquam in signis. Quod si fundetur in astris tamquam in causis, erit etiam hæresis, nam tollitur libertas humana.

Nota 3. Triplicis generis sunt Sortes, nempe divisoriæ, consultoriæ, & divinatoriæ. Divisoriæ sunt ex, quibus decernitur cui aliquid tribuendum sit. Licite adhibentur sive ad hæreditatis divisionem, sive ad litis compositionem, quando jus utrinque partis apparet æquale, & utraque pars in sortitionem consentit. Item quoties non apparet ratio, cui alteralteri in aliquo commodo vel incommodo debeat præferri, ex Prov. 18. *Contradictiones comprimit sors; & inter potentes quoque dividicat.* Nam non sunt superstitiosæ, quia non adhibuntur ad investigandum aliquid occultum, nec injustæ, cum ordinentur ad quemdam contractum, in quo æqualis est contrahentium conditio, ut rei sit illius, cui sors obtigerit. Sortes tamen omnes vetitæ sunt in electionibus ecclesiasticis, *c. 3. de sortil.* Nec licet etiam officia secularia sorte distribuere, ob periculum eligendi indignum aut minus dignum. Nam beneficia & officia tum ecclesiastica, tum secularia conferri debent dignioribus, qui non sorte, sed diligenti inquisitione rationis cognosci possunt.

Sortes consultoriæ, quibus inquiritur quid in aliqua re obscura sit agendum, sunt illicitæ; nisi ex inspiratione divina fiant, quia continent saltem tentationem Dei, & periculum deceptionis diabolicæ. Imo sunt superstitio, si a dæmone cognitio expectetur. Quare sub anathemate prohibentur, *c. Sortes, 26. q. 5.*

Sortes divinatoriæ, quibus inquiritur res occulta vel futura, ut si quis ex taxillorum projectione & dispositione divinet, quis sit obtenturus victoriam, beneficium &c. sunt vera superstitio: nam sunt modium vanum & improportionatum huic effectui. Ideoque intervenit in iis tacita dæmonis invocatio, & graviter prohibentur multis Canonibus, *cauf. 26. qu. 3.*

Nota 4. Licet aliqua somnia possint a Deo immitti, qui tamen facile & temere somniis credit, non excusatur a gravi culpa, etsi dicat se credere illa esse a Deo. Quia morali periculo dæmoniacæ deceptionis se exponit, & quamvis est ex se velle illis credere, etiamsi a dæmone sint. Ita Suarez. *Multos enim errare fecerunt somnia; & excidere sperantes in illis.* Eccl. 34. Quando autem somnium ad peccatum, vel ad aliquid imprudens aut vanum impellit, aut post somnum homo remanet animo turbato & minus prompto ac propenso ad opera virtutum, certum est illud non esse a Deo.

Itaque divinatio per somnia, cum quis illis utitur quasi certis regulis ad cognoscendum, vel omittendum aliquid circa vitæ christianæ aut civilis officia, aut circa futura libera, est mortale peccatum superstitionis: nam his somniis se immiscet diabolica deceptio, & sic tacita cum dæmone initur societas: hinc graviter prohibetur a Deo. Levit. 19. *Non augurabimini; nec observabilis somnia.* Et Deuter. 18. *Nec inveniatur in te qui observet somnia. &c. omnia enim hæc abominatur Dominus.*

Quæst. V. *Quid & quotuplex est observantia vana?*

Resp. 1. Observantia vana est Superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia, & improportionata; vel qua quis ex observatione eventus fortuiti actiones suas vane dirigit. Non differt a divinatione, nisi quod hæc ad cognitionem occultorum ordinetur: illa vero ad effectum externum, vel opus observantis. Quare quæ dicta sunt de divinatione, debent cum proportione accommodari vanæ observantiæ.

Resp. 2. Dividitur 1. In eam, quæ fit cum expressa dæmonis invocatione, seu pactione; ut cum quis verbis dæmonem invocat, vel usurpat aliquid, per quod solet dæmonem operari: & in eam, quæ fit cum implicita ac tacita invocatione dæmonis, ut cum sine invocatione verbis facta adhibentur ad aliquid assequendum media vana & improportionata, nec a Deo instituta.

Dividitur 2. In tres species. Prima est ars notoria, qua ad scientiam aliquam repente & sine studio acquirendam usurpantur media vana & improportionata, ut verba ignota, certæ preces, aliqua potio &c. & tunc tribuitur dæmoni, quod soli Deo convenit, scilicet infundere scientiam. Secunda est observantia sanitatum, qua ad sanandos morbos hominum vel animalium, vel vitam ac valetudinem conservandam adhibentur media vana, & per ea

somnia, ut certa signa, non sint ignota, dæmoniaca, certæ figuræ, numeri, characteres ignoti &c. aut etiam remedia naturalia, sed quibus aliqua frivola seu vana adjunguntur tamquam necessaria, ut herbæ collectæ in vigilia S. Joannis Baptistæ: aut etiam adhibentur preces, verba Scripturæ, gestatio reliquiarum, vel schedarum verbis Evangelii inscriptarum cum vana circumstantia, ut si inferantur aligua falsa, apocrypha, incerta, aut verba ignota, ineptave; vel si vis & efficacia precum constituatur in modo eas ferendi vel proferendi, aut in tali charta, tali figura, tali hora: vel si preces, verba Scripturæ, gestatio reliquiarum adhibeantur cum certa persuasione obtinendi sanitatem aut alios effectus, pura non moriendi sine confessione, vitandi infortunii &c. Tertia est observantia eventuum, qua quis ex eventu fortuito conjicit aliquid prosperi vel adversi, & inde actiones suas moderatur: ut si quis mane domo egrediens, pedem offendat & ideo dormum revertatur timens aliquid infausti; vel si quis credat aliquos dies esse infaustos, ideoque negotia omittat, alios vero faustos, quibus ea conficiat: quod prohibetur, cap. *Quis 26. q. 7.* Nam cum ista nullam habeant vim naturalem, vel supernaturalem ad ea mala vel prospera annuntianda, nec cum illis connexionem habeant, observantur ut signa vana, quibus cooperatur dæmon, ut animos hominum talibus vanitatibus implicet; & a Deo, ac veritatibus avertat.

Nota 1. Cognoscitur & fit vana observantia, 1. Si ad effectum aliquem obtinendum adhibeatur aliquid, quod nullam habet vim seu proportionem naturalem, nec a Deo per se vel per Ecclesiam institutum est ad talem effectum, aut communi usu fidelium approbatum; tunc enim non potest effectus expectari nisi a dæmone, cum Deus se variis rebus non immiscear: ideoque tunc est saltem tacita dæmonis invocatio, & cum eo pactio: ut si quis gestet amuleta, ligaturas, simulacra falsis characteribus configurata, contra vulnera, vel subitam mortem &c. 2. Si medio naturali vel supernaturali adjungatur aliqua res, vel circumstantia falsa aut vana tamquam necessaria & efficax: quia cum illa non sit verum medium, necesse est ut adhibeatur instar signi, quod cum non sit a Deo, continet pactum occultum cum dæmone, & ejus invocationem implicitam. 3. Cum preces, vel verba sacra, aut reliquiæ usurpantur cum certa persuasione obtinendi infallibiliter effectum. Nam cum neque ex natura sua, neque ex promissione divina habeant vim infallibilem, absolutam, effectus non potest infallibiliter expectari nisi a dæmone; ut si recitentur preces promittentes recitantibus mortis subitæ, vel certi periculi vitationem; nullæ enim preces talem vim absolutam & infallibilem habent. *S. Antoninus.* Secus si proferantur verba Scripturæ, aut gestentur reliquiæ, vel recitentur quædam preces, quæ non fallunt, nec vanum continent, ad obtinendum aliquid a Deo, si saluti nostræ expedire judicaverit; non tribuendo illis vim certam & absolute infallibilem: hoc enim pium ac bonum est, modo nulla vana circumstantia contaminetur. 4. Cum ex rebus vel verbis sacris effectus vanus expectatur, ut si proferantur verba sacra, ut annulus moveatur: nam virtus divina non efficit vana & inutilia, & ideo ista referuntur saltem tacite ad dæmonem; qui maxime cupit rebus vel verbis sacris honorari.

Quæst. VI. *Quid est Magia?*

Resp. Magia generatim est ratio efficiendi mira, hoc est, quæ habent causam occultam, sed creatam, ac proinde quæ non superant vires naturales hominis vel Angeli: in quo mira differunt a miraculis, quæ superant vires omnes naturales, & a solo Deo fieri possunt. Duplex est Magia, naturalis & superstitiosa. Naturalis est ratio efficiendi mira industria humana absque dæmonis opera, unde est licita. Magia superstitiosa & illicita est ratio efficiendi mira ope dæmonis, cujus species vana observantiæ. Hinc duplex est ratione finis, seu effectus; nam vel exercetur ad oblectationem, aut commodum propriium vel alienum, & vocatur simpliciter Magia: vel ut ad nocendum aliis, & tunc dicitur Maleficium.

Quæst. VII. *Quale peccatum est Divinatio, & quænam vana est observantia, ac Magia?*

Resp. Est semper mortale, a quo sola ignorantia invincibilis excusat, qualis non est in rudibus, qui moniti, se ab iis non abstinent, vel qui in dubio eam exercent. Nec potest esse veniale ratione materiæ. *Est communis sententia.* Prob. 1. Ex Deut. 18. *Cave ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inveniatur in te... qui ariolos fuscitet, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec divinos: aut quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter ejusmodi sceleta delebit eos.* 2. Ex Patribus, & multis Conciliis. 3. Ex cap. *de sacrileg.* ubi Sacerdos, qui ex astrolabio auctorem furti inquirere voluit, etsi fine intentione invocandi dæmonem, graviffime peccasse dicitur, & a ministerio altaris per annum integrum suspenditur. 4. Quia in talibus continetur invocatio dæmonis, & pactio quædam cum eo vel expressa, vel saltem implicita seu tacita. Nam quoties ad cognitionem, aut effectum aliquem obtinendum adhibetur aliquid vanum, & per se ad id inutile, nec a Deo vel ab Ecclesia institutum, necesse est, ut talis cognitio vel effectus expectetur a dæmone, & ejus opere obtineatur: cum obtineri nequeat per vim talis medii, utpote per se inutilis & improportionati, nec a Deo, qui res illas vanas non instituit, nec iis utitur; nec a bonis Angelis, qui nil agunt nisi Dei jussu: unde jure facto invocatur dæmon, a quo id expectatur, & cum eo initur quædam societas, ut spondo ea, quibus se immiscet & cooperatur. Omnis autem invocatio, pactio, vel societas etiam implicita cum dæmone, perpetuo Dei hoste, in quavis re est graviter injuriosa Deo, & in ejus contemptum cedit: cum homo relicto Deo ad hostem ejus infestissimum honoremque divinum affectantem confugiat: quod est crimen lesæ majestatis divinæ, sicut in Reipublicæ societas & commercium cum hoste Principis est crimen lesæ majestatis, præsertim si ille conetur in omnibus actionibus Principi contumeliam inferre. Hinc illud 1. Cor. 10. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.*

Nec obstat quod aliquis testificetur se renuntiare omni pacto, quia, reipsa facit contra suam testificationem, hoc ipso quod medium vanum usurpat, nam facto ipso opem dæmonis implorat, & valt tacitum pactum, volendo uti rebus vanis & improportionatis ad aliquid obtinendum; cum illud non pos-

sit expectari, nec obtineri nisi a dæmone; qui solus talibus rebus cooperatur, & se immiscet: testificetur autem facto contraria nil excusat, & est illusoria. Gravius tamen crimen est, si invocatio & pactio sit explicita, cum sit expressa voluntas dæmonem verbo aut facto invocandi, ideoque in confessione explicari debet. *Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoria, vel noxia superstitionis, ex quadam pactione fœderate hominum & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt reputandæ & fugiendæ Christiano.* S. Augustin. lib. 2. de Doctr. Christianæ c. 23.

Hinc moraliter peccant, 1. Qui occulta vel futura per media vana & improportionata inquirunt, prædicunt, enuntiant, vel qui tales consulunt, aut eorum dictis fidem certam adhibent. Item qui alios de fortuna consulunt serio, vel cum scandalo: si autem joco tantum, nec fides adhibeatur; & scandalum abfit, dicitur esse solum venialiter, quia superstitio non est perfecta, nec seria. Obstat tamen quod consulens cooperetur peccato mortali alterius, ideoque mortaliter peccet, nisi utrique joco tantum agant: nam tunc videtur peccare solum venialiter: 2. Qui notitia ex divinatione parta utuntur tamquam certa, vel actiones suas secundum eam dirigunt. 3. Qui ad aliquid obtinendum inepta inepta & improportionata adhibent, etiam joci causa, sed ex quadam curiositate, ut experiantur quid casu accidat, quamvis putent totum esse vanum, & futile; nam si tentant experiri, an dæmon de facto se illis immiscat: cum dæmone societatem habere, quod mortale est, etsi joco fiat. *Ita Cajetan. la Croix &c.*

Quæst. VIII. *Quid est Maleficium?*

Resp. Est ratio nocendi aliis ope dæmonis; unde continet triplicem malitiam mortalem, scilicet contra Religionem, caritatem, & justitiam. Duplex est. Aliud dicitur veneficium, quo alicui in propria persona, vel animalibus damnum infertur, mortis, doloribus, morte &c. sive multis modis, utendo vel causis naturalibus cognitis ope dæmonis, aut signis: ut cum imagines pinguntur in aliqua parte, & tunc alii læduntur in simili parte corporis, vel signa quædam aliorum corporibus vel vestibus applicando, quibus diutius male afficiuntur. Aliud est amatorium seu philtrum, quod adhibetur ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dæmone humores, & phantasiam commovente; unde oritur gravis tentatio, quæ tamen libertatem non adimit: quare qui philtro infecti in rem veneream consentiunt, vere peccant mortaliter.

Porro maleficium tolli potest, 1. Exorcismis, oratione, pœnitentia, jejunio, & aliis pietatis operibus. 2. Remediis ex medicina petitis. 3. Destructione, seu combustione signorum, quibus annexum est pactum, præsse ut operum diaboli, ex Rituali Romano *de Exorcismis*. At non licet illud tollere per aliud maleficium, vel superstitionem, cum sit intrinsece malum invocare dæmonem, vel ad id inducere.

Nota. Divinatores, magi, & malefici non sunt absolvendi, nisi omne pactum cum dæmone & commercium abjurent ac dissolvant, & omnia signa, artis magicæ instrumenta, libros, scholas, ligaturas comburant, & damna illata resarciant. Quod si chyrographum dæmoni dederint, non necesse est illud ab eo extorqueri, nam ad ejus destructionem sufficit pœnitentia.

ARTICULUS II.

De Irreligiositate.

IRreligiositas est peccatum, quo Deus in se, vel in rebus, aut personis sacris inhonoratur. Quintuplex est species, scilicet, blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, simonia, & perjurium, de quo jam egi.

Quæst. I. *Quid est blasphemia & quotuplex?*

Resp. 1. Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum. Tripliciter est specie diversa: nempe hæreticalis, imprecativa, & mere dehonestativa.

Hæreticalis est ea, quæ hæresim continet, & sic duplicem habet malitiam mortalem, nempe contra fidem, & religionem. Fit vel attribuendo Deo id quod ei non convenit, ut si dicatur tyrannus, crudelis, injustus &c. Item, Omiserum Deum? Vel de eo negando quid ei convenit, ut si dicatur non esse omnipotens, bonus, misericors, non curare nostra, non prospicere rebus humanis, non omnia esse bene ordinata, dæmonem esse Deo meliorem, fideliorem &c. vel tribuendo creaturæ quod Deo proprium est, ut si dicatur dæmon aliquid creasse, vel mundum regere &c.

Hinc hæreticalis est hæc blasphemia: *Denego Deum Christum*: quia denegatur Deo existentia aut dominium: & illa: *Denego Evangelia*; quia denegatur Deo veritas infallibilis. Item si dicas: *Denego Deum, si hoc ita non est*: quia negare Deum etiam sub conditione cujusvis objecti, est negare quod Deo proprium est, scilicet existentiam a quolibet objecto creato independentem. Si tamen non crederetur error per blasphemiam expressus, tunc non committeretur hæresis, sed grave peccatum contra confessionem externam fidei, & aliud contra honorem Dei,

Imprecativa est ea, qua quis Deo malum imprecatur: uti si dicas: *Utinam Deus non esset? Non haberet potentiam! Sit maledictus, pereat Deus &c.* Hæc odium Dei continet.

Mere dehonestativa est ea, qua per modum contumeliæ & contemptus enuntiatur aliquid Deo conveniens, ut illud Juliani, *Vicisti Galilæe*: aut indignanter, irreverenter, irrisorie, exprobrative, contumeliose nominatur Christi mors, caput, vel sacramenta, mysteria, ut cum ex ira proferitur contumeliose mors Dei: nam ista tunc dicuntur de Deo tamquam contemptibilia, & vituperabilia, & in his magnus Dei contemptus apprehenditur, unde graviter prohibentur, cap. *Si quis*, 22. q. 1.

Revocantur ad blasphemiam alia signa contra Deum, licet verba non adsint, ut in cultum spuere, infrendere dentibus &c. Item blasphemiæ sunt vituperia & verba contumeliosa tum contra res sacras, eumad Deum eorum auctorem redundent; tum contra Sanctos (quia, ut ait S. Thom. qu. 13. art. 1) sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis effecit; ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, redundat in Deum, qui in iis elucet specialiter; cum habeant eximiam sanctitatem, quæ est excellentissima divinæ naturæ participatio, & ad hoc sufficit virtualis habitudo ad Deum.

Deum. Quare cap. 2. *de maledict.* graviter punitur, *si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime Beatæ Virginis, linguam in blasphemiam publice relaxare præsumpserit.*

Imo blasphemia est malelicere creaturis irrationalibus quatenus sunt creaturæ Dei, vel ejus instrumenta, ut tempestati: nam iis maledicere sub ea ratione, est maledicere Creatori. S. Thom. qu. 76. art. 2. Blasphemia tamen immediate in Deum prolata gravior est quam in Sanctos: nam gravius est Deum in ipsis contumelia afficere, quam repræsentatum in Sanctis: & in his quam in aliis creaturis.

Rursus blasphemia, sicut laus Dei, cui directe opponitur, alia est cordis, seu mere interna; alia oris seu externa, quæ verbis vel aliis signis externis exprimitur. *Ita S. Tho. q. 14. art. 1.*

Quæst. II. *Quale peccatum est blasphemia?*

Resp. Omnis blasphemia est per se peccatum mortale, nec admittit levitatem materiæ. Quia quilibet Dei contumelia, vel maledictio est gravis injuria, & contemptus Dei: nam per eam infinita Dei majestas positive deprimitur & dehonestatur. *Nihil horribilius blasphemia quæ possit in excelsum, ut suum*, ait S. Hieron. lib. 7. in Isa. cap. 18. Hinc illud, Psal. 36. *Maledicentes ei disperibunt.* Et in lege veteri morte puniebatur. Levit 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini moriatur.*

Nota 1. Ad mortalem blasphemiam non requiritur intentio expressa ac formalis Deum inhonorandi, sed virtualis & interpretativa sufficit, nempe cum quis libere profert ea, quæ ex propria significatione, vel communi apprehensione, & ex modo proferendi, aliisve circumstantiis Dei inhonorationem continent, quamvis id fiat sine ullo pravo in Deum affectu, sed ex joco, vel ad iram aut indignationem exprimendam. Quia hæc per se tendit in gravem Dei inhonorationem; & reipsa gravis est irreverentia & inhonoratio Dei, assumere verba ei contumeliosa, ad jocum vel iram exprimendam. Gravior tamen injuria esset, si hoc fieret ex directa intentione Deum inhonorandi, vel ex animo in Deum irato, & tunc sæpe conjungitur cum odio saltem abominationis in Deum.

Nota 2. Blasphemia hæreticalis, & imprecativa debet declarari, ut plura peccata specie diversa. Nam prior præter irreligiositatem seu contumeliam Dei, continet malitiam hæresis si adsit assensus internus; vel si deest, negationis externæ fidei contra præceptum confitendi fidem: posterior vero malitia odii Dei contra caritatem Dei. Itemque blasphemiæ prolatæ contra Sanctos differunt specie ab iis, quæ proferuntur contra solum Deum. Nam irreverentia, quæ fit contra aliquem Sanctum, semper habet duplicem malitiam: unam contra duliam, quæ inclinat ad colendum Sanctos propter eorum excellentiam supernaturalem creatam, & alteram contra virtutem religionis, quæ præcipit cultum Dei propter excellentiam increatam Dei: exilla enim irreverentia in Sanctos redundat irreverentia in ipsum Deum propter peculiarem conjunctionem, quam habet cum Sanctis. Et licet non intendatur irreverentia Dei, sufficit tamen indirecta voluntas ad contrahendam malitiam. Imo blasphemiæ contra B. V. differunt specie ab iis, quæ proferuntur contra alios Sanctos; cum hyperdulia, qua colitur Dei Mater, specie differat a dulia, qua coluntur alii Sancti, propter diversitatem maximam excellentiæ, in qua fundatur cultus Deiparæ. Blasphemiæ vero in alios Sanctos omnes pertinent ad eamdem speciem, cum sint omnes contra duliam. *Ita Delucs.*

Nota 3. Qui habet consuetudinem blasphemias proferendi; vel sibi, aut aliis dæmonem, aut grave malum imprecandi, tenetur sub mortali efficaciter proponere, & serio conari eam evellere: alioqui toties peccat, quoties ad eam advertens id omittit: quia vult saltem interpretative permanere in morali periculo peccandi, cum pravus habitus ad similes actus vehementes pertrahat, & pariat necessitatem moralem peccandi. Et quamdiu eam consuetudinem non retractat, nec curat emendare, imparatur ei ad culpam mortalem blasphemiæ omnes quæ exinde aliqua, aut alio passionis motu, etsi sine advertentia ad verborum sensum, profert. *Ita Toletus, Delugo, Sanchez & alii multi.* Quia sunt sufficienter voluntariæ ac libere in causa non retractata, & quam emendare non curat. Quod si contritione efficaci cum diligenter curat illum habitum extirpare, subinde labitur ex inadvertentia & non ex negligentia, excusatur a culpa, quia blasphemiæ illæ impetu naturali effusæ, non sunt voluntariæ nec in se, nec in sua causa, cum consideratio, ut suppositur, efficaciter retractata sit, & eam, quantum potest, emendare conetur. *Quicunque vero blasphemantem audierint; eum verbis acriter objurgare tenentur; si citra periculum suum id fieri posse contingat: eumdemque deferre, vel testificare apud Judicem Ecclesiasticum seu Secularem intra triduum debent*, ait Leo X. in Conc. Later. V. sess. 9.

Nota 4. Appellatio nominis Dei, vel Jesu, vel Sanctorum, per modum loquendi, non tamen contumeliæ, ut *O Jesus Deus bone &c.* licet non sit blasphemia, est tamen vana usurpatio nominis Dei, & culpa venialis contra Religionem. Nam sanctum & terribile nomen Domini usurpare sine reverentia ac pietate, sed tamquam modum loquendi, est habere illud tamquam aliquid profanum, idsque est irreverentia. Unde prohibetur Eccli 23. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admisceatis: quoniam non eris immunis ab eis*, id est, a peccato irreverentiæ contra eos.

Nota 5. Assidua nominatio dæmonis licet sine invocatione, sed per modum loquendi, cum Christianum non decet, omnino vitanda est; & ratione scandali potest esse grave peccatum; notat Laym.

Ex S. M. Bened. XIV. singulari studio, atque zelo nefarium blasphemiæ scelus ex Ecclesiastico fœdere eliminare contendens, præter pœnas, quas pro compescendis in Urbe blasphemiis præscripsit, *Brevi*, quod incipit, *Ad execrabile Blasphemiæ scelus &c.* Congregationi Venerabilium S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus hæreticam pravitatem injunxit, quatenus horterentur Ecclesiastici status Archiepiscopos, seu Ordinarios quoscumque, ut ipsi alicui Archiconfraternitati, seu Confraternitati sub quolibet titulo, seu invocatione canonice erectæ, & institutæ, in qua viri, tum doctrina, tum pietate præditi adscripti reperiantur, nonnullas regulas, seu constitutiones a S. Carolo Borromæo pro Congregatione, seu

Con-

Confraternitate Correctorum earumdem blasphemiarum sanctas, præscriptas, & accommodatas unire satagant, studeant, & admirentur. Ut autem Confratres ad præfatas Regulas observandas excitet, indulgentiam plenariam largitur.

Primo. Omnibus & singulis virilis sexus, qui dictas Confraternitates in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi Eucharistiam sumpserint.

Secundo. Tam descriptis, quam pro tempore describendis Confratribus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu, ore si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

Tertio. Iisdem contritis, confessis, & Eucharistia refectis, si Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium suarum respective Archiconfraternitatum, seu Confraternitatum in tribus anni festis diebus per Ordinarium semel tantum eligendis, ac specificandis, a primis vesperis usque ad occasum Solis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, blasphemiæ, & hæresum extirpatione &c. pias ad Deum preces effuderint.

Quarto. Eamdem indulgentiam impertitur omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui supra dicto modo, Ecclesiam, seu Ecclesias, a dictis Ordinariis deliganandam, seu deliganandas, in qua, seu quibus de earumdem Ordinariorum licentia in quatuor anni feriariis, seu non feriatis, seu Dominicis diebus per ipsorum Ordinarios specificandis devote visitaverint.

Demum centum dies de injunctis, seu quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxat, si Congregationibus seu publicis, seu privatis suarum Confraternitatum interfuerint, si devium ad viam salutis reduxerint, vel pietatis, caritatisque opus pro blasphemiæ vitio evellendo exercuerint, si demum interfuerint concionibus, seu prædicationibus ter in anno contra execrabile blasphemiæ scelus faciendis, juxta S. Caroli Borromei regulas: quæ Italico idiomate, ut missæ sunt ad Ordinarios, habeantur. ✠

✠ REGOLE.

Per li Fratelli Correttori delle bestemmie.

Primo. Tutte le Persone che saranno aggregate a questa Confraternità dovranno riconoscere per loro Capo l'Ordinario, e suoi Successori, procurando di impiegare ogni loro opera, e studio per adempier tutte quelle cose, le quali saranno loro proposte per l'avanzamento di un opera sì lodevole, e santa.

Secondo. Dovranno tutti congregarsi in quel luogo, ed in quelle giornate, che saranno destinate dall'Ordinario, o dal Guardiano, e Capo della stessa Congregazione, a fine di conferire circa i mezzi più facili, e propri per l'estirpazione di un simil vizio, e di stabilire i giorni, ne'quali dovranno i Fratelli, che saranno prescelti, coperti con il cappuccio, quando l'Ordinario così creda più espediente, andare a due per due in giro per la Città, e Luoghi, a fine d'invigilare alla fraterna, e caritativa correzione de' Bestemmiatori.

Terzo. Avranno l'avvertenza di non lasciar mai senza questa pia Opera le giornate di Festa, nelle quali il Popolo è più numeroso, e pur troppo accadono maggiori scandali, girando sopra tutto per le Botteghe, Osterie, Bettole, e Ridotti.

Quarto. Quando sentiranno qualche Bestemmia, pregheranno il Bestemmiatore (anche inginocchiandosi avanti di lui, se ciò stimeranno opportuno, e necessario) di ricordarsi, che Iddio è il suo Creatore, e Benefattore, e che gli ha dato la lingua per lodarlo, o ringraziarlo, e non per disprezzarlo, e maledirlo, dicendogli poche, e pesanti parole con tutta la carità, e sommessione.

Quinto. Distribuiranno nel giro, che faranno facendo per tutte le Botteghe, e Case un Ricordo stampato del tenore, che s'inserisce nel fine delle presenti Regole.

Sesto. Sarà cura del Prelato di destinare tre giorni dell'anno in tre diverse Chiese per le Prediche da farsi contra il suddetto Vizio della Bestemmia col precedente invito stampato, ed affisso, ed avrà particolare attenzione, che da'Sacri Oratori si perluadano gli Ascoltanti a correggere caritativamente i Delinquenti, ed a denunciarli in caso, che non giovino le ammonizioni.

Settimo. Saranno obbligati li medesimi Fratelli di esortare con dolcezza, ed a' tempi opportuni li Padri di Famiglia, Maestri di Scuola, Mercadanti, Capi delle Arti, e qualunque ordine di Persone ad invigilare, perchè li loro Figli, Scolari, Servidori, ed Operarj non bestemmino, corregendoli, castigandoli, e denunciandoli a'Superiori, e ad impedire, che non conversino con Gente di simil vizio, e senza timor di Dio.

Ottavo. Dovranno li Confratelli esser li primi a dar buon esempio nel parlare modesto, nell'esemplarità de'costumi, e nell'umiltà, e manifestazione per ricavar profitto nella correzione degli altri.

Nono. Faranno ogni tre mesi una Comunione Generale in quella Chiesa grande, e capace di maggior numero di Popolo, che farà dal Prelato destinata a tale effetto, ed anche in questa occasione si farà una breve esortazione per confermare il Popolo ne' santi proponimenti di fuggire questo vizio esecrando.

Decimo. Finalmente siccome questi Confratelli dal canto loro con santo coraggio adempiranno le proprie incombenze, così dovranno gli Ordinarj, e Governatori con pubblico Editto provvedere, che se alcuno avrà ardire di mottegiare, disprezzare, o rispondere ingiuriosamente a qualunque Fratello, che con carità lo correggerà, sarà severamente, ed irremissibilmente anche per la prima volta punito con tre tratti di corda da darsi in pubblico, se sarà Uomo, e della Galera anche perpetua quante volte alle parole fi unissero gl'insulti; ed alla frusta, e carcere perpetuo, se sarà Donna, oltre le pene pecuniarie da applicarsi a'Luoghi Pii secondo la qualità, e grado delle persone delinquenti.

Undecimo. Questa Confraternità (lasciando fermo ad arbitrio dell'Ordinario il Titolo di quella alla quale sarà unita) riconoscerà per Protettrice la Santissima Vergine, ed il Santo Angelo Custode, recitando ogni volta che dovrà adunarsi le Litanie con l'Orazione: *Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium &c.* e per tre volte l'Orazione: *Angele Dei &c.* al Santo Angelo Custode, con il Salmo: *Laudate Dominum omnes gentes:* e l'Orazione: *Deus qui culpa offenderis, & pœnitentia placaris.*

Ricordo da distribuirsi in tutte le Botteghe, e Case.

FRATELLI DILETTISSIMI ASTENETEVI DALLE BESTEMMIE.

Con ricordarvi.

Primo. Che Dio vi sente.

Secondo. Che Dio presto vi ha da giudicare sopra ogni parola, molto più sopra le Bestemmie.

Terzo. Che Dio vi ha dato la lingua per lodarlo, benedirlo, e non per offenderlo, e disprezzarlo.

Quarto. Che se vi abbiate del Nome di Dio in vita, non saprete, e non potrete invocarlo per vostro ajuto in morte. ✠

Quæst. III. *Quid est tentatio Dei, & quale peccatum.*

Resp. 1. Tentatio Dei est dictum, vel factum, vel omissio ad explendum experimentum divinæ alicujus perfectionis, ut potentiæ, bonitatis &c. vel voluntatis, per effectum extraordinarium a Deo temere expectatum. Deus autem tentatur dupliciter: 1. Expresse, cum ex directa intentione experimenti sumendi de aliqua Dei perfectione, aliquid fit, vel omittitur; ut si petatur miraculum, ut innotescat Dei potentia, vel ejus in aliqua re voluntas, omissis aliis mediis; vel si quis in puteum saliat ad explorandam Dei in se providentiam. 2. Implicite, & interpretative, quando etsi non intendatur tale experimentum, id tamen fit vel omittitur, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad explorandum aliquam Dei perfectionem, vel voluntatem; ut si quis nolit uti mediis ordinariis, vel a Deo institutis; ad aliquid quod optat, operans id a Deo solo, v. gr. sanitatem sine remediis, conservationem vitæ sine cibo & potu: vel si quis velit docere aut concinnari sine ullo studio &c. Huc etiam pertinent ex probationes judiciis vel innocentiæ, quæ fiunt per ferrum candens, vel aquam, aut per duellum, aut aliter &c. damnatæ, cap. *Mennam*, 2. q. 3. & cap. ult. *de purgat. vulg.* Si tamen illa fierent ex intentione experiendi an Deus innocentiam hoc etiam modo tueatur, esset tentatio Dei expressa.

Resp. 2. Omnis tentatio Dei prohibetur, Deut. 6. & Matt. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Eaque per se peccatum mortale, sive fiat expresse, ac directe; nam velle expresse aliquam Dei perfectionem explorare, est magnus Dei contemptus, & gravis irreverentia: sive fiat indirecte & tacite; nam gravis erit in Deum irreverentia, quod vilis creatura negligat ac reliquat ordinaria divinæ providentiæ media, velitque falsem interpretative, ut Deus ad nutum illius sine necessitate leges providentiæ immutet. Item mortale est, ex sola curiositate petere miraculum: nam est agere cum Deo tamquam cum lusione, ac curiositatem fautore, & velle ex sua omnipotentia aliquid mirabile ad hunc vanum finem efficiat, quod tentatum Dei sapientiam ac majestatem valde dedecet.

Tentatio Dei quandoque adjunctam habet infidelitatem; ut si quis dubitans de aliqua Dei perfectio 1.o, vel providentia, cum nihil aculeo ex. [illegible] piet. 2. Quandoque est etiam contra caritatem proximi, ut si conjuncta sit cum periculo vitæ, aut gravi læsionis. Licet tamen petere a Deo miraculum ad bonum finem, vel ex speciali ejus inspiratione, vel si necessitas justa, aut pia utilitas edixit, quando omnia media ordinaria non sufficiunt, modo id petatur cum humilitate, & res tota divinæ voluntati committatur: nam tunc nulla est irreverentia in Deum.

Quæst. IV. *Quid est Sacrilegium, & quotuplex?*

Resp. 1. Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacræ, hoc est, rei Deo dicatæ, sive ad Dei cultum specialiter destinatæ. Violatur autem res sacra, cum aliquid fit, quod peculiariter sanctitati illius, vel reverentiæ illi debitæ, seu Deo in illa debitæ repugnat; sive, violatio rei sacræ est quælibet irreverentia in illam.

Resp. 2. Cum triplicis generis sit res sacra, scilicet persona, locus, & res aliæ; idcirco tres fiunt sacrilegii species; personale, locale, & reale.

1. Sacrilegium personale est, quo indigne tractatur persona sacra, ut Clericus, vel Religiosus. Quod fit quatuor modis, 1. Eos injuste percutiendo, aut quamlibet aliam actionem violentam ac contumeliosam in eos injuste exercendo, contra privilegium canonis, *si quis suadente*. 2. Eos lubricando tribunali sæculari contra privilegium fori. 3. Imponendo eis tributa, vel onera publica sine legitima auctoritate contra immunitatem Ecclesiasticam: nam hæc privilegia eis concessa sunt intuitu religionis. 4. Crimen peccatum contra castitatem a Religiosis, vel Clericis sacro ordine insignitis commissum, est sacrilegium: quia per votum corpus & animam specialiter Deo consecrarunt quoad fugam omnis actus veneri. Hoc etiam incurrunt alii, qui cum ipsis peccant, cum ei cooperantur.

Item cujuslibet voti violatio est sacrilegium: nam eo ipso quod res per votum Deo dicata est, jam est jure divino ad Dei cultum destinata, idcirco sacra, *Cajet. Azor. Bonac. Less. & alii*.

II. Sacrilegium locale est violatio loci sacri, ut templi & cœmeterii. Talis est omnis actio irreverentiam loci includens, aut specialem habens cum sanctitate loci vel cultu divino repugnantiam, sive ex natura sua, sive ex prohibitione Ecclesiæ, videlicet.

1. Effractio, spoliatio, incensio Ecclesiæ, eversio altaris, c. 21. *de sent. excom.* 2. Homicidium, effusio illicita sanguinis aut seminis humani, sepultura excommunicati non tolerati, aut non expiati: nam his pollitur locus sacer. 3. Usus profanus Ecclesiæ tamquam vulgaris loci, ut si in ea fiant negotiationes, exercitium judiciorum, ludibria, lascivia, conclamatio, vana & profana colloquia, confabulationes quælibet tempore divini officii, vel quavis alia, quæ cultum divinum turbare aut impedire possunt, aut oculos divinæ Majestatis offendere: cap. *Decet ne immun. in c.* Ex Concilio Gene. 3. Tit. dist. II. a quo hæc omnia prohibentur. 4. Extractio violenta rei e loco sacro, ubi lex asyli viget. 5. Furtum sive rei sacræ, sive rei profanæ in loco sacro, quamvis ibi non deponæ, ut crumenæ occultæ abscidio, ex cap. *Quisquis*, 17. q. 4. ubi Joan. VIII. ait: *Sacrilegium committitur asportando sacrum de sacro, vel non sacrum ac sacro, sive sacrum de non sacro*. Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, sed generalis-

ter & indistincte accipiendum est, quod less generaliter dicit. Et ad reverentiam Ecclesiæ pertinet, ut res omnes in ea petitæ a furtis & injuriis sint liberæ. *Ita Suar. Leym. Reginald. Filliucius asserunt esse communem.* 6. Convicia, c. 4. dist. 42.

III. Sacrilegium reale est indigna tractatio rei sacræ distinctæ personæ & loco. Res autem illæ dicuntur sacræ, quæ vel sanctitatem producunt, ut Sacramenta: vel quæ sacra significant, ut verba Scripturæ; quia sacra representant, ut imaginem Christi & Sanctorum; item ceremoniæ sacræ; vel quæ sunt particulæ, aut res Sanctorum, ut Reliquiæ: vel quæ ad cultum Dei, & ejus ministrorum sustentationem, usumque pios sunt consecrata, seu destinata ut vasa sacra, ornamenta, item bona temporalia Ecclesiæ, cap. 4. & *seq.* 17. qu. 4. &c. *Nulli*, 12. qu. 2. Et ex Concil. General. Later. II. can. 20. & aliis.

Porro etiam sola omissione committitur sacrilegium, ut si Chrisma, vel SS. Eucharistia non satis custodiatur clavibus adhibitis, vel si vasa sacra, corporalia, pallæ, vestimenta, altaria, & similia, non sint satis munda aut decora, ex c. 1. & 21. *de custod. Euchar.* vel permittantur species corrumpi in pyxide &c.

Cum autem in iis rebus diversæ sint hal itudines ad sanctitatem, seu diversa sit ratio sanctitatis; ideo diversas constituunt species rerum sacrarum: & ita earum violationes sunt sacrilegia diversæ speciei. Festus & alii addunt tempus Deo dicatum, nempe dies Dominicos ac Festos, eosque sint mentura actionum sacrarum & ad illas destinatarum; quam vis alii dicant violationem festi non esse sacrilegium, sed quamdam hurtilitatem.

Hinc sacrilegium reale est indigna administratio, vel susceptio Sacramentorum, profanatio reliquiarum, imaginum, vasorum sacrorum; ut si quis utatur calice ad potandum, ornamenta sacra ad usus profanos adhibeat; abusio verborum Scripturæ non solum ad errores confirmandos, sed etiam ad res profanas: unde Concil. Trid. sess. 4. Dei violatores appellat, jubetque puniri eos, qui verba & sententias sacræ Scripturæ ad profana quæque convertunt, & torquent ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones &c. Item invasio bonorum sive mobilium, sive immobilium, & jurium Ecclesiæ; suppressio piorum legatorum, defraudatio decimarum &c. nam hæc ad Dei cultum data sunt, ideoque Deo dicata.

Quæst. V. *Quale peccatum est sacrilegium?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, quia per illud Deus in rebus sacris inhonoratur; irreverentia enim rei sacræ illata redundat in ipsum Deum, ad quem relationem habet, & ad cujus cultum destinata est. Præterea ratio ipsa dictat, sancta sancte & reverenter tractanda esse. Est autem tanto gravius crimen, ceteris paribus, quanto res, quæ violatur, est sanctior & sacratior. Potest tamen esse veniale ob levitatem materiæ, ut si unus assis in Ecclesia furripiatur.

Porro cum sacrilegium novam speciem peccati constituat ratione specialis deformitatis opponitæ religioni, debet semper exprimi in confessione. Hinc circumstantia personæ sacræ in luxuria, & loci sacri in furto declaranda est: nam utrumque continet duplicem malitiam specie diversam, unam contra religionem, alteram contra castitatem vel justitiam. Imo quia omnia sacrilegia non sunt ejusdem speciei infimæ, nec gravitatis, debet quoque exprimi in qua re fuerint commissa.

Quæst. VI. *An omne peccatum in loco sacro commissum contrahit speciem sacrilegii?*

Resp. 1. Certum est contrahere, si sit specialiter ab Ecclesia prohibitum in loco sacro, quales sunt actus supradicti: quia quod prohibetur fieri in loco sacro, prohibetur intuitu & ex motivo religionis. Unde tunc actus vetitus opponitur specialiter virtuti religionis.

Resp. 2. Omne peccatum saltem externum in Ecclesia commissum contrahit inde malitiam sacrilegii. Quia tale peccatum repugnat sanctitati loci Deo consecrati, & proprie ejus institutioni, quæ est ut Deus in eo pie colatur. Nam est per se & ex natura rei indecentia ac irreverentia, ut locus orationi & cultui divino dicatus, convertatur in locum peccandi, & offendendi Deum. Enimvero si actus profanus alibi licitus, ut venditio columbarum ad usum Templi, violat sanctitatem loci, & ideo, Matt. 21. prohiberur a Christo, qui ejiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, quia Templum est *domus Orationis*, hoc est solis actionibus piis destinatum; a fortiori actus per se malus factus in loco sacro sacrilegium est. Præterea a Conc. Gener. Lugd. c. *Decet*, prohibentur in Ecclesia quæcunque petitur oculos divinæ Majestatis offendere.

Multi vero id negant de actu mere interno; quia, inquiunt, nullam habet relationem ad locum sacrum ut pote sensibilem, nec prænde repugnat ejus sanctitati ac reverentiæ. Sed hæc ratio non omnes convincet.

ARTICULUS III.

De Simonia.

Quæst. I. *Quid est Simonia?*

Resp. Definitur studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Sic dicta est a Simone Mago, quod ille primus in nova lege hoc crimen admiserit volendo emere dona Spiritus Sancti.

Dicitur 1. *Studiosa voluntas*, id est, volitio deliberata ac libera.

2. *Emendi vel vendendi*, hoc est, commutandi pretio temporali, sive non gratis dandi aut accipiendi, sed interventu pretii temporalis. Nam his verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, sive sit nominatus, sive innominatus, ut docent omnes cum S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Quare sufficit empcio & venditio virtualis.

3. *Pretio temporali*, quo intelligitur pecunia, & res omnis pecunia æstimabilis, ac quævis commoditas temporalis. Secundum omnes cum S. Greg. cap. *Sane* 1. q. 2. & S. Th. qu. cit. art. 3. Simoniæ pretium triplex est. 1. Munus ab obsequio, id est, quodvis obsequium, servitium, ministerium in rebus temporalibus præstitum, vel præstandum: ut si quis alteri beneficium conferat pro eo quod ejus negotia gesserit &c. 2. Munus a manu, scilicet pecunia, vel res omnis mobilis aut immobilis pretio æstimabilis, ut gemmæ, equus, vitium, pratum, remissio debiti, jus alimenti &c. 3. Munus a lingua, nempe, favor, patrocinium, intercessio, adulatio, laus, commendatio apud alium &c. Nam hæc sunt pretio æstimabilia, & commodum temporale parient. Ut si quis collatoris, vel patroni amico aut famulo det munera, ut pro ipso beneficium petat, eum laudet, ac commendet &c. Hinc cap. *Salvator* 1. q. 3. *Qui res ecclesiasticas munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est.* Nam in his casibus commutatur saltem æquivalenter & moraliter spirituale vel spirituali annexum pro temporali (quod est virtualiter venire spirituale, & interventu rei temporalis acquiritur spirituale.

4. *Spirituale*, id est, res vel actio sacra, vel ad salutem animæ specialiter ordinata, vel ad cultum Dei pertineus, ut dona Spiritus Sancti, gratia, virtutes, oratio, Sacramenta, divina officia benedictiones, reliquiæ Sanctorum; item omnis potestas supernaturalis, ejusque usus; ut omnis actus ordinis vel jurisdictionis Ecclesiasticæ. Hinc concio, exhortatio, catechesis facta a ministro Ecclesiæ est materia simoniæ, cum ad salutem animæ immediate ordinetur. Secus de munere & actu docendi Theologiam, quia Theologia, licet versetur circa objectum supernaturale, potest propriis viribus acquiri; & actio eam docendi per se primo non ordinatur ad animæ salutem, neque immediate dirigitur ad movendam voluntatem.

5. Per *spirituale annexum* intelligitur id quod ad spirituale ordinatur, vel ab eo dependet, aut ei conjungitur. Potest autem conjungi vel antecedenter, ut jus Patronatus, quod supponitur præsentatio ad beneficium, altaria, vasa sacra, quæ antecedenter ordinantur ad sacrificium Missæ, & ei præsupponuntur: vel concomitanter, ut labor intrinsecus & necessarius administrationi Sacramentorum; vel consequenter, ut proventus beneficii, qui supponit officium divinum.

Nota. Allata definitio stricte est simoniæ juris divini, non simoniæ juris ecclesiastici saltem omnis: nam non convenit simoniæ, quæ reperitur in permutationibus, & resignationibus factis sine auctoritate Superioris circa temporale pretium. Sic autem potest generatim simonia omnis definiri: Quævis pactio, datio & acceptatio rei spiritualis, vel spirituali annexæ, lege prohibita ob reverentiam rei sacræ.

Porro id in spiritualibus est simonia, quod in temporalibus usura; & sicut datur usura palliata, ita & simonia.

Quæst. II. *An ad simoniam requiritur intentio formalis dandi vel excipiendi rem temporalem, ut pretium rei spiritualis?*

Resp. Neg. Sed sufficit voluntas dandi vel accipiendi spirituale non gratuito, sed pro temporali, sive ut pretio vel compensatione, sive motivo saltem principali. Item sufficit intentio virtualis emendi vel vendendi, seu commutandi spirituale pro temporali, inclusa in voluntate obtinendi spirituale per temporale, & vicissim.

Prob. Quia. 1. Simon Magus, Actor. 8. damnatur, quod præcise obtulisset pecuniam eo fine, ut acciperet potestatem conferendi Spiritum Sanctum: *Eo quod existimavit donum Dei pecunia possideri*, hoc est acquiri per pecuniam. 2. Cap. 34. *de Simon.*

dicitur simoniæ reus, qui sine ullo pacto donationem facit *ex intentione ut per temporalia bona quæ offert, spiritualia valeat adipisci*. Et Concil. Gener. Later. I. c. 1. prohibet *ordinari quemquam per pecuniam, vel promoveri*. Et Concil. General. Later. II. can. 2. vetat beneficium vel aliquid spirituale per pecuniam acquiri: *Quoniam simoniacum est*. Idem cap. *Ex multis* 1. qu. 3. Alexander II. ait: *Chalcedonense Concilium condemnat eos, qui Ecclesiæ beneficium interventu pecuniæ acquirunt*. 3. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra*. 4. Per hoc tractatur res spirituales ut commutabilis & comparabilis rei temporali, non ut donum gratis dandum & accipiendum, contra illud Christi, *Gratis accepisti, gratis date*. 5. Tunc moraliter loquendo & in æstimatione prudenti, temporale reipsa se habet ut pretium, cum non detur alio titulo, quam ad obtinendum spirituale, nec conferatur spirituale nisi ad temporale consequendum. Sicut enim dans munus judici ut motivum ad obtinendam sententiam iniquam dicitur emere justitiam, & judex illam ferens propter munera accepta dicitur vendere justitiam: ita qui dat temporale ut moveat alium ad dandum beneficium, emit virtualiter beneficium, & qui confert beneficium propter munera data vel danda, illud vendit, & vere tunc datur unum loco alterius. 6. Alioqui nemo subtilitatis metaphysicæ peritus posset unquam simoniam admittere; aperiretur quia via latissima simoniæ.

Aliud est cum datur temporale per modum stipendii & sustentationis; nam datur in subsidium necessarium ad sustentationem personæ occupatæ in gratiam dantis, & quæ interea actioni sibi quæstuosæ vacare non potest. Lex enim naturalis postulat, ut sustentatio, spectato personæ statu, suppeditetur ei, qui in alterius commodum occupatus est.

Quæst. III. *Quotuplex est Simonia?*

Resp. Dividitur 1. In eam, quæ est juris divini, & in eam quæ est juris humani. Prior est ea, quæ ideo prohibita est, quia mala est ex natura sua. Talis est empcio vel venditio etiam virtualis rei, aut actionis sacræ: nam recta ratio dictat rem sacram indigne ac irreverenter tractari, hoc ipso quod datur vel accipitur pro re temporali; tunc enim rei temporali requiparatur facto, ficque deprimitur. Simonia juris humani est ea, quæ solum mala est quia prohibita est; sive est pactio, aut commutatio, seu acceptio quæ ex natura sua non habet malitiam simoniæ, sed solum ex prohibitione Ecclesiæ facta ex motivo Religionis seu intuitu reverentiæ erga res sacras. Nam ita facit ut objectum sumi fit materia illius virtutis, ex cujus motivo fertur; fit communio a non jejuno facta est sacrilegium, quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuslibet rei ante communionem.

Dividitur 2. In mentalem, conventionalem, realem & confidentialem.

Simonia mentalis non est præcise nudum propositum committendi simoniam: nam hæc dicitur pure mentalis, & hoc modo datur etiam furtum mentale, seu mere internum, sed est actio externa facta ex intentione simoniaca exterius non apparente: sive

est datio vel acceptio rei spiritualis pro temporali, vel rei temporalis pro spirituali, nullo interveniente pacto etiam tacito: ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut pro obsequio temporali ei procuret beneficium, nulla tamen verbis vel nutibus facta conventione. Hæc autem est vera simonia, & ejusdem speciei coram Deo cum simonia reali, ex c. 14. *de Simon.* Dicitur mentalis, quia licet externum actum seu effectum habeat, malitia tamen simoniæ non apparet exterius, sed in mente manet.

Conventionalis est pactio simoniaca expressa, vel tacita seu implicita, sed nondum tamen executioni mandata saltem ab utraque parte. Nam alia est pure conventionalis, quæ neutra ex parte completa est, alia conventionalis mixta & semirealis, quæ ex una tantum parte completa est, ut si post pactionem initam conferatur ab uno beneficium, sed ab alio non detur temporale, vel e contra: unde participat aliquid de reali.

Realis est pactio simoniaca ex utraque parte completa saltem inchoate: quod addo, quia ad simoniam realem sufficit solutio partis pretii cum receptione rei spiritualis, vel spiritualis annexæ.

Simonia confidentiæ est, cum quis alteri beneficium procurat, eligendo, præsentando, postulando, resignando, commendatione, vel alia ratione, cum confidentia, hoc est, cum pacto expresso vel tacito ut is, cui procuratur, illud aliquando resignet procuranti vel alteri, aut ut pensionem vel fructus aliquos ex eo præstet. Hæc simonia graviter prohibetur a Pio IV. Bulla 85. & a Pio V. Bulla *Intollerabilis*. Dicitur confidentialis, eo quod procuratio beneficii nitatur confidentiæ pactionis, vel cujus beneficium ipsum, vel fructus illius, pensionve expectatur.

Quatuor modis committitur. 1. Per accessum: ut cum Prælatus volens tibi per ætatem incapaci procurare beneficium, illud confert alteri ea conditione, ut quamprimum capax fueris, illud accipias.

2. Per ingressum, ut cum quis beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignat eo pacto, ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel dimissurus sit.

3. Per regressum, cum quis beneficium a se possessum alteri resignat ea conditione, ut iste sibi vel alteri idem beneficium refigenaturus sit convenienti tempore.

4. Si præsentans, resignans, conferens &c. paciscatur expresse vel tacite, ut pensio vel pars fructuum beneficii sibi vel alteri detur. Porro ad hanc simoniam requiritur, ut accessus, ingressus, & regressus fiat in idem beneficium. Hinc qui resignat beneficium alteri ea lege, ut hic aliud, quod possidet, dimissurus sit in favorem tertii, non est reus simoniæ confidentialis, sed conventionalis, vel realis.

Quæst. IV. *Quibus casibus est Simonia juris divini, ideoque indispensabilis?*

Resp. Ea generatim prohibentur ut simoniaca jure divino, naturali & positivo, quæ cum sint spiritualia, vel spiritualibus annexa, communtantur pro temporali. Speciatim vero sequentia:

1. Dare vel accipere temporale pro virtutibus supernaturalibus, donis Spiritus Sancti, Sacramentis, Reliquiis sacris, quavis potestate spirituali sive ordinis sive jurisdictionis, ejusve actu, prælatura Religiosorum, jure eligendi, usu gratiarum gratis datarum, precibus, officiis divinis, missa, oratione, quavis functione spirituali &c. Ita omnes. Nam hæc omnia ad finem supernaturalem ipse primo ordinantur, & supposita fide, recta ratio dictat, res sanctas sancte esse tractandas, & res supernaturalis ordinis, ideoque inæstimabiles pretio temporali, ut viles ac infimas indigne tractari, si commutentur re temporali.

2. Dare vel accipere temporale pro beneficio ecclesiastico etiam simplici, & solum quoad jus percipiendi fructus temporales. Est communis Theologorum sententia, teste Suarez. *Prob.* tum ex c. *Salvator*, 2. qu. 3. tum quia jus percipiendi fructus temporales ita est connexum officio spirituali, ut non possit obtineri nisi ratione illius officii, cujus exercendi jus habeatur; nam jus percipiendi fructus temporales beneficii, est jus tales fructus obtinendi ministerio spirituali, cujus exercendi jus habeatur: Beneficium enim est propter officium, ex c. ult. *de rescript. in 6.* & ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 3. *Cum beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia sint constituta.* Ita ut jus percipiendi reditus necessario & ex justitia debeatur, & acquisitum sit ei, qui habet titulum, id est potestatem exercendi tale ministerium spirituale, propter quod fructus sunt destinati. Ergo jus illud percipiendi fructus vendi non potest, quin vendatur primario & directe jus exercendi officium spirituale, & ipsum officium; ex quo hoc provenit, ex c. *Si quis 1.* qu. 3. *Quisquis bonum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inveniatur derelinquit.* Quare etsi non teneatis dare beneficium alteri; tamen si conferas, teneris gratis conferre, nec potes temporale ei annexum subtrahere. *Beneficia nullo modo vendere licet: quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici*; ait S. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. Nec obstat, quod calix consecratus emi possit ratione materiæ. Nam ex S. Th. hæc est disparitas; quia calix consecratus spirituali annexus est antecedenter, seu non præsupponit spirituale, sed ei advenit spirituale, nempe consecratio. Unde non ita pendet a spirituali, ut eo vendito vendi censeatur spirituale. Idem die de jure patronatus. At jus percipiendi reditus ecclesiasticos fundatur in spirituale, & illud præsupponit, ita ut competere non possit, nisi ei, qui habet titulum seu potestatem spiritualem exercendi nomine Ecclesiæ ministerium spirituale, propter quod fructus destinati sunt.

Potest tamen Papa ex plenitudine potestatis, titulum seu jus officii spiritualis abrogare, & temporale beneficii ob Ecclesiæ necessitatem, vel majorem utilitatem alienare. Et tunc temporale beneficii separatum a titulo nil haberet spirituale, nec proinde ejus distractio esset simoniaca.

Idem est de commenda clericali, ac de beneficio cui æquivalet, quia principale in ea est spirituale ministerium, cui temporale commodum consequenter annexum est.

3. Omnis transactio in beneficiis, vel aliis rebus spiritualibus, facta compensatione cum re proprie temporali: nam tunc spirituale commutatur cum temporali.

4. Dare vel exigere temporale non solum pro receptione seu admissione ad religionem, ut patet, (nam hæc est quid spirituale, cum ex se ordinetur ad

ad animæ salutem ac perfectionem, & ad Dei cultum,) sed etiam pro sustentatione ingredientis (*) Religionem, quando bona Monasterii sufficiunt. *Ita multi.* Quia jus vivendi ex bonis Religionis ex institutione Ecclesiæ & mente fundatorum, annexum est professioni, sicut jus percipiendi reditus annexum est admissioni ad Canonicatum: ita ut illud nequeat obtineri nisi ratione professionis, quæ est quid spirituale. Nam Monasteria sunt dotata, & auctoritate Ecclesiæ sic instituta, ut homines ibi adscripti liberius Deo vacarent, & assidue pro fidelibus orarent. Item jus vivendi ex bonis communitatis hoc ipso competit ei, qui fit membrum communitatis per professionem: nam bona communitatis per se destinata sunt usui omnium ejus membrorum, quæ sunt ipsamet communitas. Ergo nihil exigi potest pro jure vivendi ex bonis Monasterii, quin exigatur pro ipsa professione, ex qua provenit hoc jus, quod est spirituale, vel saltem spirituali annexum. Quemadmodum igitur non potest citra simoniam juris divini in beneficio conferendo vel resignando vendi vel emi jus percipiendi proventus temporales propter ejus connexionem cum spirituali titulo, ita ut qui unum vendit, alterum, nempe spirituale, non relinquat invendituum, ex canone citat. ita etiam non potest vendi jus utendi bonis temporalibus Monasterii propter ejus connexionem cum ipsa professione Religiosa, in qua fundatur. Præterea admissio in Religionem est admissio ad omnia jura Religiosorum; inter quæ est jus vivendi ex bonis Religionis. Quare cum Alexand. III. c. *Non satis*, Innoc. III. c. *Dilectus*, & Concil. gener. Later. IV. c. *Quoniam de Simonia*, id graviter prohibent, & in hoc juris divini naturalis observantiam præcipiunt.

Si autem Monasterium sit pauper, nec possit proprie sustentare, non est simonia exigere aliquid ab ingredi volentibus: quia illud exigitur non pro jure alimentorum, nec ut pretium religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere, & ut alii Religiosi non careant necessariis, ad quæ jus jam acquisitum habent. Ita S. Th. in 4. dist. 25. qu. 3. art. 2. ad 7. Sed erit injustitia & simonia, si quid amplius exigatur ultra id, quod requiritur ad hunc finem, quia jam cessat ratio allata quoad excessum. Quod tamen est intelligendum moraliter, nec consilit in indivisibili.

Nec obstat, quod dicitur Martinus V. exemisse Moniales a pœnis latis ab Urbano IV. Nam pœnæ violationi juris divini oppositæ, sunt juris ecclesiastici, unde tolli possunt, remanente jure naturali & divino, quod prorsus indispensabile est.

Non adeo facile cum Auctore pronunciandum est, Simoniacum esse confuetum dotale subsidium, quod a Conjugibus exigitur a Puellis sese Deo devoventibus: Nam quamvis eam dotis penitentiam plerique Doctores improbaverint, usus tamen ubique receptus illam approbat, quodque magis est, Sac. Congr. Concilii die 18. Septembris 1685. a Simonia immunem pronunciavit, eademque quæstione, in una Bononiensi iterum examinata die 14. Aprilis 1752. Sac. Congr. in eadem perstitit sententia, ut ait Benedictus XIV. l. VII. de Synodo Dioecesana cap. 58. Ubi subdit etiam, Sac. Congr. Concilii adhærendo doctrinæ S. Th. 2. 2. qu. 100. art. 3. ad 4. sæpius decrevisse, a singulis Sanctimonialium Conventibus, ad normam decreti Concilii Trid. *sess. 24. cap. 12. de Regular.* tot esse Monales recipiendas, quot, Episcopi judicio, ex communibus reditibus, aut consuetis elœmosynis sustentari possint. Censuisse itidem Monialibus inter præfinitum numerum comprehensis, seu in demortuarum locum subrogandis, nihil esse Monasterio petendum, nisi interim Monasterii reditus fuerint imminuti, nec amplius patere sinit, confuetu sororum numero sustentando; ab iis vero, quæ ultra præfinitum numerum recipiuntur, dotem perfe venisse dixisse, cujus fructibus ali queant, quemadmodum refert Fagnanus *in cap. non amplius de inst.* nu. 14. ubi inquit: *Verum Sac. Congr. super negotiis Episcoporum, & Regularium animadvertens sanctimonialium Monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter imminentes necessitates, & casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontificibus approbantibus, prudenter sanxit, ut dotales elemosynæ a Monialibus numeratis perfolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram reditumm Monasterii.* Deinde Sacrarum Urbis Congregationum decreta vindicat, & Van-Espenium refellit, qui *in suo tract. de Simonia, circa ingressum in Religionem* cap. 3. §. 2. absolute asserit, contra jus naturale, & divinum peccare Monasteria, *quorum proventus sunt sufficientes ut numerus aliquem Religiosorum sustentent, & tamen nullum gratis ad Monasterium admittunt.* Nam licet sit juris naturalis & divini Simonia, quæ committitur dum quidpiam recipitur tamquam pretium ingressus in Religionem, tamen si illud recipiatur pro onere, quod sibi assumit Monasterium, sustentandi Religiosum, ad quod ceteroquin subeundum sufficiunt Monasterii reditus, est Simonia tantum juris Ecclesiastici. Tunc enim pretium sumitur pro onere alendi personam Religiosam, quod est temporale, & pretio æstimabile. Sed, quod jus ad alimenta e Monasterii proventibus percipienda profluat ex ipsa potestate Religiosa, & ideireo Ecclesia, ne ulla ratione pretium pro ea accipi videretur, districte vetuit, quidquam ab eo exigi cui Monasterium necessaria ad victum stipendia subministrare potest; atque hujus criminis reos in Simoniacorum classem retulit. Id omnium prima constituit Septima Synodus, quæ est Nicæna secunda celebrata anno 787. can. 21. antea enim, ut observat Thomassinus *part. 3. de vet. & nova Eccl. disc.* l. 2. c. 52. etsi plures leges latæ fuissent, ad compescendam Monachorum avaritiam, alimentorum obtentu, pecunias ab illis extorquentium, qui sese Dei ac Religionis obsequiis mancipabant, nulli tamen ita mentem venerat pertulisse in hoc negotio Simonium committi.

Addit præterea, cum versemur in Simonia, quæ eorum habuit a sola lege Ecclesiastica, mirum non esse, hanc potuisse nunc severius accipi, nunc justis de causis aliquantulum emolliri, prout vel angetur, vel minuitur præsumpto venditionis rei spiritualis, seu veriur animi illam mundinandi, in qua præsumptione fundatur. Ex recentioribus hac de re particularium Ecclesiarum statutis, ita subnectit; in hac opi-

(*) *Ingredientis per professionem regulæ &c.*

opinionum varietate, diu anceps hæserat Sac. Congr. Concilii; sed cum experientia didicerit, nullum reperiri adeo opulentum Sanctimonialium Cœnobium, quod, ad reparanda quotidiana fuorum redituum detrimenta, non egeat novarum dotium accessione, firmiter tardem amplexata est S. Caroli decreta, eaque religiosè observari voluit: quod non solum constat ex allegatis ejusdem decisionibus, sed adhuc clarius ex alia, quæ refertur in Bibliotheca Prænostratem pag. 350. cujus verba sunt: *Non vestiantur Moniales, nec admittantur ad habitum, nisi prius Parentes, vel illi, ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote, vel eleemosyna consueta: & illam deposuerint sacristanam Monasterii post emissam professionem.*

Concludit denique, si hæc secum animo revolvat Episcopus, non fuerim illicitum, & Simoniacum pronuntiabit (Vid. N. 76.) *potale subsidium*, quod a Puellis fese in Religionem recipiendibus exigitur; neque facile; autes præbebit suadentibus hominum, qui, ut propriæ pereant pecuniæ, tua quæ bilas, hinc ullo sumptu, Religioni alenda tradant, monasteriorum ejulentiam exaggerant, novamque pecuniam illis collatam ut inutiles, ac voluptuolos sumptus erogari clamitant. Non ideirco tamen negamus, interdum expedire, dotis quantitatem imminui, & quandoque etiam prorsus remitti, sed quod in peculiaribus circumstantiis, & consulta prius Sacra Congregatione Concilii fieri decet, non poterit Synodali Constitutione, generatim, atque universim faciendum decerni. Illud autem curabit Episcopus, ne ultra præfinitam dotem, Monasterio pendendam, alia pecuniæ summa a Puellis extorqueatur, in Monialium commodum, aliove usus impendenda, qui ad Puellæ sustentationem nequaquam pertinent: id quippe, cum nulla ratione confessari valeat, adhuc remanet sub censura. *Extrav. 2. de Simonia, inter comm.* ubi Urbanus V. utriusque sexus Regularibus districte inhibuit, ne ante, aut post cujuslam in Religionem ingressum, *quicumque nomine, pactis, stipendia, seu cenas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directe, vel indirecte, petere, vel exigere quoquo modo præsumant.*

Modum quoque imponent sumptuosis apparatibus, nuptiis concentibus, commessationibus, aliisque ejusmodi, quæ cum magno familiarum impendio, alicubi fieri solent in Monialium ingressu, & Professione; omnem liquidem mundanam pompam, omnem profanum luxum dedecore spirituales nuptias, quas eligit Puella, quæ Deo, & Religioni se devovet, licite ponderat Navarrus *in tract. de reditibus Ecclesiasticis, in fine quæstionis prima, p. 150. edit. Romanæ anni 1584.* ubi hæc ad rem scripsit: *Quid quæso dicemus ad proditas illas expensas, & profanos apparatus fieri solitos, ex pacto iactos, vel expresso, dum Puellæ vel ingrediuntur in Monasterium, vel Professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quam ut hæc vehementer interdicantur, & culpentur, & puniantur illæ, quæ taliter faciunt? Et simul etiam docuntur, quam bonestior appareat cunctis hæc insipientibus modesta quædam, humilisque temperantia, spiritualibus junctæ contemplationi, quam pompola profanitas, mundanæ cuidam admixtæ voluptati, in funeralibus ejus, quæ per Professionem moritur mundo, & nascitur, vel excrescit Deo.* ✠

3. Vendere jus Patronatus. *Ita, Navarrus, Suarez, Layman, & alii multi.* Quia hoc jus est spirituale: nam est potestas ad actum spiritualem; nempe præsentationem, quæ dat jus præsentato ad beneficium habendum, ita ut necessario instituendus sit, si sit idoneus, c. 18. *de jur. Patron.* At potestas ad actum spiritualem est spiritualis. Nec idea venditur jus Patronatus, quia vendito fundo transfertur jus Patronatus ei annexum. Nam ut vendi diceretur jus Patronatus, deberet aliquid accipi ratione illius juris, quod esset simoniacum.

Porro est simonia juris divini etiam post collatum spirituale, vel spirituali annexum & nullo præcedente pacto dare, vel exigere aliquid temporale tamquam debitum, vel ut pretium, aut mercedem vel compensationem ex c. 39. *de Simon.* Nam tunc facto ipso temporale æquiparatur spirituali quasi effectus illius pretium: & ideo SS. Patres Gazi simoniæ arguunt, quod pecuniam pro curatione lepræ miraculose facta petierit. Licet tamen, exclusa Ecclesiæ prohibitione, aliquid gratis oblatum accipere, post quam res spiritualia gratis collata est; quia non datur pro re spirituali, sed ex gratitudine & benevolentia, ex c. 30. *de Simon.*

Quæst. V. *Quibus capibus est simonia juris humani?*

Resp. Communiter recensentur, 1. Permutatio beneficiorum sine auctoritate Prælati, nullo intervenente pretio. Item resignatio extra Curiam Romanam in favorem certæ personæ, & resignatio cum pacto, ut resignatarius suum beneficium cedat tertio; vel cum confidentia accessus, aut regressus. Nam in his non commutatur spirituale, nec spirituali annexum pro temporali: unde licet commutatio beneficia cum auctoritate Episcopi, *Clem. de rer. permut.* & Papa potest in aliis dispensare, ista fieri tamen simoniaca, quia prohibita sunt ab Ecclesia ob reverentiam rei sacræ, & ob periculum ut fiant ex aliquo motivo temporali.

2. Venditio officiorum sacrisiæ, œconomi, defensoris, advocati, procuratoris Ecclesiæ &c. De quibus, c. *Salvator*, 1. q. 3. Nam talis venditio prohibita est intuitu religionis, non quod illa officia sint in se quid spirituale, aut sacrum, sed propter quamdam conjunctionem, quam habent cum supellectili sacra, rebus & ministris Ecclesiæ.

3. Acceptio munerum esti mediocrium sponte ac gratis oblatorum ex occasione examinis ad parochiam, ex Conc. Trid. sess. 24. c. 18. Item ex occasione collationis ordinum, tonsuræ, litterarum dimissoriarum, aut testimonialium, ex Trid. Concil. sess. 21. cap. 1. dixi, *ex occasione*. Nam dare, vel accipere aliquid pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus est simoniacum jure divino: cum ista sint actus procedentes a potestate spirituali ordinis & jurisdictionis, proindeque spirituales. Subscripsio vero earumdem litterarum, cum sit complementum illarum, est quid spirituale, aut saltem pertinens ad aliquid spirituale, nempe ad actum jurisdictionis. Præterea, quando principale fieri debet gratis; gratis etiam accessorium fieri debet, cum ex reg. Iis juris accessorium sequatur naturam principalis.

Quæst. VI. *An permutatio rerum spiritualium inter se simoniaca est, idroque illicita?*

Resp.

Resp. Neg. Si illa non habeant annexum aliquod temporale commodum, & nullum intercedat pretium: quia nullo jure est vetita. Non jure divino; nam nulla est per se irreverentia, si res sacra cum alia commutetur nullo intercedente pretio, cum utraque sit ejusdem ordinis. Neque jure Ecclesiastico: nam licet in jure prohibeatur generaliter omnis pactio in rebus spiritualibus, hoc intelligitur de iis quibus annexum est aliquid temporale commodum, vel quæ fit intercedente pretio temporali. Hinc licite duo præficiuntur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam sacram, v. gr. me obligo ad celebrandum cras Missam pro te, ut tu alio die eam pro me celebres.

Quæst. VII. *An Simoniæ reus est, qui temporale pro spirituali promittit fine animo implendi?*

Resp. Affirmat. Nam talis habet voluntatem acquirendi beneficium per aliquid temporale promissum. Deinde non solum dario, sed etiam promissio in jure prohibetur ut simoniaca, cap. 12. *de Simon.* Ubi Pontifex declarat, promissionem ipsam continere simoniacam pravitatem. Et a Conc. Melphitano, c. 1. dignitate vel officio privantur, *qui dato, vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione intento, vel precibus, ecclesiasticam dignitatem assequi nituntur.*

Qui vero fine animo se obligandi promittit temporale pro spirituali, committit grave peccatum saltem injustæ deceptionis, scandali, inductionis, & cooperationis ad simoniam mentalem alterius. Item qui rem spiritualem ficte promittit pro temporali, graviter peccat mendacio perniciolo & scandaloso, & irreverentiam infert rebus sacris, ita illis abutendo.

Quæst. VIII. *Quale peccatum est Simonia?*

Resp. 1. Simonia juris divini est semper per se peccatum mortale. *Ita omnes.* Constat 1. ex 1. 4. Reg. c. 1. ubi Giezi correptus fuit lepra, quod pecuniam pro curatione lepræ per miraculum facta exegisset. Et ex act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri... Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Et Matth. 10. *Gratis accepisti, gratis date.* 2. Quia est gravis irreverentia in rem sacram, & consequenter in Deum ejus auctorem, dum tamquam profana & temporalis commutatur pretio temporali, eique æquatur talem facto; & ficut res infima, venalis, profana, & temporalis tractatur ac deprimitur. Unde simonia in jure canonico voratur execrabile flagitium, detestabile scelus. Nec potest esse venalis ex levitate materiæ, seu rei spiritualis, cum nulla sit quæ non sit res gravis momenti in se & inæstimabili pretio, utpote ordinis superioris, & ordinata ad supernaturalem Dei possessionem: neque etiam ratione rei temporalis pro spirituali datæ: nam quo vilior est res illa temporalis, eo magis est rei spiritualis vilipendium.

Hinc infert Suarez, esse mortale emere vel vendere unam Salutationem Angelicam, vel unum *Agnus Dei*.

Videtur autem esse peccatum non solum contra religionem, sed etiam contra Justitiam: nam iniquum est vendere rem suo dominio non subjectam contra voluntatem Domini, qui gratis dare jussit, & pretio commutare id quod pretio commutari nequit, nec pretio æstimabile est. Item est contra fidem, si simoniacus putet rem spiritualem esse venalem.

Resp. 2. Simonia juris Ecclesiastici est etiam mortale peccatum contra religionem, cum sit gravitet prohibita ex motivo religionis, seu intuitu reverentiæ rebus sacris conservandæ; ut constat ex jure canonico, & pœnis gravissimis perinde contra illam ac contra simoniam juris divini latis. Et quia, ut air Suarez, est ejusdem speciei cum simonia juris naturalis, ideoque ejusdem est gravitatis specifice: nam habet materiam ejusdem rationis ex jure positivo, & oppositur honestati ejusdem virtutis. Species quippe tam virtutis quam præcepti ex objecto & motivo sumitur, ac proinde præcepta, licet quoad efficientes causas diversa, sunt ejusdem speciei, si habeant idem objectum & motivum; & consequenter eorum transgressiones erunt ejusdem speciei. Est quoque contra justitiam defectu tituli, & materiæ legitimæ: unde omnes actus simoniaci sunt irriti, & obligant ad restitutionem.

Porro quævis simonia est species quædam sacrilegii, cum sit indigna tractatio rei sacræ; nam per simoniam res sacra tamquam profana ac temporalis tractatur: ideoque irreverenter ac indigne.

Quæst. IX. *An licet emere, vel vendere temporale spirituali annexum?*

Resp. 1. Quod est quovis modo annexum spirituali, nunquam potest emi aut vendi ratione spiritualis. Patet: nam tunc spirituale pretio æstimaretur, & venderetur. Hinc non licet pluris vendere calicem consecratum, quam si non esset consecratus, vel fundum ob jus Patronatus. Item non potest res sacra elocari, neque ob usum rei sacræ, quia usus rei sacræ non potest vendi, cum sit actus, & quid spirituale: neque ob usum profanum, cum res sacra non possit adhiberi ad usus profanos.

Resp. 2. Temporale antecedenter, annexum spirituali, seu cui spirituale postea advenit, ut fundus cui postea accedit jus Patronatus, vel quod postea consecratur, sicclusa Ecclesiæ prohibitione, licite emi ac vendi potest, ratione temporalis materiæ, assistit, modo non vendatur carlus ob spirituale annexum, quam sine illo valeat. Quia res illa retinet suum valorem intrinsecum, nec ita deperiet a re spirituali, ut ea vendita hæc censeatur vendi. Sic vendi possunt calices consecrati ad subveniendum necessitati pauperum, & fundus, cui annexum est jus Patronatus, quod tunc concomitanter transfertur, sed non venditur, cum pretium soli fundo respondeat.

Porro prohibetur venditio Ecclesiæ, c. 15. *de Simon.*

Resp. 3. Vendi nequeunt concomitanter annexa spirituali, & quæ sunt ei intrinseca, seu per se conjuncta; ut opera, seu labor necessarius ad exercendam functionem sacram, v. g. Missam, concionem &c. *Ita communiter.* Quia 1. Labor & opera cum sint intrinseca officiis spiritualibus, & ab ea inseparabilia, vendi non possunt, quin actio spiritualis vendatur. 2. Labor necessarius ad aliquam actionem conficiendi cum ea in unum opus morale, & sic conditionem ejus accipit. 3. In nullo opere labor est dignus pretio distinctio ab ipso opere, sive labor operi intrinsecus nullam aliam æstimationem habet præter ipsum opus: nam labor solum appetibilis est, & quæ

& quæritur ob opus. Ergo sicut actio sacra non est pretio æstimabilis, ita nec labor ei conjunctus. Præterea hoc ipso quod Christus præcepit, ut spiritualia gratis darentur, justit etiam gratis dari id omne, sine quo spiritualia dari nequeunt.

Item opera & actiones, quæ per se necessaria sunt ad functionem sacram, prout ab hominibus exerceri potest, non possunt vendi nec pretio æstimari, ut studium, præparatio ad concionem &c. Quia omnes illæ actiones & opera non habent æstimationem nec utilitatem nisi ratione operis spiritualis, ad quod ordinantur; & proinde si venderentur, spirituale centeretur vendi. *Ita Suarez*. Sectus, si labor, fatigatio, vel aliæ actiones sint spirituali extrinseca, & per accidens adjuncta, ut fatigatio longioris itineris ad celebrandam Missam in loco diffito: nam hæc nil includunt spirituale, & ab eo sunt separabilia, & aliunde sunt pretio æstimabilia.

Resp. 4. Temporale consequenter annexum spirituali, hoc est, quod præsupponit rem spiritualem, & ab illa dependet, vendi non potest sine simonia; quia non potest acquiri nisi ratione spiritualis, nec vendi nisi vendatur spirituale præsuppositum. Præterea quod est annexum consequenter spirituali, ipsum spirituale supponit, & le habet velut ejus accessorium, ac accessorium naturam principalis sequitur, ex regul. jur. 41. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*. Ergo cum principale vendi nequeat sine simonia, ita nec accessorium. Quare simoniacum est vendere vel emere jus percipiendi reditus ecclesiasticos, annexum officio spirituali, aut jus vivendi de bonis Monasterii annexum professioni.

Quæst. X. *An liceat dare vel accipere temporale ob functionem aliquam spiritualem? v. gr. Missam, concionem &c.?*

Resp. 1. Certum est non licere dare vel accipere temporale præcise pro aliqua functione spirituali, vel labore ei intrinseco, nam hoc est simoniacum jure divino. Item non potest accipi pretium præcise pro obligatione ad spiritualia præstanda: quia obligatio ad spiritualia est quid spirituali annexum, & ad illud per se ordinatur, suamque æstimationem ab illo accipit. Hinc Cautoribus conducitis, & Musicis non licet stipendium accipere, ut pretium sui obsequii, sed solum titulo sustentationis honestæ: nam eorum officium ordinatur ad cultum divinum, nempe, ad laudes Dei canendas, & fidelium devotionem excitandam.

Resp. 2. Licet temporale dare & accipere per modum sustentationis cum obligatione, ut fiat spirituale, v. gr. celebrentur Missæ, administrentur Sacramenta. Quia 1. ita habet praxis recepta in Ecclesia; 2. Concilium Constantiense, sess. 8. damnavit hunc articulum Wicleffi: *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus*. 3. Tunc datur solum pecunia ad sustentationem Ministri sub conditione spirituale præstandi, non ut ejus pretium. At sic dare, ideoque accipere licitum est, immo & justum: nam iis qui ministrant populo spiritualia, debetur ex justitia sustentatio; *Dignus est enim operarius cibo suo*, Matt. 10. Et vero naturalis justitia exigit, ut ei qui in alterius gratiam, & commodum occupatus est, ne privat facultate vacandi rei sibi lucrosæ, sufficiens sustentatio spectato statu personæ supperditur, ex 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? &c.* Nihilominus ea gratis ministrante, quia non exigunt quidpiam tamquam ministerii pretium, hoc enim tamquam majus omni pretio gratis præstant. Sed ut hoc gratis præstent, requirunt necessarium sustentationem a populo, & licite exigunt id quod auctoritate publica, vel consuetudine approbata constitutum est in sustentationem Ministri. Unde licet accipere aliquid pro sustentatione secundum approbatam consuetudinem ad Missas pro aliquo celebrandas, ad conciones non debitas ex officio &c. *Immo gratis spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statuta & consuetæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus & valentibus solvere, auctoritate Superioris intervenientе*, ait S. Th. 2. 2. qu. 100. art. 2.

Non licet tamen quidquam exigere etiam a divinis titulo sustentationis ad sepulturas, exequias, benedictiones nubentium, administrationem Sacramentorum &c. per horum spiritualium subtractionem. Nam hoc graviter prohibent Conc. Gener. Later. II. cap. 7. & Later. IV. c. 66. *Hoc enim haberet quandam venditionis speciem*, ait S. Th. supra.

✠ *Nota*. Refert P. a Breno, atque ex aliis, fide dignis auctoribus accepimus, Orientales Mahumetano Imperio subjectos inopia pressos, pro sacramentorum administratione quidpiam accipere, quod eleemosynæ, ut decimarum, quæ ipsis debeantur, nomine honestare solent. Ut autem omnem avaritiæ ac simoniæ speciem Episcopi, & Missionarii ex iis penitus amovere studeant, animadvertendum duximus: Primum antiquis Ecclesiæ Orientalis Canonibus sub gravissimis pœnis prohibitum esse, ne *non venales gratiæ in venditionem deducantur*, can. 29. Apost. Canon. 2. Chal. Et can. 5. septimæ Synodi Generalis. Deinde ad Orientales etiam pertinere Canones in Concilio Lateranensibus condiros supra ab Auctore citatos, ac Pontificias Constitutiones, quæ omnibus & singulis Ecclesiæ ministris quidquam ob Sacramentorum administrationem exigere & recipere prohibent, ac Simoniacum esse decernunt quidquid præsumptionem secum ferat venditionis rei spiritualis, seu verius animum illam nundinandi. Liquet id ex iis, quæ in appendice ad tractatum de Legibus explicavi. Præsumptio autem venditionis rei spiritualis, seu verius præsumptio animi lucrifaciendi ex administratione rei spiritualis in iis manifesto apparet, qui ita pro Sacramentorum administratione pecuniam, vel rem aliam exigunt, ut si non detur, administrare nolint: habet enim id quamdam venditionis speciem, ut S. Thom. notavit. Denique ex Const. S. M. Bened. XIV. incipien. *Apostolica Prædecessorum*, qua approbatur canon Synodi Nationalis a Maronitis in Monte Libano celebratæ anno 1736. quo cavetur ne Patriarcha quidquam exigat a Parochis aliisque in Sacrorum Oleorum distributione, clare intelligimus, quæ sit hac de re Apostolicæ Sedis sententia: & qua cura sacris ministris laborandum sit, ut hujusmodi penitus tollatur abusus. In ea itaque: Primo, Apostolicæ Sedis sollicitudinem ac providentiam in eo maximopere commendari dicitur: quia *ut ab Ecclesiastico ordine omni vel minima avaritiæ suspicio, aut Simoniacæ labis species, in eis præsertim, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, penitus amoveretur, inhibitum fuit, ne pro pasta, vel alicujus consuetudinis*

nis obtentu, in iis, quæ Sacramenta respiciunt, etiam a sponte dantibus, non secus ac voluntarie antiquitus fiebant oblationes, quidpiam directe vel indirecte acciperetur, aut exigatur. Secundo laudantur Maronitæ Assistites, quod oblationes pecuniarias, aliasque tempore & occasione sacrorum oleorum distributionis seri consuetas, tamquam sacris Canonibus contrarias, omnino tollendas, Canone, quem ipse confirmat, constituerint. Tertio declaratur, *oblationes in sacrorum oleorum distributione ante factas ab omni simoniacæ labis pravitate, & turpi avaritiæ quæstu fuisse immunes*, veraturque *ut in posterum a quoquam simoniæ & avaritiæ insimulentur*. Quarto præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, *ut singuli annis die Dominica infra octavam Sollemnitatis B. M. V. Immaculatæ in cælum Assumptæ, in perpetuum Patriarchæ pro tempore exigenti antedictas pecuniarias oblationes sub nomine caritativi subsidii Parochi, Monasteriorumque superiores contribuant & solvant*, jubeturque, *ut Patriarcha opportuno tempore sacra olea gratis omnino transmittat, sive distribuat, & nihil penitus, vel pecuniæ, vel alterius cujusque rei, etiam a sponte dantibus recipiat, aut exigat*. Atque hinc patet, non esse insimulandos avaritiæ & simoniæ Orientales, qui inopia pressi occasione administrationis Sacramentorum eleemosynam, sive caritativum subsidium, ad eorum sustentationem necessarium, recipiant; id vero esse contra sacros Canones, quia ad removendam omnis avaritiæ & simoniæ suspicionem, hoc quoque Ministris procurandum est, & ut ad Maronitarum exemplum, juxta præscriptum citatæ Constitutionis, non occasione administrationis Sacramentorum, sed alio tempore opportuno, Parochis, aliisque Sacerdotibus Sacramenta Fidelibus ministrantibus, caritativa subsidia tribuantur, juxta decretum, quod sequitur: Proposito dubio a Cyrillo Patriarcha Græco Antiocheno, *ut declararetur, & decerneretur, quid orator ex administratione Sacramentorum, & collatione ordinum pro congrua sui ipsius sustentatione, ac sua Sedis conservatione, nec non pro tributis Turcarum Imperatori solvendis recipere posset citra simoniæ labem*, Sanctissimus D. N. Papa Clemens XI. auditis votis Eminentissimorum Cardin. Supr. Inquisit. die 2. Junii 1718. respondit: *Nihil percipi posse ex administratione Sacramentorum, & collatione Ordinum, & pro congrua sustentatione, quatenus illam non habeat, orator statur juris remediis ad formam sacrorum Canonum, ita tamen ut solutio, seu exactio nunquam fiat tempore, vel occasione administrationis Sacramentorum*. Licet autem non possint Parochi aliquid etiam a sponte dantibus pro administratione Sacramentorum accipere, possunt tamen pro eleemosyna, quod sponte offeratur, accipere, ex Decr. Sac. Cong. Conc. 1. Febr. 1593. ✠

Sed an est simonia vendere sepulturam?

Resp. Est simonia juris divini, si vendatur locus sepulturæ, quatenus est locus, seu ratione benedictionis: nam sic spectatus est aliquid sacrum. Item si quid detur pro sepeliendis mortuis, ex cap. 9. *de Simon.* ex Concil. Gener. Later. Nam hæc est functio sacra.

Est autem simonia juris ecclesiastici, si vendantur sepulturæ ratione materiæ, seu pro ipsa terra. Nam hoc ab Ecclesia prohibitum est ex motivo religionis, & reverentiæ erga rem sacram, nempe benedictionem annexam terræ sepulturæ, atque ad virandum periculum & suspicionem simoniæ, ex c. 42. *de Simon.* &c. 13. *de sepulturis*, ubi Innoc. III. sic ait: *Abolendæ consuetudinis perversitas apud Montem-pessulanum (ut dicitur) inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepulturam, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur*. Et infra: *Mandamus, quatenus, cum loci Diœcesanus existat, inhibeas Clericis, ne quidquam omnino præsumant exigere hac de causa*.

Dices. Ergo illicita est consuetudo, quæ in multis locis invaluit, ubi venditur certus locus cœmeterii, vel Ecclesiæ ad sepulturam perpetuam familiæ, & hæredum.

Resp. Multi hoc excusant, quia non venditur sepultura nequidem ratione terræ: sed exigitur pretium ratione oneris, quod suscipitur, alios illi non sepeliendi; quod onus censent esse pretio æstimabile, eo quod vi illius conventionis talis locus non sit amplius juris communis, sed privati.

Quæst. I. *An est simonia saltem mentalis præstare aliquid spirituale principaliter propter temporale taxatum vel sponte oblatum, v. gr. recitare officium principaliter propter retributionem &c.?*

Resp. Affirm. *Ita multi, præsertim Canonistæ*. Quia intentio principalis obtinendi temporale pro spirituale tamquam per medium, est simoniaca: nam tunc temporale moraliter loquendo se habet æquivalenter ut pretium, & expetitur loco spiritualis. Deinde ratio simoniæ in hoc præcipue consistit, quod morali agendi modo res spirituales temporali æquetur, aut postponatur; quod fit, dum spirituale propter temporale principaliter præfatur. Unde S. Antoninus 2. par. tit. 3. cap. 5. afferit esse mortale, quærere, aut appetere beneficia curata principaliter, propter honorem, & divitias, quæ ex iis percipiuntur. Et S. Th. quodlibet. 8. qu. 8. art. 1. ait: *Si hujusmodi retributiones recipi quasi finem operis sui principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habeat principalem finem Deum in tali actu, ad ejusmodi autem retributiones recipiendo, non quasi in finem, sed sicut in id quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quod non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat*.

Porro distributiones quotidianæ institutæ sunt ut Clericorum negligentia in horis sollemniter persolvendis earum privatione mulctaretur, & hujus pœnæ metu impediretur: unde se habent ut removens impedimentum, non ut motivum persolvendi officium.

Quæst. XII. *An est simonia dare, vel accipere pretium pro omissione actus spiritualis?*

Resp. Affirm. Si omissio moraliter censeatur præcedere a potestate spirituali, & habeat effectum moralem, ex c. 14. *de Simon.* Nam tunc talis omissio est revera quidam usus potestatis spiritualis, ideoque nullo pretio æstimabilis ac comparabilis: ut si omittas absolvere a censura, vel a peccatis post auditam confessionem, vel si pacificaris ut non eligas talem: nam ligatum detinere, vel aliquem rejicere est exercitium spirituale potestatis, & proinde invendibile. Si vero omissio actus spiritualis non censeatur in æstima-

firmatione prudenti exercitium potestatis spiritualis, neque intuitu rei spiritualis æstimetur, multi decere non esse sin oniam, sed turpe lucrum, aut injustitiam, si actus erat jure debitus; nam talis omissio non est exercitium jurisdictionis, sed est dumtaxat voluptarius non usus illius, seu potius voluntarius & naturalis usus libertatis. Est tamen in hoc quantum turpitudo simoniæ affinis, inquit Lessius, quia tacite indicatur actum spiritualem esse venalibilem, quod in ejus injuriam cedit; si enim est æstimabile pretio ipsum non fieri, etiam æstimabile pretio videtur ipsum fieri.

Quæst. XIII. *Quot modis committitur simonia in materia beneficiali?*

Resp. 1. Simonia juris divini est promittere, dare vel accipere aliquid pretio æstimabile pro collatione, electione, præsentatione, confirmatione ad beneficium, & generaliter pro quavis actione, qua jus etiam ineborum ad illud acquiritur, vel quæ dubium confirmatur. Quia tunc res spiritualis commutatur cum temporali, & per temporale acquiritur spirituale: illæ enim actiones sunt spirituales ob respectum, quem habent ad spirituale, & procedunt a potestate spirituali. Hinc simonia est, pensionem super beneficio dare, vel promittere mutuum: nam licet mutuatio sit ex natura sua gratuita, tamen ex ea oritur mutuatario commodum temporale. Immo simoniacum est aliquid exigere pro immissione, seu introductione in possessionem beneficii, vel installatione, ex cap. 9. & 36. *de Simon.* Nam per hoc acquiritur jus quoddam spirituale, nempe administratio, aut saltem aliquid connexum cum exercitio juris spiritualis.

Item simonia est dare vel promittere aliquid alteri, ut per se vel per alium obtineret, aut curet ut detur beneficium, cap. 1. *Præsentium*, 1. q. 5. quia munere temporali intenditur clanculo beneficii, & paratur via ad beneficium, eoque medio comparatur. Nec refert quod intercessio sit tantum mediata, cum idem sit effectus & finis, & respiciat spirituale per temporale acquiratur. Præterea obligatio etiam mediata est causa moralis concessionis beneficii: Ergo hanc causam emens, emit virtualiter effectum ab illa manantem.

Resp. 2. Simoniaca est & nulla saltem jure Ecclesiastico, non solum permutatio beneficiorum, & cujuslibet juris beneficia spectantis, sed etiam omnis in beneficiis conventio, pactio, vel conditio, quæ obligat ad id quod non est jure debitum, si fiat privata auctoritate. Item resignatio sub conditione, pacto, vel onere, quod de jure non inest beneficio, facta sine auctoritate Papæ, ex c. 2. *de Simon.* & ex c. 5. *de rerum permut.* ibi *Generaliter tenet, quod commutationes prohibendarum de jure fieri non possunt: præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus habem semper continet simoniæ.* Et cap. ult. de pactis: *Pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti.*

Ratio legis est, quia in pactione & commutatione rei spiritualis, cui temporale commodum adjicitur, periculum est ne id fiat intuitu rei temporalis. Est autem simonia juris divini spirituale pro temporali etsi annexo spirituali emere & vendere, vel spirituale intendere, dare aut accipere principaliter ob temporale etsi spirituali annexum. Resignatio vero in favorem prohibita est tum ad tollendam omnem speciem hæreditatis in beneficiis, tum propter periculum ne id fiat ex aliquo motivo temporali, tum ne per hoc admittur collatori libertas danai beneficia iis, quos magis idoneos censuerit.

Hinc 1. Simoniaca est & nulla omnis transactio, cessio beneficii, vel juris etiam dubii circa beneficium non gratuita, propria auctoritate facta, c. 1. *de transact.* Item pactio ad impediendam, vel diremendam litem super beneficio, si ita fiat ut unus litigantium cedat juri suo pro pecunia, & alteri beneficium pacificum relinquat: nam in ea permutatur spirituale pro temporali, compensando spirituale per temporale. Vel unus desistat, modo alter solvat impensas factas, c. 4. *de pactis*. Nam hæc impensarum solutio, vel habet rationem pretii pro adeptione beneficii, cum non fuerint factæ in gratiam alterius, vel saltem suspecta est inter privatos.

Licite tamen inter litigantes fit compositio per sententiam Judicis ordinarii vel delegati, vel etiam arbitrorum ecclesiasticorum a Superiore deputatorum pro inenda concordia, qui, accedente partium consensu & compromisso, adjudicent beneficium illi, cujus jus est probabilius, eique imponant pendendam alteri pecuniam certam, non in compensationem juris, sed ob bonum temporale pacis, & ut a lite recedatur, c. 2. *de arbitr.* Potest etiam in hoc casu ei, cui beneficium adjudicatur, imponi per solvenda annua pensio, imposita non beneficio sed beneficiato, & ad hujus vitam, c. 21. *de præbend.* Sed hæc compositio facta, privata partium auctoritate, etiam sub conditione, ut approbetur a Superiore, est simoniaca, nec potest a Superiore approbari, ex eod. cap. Quia tunc præsumitur dari temporale pro spirituali ob utilitatem contrahentium. At cum ea fit a judice compositio, non idem præsumitur: nam judex censetur intendere dumtaxat bonum pacis & concordiæ. Nec obstat quod volentes permutare possint pacifici de modo sub conditione, *Si Superior approbet*: quia in tali casu est specialis prohibitio.

2. Simoniacum est pactum reparandi Ecclesiam, dandi aliquid fabricæ, vel pauperibus &c. ad obtinendum beneficium, c. *Ex multis*, 1. q. 3. Nam licet hæc sint pia opera, habent tamen materiam temporalem pretio æstimabilem. Præterea est onus, quod jure non inest beneficio.

3. In permutatione committitur simonia, non solum si beneficia permutentur sine auctoritate Ordinarii, sed etiam si permutantes compensent auctoritate propria tha qualitatem fructuum pecunia vel pensione; aut si unus illorum alteri imponat aliquod onus, quod sit præter naturam permutationis, v. gr. omnes sumptus solvendos. Item si permutentur jura quælibet ad beneficia, vel actiones ad illa pertinentes, ut si unus cedat suæ præsentationi, ut alter sibi conferat aliam: si ita pacificantur; Tu elige, vel præsenta hunc ad hoc beneficium: & ego eligam, vel præsentabo te aut illum ad illud: Do tibi meum suffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in alia: Te præsentabo, eligam, si mihi vel meo nepoti beneficium reingnes &c. Nam omnia pacta in hac materia generaliter prohibentur, eo quod hæ actiones spirituales habeantur, & fiant ut via ac medium ad temporale annexum spirituali.

Hinc

Hanc doctrinam extendit Suarez ad omnia spiritualia, quæ habent temporale annexum consequenter, etiam si proprie & in ratione nondum beneficia, qualis est Vicaria amovibilis ad nutum: tum quia eadem est ratio malitiæ, periculi, & prohibitionis; tum quia cap. 7. tit. *de rebus permut.* veratur omnia pacta generatim circa spiritualia & connexa spiritualibus. Idem dic de Prælatura religiosorum licet non perpetua ex dict. cap. quia Prælaturæ illæ sunt quid spirituale annexam habens administrationem rerum temporalium. Hinc graviter peccant duo religiosi sic pacificentes: Suffragare mihi ut sim Provincialis, & tibi suffragabor ut sis Prior, & ex c. 22. *de Simon.*

4. Simoniaca est omnis resignatio in favorem alterius, vel cum reservatione pensionis, facta sine auctoritate Papæ, ex tit. *Ut Ecclesiastica beneficia sine damnatione conferantur*. Et constat ex usu & praxi Ecclesiæ, & ita declaravit Conc. Ror. an. 1582. & Bituric. an. 1584.

Sed an in Beneficiis conventio de remuneratione qualibet gratuita, seu obligatione dandi aliquid ex gratitudine, sive temporale sive spirituale, est vera simonia.

Resp. Affirm. Tum quia omnis conventio seu pactio in hac materia prohibita est ut simoniaca. Tum quia hæc conventio ex se parit novam obligationem fidelitatis & justitiæ pretio æstimabilem, obligationi gratitudinis superadditam: alioqui frustra fieret, & nunquam exigeretur: unde posita hac pactione, si non detur id de quo conventum est, alter conqueritur tamquam de injuria sibi facta, & de fide non servata, quod secluso conventione non fieret. Proindeque tunc datio non est gratuita, sed onerosa & reciproca, sitque contractus, *Do ut des*, vel *Do ut facias*: Suarez, Layman, & alii communiter.

Nota 1. Prabendæ Canonicales sunt materia simoniæ, ut resolvit Sac. Congr. Card. an. 1691. Nam videntur esse vera beneficia, licet non clericalia: sunt enim jus perpetuum, auctoritate Ecclesiæ constitutum seu approbatum, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, seu Deo dicatis, propter officium spirituale.

Nota 2. Ex extrav. *Ambitiosæ*, non licet locare fructus beneficii vel Monasterii ultra triennium. Sed juxta multos hæc restrictio non est in plerisque locis recepta, proinde dicunt posse locari etiam ad tempus vitæ beneficiati. Porro id non fuit prohibitum ob periculum simoniæ, sed ne per hujusmodi locationem seu alienationem noceatur Ecclesiis, & successoribus.

Quæst. XIV. *An est simonia dare vel procurare beneficium ratione consanguinitatis?*

Resp. Cum S. Th. 2. 2. qu. 100. art 5. ad 2. *Si aliquis aliquid spirituale alicui confert gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita & carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil hi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis & venditionis, in quo fundatur simonia.* At simonia est si conferas, vel procures beneficium consanguineo aut affini, ut inde honoratior vel potentior, vel opulentior fias, aut tua familia. Item si beneficium procures extraneo ut consultat tuis consanguinei, aut affinibus. Nam tunc datur spirituale intuitu commodi temporalis percipiendi. Ita S. Th. in 4. dist. 26. q. 3. ad 7. ubi ait: *Qui dat ratione consanguinitatis prabendam, si intendit aliquod bonum in ipsum redundans sic, quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua; vel quod ipse in consanguinei sit fortior, & sic ipse aliquid accipere speret, pro quo spiritualia dat, simoniam committit.*

Quæst. XV. *An est simonia conferre, vel præsentare ad beneficium & commendationem amici?*

Resp. Affirm. Si favor humanus in eo principaliter intendatur; nam talis favor pretio æstimabilis est. Ita S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 3. ibi: *Munus a lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad facetem humanum, qui sub pretio cadit; vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis ad hoc principaliter intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porrigantur, spirituale aliquod conferatur. Tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ sed ad favorem humanum.*

Quæst. XVI. *An licet emere vel redimere pensionem?*

Resp. Ex communi sententia, simonia est emere vel vendere pensionem assignatam pro aliquo officio spirituali, v. gr. pro Adjutore Episcopi, Concionatore &c. quia hæc fundatur in ministerio spirituali, nec nisi ratione illius potest quis jus ad illam habere. Unde non potest vendi quia vendatur ministerium spirituale in quo fundatur. Neque licet eam redimere, quia non potest extingui obligatio ad tale ministerium spirituale, cum hoc debeat remanere. Item simonia est juris divini emere, vel vendere alias pensiones, quæ soli Clerico concedantur, sive in sustentationem, sive ad litem componendam, aut fructuum inæqualitatem compensandam in beneficiis; quia sunt annexæ titulo, & officio spirituali, scilicet recitandi officium B. V. imposito a Pio V. ita ut qui illud omittit, redditus amittat: & sic non solum requirunt statum clericalem, sed etiam hoc officium spirituale, ratione cujus acquiritur jus ad illos reditus. Quare jam pensiones illæ sunt quidpiam spirituale constans ex illa obligatione spirituali, & jure ad temporalia ei annexa: sive nil aliud sunt, quam jus percipiendi fructus ecclesiasticos modo officio spirituali. Cum autem hoc officium sit invendibile, ita & jus percipiendi fructus illos ab illo est inseparabile. Neque hæ pensiones redimi possunt, nisi tollatur spirituale, quod tolli non potest nisi a Papa, a quo constitutum est. *Ita Suarez, Reginaldus, & alii.* Secus de laicali pensione, quia talis pensio est quid mere temporale, cum non fundetur in titulo spirituali, nec ei annexa sit functio spiritualis, nec ad eam ordinetur, sitque separata a titulo spirituali.

Quæst. XVII. *An redemptio vexationis licita est in beneficiis?*

Resp. 1. Simonia est redimere vexationem, seu oppositionem non injustam ad obtinendum beneficium, v. gr. dare pecuniam alteri ne defectum tuum collatori detegat, ne pro alio obsecret, ne habens jus

utcumque probabile litem moveat vel motam prosequatur, ne doctior ad concursum cum aliis conveniat, ut competitor a prætensione justa desistat &c. *Ita omnes, teste Suarez.* Quia via ad beneficium per pecuniam directe pararetur, & media re temporali acquireretur spirituale. Et licet redimens non det pretium immediate pro re spirituali, tamen mediate vult acquirere jus spirituale mediante pecunia, quod est emere illud. Et quamvis jam haberes jus aliquod ad illud, tamen cum vexatio est justa, eo ipso jus non est omnino firmum, & sic pretio emeretur jus firmum, quod antea non habebatur, quod est saltem ex parte emere jus spirituale. Immo ex communi sententia, quando jus in re nondum est acquisitum, aut necdum plenum, non licet redimere vexationem injustam ab iis, qui ad beneficium juvare possunt, nempe iis ad quos spectat eligere, conferre, instituere, confirmare, prætentare &c. ex c. 23. *de Simon.* quia per pecuniam acquireretur res spiritualis, aut saltem jus in re firmum, quod antea non habebatur; quod est emere spirituale; ut si elector velit eligere indignum ut te impediat, esset simonia dare ei pecuniam, ne sic impediat.

Licet tamen vexationem iniquam redimere ab iis, qui solum impedire possunt, non vero juvare. Quia hac redemptione solum removentur impedimenta injuste apposita, nec proinde via ad beneficium paratur magis, quam parata esset ante injustam impedimentorum positionem. Hinc licet Clerico pecunia impedire calumnias, quibus alioqui imperaretur apud collatorem.

Resp. 2. Habenti jus in re acquisitum in beneficio plenum ac certum, licet pretio, non tamen re spirituali, vexationem injustam redimere, & impedimenta injusta removere, ex c. 28. *de Simon.* quia tunc non datur pretium pro re spirituali, cum hæc habeatur jam acquisita, sed solum pro liberatione ab injuria, quæ est quid temporale, & nil acquiritur de novo. Quare vexans, qui pretium recipit pro cessatione ab injuria, non est simoniacus, cum nil recipiat pro re spirituali, sed est solum injustus, & tenetur ad restitutionem, cum fine justo titulo accepta possideat: nam aliter sponte ac liberaliter non dat, sed per injuriam coactus.

An vero jam confirmato vel instituto liceat pretio redimere vexationem, qua injuste impeditur a possessione capienda; controvertitur. Alii negant, quia possessio est aliquid spirituale, vel spirituali annexum, cum per illam obtineatur exercitium functionum seu actuum spiritualium. Alii asserunt id licere, quia possessio præcise sumpta suppositio titulo, est factum quoddam corporale, quod non dat, sed supponit Jus spirituale completum, nec est spirituale; nisi ratione rituli, seu juris, cui annexa est. Ergo acquisito titulo ac jure, pretium non datur pro aliquo spirituali, cum jam habeatur, sed solum ad tollendum injustum impedimentum possessionis, quæ illi titulo per le immediate debita est, & consistit in aliquo facto mere temporali, si secundum se sumatur. Et vero beneficium collatum & acceptatum dat plenum jus in re, ita ut si sic provisus moriatur ante captam possessionem, beneficium vacet per mortem, quia nempe possessio non addit jus, sed tantum facit ut competat potestas administrandi & percipiendi fructus. Jam vero ex S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3. *Postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

Resp. 3. Simonia est redimere justam vexationem post obtentum & possessum beneficium. *Ita omnes; teste Suarez.* Nam eo ipso quod justa est vexatio, sequitur quod jus in beneficio non sit omnino firmum, vel auferri possit. Unde tunc daretur pretium ad confirmationem & conservationem beneficii. Vel si sit omnino firmum, necesse est ut aliquid crimen sit patratum, propter quod ille esset beneficio privandus, & tunc dare pretium ad removendum illud impedimentum esset simonia, quia pretio temporali emeretur conservatio rei spiritualis.

Resp. 4. Semper est simoniacum dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, etiam post obtentum beneficium; item dare beneficium cum pacto, ne is, cui datur in posterum vexet vel noceat eximi injuste. Quia tunc spirituale datur pro temporali commodo, seu in compensationem mali temporalis vitandi, quæ est quid de se pretio æstimabile.

Quæst. XVIII. *An est simonia saltem mentalis suscipere Ordines, ut beneficium obtineatur principaliter ob ejus reditus?*

Resp. Affirm. Quia 1. Is re spirituali viam sibi parat ad bonum temporale principaliter intentum; & ipsum spirituale ut medium ad obtinendum temporale principaliter refert; atque ita suo agendi modo temporali spirituali æquiparat, aut etiam præfert. 2. Ex Synodo Exoniensi, ann. 1287. can. 1. *Ad propriam recurrant conscientiam quo fine ad Ordines aspirent, an ut Dei & Ecclesiæ virtutibus & gratiosus famulentur, non pro temporali quæstu, nec beneficiis a suis ordinatoribus extorquendis, quoniam tales simoniacos reputamus.* Unde Fagnan. in cap. *Ad nostram*, de elect. ait: *Clericum, qui Ordines suscipit, ut beneficium consequatur, simoniam committere mentalem, quæ non obligat ad beneficii dimissionem, sed tantummodo ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam, nisi pactum præcesserit.*

Quæst. XIX. *An licet dare, vel promittere aliquid temporale alteri, ut faciat aliquod opus salutare in suam utilitatem, v. gr. suscipiat Sacramenta, audiat Sacrum &c.*

Resp. 1. Licet dare aliquid temporale absolute alteri, petendo ab illo, ut aliquid spirituale faciat in bonum animæ suæ, modo nulla imponatur obligatio illud faciendi. Quia tunc est solum donatio liberalis facta ad alliciendum alterum ad bonum opus, sine obligatione mutua & pacto onerofo. Item licet aliquid promittere sub conditione. Si feceris hoc opus bonum intendendo spirituale bonum operantis, & le obligando ad standum promissis impleta conditione, & non aliter, modo nulla alteri oriatur obligatio, ex c. 2. *de condit.* ubi approbatur concessio libertatis facta servo ea conditione, ut Monachus fieret, & non aliter. Nam ibi nulla est simonia, sed præcise quædam optio, quæ alteri gratuito offertur in suum solum bonum, ut hoc vel illud eligat pro suo arbitrio.

Resp. 2. Simonia est dare, vel promittere temporale sub pacto & conditione, ut alter obligatus sit ad faciendum opus salutare in suam utilitatem ex cap. *Quam pia*, 1. q. 2. quia ibi intervenit pactum onerosum circa spirituale cum pretio, quod in jure prohibetur ut simoniacum, & tunc datur & accipitur pretium pro spirituali. *Ita Suarez.*

Quæst. XX. *An accepta per simoniam restitui debent?*

Resp.

Resp. 1. Beneficia, dignitates, officia, & alia ejusmodi simoniace accepta, non possunt in conscientia retineri, sed dimitti debent cum omnibus fructibus, ante omnem sententiam. Constat cum ex consensu Doctorum, & sensu ac usu Ecclesiæ, tum ex c. *Si quis dator.* Et c. *Et quæ*, 1. q. 3. & aliis juribus citandis. Tum quia sine justo titulo possidentur, cum omnis collatio, provisio, & pactio simoniaca irrita sit & nulla, saltem jure Ecclesiastico; cap. ult. *de pact.* & proinde careat omni effectu, nullumque jus tribuat: ut declaravit Martinus V. in Concil. Constantiensi, sess. 43. approbante, ibi: *Electiones, postulationes, confirmationes, & quævis provisiones simoniacæ Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque deinceps facta, nulla sint ipso jure, nullumque jus cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati, aut provisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem tanquam iniquæ ablata percipientes, teneantur.* Idem declarat Paulus II. in extravag. *Cum detestabile de Simon.* confirmata a Pio V. Et S. Th. 2. 2. q. 100. art. 6. ait: *Nullus potest licite retinere id quod contra voluntatem domini acquisivit, puta si aliquis dispensator in rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur secundum illud* Matth. 10. *Gratis accepisti, gratis date. Et ideo qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest.* Unde quamvis hæc irritatio esset tantum de jure Ecclesiastico, ut multi docent, tamen, illa supposita, obligatio relinquendi beneficium cum omnibus suis fructibus, est de jure divino naturali, ut recte notat Suarez, & patet: nam jure naturali non licet retinere alienum sine ullo jure ad illud.

Quod verum est, etiamsi simonia ipso provisionis initio commissa sit, nisi quis ut eum inhabilem redderet, peccatum dederit, vel ipse de simonia suspicaus, expresse contradixerit, cap. 27. cit. & c. 133. *de Simon.* Immo si iciens tertii simoniam in procurando tibi beneficio, illud admisisti, nulla est tua provisio, quamvis contradixeris, ut docent Suarez, Reginaldus, Lessius, & alii. Quia acceptando cooperatus es executioni simoniæ cognitæ: nam hæc simonia inde accipit suam consummationem, per quam fit realis completa. Item si pecuniam ab alio promissam solveris, vel solutam reddideris: provisio tua nulla est, quamvis simoniæ contradixeris, vel eam ante acceptionem ignoraveris, ex c. *Sicut tuis.* 33. cit. *de Simon.* Nam conferis consentire simoniæ alteritus, eamque approbare. Et solutio illa pecuniæ, & consensus ille est moraliter pars contractus simoniaci: nam mediator promittebat pecuniam nomine tuo, & tamquam refundendam a te; ideoque tuus consensus & refusio supponebantur futura. Ergo per tuam refusionem pecuniæ completur contractus simoniacus.

Secundum varios, ignoranti simoniam ab alio commissam non favet regula Cancellariæ, de triennali possessione ad præscriptionem: quia expresse exigit, ut possessio fit *absque simoniaco ingressu*. Sed multi alii docent, eum qui mediante tertii simonia beneficium accepit, posse illud retinere, si integro triennio hanc simoniam ignoravit, quia illa verba, *absque simoniaco ingressu*, videntur in rigore requirere, ut simonia se teneat ex parte ingredientis beneficium: nam licet collatio sit simoniaca, ingressus tamen, seu actio, qua provisus ingreditur, non est simoniaca, nec ipsa petitur; sed actio mediatoris, quæ fuit simoniaca; neque hæc appellatur stricte ingressus, sed est potius apertio portæ ut alter ingredi queat. *Ita Cabassutius, Lessius, Layman, Deluzo, asserens hanc esse communem sententiam, & pro ea referens Gomez, Reginald. & alios.* Verum consuli debet usus Curiæ Romanæ.

Constat autem eum, qui beneficium per simoniam parentum, vel amicorum, licet ignorans, obtinuit, si hanc ante elapsum triennium resciverit, teneri statim illud pure resignare, & omnes fructus perceptos exantes restituere, non tamen eos, quos bona fide consumpsit, cum eos bona fide posseserit. Ita S. Th. q. 100. art. 6. ad 5. Suarez & alii communiter. Nam irritatio fertur a jure in omnem provisionem, & acquisitionem, quæ fit per simoniacam labem; nec ad hanc requiritur culpa vel scientia acquirentis aut conferentis, ex c. 33. *de Simon.*

Porro ad nullitatem provisionis, & beneficii relinquendi, ejusque fructus restituendi obligationem, sufficit simonia conventionalis occulta, & mixta seu semirealis, quando nempe beneficium vel officium datum est, nondum dato pretio promisso; tunc enim provisio & acquisitio est vere simoniaca, ideoque nulla. Nam ex juribus, ad nullitatem sufficit, quod provisio sit simoniaca, ut satis patet tum ex Constitutione Martini V. citata, tum ex extravag. *Cum detestabile*, de simonia, ubi Paulus II. sic loquitur: *Per electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones seu quasvis alias dispositiones, quas simoniacæ contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino carrent in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatis, officiis Ecclesiasticis, & quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum, cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem sub anima sua periculo sit adstrictus.* Hoc patet etiam ex can. *Et quæ*, 1. q. 3. cit. Urbanus II. in Conc. Placentino ait: *Quicquid vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data vel promissa pecunia acquisitum est, non irritum esse & nullas unquam vires habere censemus.* Ubi disjunctive dicit: *Data vel promissa pecunia.* Ergo ut acquisitio sit irrita, sufficit quod promissa sit pecunia. Præterea ex juribus citatis, omnis acquisitio beneficii simoniaca, est ipso facto irrita. Ergo ante soluram pecuniam promissam non valet, & tamquam valuit: nam si valeret, non esset ipso facto & per se irrita, sed tantum irritaretur ex post facto, nempe quando soluta esset pecunia. Curiæ Romanæ consulendus est stilus. Si tamen acceptum sit beneficium nondum dato pretio, hoc non debet solvi, quia simonia fieret realis completa ex utraque parte, & sic contraheretur excommunicatio.

Resp. 2. Reliquiæ sacræ si venundantur, contractus est nullus, quia non sunt materia venditionis, cum non sint pretio æstimabiles. Quare restituto pretio restitui debent tamquam sub causa & conditione acquirendi pretii.

Si vero fundus propter jus Patronatus el annexum, vel sacra vasa propter consecrationem carius

vendantur, contractum esse validum censet Layman: quia spirituale est tantum accessorium his rebus: utile autem per imutile praesertim accessorium vitiari non debet; sed restitui debet excessus pretii, utpote sine titulo acceptus.

Resp. 3. Pretium, seu quodvis temporale simoniace acceptum, restitui debet, etiam jure divino naturali. Quia 1. contra jus dantis, & proinde injuste acceptum est. Nam qui dedit pretium, habet jus ut res spirituales gratis conferatur sibi, saltem ex hypothesi quod detur. Deus dedit omnibus jus res spirituales obtinendi gratis, juxta illud Matt. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, & solum imposuit onus ajendi Ministros, juxta modum ab Ecclesia praescribendum. Qui autem dedit temporale, non intendit dare liberaliter, nec transferre dominium, nisi quatenus debet, & quatenus aliter juste exigere potest, ut patet a simili de usura. Deinde spirituale res non est materia venationis, sed est ex natura sua invendibilis. Jus autem temporale in re spirituali fundatum vendi nequit, nisi res ipsa spirituales etiam vendatur, quae tamen invendibilis est. Unde can. 6. *Si quid datur*, 1. q. 3. dicitur: *Rationis ergo vigore cogitur, quod injuste receperit restituere, & quidquid turpis lucri gratia receperit non tenere.* 2. Ecclesiae Ministri sunt tantum dispensatores, non domini rerum spiritualium: unde non possunt illas dispensare, nisi pro voluntate Christi jubentis ut illae gratis concedantur: aliquid non minus injuste agunt, quam eleemosynarius principis, qui pro eleemosyna gratis ex voluntate domini danda, aliquid a pauperibus exigeret. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collatio conferens illa beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed voluit pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Et vero injuste exigit, & accipit pretium, qui de suo nil dat pretio aestimabile, ut facit conferens beneficium non gratis. Nam fructus ad ipsum non pertinent, sed ad futurum beneficii possessorem: jus vero ad fructus, utpote fundatum in titulo spirituali, non est aestimabile pretio temporali, & necessario competit ex justitia ei, qui habet beneficium; immo est ipsummet beneficium. Ergo collator vel patronus injuste exigit pretium, nec habet titulum justum accipiendi ac retinendi quidquam, quod omnino spoute ac liberaliter datum non fit.

Resp. 4. Si simonia sit realis in materia beneficiali; simoniace accepta debet restitui Ecclesiae, in quae est beneficium, vel pauperibus loci, etiam ante omnem sententiam, ex cap. 12. *de Simon.* ubi dicitur, temporalia recepta pro dando assensu electionis Ecclesiasticae restituenda esse illi Ecclesiae, cum ea sine gravi salutis periculo retineri non possint. Et est communis sententia. Sed si simonia non sit in beneficiali materia, juxta multos accepta restituai debent ei, qui dedit: quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in poenam ei reddi vetet. Sed qui dedit simoniace, retinet dominium rei datae, cum pacto simoniaco sit nulla, nec proinde jus ullum transferat, & lex non prohibet reddi, quod simoniace datum est, nisi simonia fuerit realis in beneficio. Nam in cap. cit. ubi pecunia accepta dicitur restituenda esse non sancti, sed Ecclesiae, agitur solum de simonia reali in beneficio, nec idem ullibi statuitur in aliis casibus: unde haec poena, cum sit quid odiosum, non debet extendi ultra casos in lege expressos. Immo cap. 19. *de Simon.* praecipitur reddi pecuniam ei, qui religionem simoniace fuerat ingressus.

Nota. Qui dant, vel accipiunt, aut promittunt aliquid pro aliqua justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, incurrunt ipso facto in excommunicationem Papae reservatam, & justitia vel gratia sic obtenta nulla est, quamvis nondum completa sit promissio. Patet ex Extravag. *de sent. excom. in 6.* innovata per Bullam 24. Greg. XIII.

Sed an simonia mentalis ad restitutionem obligat?

Resp. Multi negant: & probant 1. Ex c. 26. *de Simon.* ubi Gregor. IX. ait: *Ad restitutionem spiritualium & temporalium, quae nullo pacto, sed affectu animi praecedente, utrinque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentibus sufficit per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori) est pro simonia hujusmodi non teneri.* 2. Ex S. Th. 2. 2. q. 140. art. 6. ad 6. *Quod Deum sola voluntas facit simoniacum, sed quaad poenam ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacum, ut abrenuntiare tentatur, sed debet de mala intentione poenitere.* 3. Quia sola injustitia externa seu effectiva inducit obligationem restituendi. At in simonia mentali nulla est injustitia externa, sed solum affectiva. 4. Dicunt talem esse usum Rotae, & Poenitentiariae, & adduni Ecclesiam non irritare collationem beneficii, nisi simonia sit externa saltem implicite: nam Ecclesia non punit actus mere internos.

Quaest. XXI. *Quanam sunt poenae contra simoniacos ipso facto latae?*

Nota 1. Nulla poena ipso jure lata est contra simoniam, nisi ea commissa sit vel in religionis ingressu, aut professione, in ordinatione, aut in beneficio, quo nomine comprehenduntur etiam officia quaelibet jurisdictionem spiritualem habentia, ut Provincialatus, Prioratus, Guardianatus &c. Extrav. *Cum detestabile*, de simon. Quia in his tribus ob honores, dignitates vel commoda temporalia frequentius committitur, aut saltem majus est periculum illius.

Nota 2. Licet quaelibet simonia etiam mentalis sit grave crimen, tamen consentiunt Doctores, nullam poenam juris contrahi ob simoniam mentalem, quae absque externo pacto expresso vel tacito admittitur, ex cap. 46. *de Simon.* cit. ubi dicitur de simoniacis mentalibus *sufficere per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori*. Neque etiam ob simoniam pure conventionalem, excepta confidentiali; quia jura has poenas statuentia realem rei spiritualis receptionem requirunt, ut constat ex Extrav. 1. & 2. *de simon.* & ex can. 1. q. 1. & ideo consentiunt etiam nullam poenam contrahi ob simoniam mixtam seu semireal em, quando non fuit tradita res spiritualis, sed solum pretium, seu res temporalis: nam donec res spiritualis acquiratur, & sic quasi contrahatur, non censetur plene consummata exterius simonia.

An vero contrahantur poenae canonicae, si traditum sit beneficium, vel res spirituales, licet pretium promissum nulla ex parte fuerit solutum, controvertitur. Toletus & alii asserunt, quia licet pretium non sit traditum, simonia tamen videtur completa exterius, sicuti contractus venditionis censetur completus, si res sit tradita, & pretium promissum; etsi non

solutum. Alii nunc communius docent solam simoniam realem utrinque completam traditione rei spiritualis simul & pretii, aut partis pretii inducere poenas juris; tum quia juxta multos haec est praxis Curiae Romanae: tum quia poenae juris praesertim graves, impositae pro aliquo actu, intelliguntur de actu perfecte completo, & ex omni parte consummato exterius cum effectu, nisi lex aliud diserte exprimat, nam ex res jus. *Odia sunt restringenda.* Quod intellige de poena excommunicationis: nam ad nullitatem provisionis sufficit quod beneficium, vel officium datum sit, nondum dato pretio.

Dixi, *aut partis pretii*. Nam si re spiritali tradita, promissi pretii pars aliqua fuerit soluta, tunc secundum omnes contrahuntur poenae. Quia tum vere spirituale tradium est pro temporali, & vice versa; nec minus completa est simonia, quam si ab initio conventum esset de sola illa minima quantitate.

Resp. 1. Poenae simoniae in beneficiis, & officiis spiritualibus sunt, 1. Excommunicatio Papae reservata, quam ipso facto incurrunt, tum qui simoniace eligunt, praesentant, instituunt; tum qui sic eliguntur, praesentantur, instituuntur; item mediatores & procuratores simoniacae ordinationis, aut collationis beneficii fecurae, ut parentes, amici, & omnes qui suam operam interponunt, vel pecuniam offerunt, Extravag. 1. *Cum detestabile*, & alibi.

2. Omnis simoniaca electio, praesentatio, resignatio, provisio, collatio, irrita est, nullamque jus tribuit; ita ut sic provisus teneatur ante omnem sententiam beneficium dimittere, & omnes fructus Ecclesiae restituere, cum nullum jus in beneficium acquirat, ibid. & ex Concil. Constantiensi sup. cit. idque, ut dixi, quamvis simonia sit solum conventionalis mixta.

3. Simoniace electus, vel provisus, est ipso facto inhabilis ad idem beneficium; nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere c. 17. *de Simon.* & c. penult. *de elect.* ubi excipitur, si fit beneficium simplex, & ipso electo ignorante, nec tantum habente, simonia commissa fit; tunc enim post param resignationem potest Episcopus dispensare. Immo ex Bulla 3. S. Pii V. simoniacus fit etiam inhabilis ad quaslibet alias dignitates, & quaecumque alia beneficia obtinenda.

Nota. Has poenas ex communi sententia incurrunt etiam, qui propria auctoritate permutant beneficia, nam il in jure dicuntur simoniaci, & vere committunt simoniam juris ecclesiastici. Item simonia realis in praelaturis Regularium, ut sunt Prioris, Guardiani, Rectoris, Provincialis &c. inducit nullitatem actus, obligationem dimittendi Superioris munus, & excommunicationem Papae reservatam; nam sunt officia Ecclesiasticam Jurisdictionem habentia, idque statutur expresse a Paulo II. Extravag *Cum detestabile* de simon. & constat etiam ex Bulla Martini V. sup. cit.

Resp. 2. Poenae simoniae confidentiae ex Bulla 35. Pii IV. & Bulla etiam 83. Pii V. sunt, 1. Excommunicatio Papae reservata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopi; nam hi incurrunt solum interdictum ab ingressu Ecclesiae. 2. Privatio beneficii per confidentiam obtenti, & quidem ante omnem sententiam, cum ejus collatio nulla sit. 3. Inhabilitas ad idem beneficium, & ad alia acquirenda. 4. Privatio beneficiorum, antea legitime possessorum, & pensionum prius obtentarum, non tamen juxta multos ante sententiam judicis declarationem cum justo titulo possidentur; & dicunt ita usu receptum esse. 5. Beneficia per confidentiam collata & accepta, reservata sunt Papae, quare resignari non possunt in manus ordinariorum, nec ab iis conferri. Insuper fructus beneficiorum per confidentiam acquisitorum, & pensionum sic constitutarum reservantur Camerae Apostolicae. Sed haec reservatio in Gallia non observatur.

Nota 1. Ut contrahantur haec poenae, requiritur ut datum sit & acceptum beneficium ut patet; ex his verbis Bullae Pii IV. *Omnes & singulos, qui beneficia, vel pensiones hoc intercedente vitio acceperunt.* Non tamen necesse est, ut qui beneficium accepit, promissionem suam impleverit: hoc est vel pretium promissum solverit, vel beneficium alteri resignaverit, vel pensionem solverit, aut fructus beneficii ab allo percipi permiserit. Nam hoc specialiter statutum est contra hanc simoniam, quae gravioribus poenis punitur, eo quod innumeris fraudibus sit obnoxia, & magis lateater quam quaevis alia committatur, habeatque speciem successionis haereditariae in jure valde exosam. Immo has poenas incurrit beneficium recipiens, qui novit intentionem confidentiariam dimittentis, quamvis recipiat sine tali intentione, uti significant haec verba Bullae Pii V. *Etiamsi sola dimittentis intentione receperit.*

Nota 2. Cum Constitut. Pii IV. & Pii V. novas poenas non superaddant ratione confidentiae, nisi contra illum, qui per confidentiam recipit beneficium, vel pensionem; soli recipientes privantur beneficiis & pensionibus antea legitime acquisitis: non autem resignantes sub pactione confidentiali, aut ad id cooperantes; qui tamen, ut vere simoniaci, incurrunt excommunicationem Papalem jure antiquo latam, si confidentiaria pactio fuerit ex utraque parte completa.

Resp. 3. Poenae simoniae in ordinatione sunt, 1. Excommunicatio Papae reservata, quam ipso facto incurrit tum ordinans, tum ordinatus, Extravag. *Cum detestabile*, quod multi extendunt ad primam tonsuram, quia c. 22. *de aetate praef.* dicitur per eam conferri ordo clericalis, & usitato loquendi modo aliquis per eam simpliciter constituitur in ordinem clericorum. 2. Ordinatus suspensus est ab ordinibus, non solum quos simoniace suscepit, sed etiam omnibus simpliciter, ibid. Ordinans vero suspensus est per triennium a collatione omnium ordinum, ex c. 53. *de Simon.* Per Bullam vero Sixti V. *Sanctum*, suspensus est a collatione omnium ordinum, etiam tonsurae, & ab executione omnium munerum Pontificalium, & interdictus est ab ingressu Ecclesiae. Sed dicunt hanc Bullam non esse usu receptam in plerisque locis, praesertim in Galliis. Qui autem nec sciens, nec volens simoniace ordinatus est, secundum S. Thom. q. 100. art. 6. ad 3. & alios, non potest sine dispensatione ordines exercere.

Resp. 4. Poenae simoniae commissae circa ingressum religionis, & professionem sunt, 1. Excommunicatio lata contra personas singulares dantes & accipientes. 2. Suspensio ab officiis capitularibus lata in conventum, si consenserit. Utraque poena ipso facto contrahitur, & Papae reservatur, Extravag. *Sane*, de simon. 3. Simoniace scienter professus, in aliud arctius monasterium in poenam criminis detrudi debet, c. 25. *de Simon.*

TRA-

pretre An. Zeno

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, ET VITIIS EIS OPPOSITIS.

VIrtutes Morales sunt eæ, quæ habent pro objecto attributionis immediato actus humanos, ut honestos, hoc est, consentaneos naturæ rationali ut rationali, & legi divinæ; & pro formali ipsam honestatem elucentem in illis actibus. Quælibet autem virtus moralis seorsim sumpta habet pro objecto materiali certos actus honestos sibi proprios, & pro objecto formali specialem honestatem elucentem in suis actibus.

Præter Religionem quatuor sunt primariæ virtutes morales, a quibus aliæ dimanant, vel quibus annexæ sunt, unde dicuntur Cardinales, nimirum Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Justitia, quæ commendantur, Sap. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet* (sapientia) *& justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

CAPUT I.

De Prudentia, & Vitiis ei oppositis.

I. PRudentia est virtus ostendens quid in quavis particulari actione agendum sit tamquam honestum, vel fugiendum tamquam turpe, in ordine ad finem ultimum: nam agitur hic de perfecta prudentia, quæ proposito vero & ultimo fine totius vitæ humanæ, nempe Deo, seu Dei gloria & possessione, præscribit media ad hunc finem apta. Hinc patet quam sit necessaria. *Oculi tui videant recta*, Prov. 4. *Nolite esse imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*, Ephes. 5. Est autem virtus moralis tum objective, quatenus versatur circa eamdem materiam, decernendo & dictando quid virtus moralis prosequi, & quid fugere debeat: tum directive, quatenus dirigit voluntatem ad eliciendos actus semper honestos, & fugiendos inhonestos. Non residet tamen in voluntate, sed in intellectu: unde dicitur virtus intellectualis, morum doctrix.

II. Prudentiæ actus sunt bene consultare, recte judicare, & præcipere executionem. (a)

III. Peccata specialiter prudentiæ opposita, alia sunt per defectum, scilicet 1. Præcipitatio & inconsideratio, quæ sunt peccata ejusdem speciei & gravitatis, cujus sunt illa, quibus homo se exponit, præcipitanter & inconsiderate judicando, vel agendo: nam eodem præcepto prohibentur. 2. Mentis inconstantia, qua fine justa causa mutatur sententia. Est mortalis quando quis ex voto, vel caritate vel alio præcepto teneatur graviter perseverare in sententia. 3. Negligentia, quæ est mortalis vel venialis prout quis negligit id ad quod graviter vel leviter obligatur, aut adit periculum graviter vel leviter peccandi.

Alia sunt per excessum, nempe 1. Prudentia carnis, quæ proposito malo fine, nempe bono creato inordinate experito, præscribit media ad hunc finem assequendum apta. Est mortale ex objecto in re gravi, nam Rom. 8. *Prudentia carnis mors est ... Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta*. 2. Astutia, quæ est notitia mediorum pravorum occultorum, ad fallendum aptorum, cum affectu exequendi conjuncta. Est mortalis vel venialis pro ratione affectus cui subest, & damni quod proximo obvenit, & pravitatis medii. Ad hanc revocantur dolus & fraus, quæ in eo inter se differunt, quod dolus sit astutiæ executio tum verbis, tum factis: fraus autem solis factis. 3. Nimia sollicitudo temporalia acquirendi, vel conservandi, quæ prohibetur Matth. 6. *Ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis &c.* (a). Moralis est, cum ex sollicitudine violatur gravis obligatio, vel cum in ea re creata ponitur finis ultimus; ut facit, qui ex affectu illius peccat mortaliter, vel sic peccare paratus est, potius quam re illa carere.

CAPUT II.

De Fortitudine, & Virtutibus ei annexis, ac Vitiis oppositis.

Quæst. I. *Quid est Fortitudo, & quænam sunt vitia ei opposita?*

Resp. 1. Fortitudo est virtus, quæ animum secundum rectam rationem & legem dirigit, moderatur circa ea, quæ acerba & terribilia sunt; ita ut nec pravo timore, nec temeritate quidquam agat aut omittat contra rectam rationem & legem divinam. Quare moderatur timorem, audaciam, & tristitiam in gravibus malis, & periculis præsertim mortis. Sive Fortitudo est virtus moralis inclinans voluntatem ad aggrediendas pericula & ardua, ad perferendum labores & gravia mala, secundum rectam rationem & voluntatem divinam. De qua virtute agit S. Paulus, Ephes. 6. his verbis: *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli ... ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*. Et 1. Corint. 16. *State in fide, viriliter agite, & confortamini*.

Fortitudinis actus sunt aggressio & perpessio.

Resp.

(a) Hæ tres sunt partes potentiales prudentiæ, seu tria munia quæ vulgo post Aristotelem (lib. 6. Ethic. c. 10. 11. & 12.) ac S. Th. (2. 2. q. 51. per tot.) recenseri solent; quæque græce nominantur *Eubulia, Synesis, & Gnome*. Verum hic Aristoteli & S. Thomæ commemoratæ (2. 2. q. 48. art. unico) & ab eodem Sancto Doctore delumptæ partim ex Aristotele loco laudato, partim ex Tullio (lib. 2. de Invent.) partim in Macrobio (lib. 6. in Somn. Scip. c. 8.) vel etiam ex Divo August. (lib. 83. QQ. q. 31. ubi Ciceronem ad verbum transcripsit.) Sunt autem hæ sequentes; *memoria, intelligentia, providentia, ratio, docilitas, solertia, circumspectio, cautio*.

Ad perfectam prudentiam igitur necessaria est, Primo *memoria*, ideft præteritarum rerum recordatio. Secundo *intelligentia*, ideft præsentium notitia. Tertio *providentia*, seu futurarum præscientia. Quarto opus est *ratione*, scilicet illius quod agendum est, per præteritis, præsentibus, & futuris colligendi facilitate. Quinto necessaria est *docilitas*, seu bonus affectus mentis ad aliorum monita & consilia excipienda comparata. Sexto *solertia*, cui adjungenda est *sagacitas*, hinirum facilis excogitatio, & applicatio mediorum ad finem ducentium: *sagacitas* enim invenit; *solertia* vero feliciter exequitur. Septimo *circumspectio*, seu attenta circumstantiarum omnium consideratio. Octavo denique *cautio*, vel cura & sollicitudo omnia vitandi incommoda, quæ susceptum negotium interturbare possunt.

Partes subjectivæ, seu species prudentiæ sunt, *prudentia*, per quam quis seipsum regit, & *prudentia*, per quam regit multitudinem, ut inquit Div. Th. (2. 2. q. 48. art. unico.) Rursusque prudentia, qua multitudo regitur, in alias species distribuitur. Nam vel est *economica*, qua gubernatur familia, vel *politica*, qua civitas. Sed hæ species differunt inter se non intrinsecus, & ratione principii, nempe mentis ordinem amantis; sed extrinsecus tantum, & ratione objecti, circa quod versantur. Deinde discrepant tantum ratione objecti materialis, nempe ratione actuum, qui fiunt vel a familia, vel a civitate, non ratione objecti formalis: siquidem ii omnes actus a prudentia sive monastica, sive economica, sive politica spectantur, quatenus ad hunestatis regulas sunt conformandi. Unde Aristoteles (lib. 6. Ethic. c. 8.) eamdem reipsa prudentiam esse ait, qua quis tum seipsum, tum alios dirigit, sive ea, qua alios dirigit, sit *economica*, seu familiæ gubernatrix, sive *politica*, seu civitatis directrix: sive *nomothetica*, seu legum conditrix; sive *dicastica*, seu judicatrix. Præcipuam autem prudentiæ speciem docet eam esse, qua sibi ipsique reliis quis prospicit: unde eam simpliciter prudentiam appellari debere existimat.

(a) Quamplurimis aliis locis ex sacra scriptura depromptis confirmari potest peccatum hoc per excessum, nimiam scilicet sollicitudinem acquirendi vel conservandi opponi prudentiæ christianæ, quæ postquam adhibuit media ad felicem rerum quarumcumque eventum inservientia, in divinæ tandem providentiæ sinu quiescit. Legatur in Proverbiis c. 11. v. 7. *Expectatio sollicitorum peribit*. Matt. c. 6. v. 31. *Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia*. Ex Epist. ad Philip. cap. IV. v. 6. & 7. *Nihil solliciti sitis; Sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu*. Similiter & S. Petr. cap. 5. v. 7. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis*: & passim &c.

Resp. 1. Peccatur contra fortitudinem per excessum & defectum timoris, & audendi: unde quatuor sunt vitia ei opposita. 1. Timiditas seu timor inordinatus, cum timetur quod, vel quando non oportet, vel plus quam oportet. 2. Animi stupiditas, qui est defectus timoris rationabilis, ut cum quis mala seu pericula non formidat nec cavet quæ, vel quando, vel quantum oportet formidare & cavere. 3. Audacia seu temeritas, quæ est excessus in audendo vel aggrediendo, quando, ubi, quomodo non oportet. 4. Ignavia, quæ est defectus audendi, ut cum quis non aggreditur, vel non sustinet quod, & quando, & sicut recta ratio dictat.

Quæst. II. *Quænam sunt virtutes Fortitudini annexæ, & vitia his opposita?*

Resp. Sunt quinque ejusmodi virtutes, nimirum I. Magnanimitas, quæ est virtus ad contemptum rerum caducarum, & ad opera magna ac heroica quæ talia in omni virtutum genere inclinans. Quare licet versetur circa opera ardua aliarum virtutum, est tamen specialis virtus, quia ad illa inclinat ex motivo proximo sibi proprio, nempe quia sunt magna & ardua, hoc est, consentanea animo magno, & generoso, ad maximam dignitatem, perfectionem, ad amicitiam ac filiationem Dei, beatitudinemque destinato, & magnis gratiæ præsidiis instructo.

Ei per excessum opponuntur præsumptio, ambitio, & vana gloria, de quibus dixi in tractatu de Peccatis. Per defectum vero pusillanimitas, quæ est vitium, quo quis ex animi parvitate, nimiaque abjectione recusat tendere in id quod est suæ potentiæ proportionatum, detrectatque officium, vel res magnas, quibus gerendis aptus est cum auxilio Dei, suamve auctoritatem, dignitatem, & privilegia negligit; cum id necessarium vel utile est ad Dei honorem, aut aliorum utilitatem. Est mortale vel veniale peccatum, prout sub mortali, vel veniali teneror suscipere id quod detrectat, vel tueri id quod negligit.

II. Humilitas est virtus, quæ vera nostri cognitione appetitum excellentiæ propriæ secundum rectam rationem & Dei voluntatem moderatur, ne inordinate extollamur, & inclinat ad utilitatem nostram ac subjectionem erga Deum actibus internis & externis agnoscendam ac profitendam, atque omnem gloriam ac honorem Deo ut bonorum omnium auctori tribuendum.

Ejus actus præcipui sunt, 1. Agnoscere se ex seipso nihil esse, nihilque, sed omnia accepisse a Deo, immo se esse peccatorem, adeoque supplicii & omni contemptu dignum. 2. Nihil sibi adscribere, sed seipsum contemnere, omnem honorem, gloriam ac laudem Deo ut bonorum omnium auctori attribuere. 3. Neminem contemnere, neminique velle præponi, sed omnes sibi animo præferre, considerando aliorum perfectiones ac virtutes, sua vero vitia & peccata, juxta illud Phil. 2. *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*. 4. Subjicere se in omnibus Deo, & superioribus ut Dei Ministris propter Deum. 5. Laudis & honores, quantum recta ratio permittit, fugere, ea propter se inunquam quærere, nec parvis delectari. 6. Contemptus, contumelias, & humiliationes æquo animo propter Deum exemplo Christi ferre, immo & diligere. 7. In rebus externis & functionibus, quantum in se est, amplecti semper id quod est abjectius & minus honoratum, habita tamen ratione decoris, dignitatis, & officii.

Humilitas est virtus præstantissima, virtutum procreatrix, & radix summæ ac æternæ gloriæ, juxta illud Christi, *Qui se humiliat, exaltabitur*, Luc. 14. & 18. estque necessaria ad salutem, immo est fundamentum aliarum virtutum, sicut superbia est radix omnis peccati. (*a*) Ei opponitur non solum superbia, sed etiam inordinata sui subjectio, quæ fit cum injuria aut negligentia muneris proprii, aut jactura status sui, vel damno eorum, quibus prodesse debes: ut si pater infra filium, superior infra subditum exterius se abjiciat; nam humilitas inclinat ad sui abjectionem, juxta rectam rationem, & ut decet. Unde illud Eccli. 3. *Est qui se nimium submittit*.

III. Magnificentia, quæ est virtus inclinans ad magna opera externa magnis sumptibus efficienda, quando recta ratio dictat, & præcipue ad ea quæ pertinent ad honorem Dei. Differt a liberalitate, quod hæc circa sumptus mediocres, & ordinarios, illa circa majores versetur. Ei opponitur per excessum profusio, qua quis majores sumptus facit quam ratio dictat. Est mortalis ratione gravis damni proximo illati, ut si properera debita non solvas, eleemosynas omittas &c. Per defectum vero parvificentia, qua quis, præ nimia angustia, opus magnos sumptus requirens non audet suscipere quando oportet, vel susceptum relinquit, vel non decore perficit. Est mortalis, si graviter quis ad opus magnum teneatur, v. gr. ex voto, promissione &c.

IV. Patientia, qua in rebus adversis mœror temperatur, & mala præsentia æquo animo toleramur. Est maxima virtus & valde necessaria. *Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri, & in nullo deficientes*. Jac. 1. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*, ad Hebr. 10. (*b*) Opponitur per excessum impatientia, qua quis plus justo de malis dolet. Potest esse mortalis ratione scandali, vel mali, quod

(*a*) Necessitatem, ac summam hujus virtutis efficaciam alia Sacræ Scripturæ loca ostendunt, nempe Matth. cap. 11. v. 29. cap. 23. v. 12. Luc. cap. 1. v. 51. epist. 1. Petr. c. 5. v. 5. Jac. c. 4. v. 6. Eccli. c. 3. v. 20. c. 35. v. 21. &c. quæ transcribere non censemus. Cæterum de hac virtute tractavit in præclaro suo Opere *Trattenimenti Spirituali* piissimus P. Alphonsus Rodriquez, necnon passim P. Paulus Segneri in libro quem scripsit *Manna dell' Anima*, aliique plures.

(*b*) His adde multa alia Sacræ Scripturæ loca, quæ efficacia argumenta ad demonstrandam hujus virtutis necessitatem præbent. Lucas enim cap. 21. v. 19. ait, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. D. Paulus in epist. ad Romanos c. 5. v. 3. & 4. *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem*: & ad Hebræos: *Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*. Item Divus Jacobus epist. cap. 1. v. 3. & 4. *Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes &c.*

quod quis ex impatientia facit, optatve, vel præcepti violati. Per defectum insensibilitas seu animi durities, cum quis ob animi suiporem nec propriis, nec alienis malis movetur.

V. Perseverantia, seu constantia, quæ inclinat & firmat ad persistendum in opere bono, & non obstante molestia ac difficultate quantumvis diuturna, quamdiu recta ratio dictat. Ei opponitur per excessum pertinacia, qua quis proprium sensum, vel agendi propositum retinet quando non oportet, vel plus quam oportet: per defectum inconstantia in agendo, qua quis sine justa caussa a bono proposito desistit. Utraque est mortalis vel venialis pro subjecta materia, seu prout gravis, vel levis obligatio violatur, est autem semper veniale sine justa caussa propositum bonum mutare, vel ab eo bene cœpto desistere in re non præcepta, quia inordinatum est & contra rectam rationem, leviter & sine rationabili caussa bonum propositum mutare, vel ab inchoato bono discedere.

Nota. Per se loquendo, gravius peccatur contra aliquam virtutem per defectum, quam per excessum: sic gravior est superbia, quam nimia abjectio: desperatio, quam præsumptio. Quia peccata per defectum sunt contra id, ad quod primario ac principaliter virtus inclinat. Sic ipsa primario inclinat ad sperandum in Deum, & secundario ad non nimium in se sperandum, & sic de aliis.

CAPUT III.

De Temperantia, & Virtutibus ei annexis?

Quæst. I. *Quid est Temperantia?*

Resp. Temperantia late sumpta est virtus, quæ secundum rectam rationem & legem divinam operationes, & passiones humanas moderatur. Sive est virtus refrænans animi affectus, qui ipsum contra rectam rationem allicient, illosque moderans secundum rectam rationem ac legem divinam. *Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma & moderata domatio*, ait S. Augustin. lib. 83. qu. 31. Sed sic sumpta non est virtus specialis, nam id præstat omnis virtus moralis in sua materia: Justitia enim, v. gr. affectum a furtis & injuriis avertit.

Temperantia stricte sumpta est virtus, quæ secundum rectam rationem ac legem divinam moderatur appetitum & usum rerum, quæ delectationem sensuum, præsertim gustus, tactus pariunt, qualia sunt esculenta, poculenta, & venerea. Hinc tres sunt temperantiæ species, nempe abstinentia, sobrietas, & castitas.

Abstinentia est virtus, quæ secundum rectam rationem moderatur appetitum & usum ciborum oblectantium, atque etiam potionis non inebriantis.

Sobrietas est virtus, quæ appetitum & usum potionis vim inebriandi habentis moderatur secundum rectam rationem. Supple semper & legem divinam: nam quidquid est contra rectam rationem, est etiam contra legem Dei, cum recta ratio sit intimatio legis divinæ æternæ.

Regula autem ac mensura cibi, potus, & somni sumenda est ex fine proximo, ad quem ista per se referuntur, qui est bona corporis valetudo, & idonea mentis ad suas functiones obeundas dispositio, hoc habitudo, ad Dei gloriam ultimate ordinata: nam finis est mensura eorum, quæ sunt ad finem. *Habet vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque tollamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus atque efficiorum necessitatem, quantum sat est, usurpet utentium modestia, non amantis affectu*, ait S. Augustin. lib. de moribus Eccl. c. 22. Per necessitatem intellige non solum absolutam ac physicam, sed etiam moralem. Non enim illud solum dicitur necessarium vitæ humanæ ejusque officiis, sine quo absolute vivere aut ea officia omnino obire non potes; sed etiam id sine quo hoc non potes commode & convenienter tuo statui, spectatis quoad qualitatem cibi & potus circumstantiis status, conditionis, officii, opulentiæ, loci, personarum quibuscum vivis, & negotiorum occurrentium. Igitur ad temperantiam spectat nec plus, nec minus cibi, potus & somni sumere, quam ad bonam corporis valetudinem, & vires, ad munera sua recte obeunda requisitas, atpramque mentis ad suas functiones dispositionem expediat: cum hoc discrimine, quod major quantitas sit illicita; minorem autem subinde sumere ob justam & graviorem caussam, quam sit robusta valetudo corporis, v. g. ob carnis mortificationem, vel satisfactionem pro peccatis, sit laudabile, etiamsi vires corporis immutentur; modo tamen valetudo non nimis frangatur, nec mens reddatur ad suas functiones ineptior, ita ut homo semper valeat recte pruitare ea, ad quæ tenetur. Ea quippe bona est corporis valetudo, quæ optime mentis & animæ saluti servit: nam corporis est, ut animæ serviat ad suas functiones, quas omnes ad Dei gloriam & salutem nostram referri debent. Hæc autem abstinentia major, quam ratio temperantiæ per se exigit, pertinebit ad aliam virtutem, ex cujus affectu servatur, v. gr. cultiatem, pœnitentiam &c.

Castitas est virtus, quæ cohibet, vel moderatur appetitum & usum venereorum ac delectationis venereæ secundum rectam rationem & legem divinam. De qua Paulus 2. Cor. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*. Et 1. ad Timot. 2. *Quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate*. Pudicitia autem vel est eadem virtus quæ castitas, vel ejus pars integralis cohibens oscula, amplexus, aspectus, & tactus impudicos, eorumque delectationem.

Triplex est castitas, nempe virginalis, conjugalis, & vidualis. Prima est voluntas constans & efficax abstinendi tota vita ab omni prorsus actione & delectatione venerea. Secunda est voluntas constans & efficax abstinendi ab omni actione, & delectatione venerea cum non conjuge, & ea utendi cum conjuge semper juxta rectæ rationis & legis divinæ regulam.

lam. Tertia est propositum abstinendi imposterum propter Deum ab omni actione & delectatione venerea percepta in conjugio.

Abstinentiæ opponitur gula stricte sumpta, solicitati ebrietas, & castitati luxuria, de quibus dixi in Tractatu de peccatis.

Quæst. II. *An licet agere ob voluptatem seu delectationem moderatam & per se licitam, eamque propter se appetere?*

Resp. Neg. Quia 1. Omnis actus, qui non est bonus saltem ratione finis, hoc ipso malus est, ut docet S. Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 3. *Cum facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur*; idque satis indicat Christus Matt. 12. dum ait: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*, utique tamquam de peccato. (*) Ergo omne opus otiosum moraliter est malum, atque ac verbum otiosum, cum sit eadem ratio, & species ibi ponatur pro genere. At omnis actus, qui non est bonus, est saltem otiosus moraliter, seu in ordine ad mores: ergo malus est. Jam vero actus non est bonus, nisi habeat finem honestum; hoc est, consentaneum naturæ rationali & legi divinæ. 2. Homo deliberate agens tenetur semper agere propter finem proportionatum, seu consentaneum naturæ rationali quatenus rationalis est, ideoque propter finem honestum; tenetur enim semper agere modo proportionato, seu consentaneo naturæ rationali, qua rationali; alioqui sciens ac volens deficit a conditione sua & a dignitatis præstantia, qua brutis excellit: seque ipsum deprimit ad modum agendi brutalem. Non potest autem agere modo proportionato naturæ rationali; qua rationalis est, nisi agendo propter finem consentaneum naturæ rationali, quatenus rationalis est. 3. Agens ob delectationem agit inordinate & contra rectam rationem: nam pervertit rerum ordinem a Deo auctore naturæ infitutum, secundum quem delectatio ex natura sua est propter operationem, non autem operatio propter delectationem, ut agnovit Aristoteles; *Bonum delectabile*, inquit, *cum sit inferius honesto, ordinatur per se ad illud*. & docet S. Th. 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2. *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationes*: ut scilicet facilius, promptius, melius, & constantius efficerentur. Itaque delectatio moderata potest quidem percipi, & appeti ut medium, sed non ut finis; cum inordinatum sit, vel in sistere in eo tamquam fine actionis, quod Deus instituit solum ut medium ad actionem melius, promptius, & constantius faciendam. 4. Innocent. XI. damnavit has propositiones. 8. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum: modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*, hoc est, sistere in delectatione actuum tamquam in fine obtento. 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali*.

Hinc manducare etiam moderate, audire musicam, odorari florem, & similia oblectamenta capere ob solam delectationem, per se loquendo est venialis culpa.

Quæst. III. *Quanam sunt virtutes temperantiæ annexæ?*

Resp. Sex: Mansuetudo, Clementia, Studiositas, Modestia, Eutrapelia, & Circumspectio.

I. Mansuetudo est virtus, quæ iram moderatur juxta rectam rationem sic, ut non irascamur, nisi quando, quantum, cui, & quomodo oportet. De qua Apostolus, ad Tit. 3. *Admone illos neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines*.

Ei opponitur per excessum iracundia, de qua alibi; per defectum vero nimia dissimulatio, cum nempe ex ira defectu mala impunita manent, nec quis irascitur ubi, quando, quantum & quibus oportet, ut justitia servetur, vitia corrigantur, scandalum tollatur &c. Est mortalis ex genere suo, cum repugnet caritati, vel justitiæ.

II. Clementia est virtus, qua superior ex animi lenitate inclinatur ad pœnam debitam mitigandam, vel remittendam, quantum patitur recta ratio, justitia, disciplinæ bonum, Reip. salus, & ædificatio publica.

Ei opponitur per excessum crudelitas, qua quis ex animi austeritate propensus est ad exigendam pœnam ultra meritum culpæ. Est ex genere suo mortalis, cum repugnet caritati & justitiæ. Per defectum vero nimia lenitas, qua quis pœnam remittit aut mitigat, ubi severitate utendum recta ratio dictat, ad delinquentem emendandum, servandam disciplinam &c. Est culpa gravis vel levis, pro ratione damni, vel scandali, quod ex ea provenit.

III. Studiositas est virtus, quæ secundum rectam rationem moderatur appetitum sciendi, & ipsum studium, ita ut quis ea solum velit scire, quæ ipsius conditioni & capacitati conveniunt, & studeat ea diligentia qua oportet iis rebus, quibus oportet, ex debito fine (Vid. N. 101.), & in debitis circumstantiis loci & temporis. Unde ejus est, refrænare affectum inordinatum cognoscendi, moderari studium, incitare ad diligenter addiscendum res necessarias & convenientes.

Ei opponitur per excessum curiositas, quæ est inordinatus appetitus cognoscendi. Est autem inordinatus vel ex parte objecti, & tunc definitur: Appetitio vel cura superflua cognoscendi ea, quæ ad se non pertinent, sive quæ nec ad propriam, nec ad proximi utilitatem, nec ad Dei honorem conducunt. Vel ex parte modi, ut si ea, quæ ad te spectant, velis addiscere tempore non congruenti, vel laboribus immodicis, & corpori vel menti noxiis.

Curiositas est mortalis. 1. Ratione objecti prohibiti, v. gr. si legas libros ab Ecclesia aut Superioribus prohibitos, aut velis scire ea quæ dicuntur in confessione &c. 2. Ratione medii, si adhibeatur graviter illicitum, ut superstitiosum &c. vel ratione finis mortaliter mali. 3. Ratione periculi peccandi mortaliter, ut si legas libros contra fidem aut bonos mores &c. 4. Si per studium minus utile homo impediatur ab addiscendis iis, quæ scire tenetur. 5. Ratione nocumenti seu damni, ut si ob immoderatum studium valetudo graviter lædatur. 6. Si quis ab alio scire vult, quod sub mortali revelare nequit. 7. Ratione injuriæ gravis, ut si quis litteras alterius

(*) *Utcumque veniali.*

terius clausas sine consensu ejus, a quo, vel ad quem scribuntur, saltem prudenter præsumpto, aperit & legit: nam tunc violatur jus, quod quisque habet, ne arcana consilia & negotia litteris commissa, sine ejus consensu cognoscantur. *Ita Navarrus, Toletus, Layman, & alii*. Unde est mortale contra justitiam, litteras alienas legere, quando continent secreta magni momenti, vel ea, quæ multum expedit non innotescere, vel quæ multum optat celari is, a quo, vel ad quem scribuntur, vel quando timeri potest inde secutura aliqua infamia vel aliud damnum grave. Cum autem id omne ante aperitionem ignoretur, ideo litterarum alienarum aperitio lectioque ordinarie mortalis est ob morale periculum lædendi jus secreti in re gravi. Id etiam est contra fidem publicam, cui figilla litterarum credita intelliguntur.

Multi docent esse solum veniale litteras a domino dilaceratas & in publicum projectas ex sola curiositate colligere, junctisque partibus legere; quia tunc habentur pro derelictis. Sed hoc alii negant, quia dominus lacerando satis ostendit se non derelinquere jus, quod habet ad secretum litterarum. Imprudenter quidem agit, partes laceratas in publicum projiciendo, sed imprudentia alicujus non privat illum jure suo.

Item peccat contra justitiam, qui alterius scripta ipso invito legit, & quidem moraliter, si fiat cum gravi damno, vel alter valde cupiat esse secreta, graviterque sit laturus: excipe, nisi constarer scripta vergere in damnum injustum communitatis, vel etiam privati, nemo enim habet jus ad medium injustum. Possunt quoque litteræ aperiri auctoritate publica, nempe Principis, Magistratus, cum id exigit bonum commune, cui jura privatorum subordinantur. Sed ii, qui secreta legerint, tenentur celare. Patres habent etiam jus aperiendi litteras liberorum curæ suæ subjectorum.

Curiositas autem, qua non læditur graviter caritas, nec justitia, est per se solum venialis, secluso periculo graviter peccandi, vel prohibitione gravi; quia non est per se magna inordinatio, quod quis plus æquo appetat cognitionem rerum sibi non necessariarum aut utilium: vel præcise id quod ad se non pertinent, cognoscere velit sine gravi injuria alterius, aut supervacaneam in eo curam ponat, modo necessaria non negligat.

Per defectum adversatur studiositati negligentia, quæ est voluntaria omissio studii vel inquisitionis ad discendum, quæ quisque scire vel discere tenetur. Estque peccatum grave vel leve pro gravitate vel levitate rei, quæ scire debet, spectato ejus fine. Hinc gravis negligentia discendi obligationes suas, sive proprias sui muneris seu officii est semper mortalis. (Vid. N. 242. 243.)

IV. Modestia duplex est: una est modestia motuum externorum, quæ motus & gestus corporis externos moderatur secundum rectam rationem, prout congruens est personæ spectatæ tum in se, tum in ordine ad eos quibuscum versatur, & ad locum, tempus, finem &c. *Hæc est enim pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere*, ait S. Ambr. lib. 1. de officiis cap. 9.

Ei opponitur per excessum petulantia & insolentia, qua non servatur decorum in voce, gestu, & aliis moribus externis corporis; ut si quis vocem nimium attollat, gestus aut gressus insultos habeat, si Religiosus mores aulicos sectetur &c. Per defectum morum ruditas, seu rusticitas.

Altera est modestia cultus, seu parcitas, qua in cultu ornatuque corporis, & apparatu rerum externarum, domus, supellectilis, conviviorum &c. servatur mediocritas, & congruitas ad personam, facultates, statum, conditionem, approbatam consuetudinem, & ad tempus, locum &c. Contra hanc peccatur. 1. Per luxum, excedendo modum consuetum & convenientem conditioni ac facultati personæ in vestibus, conviviis, supellectili &c. Item assumendo vestem alteriusexus. *Cultus exterior* (inquit S. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3.) *debet competere conditioni personæ secundum communem consuetudinem. Et ideo de se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso: & præcipue quia hoc potest esse causa lasciviæ, & speciliter prohibetur in lege .... Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi*. 2. Ratione affectus inordinati, quando nimium studium in hujusmodi rebus ponitur, ut sæpe faciunt feminæ, multum temporis tam pretiosi in se ornandis collocantes. 3. Per defectum, & dicitur Sordiditas, quæ non servat decorem in cultu corporis, & rerum suarum.

Porro peccata contra utramque modestiam interdum sunt mortalia, scilicet ratione scandali, damni, pravi finis &c. Sic excessus in ornatu & apparatu externo est mortalis ratione affectus, si fit cum fini solvendi debita, non dandi eleemosynas necessarias, non collocandi liberos in statu convenienti, vel alia non præstandi ad quæ quis tenetur vel ratione affectus graviter immoderati, ut si propter ornatum aliquis sit paratus peccare mortaliter: vel ratione scandali, quod sæpe dant mulieres in modo (Vid. N. 23. 140.) se exornandi, qui ad luxuriam alliciat intuentes, ut revera alliciunt mulierum referatus finus, ceteræque corporis nuditates, ut docet S. Carolus in instruct. confessar.

Quod ad larvas & personatus attinet, hæc propter immodestiam, & nimiam mentis divagationem sunt peccata venialia; mortalia vero si in talibus circumstantiis adhibeantur, ut ad libidinem incitent, vel libidini præbeant occasionem, ut sæpe contingit.

Sed an mulieres peccant, si se ornent ad placendum viris?

Sic respondet S. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. *Si mulier conjugata ad hoc se ornet ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illa autem mulieres, quæ virot non habent, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum affectibus ad concupiscendum, quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter fastantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc est de viris.* Et ad 2. ait: *Mulierum fucatio est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato ..... Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali,*

il ; sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum.

V. Eutrapelia seu jucunditas est virtus, quæ inclinat ad servandum modum ac decorem in dictis & factis ludicris ad animi recreationem institutis.

Contra illam peccatur per excessum. 1. Ratione objecti, si immodestum, petulans, contumeliosum, injuriosum, obscenum, periculosum, vel prohibitum jocandi aut ludendi genus usurpetur. 2. Ratione circumstantiarum, si genus ludendi vel jocandi alioqui licitum exerceantur in loco, vel tempore indebito, modo indecoro, nimis diu, vel contra dignitatem personæ illud usurpantis, vel ejus coram qua usurpatur. 3. Ratione immodici affectus. *Caveamus etiam ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quæ concentum quemdam bonorum operum*, ait S. Ambros. lib. 1. de offic. c. 22. (Vid. N. 282.)

Per defectum vero peccatur, cum quis ex animi austeritate seu moroſitate omnem honestam animi recreationem sibi necessariam repudiat, vel in aliis impedire conatur.

VI. Circumspectio est virtus, quæ sermones moderatur, secundum rectam rationem & legem divinam, ita ut non loquamur nisi quando, ubi, quæ, quibus & quomodo oportet. Est valde necessaria, quia ex ejus defectu innumera admittuntur peccata, nam *lingua ignis est, universitas iniquitatis*. Jac. 3.

APPENDIX.

De Jejunio Ecclesiastico.

Quæst. I. *Quænam ad illud requiruntur?*

Resp. 1. Tria. Abstinentia a carnibus, atque etiam ab ovis, & lacticiniis; nam hæc sunt etiam prohibita jure communi, eo quod ex carne originem ducant, & multum nutriant, can. 6. dist. 3. ex S. Gregor. ibi: *Par est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ fementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, & ovis*. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in quadragesima obliget.* Verum hæc in re spectanda est cujusque regionis legitima consuetudo; nam quibusdam in locis esus ovorum & lacticiniorum omnibus jejuniorum diebus prohibetur, in pluribus vero solum in quadragesima: imo dicunt in quibusdam, ut in Germania, ne in quadragesima quidem. S. Th. 2. 2. qu. 147. art. 6. ad 3. ait: *In jejunio quadragesimali tradunt communiter universaliter etiam ova & lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur.*

2. Abstinentia a pluribus refectionibus, ita ut intra spatium diei naturalis nonisi semel corpus reficiatur. Sic etiam Ecclesia vult per jejunium corpus castigari, & concupiscentiam coerceri, ut tamen natura ipsa non notabiliter lædatur: multum autem læderetur, si una refectio non permitteretur, & corpus non castigaretur, nec concupiscentia satis coerceretur, si permitterentur duæ. Hæc refectio debet esse continua, alioqui non esset una, sed regotica. Si quis tamen ob urgens negotii causam ab illa nondum sufficienter sumpta discedat, potest confecto negotio ad eam redire, eamque perficere; quia spectatis circumstantiis & ex intentione censetur unica moraliter refectio. Secus, si satis refectus ab ea discesserit. Non licet autem diu protrahere prandium, nam hoc esset æquivalenter duplicem refectionem sumere: idem enim est in ordine ad nutriendum corpus, sumere novam, aut diu continuare eandem refectionem, quæ reipsa erit moraliter & virtualiter multiplex. Nec refert, quod non semper edatur, sed flat confabulatio; nam interea concoquit stomachus cibos sumptos, qui sufficiebant pro integra refectione, & alii subtituuntur.

Hinc qui die jejunii mane comedit etiam inculpate, puta ex inadvertentia, tenetur eo die abstinere ab alia refectione, si potest sine gravi incommodo; quia jejunium adhuc quoad notam refectionem servare potest. *Lessius*.

3. Certum tempus refectionis, quod nunc recepta consuetudine est circa meridiem, ita ut non liceat sine justa causa hanc horam anticipare, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Potest tamen pro arbitrio differri refectio usque ad horam tertiam pomeridianam, vel solis occasum, ante quod tempus olim erat vetita, saltem in quadragesima.

Quæst. II. *An præceptum jejunii per se obligat sub mortali?*

Resp. Affirm. Constat 1. Ex SS. Patribus, Basilio, orat. 12. de jejunio, Greg. Nazianz. epist. 74. Hieron. ep. 54. Cyrillo Alexandrino, hom. 1. Paschali, & aliis; ex variis Conciliis, & ex consensu Doctorum, & fidelium. 2. Quia res præcepta capax est gravis obligationis (cum sit opus virtutis in suo genere grave) & ab Ecclesia absolute præcipitur. Præcepta autem obligant pro gravitate materiæ, saltem dum superior expresse non declarat se velle tantum leviter obligare. 3. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto*.

Hinc peccat mortaliter, 1. Qui die jejunii, vel abstinentiæ carnes comedit, sine necessitate tamen; nisi excuset a mortali materiæ parvitas, quæ communiter admittitur, eo quod prohibeantur carnes prout nutritivæ, seu refectivæ virium; at parum carnis parum nutrit; ergo etiam parum, seu sub parva culpa, & non graviter prohibetur. Hæc tamen parvitas difficile constitui potest. 2. Qui vescitur ovis aut lacticiniis, nisi permissa sint ab Episcopo, vel legitima consuetudine. 3. Qui aliquid notabile extra usuam refectionem & collatiunculam comedit etiam interruptim.

An autem mortale sit tempus refectionis notabiliter anticipare sine justa causa?

Controvertitur. Layman censet olim quidem notabilem anticipationem fuisse mortalem, nunc vero spectata hodierna Ecclesiæ consuetudine esse solum venialem. Sed Covarruvias, Navarrus, Sanchez, Comitolus, Azor, Reginaldus, & alii docent, etiam nunc esse mortalem, & probant, 1. Ex sensu fidelium & ex fine jejunii, 2. Ex cap. *Solent*, de consecr. dist. 1. *Nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium*. Et ex Conc. Rothom. an. 1522. c. 22.

Nul-

Nullus in quadragesima prandeat, antequam hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat. Hinc Ex mente Ecclesiæ tempus refectionis lege vel consuetudine universali statutum, est conditio pertinens ad substantiam præcepti, vel ad modum substantialem illius. Nam etsi in anticipatione horæ discessum fit ab institutio veteris Ecclesiæ, non tamen ita eo quod certa hora servetur, quam non liceat comedendo prævenire. 3. Ex S. Th. in 4. dist. 15. qu. 4. art. 4. qu. 3. *Ille jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat. Unde cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit*. 4. Quia tunc violatur præceptum in re notabili, & quæ multum pertinet ad rationem jejunii ecclesiastici. *Sylvius*. Porro justa multos nulla est culpa, si ob justam causam, qualis est iter necessarium faciendum, tempus illud notabiliter anteverantur, eo quod id usu receptum sit apud doctos & probos: & facilius excusatio in hoc locum habeat, quam in aliis ad jejunium requisitis, cum refectionis tempus ad finem jejunii minus conducat.

Quæst. III. *Quid dicendum de Cœnula, seu Collatiuncula?*

Resp. 1. Hæc consuetudine inducta est, & ab Ecclesia tolerata, ideoque ex probata piorum ac timoratorum consuetudine in qualibet regione, scientibus, & annuentibus Ecclesiæ Prælatis, determinanda est, secundum quantitatem & qualitatem ciborum. De quantitate id universim dici potest, eam debere esse valde modicam, ne cœnula converatur in cœnam; juxta multos non debere esse eamdem pro omnibus & ubique, sed diversam pro diversitate complexionum, laborum, & regionum, quarum aliæ aliis calidiores sunt: unde fit ut alii minore cibo quam alii indigeant. In variis locis consuetudo plus permittit in Vigilia Nativitatis, & in Cœna Domini, quam aliis diebus. Quoad qualitatem prohibentur ii cibi, qui valde nutriunt, qualia sunt ova, pisces, legumina cocta; ignis enim coctio materiam nutritioni aptiorem efficit; ut proinde corruptela fit, inquit Azor, si sumantur legumina & pisces. Nam eam lex jejunii unicam refectionem permittat, inducitaque sit consuetudine cœnula, in hac iis solum cibis licet uti, qui ipsa consuetudine sunt approbati, quales sunt leviores, ut fructus, & pro more regionis non casei. Licet tamen sumere pisciculum ex leguminibus coctis ob necessitatem, ita ut habeat rationem medicinæ potius quam cibi: nam ex S. Th. medicinarum assumptio non solvit jejunium.

Resp. 2. Non licet cœnulam sumere mane ante meridiem: quia Ecclesia præcipit & canones præscribunt, ut nil sumatur in cibum ante horam consuetam, quæ circiter meridiem est. Imo non licet cœnulam sumere etiam circa meridiem, dilata ad vesperam cœna, nisi ipsa causa subsistat, ut ratione negotiorum per diem gerendorum, hospitum, itineris; vel si quis aliter non posset nocte dormire. Ita *Navarrus, Azor, Lessius, Layman, dicens hanc esse communem sententiam*. Quia consuetudo cœnulam permittens habet, ut nocte tantum sumatur, nisi adsit justa causa excusans: quæ tamen si absit, juxta multos erit solum veniale; quia non violatur jejunium quoad substantiam, sed solum variatur ejus circumstantia non substantialis.

Quæst. IV. *An qui ex justa causa dispensatus est in abstinentia carnis, hoc ipso liberatur abstinentia ab altero refectione?*

Resp. Neg. Quia 1. Hæ duæ abstinentiæ, quæ lex jejunii præscribit, sunt a se invicem separabiles, & seorsim conducunt ad finem præcepti, videlicet macerationem carnis, & causa dispensationis sufficiens pro una non semper sufficit pro duabus. Cum autem lex plures obligationes dividuas continet, qui unam exequi nequit, tenetur ad alias, si possit. 2. Papa Romæ, & Episcopi in variis diœcesibus cum dispensarunt in abstinentia carnis ob causam pro ea sola sufficientem, declararunt se non dispensare in abstinentia a pluribus refectionibus, sed ejus obligationem relinquere. Et dicitur exstare authentica de hoc Clem. XI. declaratio.

☞ Licet Clemens XI. promulgato per Canlinalem Vicarium Edicto, declaraverit, quadragesimali recurrente jejunio, eos, quibus carnium usus justa de causa permittitur, *jejunii legem observare debere*: tamen plures deinceps in contraria fuere sententia, & exorta hac de re in variis Lombardiæ partibus controversia circa an. 1734. plura pro utraque ophnione edita fuere volumina. Bartholomæus Casali, Petrus Coppellotti, P. Benedictus Maria Brignole, & Sebastianus Pauli, sub nomine *Apostoli Augusti*, uterque Congregationis Matris Dei, fuisse re, iis, quibus usus carnium conceditur, jejunandum non esse: contra vero Alexander Mantegazzi, Antonius Theodorus Carbonara, Ludovicus Antonius Muratori, P. Daniel Concina Ord. Prædicatorum, aliique propugnaverunt, eos quoque jejunii legem observare oportere; quibus justa de causa salubrium carnium usus conceditur. At S. M. Benedict. XIV. eximio, quo pollebat restaurandæ disciplinæ, corrigendorumque abusuum studio, non solum lites finivit, sed etiam dubia, quæ passim occurrere solebant, explicavit; regulas pro restauranda, ac sarta tecta servanda jejunii disciplina constituit; ac methodum indispensationibus servandam præscripsit.

Anno 1741. Epistola ad omnes Catholicos Episcopos data, ad roliendos abusus adversus jejunii Quadragesimalis observantiam invectos, hæc Episcopis inculcat: *Debitum igitur Paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, & caritatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, & annuncietis, nemini quidem sine legitima causa & de utriusque medici consilio; multitudini vero, veluti populo aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, nisi gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus S. Sedis reverentia, a Quadragesimali Jejunio dispensationem, totiès, quotiès opus fuerit, concedendam, nec audaster fidenterque usurpandam, nec superbe & arroganter ab Ecclesia sicut alibi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero urgentemque necessitatem esse non est cur vobis explicemus: nolumus tamen vos ignorare, cum hujusmodi necessitate, & servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut aliàs hic Romæ, ac non ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse præscripsimus, & licitas atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse*. Præterea dispensatos monet jubet, ut alia opera jejunii loco substituant.

Anno 1742. in Epistola ad Anlream Archiepiscopum

rum Valentiæ ait, superiori constitutione se non suscepisse definiendum, *an qui Ecclesiastica auctoritate a jejunio excusantur, non solum vetitis cibis uti, sed ejus pariter vespertina abstinentiæ sues egredi queant. Præcipimus autem Episcopis, eorumque delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi, imperata simul unicæ comestionis norma. Ita universale illud præceptum pro tua spectatissima vigilantia Gregi tuo indictum jubemus.*

Anno vero 1744. 2. Julii quæstiones ab Archiepiscopo Compostellæ circa jejunii leges propositas, in hunc modum resolvit.

I. Utrum, quæ in antedictis nostris litteris in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non permiscendis, præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibentur?

Respondemus: *Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri eadem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unica in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eorum vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.*

II. An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?

Respondemus: *Non licere, sed apud habere eo cibo, cæque ari portione, quibus utuntur homines jejunantes vetita meticulosæ consentiæ.*

III. An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica comestione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant?

Edicimus, *observandum iis esse.*

IV. Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Respondemus: *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lactitinia.*

V. An præceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque Dominicas Quadragesimales complectatur?

Affirmatur, *completi.*

VI. Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?

Rescribimus: *Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis litteris statutum esse, quod refriciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis sibi legibus.*

VII. Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?

Respondetur: *Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum: illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis: & alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.*

Anno 1745. die 10. Junii Epistola, quæ est ad universos Episcopos, plura Ecclesiæ Pastoribus inculcat, pro jejunii disciplina conservanda, & reintegranda, circa dispensationes generales nonnisi justa de causa petendas, & concedendas. Vide tom. 1. Bull. pag. 523.

Quæst. V. *An toties qui peccat mortaliter, quotiet die jejunii sumit refectionem iteratam?*

Resp. Non pauci affirmant. Quia 1. juxta omnes toties quis peccat, quoties carnes comedit; quia præceptum abstinendi a carnibus est negativum, retans, ne ullo diei tempore comedantur. At præceptum abstinendi a pluribus refectionibus est etiam negativum: nam non præcipit unam refectionem, sed præcise plures refectiones prohibet. Ergo sicuti peccatur per qualvis comestiones carnium, ita & per quamlibet & singulas refectiones ultra unam: præcepta enim negativa violantur non solum per primum & secundum actum, sed etiam per quotcumque alios sequentes. 2. Quando vetatur aliquid sæpius quam semel uno eodemque tempore fieri, non solum prohibetur fieri bis, sed etiam ter, quater &c. Sic, cum lex vetat, ne fidelis sæpius quam semel eodem die communicet, aut sæpius in vita baptizetur, non solum secundo, sed etiam tertio & quarto actu violatur præceptum. 3. Mortificatio carnis, quæ est finis legis, adhuc aliqua obtineri potest per omissionem aliarum refectionum: nam si quis mane & in prandio se refecerit, adhuc notabilis est mortificatio se abstinere vesperi, uti fuisset abstinere mane, & semper subtrahitur materia concupiscentiæ. 4. Ecclesia solum permittit unam refectionem, idque ad mortificationem carnis. Ergo prohibet omnes alias, & præter secundam refectionem vetatur quoque alia ulterior, quæ etiam repugnat mortificationi carnis. Enimvero etsi præceptum jejunii videatur affirmativum, quoad formam verborum, inquit Sylvius, in se tamen continet hanc negationem: Non plures comedes, aut non sumes plures refectiones.

Hinc tres refectiones sumere non licet ei, cui duæ sufficiunt, & permissæ sunt ob infirmitatem.

Quæst. VI. *An violet jejunium, qui extra refectionem consuetam & cœnulam aliquid bibit, vel comedit?*

Resp. 1. Multi docent non violari potu etiam vini, modo non in ea quantitate bibatur, quæ censetur esse in fraudem jejunii. Quia id permittit consuetudo a tempore immemoriali: nam cum potus ordinetur potius ad distributionem cibi per corpus, & refrigerium sanguinis, quam ad alendum; ideo Ecclesia ejus usum non vetuit. Idem dicunt de electuariis quibusdam, quæ parum nutriunt, v. gr. theo. Sed alii id negant aut non concedunt, nisi de potu necessario ad sitim sedandam, qui nihil aut parum nutriat, & de electuariis, quæ in parcissima quantitate, & cum necessitate sumuntur, ita ut sint loco medicinæ.

Circa hoc sic habet S. Th. 2. 2. qu. 147. art. 6. ad 2. *Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem, licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet plurites jejunantibus bibere. Si autem qui immoderate potu utuntur, potest peccare, & meritum jejunii perdere: sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat.* Et ad 3. *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum,*

Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.

Resp. 2. Secundum omnes violatur jejunium, si extra hæc tempora sumatur jusculum, lac, vel similis potio, quæ ad nutriendum principaliter ordinantur. Quia vetantur ea omnia, quæ per se ac principaliter ordinantur ad nutritionem, sive ea comedendo, sive bibendo, aut forbendo sumantur: nam hæc cibi nomine veniunt, ut docet Bellarminus, lib. 2. de bonis oper. c. 2. Idem die de pomis, piris, uvis recentibus, & omnibus aliis fructibus: nam hæc & similia sumere est juxta communem sensum revera comedere, non bibere, & ea se nutriunt. *S. Antoninus.* Licet tamen ob necessitatem aliquid in parva quantitate sumere per modum medicinæ, quamvis nutriat. Sic mane pauxillum panis cum hausto vini sumere licet ei, qui aliter sine gravi incommodo non posset jejunare, vel functiones animi, aut munera sua recte obire: nam id tum se habet per modum medicinæ, quæ non prohibetur diebus jejunii.

Resp. 3. Qui exiguum quid nutritivum sæpius eodem die sumit, etsi sine proposito aliquid notabile sumendi, peccat mortaliter, cum ad quantitatem notabilem scienter pervenit. Quia 1. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* 2. Plura illa modica conflant simul magnam quantitatem, & producunt notabilem effectum, in quo unumur, scilicet notabilem nutritionem. Nam nutrient perinde ac si magna quantitas continenter sumeretur, singulæ enim partes cibi, sive simul sive interrupte sumantur, addunt robur & substantiam, quæ roboratio manet simul post sumptas omnes partes. Hinc non licet bibere pro arbitrio, & toties aliquid exiguum manducare, ne potus noceat; nam sic sæpius modicum quid comedendo, perveniretur ad quantitatem notabilem, ideoque violaretur jejunium. Quantitas autem notabilis ab aliquibus censetur, si unam & dimidium, vel duas ad summum uncias superet.

Potio non excusatur a culpa veniali, qui rogatus ab amico exiguum quid comedit ne inurbanus videatur: nam non est hæc justa ac legitima causa solvendi ex parte jejunium; nec licet unquam peccare vel leviter. *Azor & alii.*

Quæst. VII. *Quinam excusantur a lege Jejunii?*

Nota. Certum est, omnes Christianos post 21. annum completum teneri ad jejunium ab Ecclesia præceptum, nisi justa ex causa excusentur. Nam nemo qui potest, excipitur, & lex est universalis, ut constat ex sensu Ecclesiæ, & causa hujus præcepti in omnibus locum habet; nam omnes egent mortificatione carnis, & castigatione corporis ut subjiciatur spiritui, & Deo satisfiat pro peccatis.

Resp. Quoad abstinentiam ab altera refectione excusantur generatim omnes, qui sine gravi incommodo seu damno jejunare non possunt. Speciatim vero hi, 1. Ægroti, infirmi, item convalescentes, quos infirmitas valde extenuavit, quia iis non sufficit una refectio, sed indigent crebriore & modica. De sufficienti gravitate infirmitatis consulendus est prudens Medicus; nam ratione officii & peritiæ ad ipsum spectat hoc judicium. Quod si causa est et est dubia & incerta, auctoritate superioris opus est, quia tunc necessaria est Juris relaxatio, ad quam Medicus vel Confessarius potestatem non habet. *Azor.* Qui autem ob infirmitatem non possunt jejunare omnibus diebus Quadragesimæ, sed possunt aliquot dies cujusque hebdomadæ, v. gr. alternis, vel duobus &c. tenentur illis diebus, quibus non habent justam causam non jejunandi. Nam cum singulis diebus sit affixa nova obligatio jejunandi, & hæc non tollatur nisi per justam causam, si aliquot diebus impleri possit obligatio, tunc ea urget. Qui vero dormire nequeunt, nisi sumpta cœna, non ideo excusantur a jejunio, cum possint illud servare sine gravi incommodo, v. gr. collationculam circa meridiem sumendo, & integram refectionem sero: nam præceptum obligans ad aliquid, simul, obligat ad media saltem non valde difficilia, licet non ordinaria.

2. Prægnantes, & nutrices: nam egent cibo pro se & pro fœtu vel prole, & jejunium iis graviter noceret.

3. Pauperes; qui non habeant quod uni justæ refectioni sufficiat. Sed, (ut ait S. Th. q. 147. art. 4. ad 1.) *Pauperes qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a Jejuniis Ecclesiæ: a quibus tamen excusari videntur illi, qui fructatim elemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.*

4. Pueri ante annum 21. completum non obligantur ex generali Ecclesiæ consuetudine sic communiter recepta, & intellecta secundum communem Doctorum sententiam, inquit Sanchez. Ratio est: quia cum usque ad hoc tempus communiter crescant ac firmentur hominum corpora, egent frequentiore cibo, non simul, sed pluribus vicibus sumpto, *tum propter debilitatem naturæ, cum propter necessitatem augmenti, quod fit de vestuo alimenti*, ait S. Th. art. 4. ad 2. Nec obstat quod aliqui ante hoc tempus non indigeant frequenti cibo, quia legislator *attendit id, quod communiter & in pluribus accidit*, ait S. Th. monens conveniens esse ut adolescentes jejunent plus vel minus secundum modum suæ ætatis, ut cum tempus obligationis advenerit, facilius eam exequantur: & præsertim ut carnis concupiscentias, quibus tunc exæstuat natura corrupta, jejunio coerceant. Imo possunt adolescentes ad jejunium obligari, ob urgentem gravem necessitatem, sive publicam, ut Jon. 3. sive privatam, ut si egerant hoc remedio ad cohibendam libidinem: nam bonum commune & privatum spirituale præferri debet bono privato & corporali.

Porro qui annum 21. complet in quadragesima, tenetur reliquis diebus jejunare: etsiamsi unicus dies superesset, quia præceptum illud divisibilibus obligat ad singulos dies, *Sanchez, & alii.*

Quoad senes, quamvis aliqui putent, eos a jejunio eximi circa annum sexagesimum; tamen ex communi sententia, teste Layman, aut saltem communiore, non est pro iis certum tempus constitutum, quo a lege jejunii sint soluti, eo quod alii citius, alii tardius virilus deficiant, cum e contra communiter crescant & firmentur homines usque ad annum 21. Quare senes non excusantur, nisi quando ecporis vires deficiunt, ita ut pluribus modicis egeant refectionibus, alioqui grave incommentum passuri. Se-

nes si sint multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sunt fortes ad ferendum jejunium: nec ea determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis teneatur ad jejunium, ait S. Antonin. part. 2. tit. 6. c. 1. §. 5.

5. Operarii, opifices, & ii omnes, qui ex officio exercent opera laboriosa, ob quæ sine gravi incommodo jejunare nequeant. Quales sunt agricolæ, fossores, vinitores, fabri ligurii & ferrarii, pistores, & bajuli, & alii similes, quorum labor gravis est, & corpus multum defatigat. Idque juxta multos, quamvis non sint pauperes, modo talia opera ex officio exerceant; quod, teste Sylvestro, iis concessit Eugen. IV. ita ut non teneantur cessare ab exercitio suæ artis seu professionis ad jejunandum. Porro eo die quo non laborant, ut si dies festus superveniat in quadragesima, tenentur jejunare, nisi alias grave incommodum sentirent ob laborem præcedentis diei, aut judicio prudenti redderentur inepti ad laborandum die sequenti.

Ex communi sententia non excusantur Notarii, Scribæ, Pictores, Barbitonsores, Sartores, Typographi, qui torculari non tractant, sed characteres dumtaxat componunt, Suteres, præsertim ii, qui non suunt, sed solum scindunt corium, & materiam præparant, famuli, & ancillæ, qui non magnis in laboribus exercentur, & omnes quorum labor non est gravis, nec fit cum magna agitatione, quando unam justam refectionem sibi accommodatam habere possunt: quia isti possunt sine notabili incommodo jejunare. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio*. Item Professores seu Præceptores, qui mane & sero docent, non excusantur a jejunio præcise ob suum laborem, nisi adsit specialis infirmitas: nam experientia constat posse eos communiter jejunare sine gravi incommodo, quod solum potest eos excusare. Lex autem est secundum id, quod communiter est.

6. Qui pedibus conficiunt iter, quod in tempus aliud a jejunio liberum nequeat commode differri; modo spectatis omnibus, ut itineris longitudine, viarum difficultate, laboris gravitate, itinerantis viribus &c. non possint sine notabili incommodo jejunare. Quare circa hoc non potest determinari numerus leucarum, qui generatim excusetà jejunio; nam alii plus, alii minus laboris capiunt ex via, & viæ aliæ aliis sunt difficiliores; tempus etiam potest augere vel minuere incommoda &c.

Dixi, *pedibus* quia non excusantur, qui equo vel curru iter faciunt, nisi forte ob extraordinariam concussionem ac defatigationem non possint sine gravi incommodo jejunare. Nam lex jejunii obligat, quando servari potest sine notabili incommodo seu nocumento. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propositi. *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant*.

7. His caussis multi addunt pietatem, sive opus præstantius, & Deo gratius, incompossibile moraliter cum jejunio, ut sunt opera misericordiæ cum corporalia, tum spiritualia, & etiam religionis, quæ quis jejunando non posset exercere, nec in tempus aliud differre, si exerceantur ex officio, vel obedientia, vel ob necessitatem proximi, Quia (ut ait S. Th. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3.) *Non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias & magis necessarias causas*. Nam cum Ecclesia præcipiat jejunium ut promotivum ad bonum, non intendit obligare ad illud prout impedimentum est majoris boni. Sic Ecclesia diebus festis judicialem strepitum vetat, *nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat*, ait Gregor. IX. cap. ult. de Feriis.

Observa 1. Nemo ab abstinentia carnis liberatur præcise ob ætatem, & laborem gravem, sed ad hoc requiritur morbus vel infirmitas major, & specialis. Quia abstinentia a carnibus rarius potest grave nocumentum inferre, quam abstinentia ab altera refectione.

2. Quamvis adsit gravis infirmitas, vel morbus, adhuc perenda est licentia a superiore, nisi forte in certis casibus ex consuetudine non petatur. Ita S. Th. loc. cit. & Conc. Tolet. VIII. cap. 9. id exigit. Quia rectus ordo disciplinæ id postulat: tum ut agnoscatur auctoritas Ecclesiæ, tum maxime ut vitetur periculum seipsum decipiendi, & violandi legem: nam sibi quilque facile fingere potest adesse causam justam exemptionis.

III. In dubio de sufficientia causæ ad non jejunandum, semper peti debet dispensatio, quia stat pro lege possessio, & in dubio tutior pars eligi debet. Dispensare possunt cum sæcularibus Episcopus, vel etiam Parochus, juxta cujusque Diœcesis consuetudinem: nam potestas dispensandi in hac lege sæpe occurrente potest ex consuetudine esse Parocho concessa, cum bonum animarum id postulet. Cum regularibus vero superior localis: quia in suos potestatem habet quasi Episcopalem. Nam, ut ait Sanchez, ex vi sui muneris instituitur, ut plenam spiritualem subditorum curam habeat cum sufficienti jurisdictione ad hoc munus, quæ postulat, ut Prælati etiam locales potiantur jurisdictione Episcopali erga illos, & sint illis loco Episcoporum cum ab Episcopis privilegio Pontificio eximantur. Confessarii autem sicut & Medici possunt solum declarare obligationem jejunandi non esse, ubi id constat: & causam dispensandi sufficientem esse, vel non esse: qui graviter peccabunt, si imprudenter & nimia facilitate declarent. *De consilio rationabili Medici infirmi solvens Jejunium, vel comedens carnes dicebat prohibitis non peccat, sed peccaret Medicus, si sine justa causa rationabili, vel saltem dubia talia mandat, vel ordinat infirmis*: ait S. Antoninus loc. cit.

✠ APPENDIX.

Ad usum Missionariorum.

De Orientalis Ecclesiæ circa Jejunium disciplina.

DE Orientalis Ecclesiæ disciplina etiam circa ecclesiastica Jejunia, plura dicturus sum in tractatu de Sacris Christianorum ritibus, quem ante tractatum de Sacramentis in genere exponi debere ad usum Missionariorum necessarium existimavi. Hic vero nonnulla opportunum visum est indicare, quæ ne-

cessaria sunt, ut Orientales ritus Christiani sciant, quando, & qua ratione ex Ecclesiæ præcepto ipsis sit jejunandum.

Principio autem statuo Orientales ex Ecclesiæ præcepto teneri ad Jejunia illa, quæ vel ex præscripto antiquorum Canonum, aut ex antiqua, usu recepta, & confirmata consuetudine observare solent: hæc enim habet vim legis, ut omnes fatentur.

Deinde ab hujusmodi lege dispensari non posse ab Episcopis, vel Patriarchis, ut in Appendice ad tractatum de legibus demonstravi; & ut constat etiam ex Constit. S. M. Benedicti XIV. *Demandatam calitus*, in qua factum Cyrilli Patriarchæ Antiocheni improbatur, quod *in quodam Episcoporum confessu in Monte Libano habito anno 1736. receptam Ecclesiæ Græcæ disciplinam circa Jejunia immutaverit*.

Denique, non omnes Orientales convenire circa dierum numerum, in quibus sit jejunandum, nec circa modum. Quod quidem discrimen non novum, sed antiquum est: ut videre est apud Thomassinum tract. de Jejuniis Ecclesiæ part. 1. cap. 20. & ut notat Balsamon in fragmento a Cotelero latine reddito in not. ad lib. VI. Const. Apost. cap. 30. Quamobrem jure meritoque præsumitur, antiquam esse diversam jejunandi consuetudinem, quæ in diversis Ecclesiis Orientalibus viget: quod notatum volo, ut quisque intelligat propriæ Ecclesiæ consuetudinem hac in re servari debere. Iis præmissis, ad particularia descendendo, exordium sumam ab Italo-Græcis, iisque scilicet, qui in Italia, & in Insulis Italiæ adjacentibus degunt, sed græcos ritus servant.

De iis Benedict. XIV. Constit. *Etsi pastoralis*, ait: Primo, *Ad observantiam jejuniorum, & vigiliarum Latinæ Ecclesiæ, si tota loci illius Græcorum communitas, vel potior Laicorum pars cum Parochis, & Presbyteris conjunctis induci posset, opinandum esset: idque absque alia Sedis Apostolicæ dispensatione, arbitrio Ordinariorum relinquimus Latinorum: non tamen ad id cogi debent, si velint vitum suum in jejuniis sequi, cum ipsi qualibet hebdomada feria quarta, & feria sexta, ut asseritur, solerani jejunare, neque privatis personis fas sit, ubi Parochiam Græcam habent, ibi, contra proprium ritum, Latinorum more jejunia, & vigilias servare: sed omnes vel græce cum Græcis, vel latine cum Latinis jejunare. Ubi vero propriam Parochiam non habent, ibi libere, & licite possunt in omnibus Latino ritui sese conformare, sive Laici sint, sive Presbyteri, excepto græco ritu, qui in Missis, & Divinis Officiis a Presbyteris est servandus*.

Secundo ait, *Ubi Parochiam Græcam habent, tolerandus est apud Græcos esus carnium die Sabbati, si sine scandalo fieri potest: in locis autem ipsorum, & inter eos tantum*.

Tertio, *Prohibentur tamen Græci suis famulis Latinis cibos vetitos apponere, sive die Sabbati, quando præfatis Græcis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore, quo Latini debent ab illis abstinere. Latini enim famuli Græcorum, Latinum vitum servare tenentur*.

Quarto, *Item tolerandum est, ut ad Jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione, non tenetur, sed dumtaxat ad abstinentiam*.

Quinto, *In jejuniis quoque biduanis, vel triduanis, vel aliis a Diœcesanis, vel in Jubilæis a Summo Pontifice Romano indictis, diei Sabbatini eis comprehensi, vel præscripti, in aliam diem pro Græcorum plebe ab ipsis Diœcesanis Apostolica Authoritate permittitur commutari*.

Sexto, *Tam Græcis in Corsica habitantibus, quam omnibus & singulis Albanensibus, & Græcis, qui in Italia, & insulis adjacentibus commorantur*, concedit, & indulget, *ut ad instar Latinorum, in quorum Diœcesibus degunt, in Quadragesima quartis, & sextis feriis, & reliquis anni jejuniis, vino, oleo, & piscibus cujuscumque generis uti possint*; atque litteras Clementis Papæ XII. confirmat, quibus Abati, & Monachis Monasterii Ord. S. Basilii Magni ritus Græci Orientalis Terræ Dimidii - Jussi Panormitanæ Diœcesis concessit, *ut piscibus sanguinem habentibus libere & licite nonnullis anni Quadragesimis vesci possint, non obstantibus ritus Græci ordinationibus*.

Nota. Præter Quadragesimale jejunium, & abstinentiam, vel jejunium feriæ quartæ, & sextæ, Italo-Græci abstinere quoque debent a carnibus, lacticiniis, & ovis tribus aliis temporibus: scilicet a die Lunæ post festum SS. Trinitatis ad festum usque Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli *exclusive*: a prima Augusti usque ad festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & quintadecima Novembris usque ad Nativitatem Domini. Hæc est, quæ apud Italo-Græcos consuetudo viget, ut constat ex supplici libello, quo Pompilius Rodota nomine Italo-Græcorum anno 1740. supplicavit Sanctissimum, ut eo anno abstinentiam, quæ præcedebat Festum Apostolorum ad duodecim tantum dies redigeret, quoque stante sterilitate ciborum quadragesimalium gratiam pro illo tantum anno obtinuit, die 18. Aprilis 1741. Et quod spectat ad abstinentiam, quæ præcedit Festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Sac. Congreg. Supremæ Inquisitionis die 7. Septembris anno 1733. petente D. Rodota Archiepiscopo Boreæ, ut ipsi facultas concederetur, occasione visitationis Ecclesiarum ritus Græci utriusque Siciliæ, dispensandi subditos ab hac Quadragesima, quod maxime incommodi sit, præsertim pauperibus laborem manuum viventibus; monendum censuit dictum Archiepiscopum per Sacram Congregationem de Propaganda Fide, ut in visitatione curaret omnino tollere abusus hujus Quadragesimæ observationi contrarios; ne hujusmodi abusus progressu temporis pro consuetudine allegarentur.

At non eadem est aliorum Græcorum consuetudo. Nam P. Guar. vir in hujusmodi rebus valde peritus, in novis in Præsanctificatorum officium n. 27. hæc habet. *Quamvis autem in honorem Apostolorum, a Dominica post Pentecosten Sanctorum omnium celebritati addicta, ad diem Petro & Pauli consecratum, posteriusque alium Apostolorum cunctorum solemnitati communem, jejunium assumptum observent: brevissimum tamen est, & pro festivitatis Paschalis varietate incertum, nec tam grave, ut olei, piscisque comestionem secum ferat illicitam. Aliud item a prima Augusti ad diem B. Virginis Assumptioni celebrandæ dicatum, devotionis licet, & affectus erga illam demonstrandi gratia suscipiatur, non ita protrahitur tamen, & ab ovis & caseo tantum, non piscibus & oleo interdicit*.

Jejunium tandem Christi Natalitis præcium, quamvis olim decimaquinta Novembris incipi soleret; nunc tamen feigidior Græcorum devotio ad dies septem contraxit. Balsamon, ut Cotelerius refert loco supra a nobis citato, ait, *Jejunium quatuor festorum, Nativitatis Jesu Christi, SS. Apostolorum, Transfigurationis, & Dormitionis Deiparæ esse in excusabile: cetera vero dierum quantitatem non esse æqualem apud omnes, sed ante festum quidem alios unusquisque horum festorum, antequam Fideles Laici fideles, & Monachi cœgantur jejunare ingenti fabiliter: quique non ita faciunt, ab Orthodoxorum communione alienabuntur.* in supra cit. Const. *Demandatam cœlitus* Bened. XIV. Summus Pontifex recenset jejunia Græco Melchitis servanda, ait, *præter jejunium Quadragesimæ, quod in tota Ecclesia Patribus Resurrectionis Domini Festis Apostolica Institutione præmittitur, similis etiam quadragena dierum abstinentia Natalitiæ Christi solemnitati præcedit: tum alia quatuordecim dierum ante Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis observatur: & alia demum ante Festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, totidem dies completens, quot a feria secunda post Octavam Pentecostes ad eorumdem Apostolorum Festum intercurrunt.* Vides ergo diversitatem, quæ hunc viget penes Orientales circa dierum numerum, quibus jejunare solent, retroactis quoque temporibus fuisse, ex quo jure meritoque deducimus, unamquamque Ecclesiam jejunia observare oportere, quæ ex majorum consuetudine servanda esse accepit.

Discrimen quoque in iis observare est circa jejunandi modum: Licet enim ad antepaschale jejunium quod attinet, eadem debeat esse in omnibus jejunandi ratio, ut infra demonstrabo; tamen circa alia sejunia invicem dissident: alii enim contenti sunt sola abstinentia a carne, lacticiniis, & ovis (excipimus tamen dies mercurii & veneris, in quibus fere omnes ab oleo quoque, & piscibus abstinent): alii jejunium protrahunt usque ad nonam tantum: alii denique pro loci consuetudine majorem vel minorem rigorem servant. Atque in iis etiam derivata ex majoribus consuetudo in unoquoque loco tamquam lex Ecclesiæ observanda est.

Venio nunc ad magnum quadragesimæ jejunium. Facile intelligere est, Græcos, aliosque Orientales in eo, non solum teneri ad unicam comestionem, exceptis diebus Dominicis & Sabbatis, in quibus, si excipias Sabbatum Sanctum, juxta propriæ Ecclesiæ disciplinam jejunare non debent. Sed præterea abstinere quoque debere a piscibus cum sanguine præter quam Annunciationis, & Palmarum Festivitatibus, immo nonnullos etiam ab oleo abstinere, si non semper, saltem prima hebdomada, & feria quarta & sexta majoris hebdomadæ. Obligationem hanc tum ex iis deducimus, quæ notat Goarius loco sup. cit. tum ex dispensatione Italo-Græcis a SS. Pontificibus concessa; tum denique ex eo, quod consuetudo hæc ubique vigeat, ubi ortis ex ignorantia abusibus, disciplina non est immutata.

Circa feriam quartam & sextam Bened. XIV. Const. paullo ante citata, indistincte servari præcipit *in toto tractu Patriarchatus Antiochensi laudabilem consuetudinem a majoribus derivatam, abstinendi etiam qualibet Feria quarta, & sexta per annum ab esu piscium, quæ aliis quoque Orientalibus Populis eiusdem Græci ritus exacte custoditur.*

Nota 1. Pisces, a quibus abstinere debent, ii sunt, qui sanguinem habent. Nam dum ab iis abstinent, fas Orientalibus est uti *squillis, ostreis, cancris, polypodibus, sepiis, & aliis hujusmodi exsanguinibus, quasi a piscium perfectorum natura alienis, & crudiate, seu velitate stomacum affligentibus, sicut & piscium ovis exsiccatis & sale ad solem conditis*; ut notat Goar. loc sup. cit.

Nota 2. In supradicta Constitutione Summus Pontifex facultatem concedit Patriarchæ Antiocheno, ut dum pernitere cognoverit talem necessitatem in incolis Libani & Anti-Libani, qua carnibus & lacticiniis vesci cogantur, *in singulos annos tantum, & non aliter, nec alio modo dispensationem singulis præfatis Communitatibus concedere possit, illæsa remanente etiam quoad illos generali lege de Jejuniis & abstinentiis, a qua nemini licet dispensationem in genere concedere.* Hac itaque dispensatione omne locum supradicti censeri non debent dispensati a lege præscribente unicam comestionem Jejunii tempore, juxta ea quæ ab Auctore de Jejuniis Latinorum disserente explicata sunt, & a Summo Pontifice Constitutionibus ibi a nobis indicatis, declarata, & definita.

Nota 3. Dubitari non potest, quin dicta Constitutio, qua parte jubet servandos esse ritus & Jejunia Orientalis Ecclesiæ, ac tollendos abusus, qui contra Orientalis Ecclesiæ disciplinam irrepserant, Orientales omnes Græcum ritum servantes obliget. Id manifestum fit ex eo, quod idem Summus Pontifex die 11. Maji anno 1744. Const. quæ incipit, *Inter plures*, decrevit, ut Monachi Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum, statuto, quo pro recta monasteriorum utriusve Provinciæ Lithuaniæ & Poloniæ disciplina, constituerant, ut Orientalis Ecclesiæ usus, consuetudines, exercitia, Jejunia, ritus, & cærimoniæ in eisdem observarentur, adderent hujusmodi verba: *Juxta Epistolam decretalem S. M. Bened. XIV. demandatam cœlitus.*

Nota 4. In illis locis, in quibus contra propriæ Ecclesiæ consuetudinem feria quarta, & sexta, ac nonnullis Quadragesimæ diebus a Catholicis, ritus vel Græci, vel Armeni, vel Coptici, aut alterius cujuscumque, omittitur abstinentia a piscibus cum sanguine, oleo &c. quod hujusmodi abstinentias in Romana Ecclesia observari non noverint, vel quod Latini nonnulli Missionarii ignorantes Orientalis Ecclesiæ disciplinam, Catholicos ad hujusmodi abstinentias non esse obligatos docuerint, hujusmodi omissio pro abusu habenda est, atque omnino tollenda. Nam præterquam quod constat hujusmodi abusum ex ignorantia orrum ducere, Apostolica Sedes eum semper improbavit. Patet id ex instructione quam juxta decretum approbatum a Clem. VI. 6. Februarii 1736. Suprem. Inquisit. Commissarius misit ad Euthimium Archiepiscopum Tyri & Sidonis, in qua improbatur permissio facta ab hujusmodi Archiepiscopo vescendi piscibus feria quarta & sexta, ac quadragesimæ tempore contra Ecclesiæ Græcæ consuetudinem; atque ex alio ejusdem Supremæ Inquisit. decreto 19. Januarii 1723. quo negatur Armenis ad fidem Catholicam conversis in Crimæa dispensatio comedendi pisces diebus superindicatis, ac etiam aliis diebus, si qui sint, in quibus juxta propriæ Ecclesiæ disciplinam abstinere debeant. Nec ab hujusmod abs-

tinentia excusari possunt, quia per eam convenirent cum Hæreticis: hæc enim non est signum hæreseos professativum, sed observatio Orientalis Ecclesiæ disciplinæ, quæ si penes hæreticos viget, multo magis vigere debet apud Catholicos. Huic in supracitata instructione permisso facta ab Archiepiscopo illo damnatur ob scandalum, & Catholicæ nostræ fidei derisionis motivum, quod Ecclesiæ inimicis affertur, quos non disciplinæ immutatione, sed exacta observantia, virtutum exemplo, atque Catholicæ veritatis manifestatione allicere, & ad Orthodoxam fidem amplectendam trahere debemus.

Nota 5. In locis illis, in quibus a Paschate ad Pentecosten omitti solent abstinentiæ in feria quarta, & sexta, non videntur cogendi Catholici ad eas observandas. Cum enim constet ex Thomasino aliisque, antiquam esse hujusmodi consuetudinem, præsumi potest ex disciplina a majoribus recepta hujusmodi abstinentias omittere.

Quæ sint jejunia propria Armenorum, colligitur ex dispensatione ad decennium concessa ab Innocen. XIII. 24. Januar. 1723. & ad aliud decennium prorogata a Clem. XII. 15. Maii 1733. pro Armenis Leopoli commorantibus. Ibi enim quinque jejunia recensentur, scilicet in ipsis festivitatibus Pentecostes, excepta die 1. per hebdomadam unam, & vocatur jejunium Ecclesiæ. Alterum, quo se disponant ad transfigurationem Domini per hebdomadam unam. Tertium, ad Sanctæ Crucis apparitionem in Monte Verak per hebdomadam unam. Quartum, ad S. Jacobum Nisibenem per hebdomadam unam. Quintum, ad S. Sergium tempore baccanaliorum per hebdomadam unam. In illis autem dispensationibus Summi Pontifices jejunium Quadragesimale juxta solitum & ritum Armenorum servari mandaverunt.

Maronitæ diebus Mercurii & Veneris abstinent tantum a carnibus & lacticiniis, & Quadragesimæ tempore pisces manducant. Hanc vero consuetudinem, & antiquam esse, & licitam facile conjiciamus. Quippe ii plura cum Latinis communia habent, & ab Orientalibus reliquis diversa, ut in tractatu de ritibus indicebo.

CAPUT IV.

De Virtutibus Justitiæ annexis.

Nam de Justitia erit Tractatus specialis.

SAnctus Thomas vocat Virtutes Justitiæ annexas, alii vero Justitiæ species imperfectas, quæ versantur circa aliquod debitum ad alterum, sed quod non est tam rigorosum, quam debitum Justitiæ, vel quod adeo magnum est, ut nequeat reddi ad æqualitatem; tales sunt Religio, Pœnitentia, Pietas, Observantia, Obedientia, Gratitudo, Affabilitas, Liberalitas, & Veritas in dicendo. De Religione fuse dictum est: de Pœnitentia suo loco; nunc de aliis.

1. Pietas sumpta pro speciali virtute, est virtus, per quam tribuitur debitus cultus tum parentibus tamquam vitæ & educationis post Deum auctoribus: tum patriæ, quia patria aliquo modo est principium ortus, eo quod parentes foveat, & idonea ad ortum & educationem suppeditet: tum etiam aliis consanguineis ob connectionem, quam habent cum parentibus. Consistit hic cultus cum in honore parentibus suo tempore & loco deferendo, tum obsequiis & necessariis vitæ subsidiis præstandis. Ita S. Aug. lib. 83. qu. 31.

2. Observantia est virtus, per quam defertur cultus, hoc est, honor & obsequium superioribus, ob eminentiam conjunctam cum beneficio gubernationis; atque etiam aliis personis virtute, sapientia, aut dignitate conspicuis, quatenus ratione talis perfectionis idonei sunt ad nos gubernandum, seu dirigendum, saltem exemplo suo vel consilio. Duplex est, nempe politica, qua ob dignitatem politicam, vel excellentiam humanam; & religiosa, qua ob dignitatem vel perfectionem supernaturalem cultus defertur.

3. Obedientia duplex est, alia est virtus generalis, inclinans ad observandum quodvis præceptum ex quovis motivo bono: & sic obedire pertinet ad quamlibet virtutem, ex cujus motivo mandatum servatur. Ei opponitur inobedientia generalis, quæ est vitium generale consistens in cujusvis præcepti violatione, ex quovis motivo; eloquæ est peccatum in re gravi, veniale in levi, & includitur in omni peccato tamquam ratio genuina.

Alia est virtus specialis inclinans subditum ad exequenda præcepta superiorum, quia præcepta sunt. Ei opponitur inobedientia formalis, quæ est violatio præcepti, quia præceptum est: unde semper mortalis est etiam in re levi: quia est contemptus præcepti, ac potestatis præcipiendi: nam nolle obedire præcepto quia præceptum, est illud contemnere, & simul potestatem unde manat.

Porro obedientia minus stricte sumpta est virtus, qua quis voluntati superioris se accommodat, sive præcipiat, sive non. *Voluntas enim superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tactum præceptum: & tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate superioris intellecta*, ita S. Th. 2. 2. qu. 104. art. 2.

4. Gratitudo est virtus inclinans ad compensandum beneficium acceptum, quantum, & ubi recta ratio postulat. Ejus officia sunt beneficii æstimatio, benigna acceptatio, gratiarum actio, grata commemoratio, & repensio beneficii pro loco & tempore. Ei opponitur ingratitudo, quæ est peccatum, cum disconveniat naturæ rationali ut rationali, & opponitur virtuti: *Hæc hoc enim aliquid dicitur esse peccatum, quod virtuti contrariatur*, ait S. Th. 2. 2. q. 108. art. 2.

5. Liberalitas est virtus, quæ moderatur amorem divitiarum, & reddit nos faciles, & promptos ad eas impendendas, quantum, & quando recta ratio dictat. Unde ejus officium est. 1. Moderari affectum divitiarum secundum rectam rationem. 2. Est largitio & modus debitus in ea servandus. Ei opponitur per defectum avaritia, per excessum prodigalitas, quæ consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi. Quamvis hæc sit sæpe venialis quatenus cum sola liberalitate pugnat; est tamen mortalis culpa, cum quis inde se reddit impotentem ad solvenda debita, ad sustentandam convenienter familiam, ad eleemosynas erogandas &c. vel ratione finis, pericili, scandali &c.

6. Veritas in dicendo seu veracitas est virtus, qua inclinamur ad semper loquendum conformiter menti nostræ, unde facit ut recte una signis ordinaris

ad mentem alteri patefaciendam, de qua Ephes. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* Ei opponitur mendacium; circa quod

Quæst. I. *An omne mendacium eâ intrinsece malum?*

Resp. (Vid. num. 27. 23. 324. 327.) Affirm. Ita omnes & Aristoteles ipse lib. 4. Ethic. c. 7. dicit mendacium per se esse malum & vituperabile.

Prob. Quia in se continet inordinationem; nam pervertit naturalem institutionem & fidem locutionis ad hoc entibus intellectivis concessa, ut possint inter se communicare sensus suos: ac proinde per se evertit communicationem cum hominibus & commercium vitæ socialis, eâque deceptivum proximi. Ideo omne mendacium in Scriptura prohibetur. *Noli velle mentiri omne mendacium*, Eccles. 7. *Verbum mendax Justus detestabitur*, Prov. 13. *Nolite mentiri invicem*, Colos. 3. Unde Alexander II. c. 4. *de usur.* ait, quod *Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri.*

Mendacium tamen quod nec proximum, nec honorem Dei graviter ledit, nec scandalum parit, nec est contra bonos mores, veniale est, quale est mere jocosum, vel officiosum, ut docet S. August. in Ps. 5. Nam tunc ejus inordinatio non censetur gravis. At mendacium perniciosum, quod graviter ledit bonum proximi, vel honorem Dei, aut grave scandalum parit, est mortale: quia graviter repugnat caritati Dei, vel proximi, vel etiam justitiæ, aut religioni. Tale est omne mendacium contra fidem, religionem, vel bonos mores, in judicio, testimoniis, juramentis, contractibus, detractione gravi &c. *Os quod mentitur, occidit animam*, Sap. 1. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, Ps. 5.

Idem dic de simulatione, nam est vere & proprie mendacium in facto; mendacium enim est locutio contra mentem. Per locutionem autem intelliguntur actuum interiorum significatio, per quævis signa mentis significativa, five fint verba, five facta, gestus, nutus five scriptura. Nam (ut ait S. Auguft. lib. de mendac. c. 5.) *Ille mentitur qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet fignificationibus enuntiat.* Et S. Th. 2. 2. q. 110. art. 1. ait: *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem fe exhibeat exteriùs per figna exteriora, qualis eft. Signa autem exteriora non folum funt verba, fed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud fignificet quam habet apud fe, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua figna factorum vel rerum aliquid fignificet contrarium ejus, quod in eo eft: quod proprie fimulatio dicitur. Unde fimulatio propriè eft mendacium quoddam in exteriorum fignis factorum confiftens. Non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo; vel quocumque alio facto. Unde cum omne mendacium fit peccatum, confequens eft etiam quod omnis fimulatio eft peccatum.* Sed q. 109. art. 3. ad 4. ait: *Licet tamen veritatem occultare prudenter fub aliqua diffimulatione, ut Auguftinus dicit in lib. contra mendac.* Aliud eft enim verum celare, & aliud falfum fignificare.

Quæst. II. *An aliquando licet uti æquivocatione, vel reftrictione mentali?*

Nota. Æquivocatio hic eft vox, feu propofitio varios habens fenfus, quam proferens prævidet ab audiente accipiendam in alio fenfu, quam ipfe intelligit. Duplex eft, alia determinabilis exterius, & late dicta, cujus fcilicet fenfus verus a proferente intellectus poteft per fe cognofci ex circumftantiis aut indiciis exterioribus: alia indeterminabilis, & ftricte dicta, cujus fenfus a loquente intellectus non poteft ullatenus deprehendi.

Reftrictio mentalis eft propofitio, cujus verba exterius prolata falfum fenfum & contrarium menti loquentis exprimunt, fi præcise fecundum fe fpectetur; fed conjuncta cum iis quæ mente retinentur; faciunt fenfum verum. Duplex eft; una pure mentalis & ftricte dicta, cujus fenfus a loquente intellectus non poteft ex circumftantiis aut indiciis exterioribus aut ufu communi deprehendi, ut fi quærenti an videris Petrum, refpondeas *non vidiffe*, fubtelligendo *in foro*, cum tamen videris domi tuæ. Nam ex nullis circumftantiis colligi poteft, te interrogari de viffone in foro, aut de illa refpondere. Altera non pure mentalis, cum verba exterius prolata adjunctas habent circumftantias externas, quibus ea, quæ mente retinentur, per fe facile cognofci poffunt, ita ut circumftantiæ illæ ex ufu apud prudentes recepto confignificent, & verum fenfum reftrictionis fufficienter indicent; inter quas recenfentur ftatus confeffarii, legati, fecretarii, obligatio fi fecreti &c.

Refp. 1. Nunquam licet uti æquivocatione indeterminabili exterius, nec reftrictione pure mentali. Quia 1. Sunt per fe deceptivæ proximi, & contra naturalem inftitutionem ac finem locutionis & fignorum ordinatorum ad exprimendos conceptus mentis: ideoque ftant per fe malæ & inordinatæ. 2. Earum ufus eft perniciofus Reip. & focietati humanæ: nam fi licitus eflet, tolleretur fermonum terminus: nemo enim unquam certus eflet de fide & mente alterius, omnibufque dolis pateret aditus; & fic everteretur auctoritas teftimonii humani, & fides humana, ideoque & commercium inter homines corrueret. 3. Sunt mendacium; & fi juruntur, fiet perjurium. Nam locutio totaliter fumpta eft contra mentem, cum neque ex circumftantiis extrinfecis habet vim fignificandi totam propofitionem internam, aut partem illam in mente fubintellectam, fed id folum fignificet quod verba in fuo fenfu obvio præferunt, quod quidem eft contra mentem. Enimvero, ut ait Delugo, veritas propofitionis vocalis conftitit in ejufdem propofitionis, fecundum fignificationem externam vocibus impofitam, conformitate cum mente loquentis. Præterea voces datæ funt homini a natura ipfa, ut fuos conceptus patefaciat, & ut iis non uterur nifi juxta fignificationem femel impofitam. *Verba* (inquit S. Auguft. Enchir. 22.) *propterea funt inftituta: non per quæ fe invicem homines fallant: fed per quæ in alterius quifque notitiam cogitationes fuas perferat. Verbit igitur uti ad fallaciam, non ad quod inftituta funt, peccatum eft.* Innocent. XI. damnavit has propofitiones ficut jacent. 26. *Si quis vel folus, vel coram aliis, five interrogatus, five propria fponte, five recreationis caufâ, five quocumque alio fine juret, fe non fecifle aliquod quod revera fecit, intelligendo intra fe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eâ perjurus.* 27. *Caufæ juftæ utendi his amphibologiis*

eft, quoties id neceffarium aut utile eft ad falutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenfeatur tunc expediens & ftudiofa.

Refp. 2. Certum eft, non licere uti ulla æquivocatione etiam determinabili, neque reftrictione etiam non pure mentali. 1. Ex intentione decipiendi proximum, feu ei falfam opinionem ingenerandi, quia hoc per fe malum eft: nam (ut ait Lyman) ficut veritas eft mentis perfectio: ita falfitas omnis eft dehonestatio, & dedecus ejufdem: alterius autem mentem, ad Dei fimilitudinem conditam dedecorare velle, intrinfece malum eft. *Verbis uti ad fallaciam, non ad quod inftituta funt, peccatum eft*, ait S. Auguft. fup. 2. Quoties interrogans habet jus inquirendi & fciendi veritatem, ut fuperior, judex &c. Nam huic juri refpondet in interrogato obligatio clare & fine ambiguitate veritatem detegendi, & fecundum interrogantis mentem refpondendi. *Axor dicat, effe communem omnium fententiam.* 3. Quando non adeft gravis & juffa cauffa occultandi veritatem: quia bonum, & lex focietatis humanæ exigit, ut clare & juxta interrogantis mentem refpondeamus, quamvis non habeat jus ftrictum rem illam cognofcendi, faltem dum non adeft gravis & juffa cauffa eam occultandi. Quæ lex fundatur in ipfa natura hominis, in quantum eft animal fociabile. *Quia homo eft animal fociabile, naturaliter unus homo debet alteri id, fine quo focietas humana fervari non poffet. Non autem poffent homines ad invicem convivere, nifi fibi invicem crederent tamquam fibi invicem veritatem manifeftantibus. Et ideo virtus veritatis aliquo modo attendit rationem debiti*, ait S. Th. 2. 2. q. 109. art. 3. ad 2.

Hinc quærenti an liceat uti æquivocatione, vel reftrictione mentali, dici debet id non licere, ut conftat ex propofitione damnata cit. Non folum quia æquivocatio & reftrictio fimpliciter dictæ intelliguntur ordinarie de æquivocatione indeterminabili exterius, & de reftrictione mere mentali; fed etiam quia interrogatio eft indefinita, ideoque univerfalis. At juxta communem fententiam, non licet in cafibus fupradictis uti reftrictione etiam non pure mentali, nec æquivocatione etiam determinabili.

Itaque poteft effe folum controverfia in cafu, ubi adeft obligatio, vel alia gravis cauffa occultandi veritatem ei, qui non habet jus exigendi ejus cognitionem, nec fuppetit alia via eam occultandi, & incenditur folum occultatio veritatis, non autem deceptio proximi, quæ tantum permittitur.

Multi earum ufum cum tali limitatione defendunt poft S. Antonin. 2. par. tit. 10. c. 2. §. 2. & S. Raimundum lib. 2. *Summ. tit. de mendac.* Quia, inquiunt, per eas non affirmatur falfum, fed verum, quamvis obfcurius expreffum, ita ut tamen veritas ex circumftantiis extrinfecis deprehendi poffit, & fic non funt per fe deceptivæ: nam verba, ut conjuncta fignis, vel circumftantiis humano modo cognofcibilibus, funt fignificativa totius propofitionis mentalis: unde millam per fe continent fallaciam aut deceptionem. Neque repugnant focietati feu commercio humano, cum potius ad illud fint neceffariæ: nam alioqui nulla erit via licite fervandi vitam proximi, & fecretum graviter obligans, & eludendi importunitatem hominum curiofe inquirentium de iis, quæ ad illos non fpectant, nec eos fcire expedit, & quæ fine gravi damno injufto revelari nequeunt. Addunt, adverfarios fuos eadem quoad rem admittere, fed mutato nomine appellare vel fictionem, vel figuram, vel præcifionem, vel ufurpationem fenfus myftici, præcifivi, formalis, aut ita illas definire, ut videantur intelligere folum æquivocationem non determinabilem, & reftrictionem pure mentalem, vel ufurpatam cum intentione decipiendi proximum.

Sed alii ceffufvis æquivocationis & reftrictionis ufum abfolute & indifcriminatim damnant. Quia 1. Earum ufus fuit incognitus Patribus, & præfertim S. Auguft. tamquam utilis ad vitandum mendacium, aut neceffarius ad occultandam in neceffitate veritatem. Nam S. Doctor lib. contra mendac. cap. 18. proponit cafum hominis gravi morbo periclitantis, cujus jam vires ferre non poffit, fi ei mortuus unicus & cariffimus filius nuntietur, quique a te fciente vere mortuum effe quærit, an vivat? Unum tantum ex tribus, *Mortuus eft, Vivit, Nefcio*, refpondere potes, inquit S. Auguft. Nam quidquid aliud dixeris, vel fi tacueris, nihil aliud crederet æger, quam filium mortuum effe. Sic cafum S. Doctor refolvit: ex illis tribus duo funt falfa, nempe, *Vivit*, & *Nefcio*, nec dici poffunt nifi mentiendo. Unde id unum falva veritate, cui (non obftante quolibet incommodo inde per accidens fecuturo,) adhærere debes, refpondere potes, *Mortuus eft.* 2. Quia dicunt eas effe mendacia, & per fe deceptivas proximi. 3. Quia, inquiunt, non eft neceffitas iis uteudi; nam fi de re fub fecreto commiffa interrogeris, refpondere debes interrogationem illam illicitam effe, nec tibi licere quilquam ad eam refpondere. Reus vero non legitime interrogatus refpondere debet fe nihil habere, quod dicat. Addunt, non effe abfurdum, quod certis cafibus nulla reftet via licita occultandi veritatem, ficut nec fe defendendi contra injuftum aggrefforem. Prioris fententiæ patroni refpondent ad 1. S. Auguft. loqui de cafu, in quo agitur de æquivocatione non determinabili exterius, vel de reftrictione pure mentali. Ad 2. negant, quia fenfus totus propofitionis mentalis cognofci poteft vel ex ufu communi, vel ex indiciis aut circumftantiis exterioribus. Ad 3. dicunt refpondionem illam fæpe indicare veritatem occultandam; unde Deus aliam viam licitam occultandi veritatem fuppeditavit.

Nota. Clerus Gallicanus ann. 1700. hanc propofitionem, *Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipfe Chriftus, nrdum viri juffi & fancti, æquivocationibus, five amphibologiis, & reftrictionibus mentalibus uft funt*, damnavit ut fcandalofam & impiam. Enimvero reftrictiones mentales & æquivocationes per fe continent aliquid artificiofæ fallaciæ ab ingenua fiducia alienæ, propter quod vulgo cenfentur a Chriftiana fimplicitate ac finceritate abhorrere; unde decet fupremam & eflentialem veritatem hujufmodi artificio uti, cujus quidem ufus reddit verba loquentis pelcio quomodo contemptibilia, & non parum fufpecta: ac proinde loquentis auctoritatem non parum minuit. Igitur dicendum eft, Chriftum & homines fpiritu divino affatos in iis difficilioribus locis locutos fuiffe figurative, myftice, parabolice, prophetice. Deus quippe poteft verba a vulgari fignificationis ufu ad fuperiorem quamdam fignificationem transferre, ut reipfa transfert locutiones facramentales, puta illam: Ego te baptizo &c.

TRA-

TRACTATUS

DE JUSTITIA, ET JURE, ET INJURIIS, ET RESTITUTIONE.

PARS PRIMA.

DE JUSTITIA, ET JURE.

CAPUT PRIMUM

De Justitia.

NOta. Justitia sumitur, 1. pro gratia sanctificante, quam qui habet, dicitur justus. 2. Pro complexione omnium virtutum, seu virtute generali. 3. Pro speciali virtute morali, ut hic.

Quæst. I. *Quid est justitia, prout est virtus specialis?*

Resp. 1. Est virtus moralis perficiens & inclinans voluntatem ad constanter ac perpetuo tribuendum unicuique jus suum, id est quidquid ei debitum est ex jure. Nam jus hic sumitur non pro jure formali, quod est facultas legitima ad aliquid, sed pro jure objectivo, seu objecto illius facultatis, nempe pro debito ex jure, seu debito rigoroso. Duplex quippe est debitum, unum simplicis honestatis; & est illud cujus violatione contrahitur solum turpitudo moralis: tale est debitum gratitudinis. Aliud est debitum ex jure, seu debitum rigorosum, de quo solo hic agitur, & est illud, quod si non redditur, contrahitur non solum turpitudo moralis, sed etiam obligatio restituendi, vel satisfaciendi, vel subeundi pœnam, quæ exigi possit ab eo cui illud debetur. Justitia autem versatur circa hoc debitum rigorosum. Unde ejus objectum materiale est redditio debiti rigorosi: formale vero est specialis honestas hujus redditionis. *Justitia suum cuique tribuit, alterum vindicat: Utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat.* S. Ambros. lib. 1. de offic. c. 24.

Quæst. II. *Quomodo dividitur Justitia?*

Resp. Dividitur in legalem, commutativam, distributivam, & vindicativam.

Justitia legalis est virtus inclinans ad tribuendum Communitati, seu Reip. debitum, ut debitum Communitati propter bonum commune, sive ad præstanda ea omnia, quæ communitati debita sunt in ordine ad bonum commune. Dicitur legalis, quia habet pro objecto id quod debetur communitati ratione Legum. Vocatur etiam generalis, quia versatur circa debitum ex jure communi seu generali, quod habet communitas sive ejus princeps, ad actiones & bona privatorum in ordine ad bonum commune. Hæc justitia est vera species justitiæ propriè sumptæ; nam versatur circa debitum rigorosum propriè dictum ut tale: communitas enim & ejus princeps habet verum jus justitiæ in subditos, ad exigenda ea quæ necessaria sunt vel utilia ad bonum commune. Et vicissim est in subditis debitum & obligatio rigorosa præstandi ea quæ communitas aut princeps pro suo jure re exigit in ordine ad bonum commune. Idque ex natura rei, nam stare non potest communitas sine tali jure in subditos.

Justitia commutativa est virtus inclinans ad reddendum ad æqualitatem debitum rigorosum particularibus vi dominii aut proprietatis, vel pacti aut contractus, alterutrive tituli particularis, ratione cujus habent jus in re, vel jus ad rem: unde spectat jus fundatum in titulo particulari, & æqualitatem rei ad rem. Sic vocatur quia inter actiones, quas moderatur, valde frequentes & illustres sunt commutationes, hoc est, mutuæ utrinque datione & acceptiones; nam versatur adhuc circa alias actiones, puta simplices tributiones, ut cum v. gr. datur quod promissum est liberaliter cum intentione dandi jus ad rem, promissione acceptata.

Justitia distributiva est virtus inclinans communitatem, seu ejus principem & ministros ad distribuenda civibus bona communia, officia, munera, proportionate ad cujusque merita & dignitatem; onera vero communia proportionate ad cujusque facultatem & vires. Unde spectat non æqualitatem rei ad rem, sed proportionem rerum ad personas seu ad personarum merita, dignitatem, & facultates.

Justitia vindicativa est virtus inclinans superiorem ad reum pro merito puniendum. Non est omnino contradistincta a commutativa & legali, sed ad utramque pertinet sub diverso respectu. Nam vindicta debetur læso & communitati ex officio a principe vel Judice, & sub hac ratione vindicta pertinet ad justitiam commutativam. Item debetur Reip. ratione Legum propter bonum commune; Reip. enim interest, & legibus statuitur ut puniantur crimina, & sub hoc respectu pertinet ad legalem.

Porro violatio cujuscumque justitiæ suprà dictæ est peccatum ex genere suo mortale, secundum doctrinam omnium, inquit Suarez. Nam quælibet est virtus magni momenti, & habet finem gravissimum, nempe civium pacem, concordiam, caritatem, securitatem, bonum commune &c. Unde ejus violatio in materia gravi, est gravis inordinatio.

CAPUT II.

De Jure.

Quæst. I. *Quid est Jus?*

Resp. Jus formale, cui respondet debitum rigorosum, est potestas legitima ad aliquid, cujus violatio obligat ad restitutionem, vel satisfactionem, vel pœnam, quæ possit exigi a læso.

Dicitur, 1. *Legitima*, id est, Lege aliqua concessa, vel Legi conformis, vel justo titulo nixa.

2. *Ad aliquid*, scilicet retinendum, obtinendum, agendum, omittendum, impediendum, vel ad utendum, aut fruendum aliqua re, vel de ea disponendum.

Quæst. II. *Quomodo dividitur Jus?*

Resp. Dividitur, 1. in Jus in re seu reale, quod est potestas legitima circa rem sibi obligatam & suam factam, ideoque dat actionem in rem ipsam, ita ut possit res illa vindicari ac reperi ubicumque fuerit; & in jus ad rem, quod est potestas legitima ad obtinendam, sibique obligandam rem eandem sibi obligatam, seu factam suam, ideoque non parit actionem in rem, sed in personam quæ illam debet. Sive jus in re est jus, quod quis habet in re, ut jam sua facta, & dat actionem realem. Jus ad rem est jus, quod quis habet ut res aliqua fiat sua, & parit actionem personalem. Actio autem hic est jus prosequendi in judicio id quod suum est, vel quod sibi debetur.

Dividitur. 2. In varias species.

Quæst. III. *Quænam sunt species juris realis?*

Resp. Sunt dominium, usus, usufructus, servitus, emphyteusis, feudum, pignus & hypotheca, quibus affinis est possessio. Hic aliquæ, cæteræ alibi exponentur.

§. I.

De Dominio.

Quæst. I. *Quid est Dominium, & quotuplex?*

Resp. Dominium in genere est jus gubernandi, vel disponendi de re aliqua, tamquam sua. Unde duplex est, jurisdictionis, & proprietatis. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi subditos in illorum commodum, præcipiendo licitè, prohibendo, judicando, punendo &c. Duplex est, aliud politicum seu seculare, quod est potestas gubernandi subditos in rebus temporalibus, qualis est in regibus & aliis principibus: aliud Ecclesiasticum, quod est potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale, qualis est in Papa & Episcopis &c. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, judicare, punire, remunerare.

Dominium proprietatis, de quo solo hic agitur, est jus disponendi de re aliqua tamquam sua, seu suo nomine, arbitratu, & auctoritate; nisi lex vel pactum obsistat. Quod addo, quia ejus usus potest lege vel pactione impediri; ac pupillus non potest bona sua alienare, licet sit eorum dominus, nec debitor pignus, quamvis sit ejus dominus, ob pactionem cum creditore initam.

Dividitur, 1. In altum, quod habet Resp. seu princeps disponendi de bonis & actionibus privatorum ad bonum commune: & in humile quod quisque privatus habet disponendi de suis bonis in proprium commodum. 2. In plenum seu perfectum, quod est jus disponendi de re & fructibus ejus tamquam suis; & non plenum, quod est jus disponendi vel de sola re, vel de solis emolumentis: unde subdividitur in directum, quo quis habet solam proprietatem rei sine jure percipiendi ejus fructus; & in utile, quod est jus disponendi de fructibus & emolumentis rei, non de ipsa re.

Quæst. II. *Quænam subjiciuntur dominio hominis?*

Resp. 1. Res omnes externæ & inferiores, usibus humanis subjectæ, cedunt sub dominium hominis jure naturæ, ut agri, montes, flumina, plantæ, bestiæ, metalla, & alia similia. Ex Ps. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Nam homo habet a natura potestatem disponendi de illis in suum commodum.

Resp. 2. Ex communi doctorum sententia, homo non habet jure naturæ dominium in alterum hominem. Quia omnes homines jure naturæ sunt pares, cum sint ejusdem naturæ, ab eodem parente & in eumdem finem conditi. Potest tamen homo illud la-

habere jure gentium & civili, ut constat ex Scriptura.

Dominium autem in servos seu mancipia quatuor modis acquiritur. 1. Jure belli justi. 2. Nativitate, ita ut qui nascitur ex serva, servus fiat. 3. Justa condemnatione, ut eum quis ob crimen servitute damnatur a Judice. 4. Emptione; homo enim, cum sit dominus suæ libertatis, potest se ipsum vendere. Possunt etiam parentes ob gravissimam necessitatem vendere Proles non emancipatas; quamdiu enim proles sunt sub patris potestate, parentes habent jus ex illis percipiendi omnia emolumenta, quæ ipsi de se percipere possent, si essent sui juris. Jure tamen civili solus pater potest vendere prolem, & solum propter nimiam pauperratem, & victus causa. Immo in Gallia ne pater quidem id potest propter quamcumque necessitatem, nam Leges vetant & irritant ejusmodi venditiones.

Hinc non licet servis fugere, saltem si venditione vel nativitate facti sint liberi, modo iis alimenta necessaria tribuantur, nec vi impellantur ad peccandum, quam aliter vitare nequeant: nam fugiendo, se ipsos domino subtrahunt & furantur, contra jus quod habet in illos, ideoque ei injuriam inferunt. *Servum fugitivum sui furtum facere, & ideo non habere locum nec usucapionem, nec longi temporis præscriptionem, manifestum est*, l. 1. Cod. *de servis fugit*. An autem justo bello captis & in servitutem redactis ab infidelibus liceat fugere ad suos, controvertitur. Sed inter omnes constat non licere, si promiserint se numquam fugituros; nam jure naturali fides data servari debet. *Azor*.

Resp. 1. Homo non habet dominium vitæ suæ, sed solus Deus est dominus vitæ hominum. Ita omnes, ex Sap. 16. *Tuei, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem*. Quia homo non potest licite disponere de suo esse, illud destruendo pro arbitrio; nam non potest esse dominus sui esse; quia dominus est quid relativum, ideoque ad aliud, & dicit superioritatem, quæ nequit esse erga se ipsum, quamvis quisque possit esse dominus suarum actionum. Item homo non est dominus suorum membrorum; quia non est dominus sui ipsius, ergo nec membrorum; nam homo est omnes partes simul, quæ simul esse componunt & integrant.

Resp. 4. Ex communi sententia, neque Resp. seu princeps habet dominium vitæ suorum subditorum, ex Script. cit. Nam Deus solus illud habet, cum solus sit creator hominum, qui eum solus dederit eis totum esse, ad eum solum pertinet illud esse pro arbitrio destruere, & occidere innocentes. Princeps tamen habet conveniente usum vitæ subditorum in ordine ad bonum commune. Nam potest illam in bello exponere, quando id necessarium est ad bonum commune, & interficere homines scelestos, ut custos tranquillitatis & boni publici; sicut homo, ut custos vitæ suæ, potest refecare membrum putridum, & exponere partem pro salute totius.

Resp. 5. Ex communi sententia, homo est vere dominus suæ famæ & honoris. Nam homo famam pro industria, virtute, ac labore, sibi acquirit & auget; potest ejus restitutionem condonare; & in multis casibus potest se ipsum infamare ob justam causam, v. gr. ad sui humiliationem, ad coercendam superbiam, ad restituendam famam alteri, ad Dei misericordiam commendandam. Non tamen licet se ipsum infamare sine rationabili causa, nam esset contra rectam rationem, & illud Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine*.

Quæst. III. *Quenam requiruntur ad acquirendum dominium?*

Resp. 1. Ad acquirendum dominium rei quæ nullius est, sufficit sola rei apprehensio facta animo illam faciendi suam: *Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur*. Lib. 3. §. *de acquir. rer. domin.* Nisi aliter speciali aliqua Lege vel consuetudine statutum sit.

Resp. 2. Ad acquirendum dominium rei, quæ habet dominum, jure naturæ sufficit mutuus consensus signo externo expressus; sed jure positivo duo ordinarie requiruntur, scilicet titulus, & traditio: ex l. 20. cod. de pact. *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*, Juncta l. 31. §. de acquir. rer. domin. *Numquam nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur*.

Titulus autem est fundamentum dominii, ac radix, sive ratio & causa, propter quam dominium alicui competit, ut venditio; per eum tamen non habetur dominium aut jus in re: sed solum jus ad rem, nisi accedat traditio, quæ est velut conditio requisita a jure, ut tituli acquirantur dominium. Traditio vero duplex est: alia realis, qua res ipsa datur in manus: & alia ficta seu civilis, quæ fit per instrumentum, ut per traditionem clavium, aut similem aliam actionem Lege vel consuetudine institutam.

Dixi, *ordinarie*, quia licet ad acquisitionem dominii semper requiratur titulus, tamen ad eam lex non requirit traditionem in his casibus. 1. In hæreditate, cujus dominium acquiritur sola acceptatione hæreditatis, l. 23. §. *de acquir. vel amit. poss.* 2. In legato, cujus dominium acquiritur, ubi primum hæres hæreditatem adiit, *l. 66. §. de furt.* 3. In beneficiis, in quibus jus in re per solam collationem & acceptationem acquiritur. 4. Ex titulo donationis, venditionis, aliove simili acquiritur dominium civitatibus, Ecclesiis, aliisque similibus piis locis ob speciale privilegium.

Quæst. IV. *Quomodo acquiritur dominium animalium?*

Resp. 1. Animalia ex sua natura mansueta & domestica, ut oves, equi, gallinæ, anseres, boves &c. quantumvis aberrent & fugiant, semper remanent prioris domini, nec fiunt occupantis. Ita omnes, *ex instit. de rer. divis.* ubi dicitur furari, qui hæc animalia detinet, cum effugiunt. Nam hæc etiam si fugerint, non assequuntur naturalem libertatem, cum naturali sua indole sint domestica; ac proinde remanent prioris domini. Quare non licet ea capere vel detinere, nec eorum pelles, si extincta sint. Idem de animalibus ex natura sua feris vel sylvestribus, ut sunt cervi, lepores &c. quæ ejus, a quo capta sunt, custodia seu loco concluso coercentur, vel quæ usu mansuefacta habent consuetudinem redeundi ex libera vagatione in potestatem domini, ut columbæ, cuniculi, accipitres, cervi cicurati &c. Nam tamdiu carent naturali libertate. Animalia autem, quamdiu carent libertate naturali, habent dominum, & sic non sunt occupantis. Præterea tales feræ non minus possidentur a domino quam alia domestica. Hinc non licet capere pisces ex vivario alterius, nec cuniculos aut columbas piscentes in agro tuo occidere, quamvis possis abigere; nec eas illecebris aut fraude in tuum columbarium traducere: alioquin teneris restituere, cum habeant dominum, qui habet jus, ne ex ejus dominio extrahantur, vel occidantur. Nec obstat quod cuniculi & columbæ damnum privatis afferant: nam cum sint Reipublicæ, privati debent illud pati propter bonum publicum, & tale onus censetur a Rep. illis imponi hoc ipso quod ex privilegio vel consuetudine concedatur columbarium exigi, vel garenam instrui.

Si vero ejusmodi animalia redeundi consuetudinem amittunt, censentur recuperasse naturalem libertatem, & sic sunt primo occupantis. Nam jam nullius sunt, & jam in ordine ad priorem dominum perinde se habent ac si numquam capta fuissent, ut avis quæ ex cavea in liberam aeram evasit, vel pisces qui e tuo vivario in fluvium transit, *ex Instit. de rer. divis.* Hinc tibi licet retinere columbas, quæ sponte non attractæ se sociaverunt tuis columbis, & ad proprium columbarium redire desierunt. Examen vero apum quamvis avolet ex alveario tuo, tamdiu tuum manet, quamdiu in tuo conspectu versatur, nec difficilis est ejus prosecutio, *Instit. de rer. divis.* Quod si difficile sit illud sequi & recuperare, potest a quovis capi.

Resp. 2. Animalia fera & sylvestria, si antea nullius fuerint, vel quæ aliquando alicujus fuerunt, sed jam naturalem libertatem recuperarunt, fiunt primo occupantis, *Instit. de rer. divis.* & *l.* 3. §. *de acquir. rer. dom.* Quia, cum naturali libertate gaudeant, nullius sunt; quæ autem nullius sunt, fiunt primo occupantis, nisi lex specialis vel consuetudo obstet. *Porro quamvis alienum pecus in agro tuo quis deprehendisset, sic illud expellere debet, quamodo si suum deprehendisset, quoniam si quis ex ea re damnum cepit, habet propriet actionem*. L. 39. §. ad L. Aquil.

Sed cujus est fera læsa, vel laqueo capta?

Resp. Si feram læsisti, quantum satis est ad capiendam, & læsam insequeris eam certitudine moriali eam capiendi, est tua. Tum enim censetur amisisse naturalem libertatem per vulnus inflictum, & a te quasi capta: unde si alius eam ceperit, tenetur tibi restituere. Item si fera laqueo tuo ita capta fit, ut non sit evasura, est tua: unde non potest ab alio capi, sicut nec pisces per tuum rete captus, nam ei ademisti libertatem, & per instrumentum tuum occupasti: potsumus enim sicut manibus, ita & instrumentis rem apprehendere, & in potestatem nostram redigere. Quod si fera erat facile evasura, est primo occupantis: quia nondum amisit libertatem, *ex Instit. de rer. divis.*

Quæst. V. *Cujus est Thesaurus?*

Resp. Jure naturali & gentium totus est inventoris: nam quæ nullius sunt, fiunt jure naturali & gentium primo occupantis. Thesaurus autem nullium habet dominum, nam definitur in jure: *Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*. L. 31. §. *de acquir. rer. dom.* Ubi per pecuniam intelliguntur quævis opes mobiles, ut vasa, gemmæ, annuli, catenæ aureæ &c. Dicitur autem vetus depositio, nam si non fit vetus, non censetur thesaurus, sed res inventa, quæ domino, & in ejus thesaurum ejus hæredibus restitui debet: qui si cognosci nequeant, impendi debet in usus pios; quia sunt bona incerta. *Si quis aliquid vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ, condiderit sub terra, non est thesaurus, cujus etiam furtum fit, L. Numquam. §. de acquir. rer. dom.*

Jure tamen civili communi obligante in conscientia, hæc statuta sunt de thesauro, 1. Thesaurus totus est illius, qui eum in proprio fundo reperit. *Instit. de rer. dom.* Si tamen arte magica ibi inventus sit, totus pertinet ad fiscum, saltem post sententiam judicis. 2. Qui fortuito thesaurum in fundo alieno reperit, est dominus dimidii, alterum vero dimidium tenetur ante sententiam judicis tradere domino speciali fundi, sive sit princeps, sive privatus, *ex Instit. de rer. divis.* quæ dispositio non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum. 3. Thesaurus de industria quæsitus in fundo alieno sine consensu domini, totus est domini, l. unic. *Codice de Thes.* Varii tamen putant, inventorem non teneri ante sententiam judicis tradere nisi dimidium, ob hæc verba Legis ex ea parte pœnalis: *Totum locorum domino reddere compellatur*. 4. Si thesaurus inveniatur in platea, foro, vel via publica, juxta multos dividi debet cum fisco: juxta alios totus est inventoris.*

Nota. In his sicut aliis spectandæ sunt speciales locorum Leges vel consuetudines & servandæ. Sic in Gallia thesaurus in alieno fundo repertus, in tres partes æquales dividi debet, quarum una sit inventoris, altera domini fundi, tertia dynastæ, seu alterius justitiarii, vel regis, si solus in loco sit altus justitiarius. Thesauri vero a domino fundi inventi media pars est inventoris, alia dynastæ vel regis. Immo circa hoc variæ sunt in variis provinciis consuetudines.

Sed quid, si in aliqua domo inveniatur pecunia occultata, cujus depositio non sit antiqua?

Resp. Ea non est invenientis, cum thesaurus non sit, utpote non vetus depositio: nec ulla Lex eam inventori tribuit. Sed si homines ejusdem familiæ in illa domo habitaverint continuo & diuturno tempore, hæredibus illius familiæ restitui debet: nam prudenter præsumitur ab aliquo ex hac familia fuisse occultata. Si vero locatores plurimi in eadem domo habitarint, nec ulla haberi possit præsumptio, ad quam familiam inventa pecunia pertineat, tunc illa distribui debet pauperibus, vel applicari aliis bonis operibus proximo utilibus; quia est bonum alienum inventum & incertum. Bona autem aliena inventa, quorum dominus vel ejus hæres cognosci non potest, sic impendi debent, ut dictum est in tract. de justit. c. 3. q. 21.

Quæst. IV. *Cujus sunt lapicidinæ, venæ metallicæ, gemmæ, lapilli &c.*

Resp. 1. Lapicidinæ, carbonariæ, cretariæ, arenariæ, fodinæ ferri, plumbi, quæ sunt in fundo alicujus, pertinent ad dominum fundi. Nam vel sunt pars fundi, qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum terræ, vel sunt ejus fructus. Idem dic de venis metallicis, spectato solo jure naturali & gentium, quia

* *Prima sententia favet Jus Civil. Instit.* l. 2. tom. 1. *de rer. divis.* §. *Thesaurum. Antoine Theol. Moral.* Tom. II. P. I.

quia sunt partus fundi, cum in eo nascantur seu formentur, vel ejus partes. Jure tamen civili in variis locis venæ auri & argenti in fundo privatorum reperiæ, sunt partim Principis, partim inventoris. Possunt autem Principes, ob bonum commune, sibi jus effodiendi hæc metallavindicare, & concedere privatis jus ea inquirendi ubilibet, etiam in agris alienis, & cruta hico applicandi ad sustinenda onera Reip. compensato solo damno, quod infertur loco.

Resp. 4. Gemmæ, corallum, lapilli, & similia, quæ inveniuntur in promontoriis, sunt occupantis. *Instit. de rer. divis.* quia nullius sunt.

Quæst. VII. *Quinam sunt alii speciales modi acquirendi dominium?*

Resp. sunt alluvio, specificatio, accessio, confusio, commixtio, inædificatio, pictio, implantatio, satio, nativitas, *ex Instit. de rer. divis.* & l. 2. §. *de acquir. rer. dom.* itaque.

1. *Per allavionem*, id quod vi aquarum insensibiliter uni fundo detrahitur, & alteri adjeitur, fit domini fundi, cujus fit adjectio. Dico, *insensibiliter*; nam si notabilis pars rei prædii subitò fluminis tempestate adjiciatur meo, ea tibi remanet.

2. *Per specificationem*, cum res aliena ita mutatur in aliam speciem, ut ad priorem statum reduci nequeat: ut si ex alienis lanis vestem conficias, vestis est tua; sed teneris solvere pretium lanæ, & damna si quæ sint, & ad hoc datur actio alteri. At si res aliena in priorem statum restitui possit, ut vas argenteum in massam argenteam, dominium vasis acquiritur ei, cujus est materia.

3. Per *accessionem*, cum quid ad ornatum alterius rei adjeitur: ut si quis alienam domum pinxerit, picturæ domino domus credit, nec tenetur ad impensas, nisi tale ornamentum postulaverit.

4. Per *confusionem, & commixtionem*. Si materiæ ad duos dominos spectantes, sive casu, sive communi consensu confundantur vel permisceantur, quod resultat, fit commune utrique pro rata materiæ, si materiæ ab invicem secerni nequeant, ut duo vina confusa, vel duo accevi inter se permixti: si vero res separari possint, ut oves in grege permistæ, debent separari.

Si autem alienam pecuniam, domino inscio vel invito, tibi hoc ignoranti datam misceas tuæ, volens totam habere tuam, nec jam discerni possit a tua, acquiris ejus dominium. *l. 28. §. de solut.* Teneris tamen restituere rem æqualem, nam nemo locupletari potest ex re aliena cum damno ejus domini. *Reg. 48. de jur. in c.*

5. Per *inædificationem*, ædificium in alieno fundo constructum cedit domino fundi, qui tenetur materiam & operas solvere, si alter bona fide ædificaverit, secus si mala fide. Item si quis in fundo suo ædificat ex materia alterius, hic dominus materiæ, sed tenetur alteri de damno. Quod si Mavius in fundo Caii ex Titii materia ædificet, ædificium cedit Cajo; sed Titius potest petere pretium materiæ, vel eam vindicare, si dirutur ædificium.

6. Per *pictionem*. In tabula aliena pictor fit dominus tabulæ, sed tenetur priori domino tabulæ de damno.

7. Per *implantationem*, & *sationem*, nam arbores, plantæ in aliquo fundo a quibuscumque collocatæ, eo ipso quod radices egerunt, cedunt domino fundi. Idem est de seminibus in agro alieno sparsis; nam sicut ædificia solo cedunt, ita multo magis plantæ & arbores, cum a terra sustententur, alimentum, & incrementum trahant. Qui tamen arborem alienam in suo fundo transplantavit, tenetur de damno.

8. Per *nativitatem*. Quod ex animali feminei sexus nascitur, pertinet ad dominum animalis, l. 5. *de rei vindic.*

Quæst. VIII. *Quinam sunt capaces dominii?*

Resp. 1. Omnis & sola substantia intellectualis est capax dominii: quia dominium est facultas de re aliqua disponendi arbitratu suo, quæ facultas non potest esse sine intellectu & voluntate. Hinc bruta dominium non habent in terræ gramina, neque qui ea prohibet, injuriam ipsis infert, sed eorum domino.

Resp. 2. Infantes sunt capaces juris & dominii. Constat tum ex communi usu omnium gentium, cum ex illo ad Gal. 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.* Nam licet ad usum dominii requiratur usus rationis, tamen ad dominium habituale & in actu primo, sufficit natura intellectualis, ac liberas innata; & aliunde possunt infantes jus suum exercere per eos, qui eorum curam agant, nempe per parentes, tutores, remp.

Quæst. IX. *An filiusfamilias habet dominium bonorum, quæ decuntur fortunæ?*

Nota 1. Filiusfamilias dicitur is, qui adhuc est sub patria potestate. Patria autem potestas est jus Legi civili inductum, quod habet solus pater, vel avus paternus in personas & bona liberorum legitimorum, vi cujus potest de illis disponere secundum quod Leges ei permittunt.

Nota 2. Bona filiorum familias sunt quadruplicia, nempe castrensia, quasi castrensia, adventitia, & profectitia.

Castrensia sunt ea, quæ acquiruntur in militia, vel occasione militiæ, ut stipendia militaria, hostium spolia, ducum vel commilitonum dona, vel in obsequio principis in ejus aula exhibito: item ea quæ emit ad militiam, vel ad obsequium principis dantur, & lucra omnia quæ ex talibus bonis, intervenu alicujus contractus proveniunt.

Quasi castrensia dicuntur ea, quæ habent privilegium castrensium, & sunt ea quæ filius acquirit ex officio & munere publico, ut judicis, advocati, tabellionis; ex professione alicujus artis liberalis; & quod datur innuitu talis functionis, ut libri &c. ex liberalitate principis, ex officio clericali, ex beneficio Ecclesiastico; item quæ dantur filio familias, ut ipse tantum, non pater, usumfructum habeat. Denique id omne, quod acquiritur post clericatum. Authent. *Presbyteros. Cod. Episc.*

Adventitia sunt ea, quæ neque castrensia sunt, neque quasi castrensia, neque a patre aut ejus intuitu donata sunt; sed aliunde filio provenient, puta successione in bona materna, amicorum donatione, aut legato, inventione thesauri, propria industria, labore &c.

Profectitia sunt ea, quæ proveniunt a patre vivo, vel partis gratia donata sunt, vel ex bonis paternis acquisita, v. gr. negotiando.

Cum

Cum pater dat filio, v. g. mille florenos negotiandi gratia, observandum est an exprimat se illos ei tradere, ut ipse negotietur ob propriam, vel illius utilitatem; si negotium actum sit filii, aut patris nomine; si negotiationis tempore filius manebat in domo patris, an non &c. hæc enim maxime necessaria sunt ad solutionem hujus quæstionis, quæ ceteroquin inveniur in legum expositoribus.

Resp. Filiusfamilias habet plenum dominium in bona castrensia, & quasi castrensia, eorumque administrationem liberam. Unde potest sine consensu patris de illis arbitratu suo disponere per contractus, donationes, immo per testamentum, si compleverit ann. 14. Bonorum autem adventitiorum habet proprietatem, sed pater usumfructum, unde filius non potest de illis disponere. Profectitiorum vero filiusfamilias nec habet proprietatem, nec usumfructum. Ratio horum est dispositio juris civilis.

Quæst. X. *An servi seu mancipia habent dominium aliquarum rerum?*

Resp. Non habent dominium lucri & fructuum suarum operarum ac laboris, sed dominus, ut constat ex jure: at habent dominium etiam perfectum non solum famæ & bonorum spiritualium, sed etiam, secundum multos, temporalium. 1. Quæ dominus eis concessit. 2. Quæ servo dantur ad compensationem injuriæ illatæ in bonis, quorum est dominus, ut in fama. 3. Quæ eis data sunt ea conditione, ut non acquirantur domino. 4. Quæ de bonis suis ludo aut aliqua negotiatione sine domini detrimento lucrantur. Ratio est, quia jura non reddunt servum incapacem dominii: nec consentaneum esse imbecillitati humanæ ut tale onus imponeretur invito; esset enim magna occasio peccandi. Immo jura supponunt *in eo* dominii capacitatem: nam l. *Vix. §. de jud.* servis datur actio contra dominos, si dicant se suis nummis redemptos. Quare jura, quæ dicunt servos, quidquid acquirunt quavis causa vel occasione, dominis acquirere, intelligenda sunt regulariter, & de fructu sui laboris, aut saltem consuetudine jam inducta sunt. Hinc servus a religioso sollemniter professo differt, qui est prorsus incapax dominii.

§. II.

De Præscriptione.

NOta. Præscriptio sumpta pro usucapione, ut nunc sumitur, est acquisitio dominii per possessionem bonæ fidei continuatam tempore per Legem definito. Nomine dominii, jura, servitutes, officia & beneficia etiam comprehenduntur.

Quæst. I. *An per præscriptionem vere acquiritur in foro conscientiæ dominium rei alienæ absque consensu, & culpa prioris domini?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia.* Quia Respubl. vel princeps, vi dominii alti in bona subditorum, habet potestatem disponendi de bonis privatorum ad bonum commune, itaque transferendi rerum dominia & jura absque consensu, & culpa prioris domini, quando id postulat bonum commune. At principis hac potestate usi sunt, & reipsa voluerunt rerum dominia sola præscriptione sic transferri, id postulante bono publico, ne scilicet dominia essent incerta, liter multiplicarentur; ut patet ex multis Legibus civilibus approbatis jure canonico, quæ sine ulla limitatione & distinctione dicunt: *Bona publice usucapionem introductam esse, ne scilicet quarumdam rerum diu & fere semper incerta dominia essent*, l. 1. §. de usucap. *Ut aliquis litium finis esset*, l. ult. §. pro suo; & usucapionem definiunt: *Adjectionem dominii per continuationem possessionis temporis Lege definiti*, l. 3. §. de usucap. Item jus canonicum, quod præcipue bonum animæ spectat, approbat indistincte præscriptiones bonæ fidei, ut patet ex toto titulo *de præscript.* itaque præscriptio introducta est principaliter, non ad puniendam negligentiam prioris domini, sed ob prædictos fines ad bonum commune spectantes, & quietem civium ac familiarum; & ad excitandam diligentiam & curam possessorum circa bona sua, c. 2. *de præscript.*

Hinc licet retinere rem legitime præscriptam: etiamsi postea cognoscatur fuisse alterius, nisi tamen prior dominus per judicem restituatur in integrum: quæ restitutio concedituir minoribus, qui habent jus eam petendi toto quadriennio a die, quo majores facti sunt. Idem jus Ecclesiæ, & aliis piis locis conceditur per quadriennium a die quo Ecclesia novit præscriptionem bonorum suorum, ex c. 1. *de restit. in integrum in 6.* & interdum conceditur etiam majoribus ob justas causas. Post sententiam autem Judicis est obligatio in conscientia res præscriptas restituendi, quia falsa est, nec nititur falsa præsumptione, sed Legibus ita præscribentibus.

Obj. 1. Nemo potest juste acquirere dominium rei alienæ invito illius domino.

Resp. Præscriptione acquiritur dominium, volente & fic statuente principe habente altum dominium in bona subditorum, vi cujus potest servata proportione de illis disponere ad bonum commune, sine consensu privatorum, qui non habent nisi dominium ipsi subordinatum. Præterea prior dominus non est rationabiliter invitus, cum Lex præscriptionis sit justa, & expediat bono communi, quod semper antiponendum est privato.

Obj. 2. Injustum est aliquem re sua privari absque ulla culpa. *Resp.* Hoc justum est, quando id postulat commune bonum, cui jure merito cedere debet privatum.

Obj. 3. Lex præscriptionis fundatur principaliter in præsumptione negligentiæ prioris domini. Ergo si hic caruit negligentia, non privatur re sua in conscientia. *Resp.* Neg. ant. Nam præcipua Legis præscriptionis ratio est, ut tollatur incertitudo dominiorum, & ut impediantur lites plurimæ, quarum aliquin finis non esset, ut patet ex Legibus supra citatis. Unde quamvis Lex præscriptionis minus principaliter, & partialiter niteretur præsumptione negligentiæ prioris domini; tamen per illam Legem princeps vult & potest transferre dominium absolute, & efficaciter propter alias rationes spectantes bonum commune, quod translationem dominii rei alienæ postulat, quamvis nulla intercesserit negligentia prioris domini, in quo Lex præscriptionis differt a sententia Judicis fundata in falsa præsumptione; nam Judex per suam sententiam non intendit nec potest transferre dominium, sed tantum vult & potest declarare ad quem pertinet.

Instabis. Ex c. 3. de præscript. Lex præscriptionis instituta fuit initio *propter vitandam malorum suspitionem*: Ergo nunc etiam fundatur in præscriptione negligentia. *Resp.* Neg. conseq. Nam

aliud est excitare diligentiam & curam circa bona, aliud punire negligentiam. Ergo intendere excitare diligentiam & vitationem negligentiæ, non est hæc unica ac principalis ratio Legis.

Obj. 4. Si post præscriptionem constet rem fuisse alienam, novus possessor non est amplius in bona fide: ergo tunc jam non potest licite rem illam retinere. *Resp.* 2. Neg. ant. Nam vere potest judicare rem jam esse suam ex justo præscriptionis titulo, quamvis antea fuerit aliena.

Quæst. 2. *Quænam conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem?*

Resp. Quatuor, videlicet possessio, bona fides, titulus, & continuatio possessionis cum bona fide per tempus lege definitum.

1. Requiritur possessio, ex reg. 1. jur. in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit*; & ex l. 25. §. de usucap. Sufficit autem possessio civilis. Hinc usufructuarius, conductor, feudatarius &c. non possunt rei proprietatem præscribere, cum rem non possideant suo nomine, sed solum nomine directi domini; item nec colonus, nec is qui ab eo agrum emisset, absente & ignorante domino: quia civilis possessio manet apud dominum absentem, quamdiu retinet animum possidendi, vel donec scisit rem suam ab alio occupatam, nec audeat eum repellere. Quamvis autem qui per alium possidet, v. gr. per colonum, possit præscribere, non ramen is qui alieno nomine possidet: quia qui alterius nomine possidet, non est vere possessor, sed alius per eum possidet.

2. Requiritur bona fides, ex reg. 2. jur. in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*: aliquin furta & injuriæ foverentur, itique via aperiretur. Hæc debet perseverare toto tempore ad præscribendum requisito, ut constat ex Conc. Later. Genet. IV. c. 41. relato in cap. ult. de præscript. ibi: *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis; cum sit generaliter omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.*

Bona autem fides hic est persuasio, qua quis prudenter judicat rem esse suam, & a se licite retineri; nam (ut notat Leffius) si quis ex ignorantia crassa aut affectata, vel ex inordinata cupiditate existimat rem esse suam vel non esse alienam, non est bona fides. Duplex hic bona fides distingu. 1. Cum quis prudenter judicat rem esse suam, & hæc requiritur ad inchoandam possessionem. Nam qui inchoat possessionem, dubitans sit ne res sua, an aliena, ex communi sententia non est bonæ fidei possessor, ideoque non procedit præscriptio, donec deposito prudenter dubio possessionem inchoet: quia nulla est ratio cur ipse potius rem possideat quam alter, ac proinde eam sibi vindicant, facit injuriam alteri; nec ejus conditio est melior quam conditio alterius. 2. Cum quis post diligentem inquisitionem veritatis nescit, nec judicat probabilius rem, quam habet, esse alienam, ideoque judicat se posse ut suam retinere. Hæc juxta multos sufficit ad continuandam possessionem, quia ut quis post inchoatam bona fide possessionem perseveret esse possessor bonæ fidei, satis est quod post diligentem veritatis inquisitionem non habeat rei alienæ conscientiam, ex Conc. Later. cit. & ex S. Augustin. in c. *Si virgo* 34. q. 1. *Tamdiu quisque bonæ fidei possessor veritissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Cum vero scierit, nec ab alia possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur. Hinc juste iniustus possessor vocabitur.* At dubitans num res sit aliena, vel sua, non habet conscientiam re alienæ, & ignorat se possidere alienam. Deinde possessio bona fide inchoata est ratio sufficiens ad rem sibi retinendam, donec probetur esse alienam: quia *in pari causa potior ea conditio possidentis*, reg. 65. jur. in 6. Possessor autem cum dubitare incipit, tenetur diligenter exquirere veritatem: qua diligenter investigata, si perseveret dubium, potest juxta multos determinare & prudenter judicare se posse rem ut suam retinere; eo quod in tali dubio melior est conditio possidentis. Sed fine tali judicio non potest rem illam retinere: nam si dubitans an res sit sua, simul dubiter an liceat sibi eam retinere, non continuat possessionem bonæ fidei, *l. 33. de usucap.*

Hinc 1. Leges civiles statuentes præscriptionem triginta & quadraginta annorum procedere etiam cum mala fide, abrogatæ sunt jure canonico, ut patet ex Conc. Later. cit. & c. 5. *de præscript.*

2. Si creditor certo tempore non exigat a te debitum, licet postea ei detegetur actio in judicio, non tamen præscribis contra illum, si nonis debitum; sed teneris solvere totum debitum: nam habes conscientiam debiti quod tua sponte teneris solvere, & sic cares bona fide ad præscribendum. Si quis tamen invincibiliter ignoret debitum, vel prudenter putet solutum fuisse, potest illud præscribere spatio triginta annorum cum illa bona fide. *L. 3. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann.*

Nota. Ignorantia juris saltem clari etiam incupata, ex communi sententia impedit præscriptionem saltem ordinarium: ut si acceperis aliquid a pupillo sine tutoris auctoritate ignorans invincibiliter eam requiri, non præscribis. Secus de ignorantia facti invincibili; ut si ignores eum esse pupillum, currit præscriptio, ex l. 9. §. *de juris, & facti ignor.* ibi: *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.* De ignorantia invincibili juris dubii controvertitur. Immo juxta multos invincibilis ignorantia juris clari non obest præscriptioni triginta vel quadraginta annorum; quia jura loquuntur de præscriptione ordinaria, quæ tribus, vel decem, vel viginti annis expletur; cum illa sola, inquit Leffius, cognita fit jure digestorum, unde jura citata desumpta sunt.

3. Requiritur titulus coloratus, sive apparens, qui scilicet putetur probabiliter verus, licet sit falsus, ut cum intervenit causa de se apta ad transferendum dominium, v. gr. donatio, venditio &c. sed ex latente aliqua causa fuit invalida. Constat ex utroque jure. Ex c. *Usucapio*, Cod. de usucap. & c. 22. de præscript. ibi: *Cum in præscriptione rerum Ecclesiasticarum bona fides, & justus titulus* (supple apparens) *exigantur.* Nam sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis. Ad præscriptionem tamen longissimi temporis, nempe triginta vel quadraginta annorum, præsumitur titulus præesisse, quia difficilius probatur qua ratione inchoata sit possessio tam longo tempore durans: nisi juris præsumptio sit contra præscribentem.

Dixi,

Dixi, *coloratus*, nam titulus verus, seu validus sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium secuta traditione. Quare cum in loc. cit. requiritur titulus verus, & in cap. cit. *Justus*, utraque hæc voce intelligitur causa de se apta ad transferendum dominium, quamvis reipsa sit invalida ob aliquem defectum occultum.

4. Requiritur possessio cum bona fide continuata per totum tempus lege definitum, quod tempus diversum est pro diversitate rerum præscribendarum. Nam ex communi sententia, res mobiles possessione triennali cum titulo præscribuntur, *Instit. de usucap.* Sed fine titulo requiruntur triginta anni; quia res immobiles contra privatum præscribuntur triginta annis sine titulo: ergo idem censeri debet de mobilibus, cum nil aliud de hoc statutum sit absente titulo.

Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur centum anni; contra aliam Ecclesiam, vel hospitale, vel monasterium, vel pias causas quadraginta anni, ex Authentica, *Quas actiones*, cap. de SS. Ecclesiis. Ad præscribenda vero immobilia privatorum, cum titulo requiruntur decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes, *Instit. de usucap.* Sine titulo requiruntur triginta anni, ut colligitur, ex l. 3. *Cod. de præscript. triginta vel quadraginta annorum*, & ex cap. 3. *de præscript.* ubi dicitur res præscribi possessione triginta annorum, nulla facta mentione tituli. Si autem dominus sint partim præsens, partim absens, tot anni sunt adjiciendi, quot absunt, ex Authentica, *Quod si*, Cod. *de præscript. long. temper.* ita ut duo anni absentiæ computentur tantum pro uno anno præsentiæ. Unde si præsens fuerit octo annis, & postea in alieno territorio habites, ut res immobilis præscribatur contra te, requiruntur adhuc quatuor anni. Res autem quælibet minoris non præscribitur nisi triginta annis.

Dixi, *sine titulo*, supple, qui probetur, nam tunc præsumitur præcessisse. Quare ad præscribendum requiritur titulus coloratus, vel qui probetur, vel qui præsumatur præcessisse.

Nota 1. Præsentes hic dicuntur ii, qui in eodem territorio, licet non in eadem civitate, habitant: absentes, qui in diversis territoriis. 2. In hac materia tempus brevi dicitur, quod est minus decennio. Longum est spatium decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Longissimum triginta vel quadraginta annorum. Immemoriale vero, cujus initii non extat memoria etiam apud seniores. 3. Bona mobilia sunt res corporales, quæ loco moveri possunt, ut animalia, vestes, pecunia &c. Ad hæc revocantur debita & actiones, quæ ex rebus mobilibus competunt. Immobilia sunt quæ loco moveri non possunt, ut domus, fundus &c. Ad quæ reducuntur res incorporeæ, ut jura, servitutes, census, usufructus, beneficia; item debita & actiones, quæ ex rebus immobilibus competunt, aliquo jure ad illa spectantia.

Quæst. III. *An qui bona fide accepit aliquid ab auctore malæ fidei, potest illud præscribere?*

Resp. 1. Hares qui bona fide aliquid ab auctore malæ fidei accepit, nunquam potest illud præscribere. Est communis sententia, ex Instit. de usucap. & l. 11. §. de diversi. tempor. præscript. ibi: *Cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignorantiæ ejus defuncti vitia non excludit.* Quia hæres in jure cessetur una persona cum defuncto, succedisque uti in omnia jura, ita etiam in omnes obligationes reales & omera: unde cum defunctus ob injustitiam contraxerit obligationem rem mala fide possessam restituendi, hæres in hac obligatione succedit. Item *vitia possessionum a majoribus contracta perdurant, & successorem auctoris sui culpa comitatur*, lib. 11. Codice de acquirenda & retinenda possessione.

Resp. 2. Qui rem bona fide ab auctore malæ fidei accepit alio titulo quam hæreditatis, puta donationis, emptionis, legati &c. potest eam præscribere tempore ordinario. Est communis sententia, ex l. 5. §. *de diversi. tempor. præscript.* Excipiuntur duo casus. Primus, si res sit immobilis, & ille contra quem præscribitur ignoret eam ab alio possideri; tunc enim ad præscribendum requiruntur triginta anni, ex Authent. *Malæ fidei*, Cod. de præscript. longi temp. Secundus, si res illa sit furtiva, vel si possessa, nam non potest tunc præscribi spatio decem vel viginti annorum, *Instit. de usucap.* Sed juxta multos potest spatio triginta annorum, ex leg. *Sicut*, Cod. *de præscript. triginta, vel quadraginta annorum.*

Quæst. IV. *An res omnes præscribi possint?*

Resp. Multa præscribi non possunt, scilicet homo liber, res sacræ & religiosæ, ut calices, templa, cœmeteria &c. jus decimarum percipiendarum a laico, res publicis usibus destinatæ, ut forum, pons, via publica &c. limites provinciarum, episcopatuum, & parochiarum, si de illis constat; res populi, immunitas ab iis, quæ quis ut subditus debet principi, ut sunt tributa, obedientia &c. quamdiu scilicet manet subjectio; nam subditus potest præscribere immunitatem, per quam desinat esse subditus, ad quod requiruntur quadraginta, vel quinquaginta anni cum titulo, & sine titulo tempus immemoriale. Nulla tamen potest præscribi exemptio a jurisdictione spirituali Summi Pontificis, quia Christus absolute voluit omnes christianos illi, ut Vicario suo & Ecclesiæ capiti visibili, semper subjectos esse in spiritualibus.

§. III.

De usu, usufructu, & servitute.

Quæst. I. *Quid est usus?*

Resp. Usus duplex est, nempe juris & facti. Usus juris, de quo solo agunt Juristæ, est jus ita potestas legitima utendi tantum re aliena, salva ejus substantia. Usus facti est actualis usus legitimus, vel etiam jus utendi re aliena, quæ ipso usu consumatur, sed revocabile ad nutum concedentis; tale est jus quod habent religiosi utendi vestibus ac alimentis, & cæteris rebus sibi concessis.

Quæst. II. *Ad quid tenetur usuarius?*

Resp. Tenetur 1. rem, cujus habet usum, integram diligenter conservare proprietario; nam non habet jus rem uteudi, nisi salva ejus substantia. 2. Non est licet percipere fructum distinctum ab ipso usu concesso, quia solus usus ei conceditur: immo nec potest usum sibi concessum alteri donare, locare, vendere, quia non habet jus utendi nisi ad suum usum.

Quæst. III. *Quid est usus fructus?*

Resp. Est jus utendi & fruendi re aliena, salva ejus substantia, l. 5. §. *de usufr.* Unde est jus non solum

fulum utendi re aliena, sed etiam omnem ejus fructum percipiendi. Porro usus est assumptio rei ad aliquid, ut equi ad equitandum; fructus vero est id quod provenit ex re, ut agnus, vel lana ex ove.

Hinc usufructuarius potest omnem fructum rei & utilitatem percipere, v. gr. in fundo, quidquid in eo nascitur, ut fenum, segetes, lapides, metalla, arenæ &c. quæ crescunt in fundo. Item proventus venationum, aucupiorum &c. fructus arborum: in animalibus vero fetus, lanam, lac &c. In sylvis caeduis potest se gerere ut paterfamilias, cædendo quotannis certam portionem; non potest tamen arbores grandiores nisi valde vetustas & sere inutiles, neque frugiferas cædere. Non fit autem dominus fructuum, nisi postquam eos percepit: potest etiam omnem utilitatem usufructus & usum juris vendere, locare, vel donare, manente apud ipsum usufructu, quem non potest alteri donare, aut vendere, sine consensu proprietarii.

Quæst. IV. *Ad quid tenetur usufructuarius?*

Resp. Ex instit. *de rer. divis.* & digest. *de usufructu*, tenetur 1. uti re, cujus habet usumfructum, sicut bonus paterfamilias utitur re sua, quam sibi & posteris conservare cupit. Unde non potest arbores non caeduas cædere, agrum deteriorem etiam negligentia suæ facere, teneturque de damnis sua culpa illatis proprietario. 2. Si habeat usumfructum pecorum, tenetur in locum capitum demortuorum, vel inutilium, alia capita e sorte substituere; quæ substitutura cedunt in dominium proprietarii. Similiter tenetur loco vitium, vel arborum demortuarum, alias serere, non tamen loco defectarum vi tempestatis. 3. Rem domino suo integram diligenter conservare. Unde tenetur prolixa conservatione sumptus moderatos facere: sic tenetur ad modicas refectiones domus, ut integra permaneat; non tamen ad magnos sumptus, quibus efficiatur melior. 4. Tenetur præstare sumptus ad fructuum perceptionem necessarios, & solvere tributa, quæ pro re frugifera debentur.

Quæst. V. *Quid & quotuplex est servitus?*

Resp. 1. Servitus active sumpta est jus, quod quis habet in re aliena ut sibi serviat, id est, ut in ea aliquid fiat vel non fiat in suum commodum. Passive sumpta, est subjectio seu obligatio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat vel non fiat in commodum alterius, salva rei substantia.

Resp. 2. Servitus generatim duplex est, realis, & personalis. Realis est ea, quæ a re immediate debetur alteri rei, ut si ager unus serviat meo, quatenus ager meus dat mihi jus transeundi per illum. Personalis est ea, qua res obligatur personæ, vel contra. Servitus realis alia est urbana, quæ debetur prædio urbano; alia rustica, quæ rustico. Prædium autem urbanum dicitur omne ædificium habitandi causa confectum, sive in urbe, sive in villa, & hortus amœnitatis causa ei annexus. Rusticum vero fundi ager, vinea, pratum, pecorum ilabulum, a domo sejunctum.

Servitutes urbanæ sunt, ut lignum in tuum parietem admittatur, ut stillicidium in tuas ædes vel aream tuam recipiatur, ut murus altius non attollatur, ut fenestra in muro non aperiatur. Servitutes rusticæ nominatæ, sunt iter, actus, via, aquæductus. Iter est jus, quo pedes vel equus potest commeare per fundum alienum, non tamen ducere jumentum aut vehiculum. Actus est jus jumentum & armenta ducendi per prædium alterius. Via continet in se iter & actum. Aquæductus est jus aquam ducendi per fundum alienum. Innominate vero sunt jus aquam hauriendi, pecora adaquandi, pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

§. IV.

De Possessione.

I. POssessio alia est facti, quæ est actus possidendi, abstrahendo an juste, an injuste, & alia juris. Possessio facti, quæ ordinarie intelligitur nomine possessionis, definitur rei apprehensio, vel detentio, corporis, animi, & juris adminiculo. Dicitur, 1. *Apprehensio* vel *detentio*, quia vel primum fit, & tunc est apprehensio, quæ est inceptio possessionis; vel jam facta est, & tunc est detentio, quæ est continuatio possessionis. 2. *Rei*, qua voce intelligo cum Lessio, non solum res corporales, sed etiam incorporeas, ut sunt census, beneficium, & familia, quæ a Theologis dicuntur possideri, a jurisperitis vero quasi possideri. 3. *Corporis adminiculo*, quia ut res aliqua possideatur, debet apprehendi aliquo actu corporali, v. g. manibus, pedibus, oculis, vel simili modo, in se, vel in alio, in quo contineri censeatur. 4. *Animi*, quia res debet apprehendi animo illam possidendi tamquam suam. 5. *Juris*, id est jure non resistente, seu impediente: nam ad possessionem requiritur, ut jus, seu Leges non impediant, ne detentio rei censeatur possessio ejus. Hinc detentio rei sacræ facta a laico nequidem est possessio facti, jure id impediente. Contra fur acquirit possessionem facti respectu rei furtivæ profanæ, quia jus non impedit, ne detentio talis rei sufficiat ad possessionem.

Possessio juris est jus insistendi rei tamquam suæ, non prohibitæ possideri. Dicitur, 1. *Jus*, per quod differt a possessione facti, quæ est ipsa occupatio vel detentio, ex qua jus oritur, si justa est, quod si non sit justa, non oritur ex ea jus in consequentia. 2. *Insistendi res*, hoc est, rem pacifice detinendi, & juris remediis, interdum etiam armis tuendi adversus perturbantes. 3. *Tamquam suæ*, nam si quis inhiat rei nomine alterius, non est vera possessio. Hinc tutor non possidet bona pupilli, sed pupillus possidet per tutorem, quia tutor non retinet illa bona ut sua, sed nomine pupilli.

II. Possessio dividitur in naturalem, & civilem. Possessio naturalis est ea, qua res possessa corpore & animo retinetur ut sua, dum scilicet quis corporaliter insistit detentioni rei tamquam suæ: quod facit qui rei in conspectu positæ ita vicinus est, ut ei continuo adesse possit. Civilis est, qua res corpore & animo apprehensa retinetur solo animo; sic possidet res suas is, qui abest, quamdiu habet animum eas retinendi. Hic additur tertia species possessionis, quæ civilissima dicitur & est ea, quæ sola dispositione Legis acquiritur absque omni corporis & animi adminiculo, etiam ab inscio: sic hæres parvulus possidet hæreditatem defuncti sine ullo apprehensionis actu & cognitione.

PARS II.

De injuriis, & necessaria restitutione in genere.

CAPUT PRIMUM.

De injuria seu injustitia in genere.

Quæst. I. *Quid est injuria?*

Resp. Est voluntaria violatio juris alieni. Sicut enim per actum justitiæ jus suum alteri tribuitur; ita per actum injustitiæ hoc jus violatur. Porro injuria censetur gravis, ideoque mortalis, quando per se apta est parere tristitiam magnam, seu difficile sedabilem; aut averhionem animi difficile impedibilem, spectata communi hominum condizione ac dispositione naturali, communiter parit. Nam talis injuria graviter repugnat justitiæ fini, qui est pax, tranquillitas, mutuus amor per conservationem æqualitatis & jurium.

Quæst. II. *An sine violentia possit fieri injuria?*

Resp. 1. Fit injuria consentienti ex dolo, vi, vel metu injuste incusso: quia talis non cedit moraliter juri suo, saltem sufficienter ad tollendam injuriam. Nam ceffio juris tollens injuriam debet esse omnino voluntaria, & expers omnis injustæ coactionis ac deceptionis; injuria enim non potest parere ullum jus injurianti, & nemo debet commodum ex sua iniquitate reportare. Hinc, qui ad vitam servandam dat pecuniam latroni, patitur injuriam, licet velit eam dare, quia in illam dationem non consentit, nisi per vim injustam: idem dic de consentiente per ignorantiam, ut si quis salvat centum, putans se ea debere, patitur injuriam, si quinquaginta tantum debeat; nam non vult dare centum si non debeat.

Resp. 2. Fit etiam injuria consentienti, quoties consensus est moraliter nullus, ut patet. Sic fit injuria solventi usuras, vel pretium justo majus pro merce &c. quia consensus in illa est nullus, cum sit de re impossibili. Nam dans vult illa dare tantum tamquam pretium, non autem gratis: sed impossibile est illorum esse pretium; mutuum enim est essentialiter gratuitum, & pretium est essentialiter quid æquale merci: ergo excessus pretii non est pretium.

Resp. 3. Quoad jura abdicabilia, consentienti omnino voluntarie non fit injuria, ex reg. Jur. 25. in 6. *Scienti & consentienti non fit injuria.* Quia eo ipso quod sponte consentit, cedit efficaciter illis juribus: ideoque actio non est contra jus, sed secundum jus alteri concessum. Sicque nulla est violatio juris, nec proinde injuria.

Resp. 4. Quoad jura inabdicabilia consentienti fit vera injuria. *Prob.* 1. ex cap. 36. *de sent. excom.* ubi Innoc. III. ait, percussionem clerici, ad satisfactionem alicujus offensæ juxta morem patriæ, triginta circiter fustium percussionibus corpus suum ultro subjicientis, esse injuriosam, licet non sit violenta, *cum ille canon non tam in favorem clericiordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus.* 2. Quia jus inabdicabile est illud, cui efficaciter cedere non potest dominus: ergo cum tunc consensus sit inefficax ad tollendum jus, quod habet consentiens, ne fiat illa actio, re-vera manet totum jus illud, ac proinde talis actio est vere injuriosa, utpote contra jus alterius permanens. 3. Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.* Quippe jus mariti est inabdicabile, cum ex natura matrimonii jus copulæ sit essentialiter conjugibus affixum. Maritus tamen consentiens censetur condonare injuriæ reparationem.

CAPUT II.

De natura & necessitate restitutionis.

Quæst. I. *Quid est restitutio?*

Resp. Est rei alienæ redditio, vel damni illati compensatio, debita ex justitia ad æqualitatem; vel etiam rei alteri debitæ solutio. Nam de ea sic semper hic agetur. Unde est actus justitiæ commutativæ, quæ versatur circa æqualitatem rei ad rem, ex S. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. Differt a satisfactione sive late, sive stricte sumpta. Nam satisfactio late sumpta est quid generalius, & complectitur cum restitutionem, tum etiam quamliber reparationem, & subinlonem pœnæ pro offensa alteri illata: satisfactio vero sumpta stricte est inhonorationis ac contumeliæ illatæ reparatio, & sic spectat personam. At restitutio est rei alienæ redditio, damni compensatio, vel debiti solutio, & spectat res, non personas: nec semper supponit injuriam, ut satisfactio, nam v. gr. qui depositum reddit, vere restituit, licet nullam injuriam intulerit. Quæ tamen de restitutione dicentur, applicari debent satisfactioni late sumptæ, & reparationi famæ, honoris, & aliorum bonorum, cum sit eadem ratio ac regula pro his omnibus.

Quæst. II. *An restitutio actualis necessaria sit ad salutem necessitate præcepti?*

Resp. Affirm. Nisi impotentia excuset, vel adsit justa causa differendi. Constat 1. ex Rom. 13. *Reddite omnibus debita ... Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et Exech. 33. *Si fecerit judicium & justitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet, & non morietur &c.* Et Jacob. 5. *Ecce merces operariorum, qui fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* 2. Ex reg. Jur. in 6. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Idem habet S. Augustin. epist. 54. & refertur in c. *Si res*, 14. qu. 6. ibi: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem vivitur agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed ne dicat, cum restituere possit.* 3. Quia qui non restituit cum potest, nec habet rationabilem causam differendi, voluntarie nocet, & facit injuriam proximo: nam eum privat possessione, & usu rei suæ, vel debitæ; & violat jus, quod habet, ut rem illam nunc possideat. At injuria quælibet prohibita est Lege divina naturali, præsertim hac generali: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Suum cuique reddendum.* Quod procedit, sive res sit debita ob injuriam, sive ex contractu justo, cum sit utrobique eadem ratio, & cre-

& creditor habeat jus strictum possidendi rem sibi ex contractu debitam.

Hoc autem præceptum divinum naturale est primario negativum, & secundario affirmativum. Nam primario vetat ne retineatur alienum, vel alteri debitum, invito rationabiliter domino, & ideo præcipit actum restituendi. *Præceptum de restitutione faciendâ, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere*, ait S. Thom. q. 62. art. 8. ad 2. Quare obligat semper: nam semper illicitum est retinere rem alienam, domino rationabiliter invito.

Præterea omissio restitutionis est virtualiter acceptio rei alienæ continuata, invito domino, ideoque fortum continuatum contra præceptum negativum, *Non furtum facies*. Vide Conc. Gen. Later. IV. c. 39. ait, *non multum interesse, præsertim quoad periculum animæ, retinere injuste, ac invadere alienum*. Et a Conc. Trid. sess. 25. c. 13. Qui decimas non solvunt, res alienas invadere dicuntur.

Hinc mortaliter peccat, qui notabili tempore omittit restitutionem, vel solutionem integram, quam potest facere; vel etiam brevi tempore omittit, si inde creditor damnum grave patiatur. Quia tunc graviter lædit jus alterius; nec excusatur eo quod imposuerit hæredibus suis obligationem restituendi; cum hanc ipse nunc habeat, & implere teneatur. Adde quod sæpe hæredes non restituant, ideoque periculum sit ne omittatur restitutio. Qui autem non potest restituere, debet habere voluntatem saltem implicitam restituendi, cum primum facultas restituendi aderit; & moralem diligentiam adhibere ad hanc facultatem comparandam: qui enim tenetur ad finem, simul tenetur ad media ad eum necessaria. Qui vero non potest totum restituere, tenetur statim restituere ac solvere partem, quam potest, cum circa illam non habeat justam excusationem.

Quæst. III. *Quandonam peccatum injustæ detentionis continuatur, & multiplicatur?*

Resp. 1. Qui non restituit, vel debita non solvit cum potest & debet, actu peccat toto tempore quo id omittit. Quia omissio restitutionis vel solutionis debitæ, toto eo tempore, quo fieri potest, est injuriosa proximo: nam per illam continue lædit jus quod habet possidendi rem suam, vel sibi debitam, & ea utendi; & talis omissio est sufficienter voluntaria, cum omittens possit & debeat restituere, & ad hanc obligationem advertere. Tunc enim si non restituit, habet voluntatem continuam saltem interpretativam detinendi rem alienam vel alteri debitam: quæ voluntas permanet moraliter, quamdiu non retractatur, vel interrumpitur; sicut qui alium injuste conjicit in carcerem & ibi relinquit, continue peccat, quia continue lædit jus proximi.

Igitur qui non restituit cum potest, peccat actu singulis momentis, non quidem singulis novum peccatum addendo, sed prius actu continuando. Quod quo plus durat, eo fit gravius ratione majoris libertæ durationis, vel etiam majoris nocumenti, quod inde domino evenit, nisi tale peccatum detensionis interrumpatur, & multiplicetur.

Resp. 2. Iniquus detentor rei alienæ vel alteri debitæ, novum peccatum admittit, & sic multiplicat numero peccata injustæ detentionis. 1. Quoties habet voluntatem expressam non restituendi; nam quilibet ejusmodi actus est peccatum: & nihil est extrinsecus, in quo illi actus uniantur & continuentur, ad faciendum unum moraliter actum. 2. Quoties interrumpit illud peccatum actuale detentionis, & postea advertit, vel advertere potest ac debet ad obligationem restituendi, & tamen non restituit, cum possit: quia toties omissio restitutionis est ei saltem interpretative voluntaria, & nova culpa. Interrumpitur autem moraliter per contritionem, vel propositum restituendi, per impotentiam restituendi, per somnum, vel longam distractionem, aut occupationem circa alias res, nam tunc voluntio non restituendi non durat virtualiter eadem numero.

Ex dictis sequitur iniquum detentorem teneri explicare in confessione, 1. Totum tempus, quo sua culpa non restituit, vel non solvit, ut intelligatur gravitas peccati & quantum fieri potest multitudo actuum internorum, vel continuatio æquivalens multis actibus internis. 2. Numerum voluntionum non restituendi, seu quoties admisit novum peccatum detentionis; nam tot sunt peccata numero distincta. 3. Quoties interim occasionem restituendi habuerit & neglexerit; ut intelligatur multitudo actuum seu omissionum exteriorum. 4. An dominus ex illa detentione tristitiam magnam, vel grave damnum passus sit, ut intelligatur tota malitia detentionum.

Sed quid si detentor utatur re aliena?

Resp. 1. Si domino perinde sit, utarisne re sua, an eam apud te detineas otiosam; non magis peccas utendo, quam retinendo solum. Quod si dominus longe ferret egestus usum, quam otiosam detentionem, eo quod res usu atteratur, vel periculo exponatur; tunc gravius peccas usu ejus rei, quam nuda detentione: nam plus est ceteris paribus uti re aliena, quam eam nude detinere, invito domino, ac proinde major est injuria. 2. Si res apud te facta sit detrior, ita ut prudenter judices dominum eam non amplius velle, sed potius pretium ejus; non peccas ea utendo, aut eam destruendo, quia hoc non facis invito domino. Peccas tamen ejus pretium non restituendo cum primum potes.

CAPUT III.

De radice obligationis restituendi.

Quæst. I. *Unde oritur obligatio restituendi?*

Resp. Ex quatuor capitibus, scilicet, 1. Ex injusta acceptione, qua intelligitur injusta & culpabilis rei alienæ ablatio, retentio, vel damnificatio, ex c. ult. de injur. ibi: *Si culpa tua datum est damnum vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet*. Nam jus per injuriam auferri nequit: ergo in eo, cujus res ablata vel destructa est, semper manet jus ad illam habendam, vel ejus pretium, quod est res æquivalenter, ac proinde manet in altero obligatio restituendi. 2. Ex re accepta, id est, ex re aliena in se vel æquivalenti extante apud alium sine hujus culpa: nam *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura*, reg. jur. 38. in 6. Præterea dum res est aliena, eo ipso subest juri alterius, qui inde minus habet, dum ea caret, quam habere deberet. 3. Ex contractu explicito, vel implicito, seu quasi contractu in assumptione officii seu muneris: nam quidquid sit contra pactum, vel officium ad alterum commodum spectans, est contra justitiam commutativam, ideoque obligat ad restitutionem. 4. Ex lege positiva & justa sententia. De his duobus ultimis alibi dictum est.

Quæst. II. *An oritur obligatio restituendi ex damnificatione nullatenus peccaminosa, v. gr. ob inconsiderationem, distractionem mentis, oblivionem prorsus involuntariam?*

Resp. Non oritur extra contractum & officium. Quia 1. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, cap. 2. de restit. 2. Quia qui damnum sine ullo peccato extra contractum & officium intulit, ex nullo capite tenetur restituere: non ratione injuriæ, cum non peccaverit; neque ratione rei acceptæ, aut contractus, vel legis, vel sententiæ, cum nihil horum extet. 3. In hoc casu damnum non illatum fuit, damnificato rationabiliter invito: nemo enim potest velle rationabiliter, ut quis sibi non infæcat damnum etiam tum, cum de eo inferendo non cogitat, & involuntarie ac necessario infert: non nam potest rationabiliter velle id quod tunc impossibile est. Præterea qui damnum sine ullo peccato extra contractum & officium intulit, se habet instar possessoris bonæ fidei, qui non tenetur restituere rem alienam, quam bona fide consumpsit, si ex ea non sit factus ditior.

Dixi, *extra contractum*, quia Leges imponunt contrahentibus onus restituendi damnum secutum ex culpa mere juridica; & contrahens hoc ipso quod contrahit, illud onus tacite in se suscipit, cum velit & debeat contrahere secundum Leges. Quare, quamvis damnum non fit illatum, domino rationabiliter invito, tunc tamen indemnitas ei debetur ex pacto seu contractu explicito vel implicito: sicut deberet cum res perit casu fortuito, nisi præcesserit pactum eum præstandi.

Quæst. III. *An oritur obligatio restituendi ex damnificatione veniali?*

Resp. 1. Ex damnificatione & furto veniali ob parvitatem materiæ oritur obligatio restituendi sub veniali. Quia non restituendo injuste privatur dominus possessione & usu rei suæ, vel sibi debitæ, sufficientis ad materiam injustitiæ venialis, quæ tolli debet.

Resp. 2. Ex damnificatione gravi quoad materiam, sed veniali ob defectum advertentiæ, oritur obligatio restituendi. Quia tunc committitur vera culpa & injuria, licet levis, at omnis injuria ex natura rei, ideoque jure naturali reparari debet, ex c. ult. *de injur.* cit. Non videtur tamen esse obligatio restituendi totum damnum citra contractum aut officium: quia injuria venialis ac imperfecta non debet citra contractum aut quasi contractum, tantam obligationem parere, quantam injuria gravis & perfecte voluntaria. Et quia tunc damnum leviter peccantis leviter est imputabile; Ergo non tenetur totum compensare. Deinde cum ea restitutio sit pœna, seu onus jure naturali culpæ correspondens, debet esse culpæ proportionatum. Sunt tamen qui docent, tantum posse esse damnum, ut pars illius correspondeus culpæ venialis, sit adhuc gravis momenti, ideoque sub mortali restitui debeat, quia alioquin reiteretur res notabilis debita, invito domino, quod est mortale.

Certum in praxi quando damnum grave est, communiter ordinarie debet interveniisse culpam mortalem. Nam (ut notat Lessius,) generaliter in operibus externis periculosis, citra subitaneam passionem vehementem, raro contingit advertentia imperfecta: scilicet opera illa periculum sumum statim & facile ingerunt, mentemque ad sui considerationem excitant. Præterea ad mortale sufficit confusa cognitio periculi, vel obligationis diligentius advertendi, quæ facile haberi potest. Quare in dubio an culpa sit mortalis, an venialis, totum damnum refarciri debet, præsertim cum in dubio potior sit conditio innocentis.

Quæst. IV. *An oritur obligatio restituendi ex damno dato per culpam juridicam in officio, vel extra illud commissam?*

Nota. Culpa duplex distinguitur, theologica, & juridica seu civilis. Culpa theologica est peccatum imputabile, sive mortale, sive veniale: culpa juridica est omissio diligentiæ debitæ ad cognoscendum, vel cavendum, vel faciendum, vel providendum, ex qua sequitur damnum, sive illa omissio sit peccatum, sive non. De hac sola hic agitur; & triplex est, lata, levis, & levissima. Culpa *lata* est omissio diligentiæ quam prudentes ejusdem conditionis homines in ejusmodi rebus adhibere solent. Culpa *levis* est omissio diligentiæ, quam passim in rebus ejusmodi propriis adhibere solent homines diligentiores & prudentiores ejusdem conditionis. *Levissima*, est omissio diligentiæ, quam soli diligentissimi & prudentissimi adhibent. Ut siquis, v. gr. librum sibi commodatum reliquat ante ostium domus, & amittatur, tunc censetur amisisse per culpam latam; si reliquit in cubiculo suo, non obserato ostio, erit culpa levis; si ostium obseravit, sed non advertit an esset bene obseratum, est levissima.

Resp. 1. Ex communi sententia, extra officium & contractum, non oritur obligatio restituendi damni secuti ex culpa levi & levissima. Quia citra contractum & officium nemo tenetur majorem diligentiam adhibere in suis operibus ne alteri noceat, quam in similibus casibus adhibere solent homines ejusdem conditionis diligentes ac prudentes; nemo enim tenetur esse diligentior ac prudentior ceteris hominibus diligentibus & prudentibus ejusdem conditionis, nisi ad id specialiter se obligarit. Constat tamen, inquit Lessius, esse obligationem restituendi damnum secutum ex culpa lata, nisi constet illam esse prorsus inculpabilem, quia quisque ex justitia tenetur, ne alteri noceat, adhibere in actionibus suis eam diligentiam, quam adhibere solent in ejusmodi actionibus diligentes ac prudentes: nam quisque jus habet ne sine justa causa & auctoritate sibi inferatur damnum: ergo si non adhibet, non facit id ad quod tenetur ex justitia, & sic damnum inde secutum censetur ei voluntarium, & merito imputatur, ac proinde illud tenetur refarcire.

Resp. 2. Per se loquendo nemo tenetur in conscientia ad restitutionem propter culpam levem, vel levissimam in officio, vel arte commissam, sed tantum propter latam. *Ita communis aut fere communis sententia*. Quia nemo tenetur in officio, vel professione sua adhibere majorem diligentiam & prudentiam, quam soleant adhibere diligentes & prudentes ejusdem professionis: nam nec gravius onus quis vult sibi imponere, dum officium suscipit, vel artem exercet, nec reipsa plus ab ipso exigit.

Hinc advocatus, v. g. qui bona fide præstitit id

quod diligentes & periti advocati in similibus causis præstare solent, non tenetur ad restitutionem, si causa cadat, eo quod non præstiterit id quod diligentissimus præstitisset. Idem dic de Judice, Magistratu, Medico, Architecto &c.

Dixi, *per se loquendo*: nam si quis profiteatur se diligentiorem & peritiorem aliis, aut diligentissimum; & sic eos qui tales quærunt, ad se perrahat; is tenetur adhibere majorem, aut etiam maximam diligentiam & prudentiam, quia id promisit, & ad id se obligavit saltem implicite: unde tenetur refarcire totum damnum ex levi, vel etiam ex levissima culpa secutum, cum non adhibendo majorem, vel maximam diligentiam, peccaverit graviter in re gravi contra pactum saltem implicitum, ideoque gravem injuriam fecerit.

Porro culpa quæ dicitur lata in iis, qui officium vel artem exercent, censetur levis in aliis privatis. Unde illi dici possunt teneri de culpa levi comparate ad alios, qui non tenentur ex officio vel pacto; cum debeant majorem diligentiam adhibere, quam si nihil commodi perciperent, vel non ex officio facerent.

Resp. 3. Qui præbet consilium in rebus ad suum officium vel artem pertinentibus, tenetur ad restitutionem ratione culpæ latæ. Quia ex officio tenetur in consilio dando adhibere eam diligentiam & prudentiam, quam adhibere solent in similibus rebus homines diligentes ejusdem professionis. Ergo si non adhibet, peccat contra justitiam, ideoque tenetur ad restitutionem damni ex hac culpa secuti. Item tenetur ratione ignorantiæ, quia talis ex officio tenebatur hoc scire, & in responso vitare errorem, ex quo damnum secutum est: unde merito censetur causa injusta damni secuti. Et utrumque patet ex c. ult. *de injur.*

Non tenetur tamen ad restitutionem, qui consultus aperit bona fide dumtaxat opinionem suam, dicendo ita sibi videri, nec suadendo ut alter faciat, & a fortiori si indicet se dubitare. Nam tunc si alter sequatur, suæ imprudentiæ damnum adscribere debet, modo consultus non habeatur a consulente peritior ac prudentior, quam revera sit. Immo si des consilium in rebus, quæ ad tuum officium non spectant, & quarum parum peritus es, & alter sciens tuam imperitiam, consilium tuum sequatur, non teneris de damno inde secuto: nam damnum illud sibi imputare debet, & scienti ac volenti non fit injuria. Si tamen agitur de damno tertii, ut si fundeas alteri contractum injustum, vel ut non restituat, peccas graviter in re gravi, & teneris illi tertio: nam illi tertio de quidem invito damnum infers tuo malo consilio. Nec obstat quod veritatem inculpate ignorares; quia nihilominus imprudenter agis: nemo enim nisi imprudenter miscet se consiliis dandis in rebus quas non intelligit, & sciens ac volens exponit se periculo errandi cum damno tertii, quod proinde ei sufficienter est voluntarium, meritoque imputatur. Ita fere Lessius.

Porro hæc regula juris 62. in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*; intelligitur solum de eo, qui bona fide dat consilium in rebus ad suum officium non pertinentibus, & qui ratione sui muneris aut status peritiam non profitetur. Vel nomine fraudis intelligitur culpa lata, quæ ei æquiparatur in jure.

Quæst. V. *Ex qua culpa juridica in contractibus oritur obligatio restituendi?*

Resp. 1. Si contractus cedat in utilitatem solius accipientis, ut in commodato, accipiens tenetur ad restitutionem, si res aliena pereat, vel deterior fiat ex culpa etiam levi & levissima: Sed non tenetur, si fecit id quod diligentissimi ac prudentissimi in simili re propria conservanda facere solent. Constat ex l. 18. §. *commod.* & ex instit. lib. 3. tit. 15. & ex c. 2. *de commod.* Ratio dispositionis juris est, quia æquitas naturalis postulat, ut is qui gratis utitur re alterius in suam tantum utilitatem, maximam diligentiam adhibeat, ne pereat, vel deterior fiat.

Excipitur precarium, in quo accipiens tenetur solum ex dolo vel culpa lata, l. 8. §. *de precario*; eo quod res concessa precario potest a domino quovis tempore revocari, non autem res commodata: quare æquum est, ut qui accepit precarium, non teneatur de tanta culpa.

Resp. 2. Si contractus sit utilis utrique contrahenti, ut contractus pignoris, locati, & conducti, uterque tenetur ad restitutionem damni secuti ex culpa lata & levi, non autem levissima, ex l. 3. §. *commod.* & l. 23. *de reg. jur.* Ratio est, quia cum res aliena alicui conceditur in ejus utilitatem, æquitas postulat ut eam valde diligenter custodiat, non tamen ad tantam diligentiam teneatur, ad quantam si in sui tantum utilitatem accepisset. Quare ad nihil tenetur, si fecerit quod diligentiores faciunt in simili re propria conservanda. Hinc artifices, qui laborant in re aliena ob stipendium, & domestici, quibus incumbit ex officio cura custodiendæ rei domesticæ, tenentur refarcire damnum ex culpa etiam levi secutum. Qui tamen conductus est ad transportandum columnam vel alias res fragiles, tenetur de culpa levissima respectu illarum rerum, l. 25. §. *locat.* Quia nempe talis negligentia in ejusmodi rebus non censetur levissima, sed major propter summam diligentiam, quam illæ res ex natura sua exigunt. *Delugo & alii.*

Resp. 3. Si contractus cedat in utilitatem solius dantis, ut in deposito, accipiens tenetur solum ad restitutionem ex culpa lata, & dolo, ex l. 5. §. *commod.* & l. 29. §. *de reg.* & instit. l. 3. tit. 15. Nam æquitas postulat, ut qui habet rem alienam in commodum solius domini, non teneatur ad majorem diligentiam & custodiam, quam passim adhibere solent in rebus suis homines, cum nullum commodum inde percipiat.

Hinc si depositum pereat apud te sine tua culpa lata, non teneris illud restituere, nisi in his casibus. 1. Si adsit pactum de majori vel maxima custodia adhibenda, vel etiam de casu fortuito præstando, ex l. 1. §. *depos. Contractus enim Legem ex conventione accipiunt.* Ibid. 2. Si in culpa fuisti tecum deferendo depositum in locum periculosum, vel fuisti in mora non reddendo, cum potuisti, & debuisti, teneris ad restitutionem, quantumcumque custodiam adhibueris, ex variis juribus, & cap. ult. *de depos.* ibi: *Pacto, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.* 3. Si accepisti mercedem pro deposito custodiendo, ex eodem cap. Tunc enim teneris de culpa levi: quia contractus depositi cedit in tuam & domini utilitatem, transitque in locationem operæ ad illud custodiendum. 4. Si reipsum ad depositi custodiam esse-

offerat petenti diligentissimum custodem, tunc teneris de culpa levissima, l. 1. §. *depos.* quia tunc censeris custodiam diligentissimam promittere.

Obj. In prædictis Legibus depositarius dicitur obligari solum ex dolo, non ex culpa. *Resp.* In jure lata culpa dolo æquiparatur. Lege 32. §. *depos.* & lege 226. §. *de verb. obligat.* ibi: *Magna negligentia culpa est magna, culpa dolus est.* Quare cum Leges decernunt dolum solum præstandum esse, non culpam, culpæ nomine levis & levissima intelligitur; & sub nomine doli comprehenditur culpa lata. Cum autem statuunt in contractibus culpam esse præstandam, per culpam intelligitur aliquando levis, aliquando levissima, pro subjecta materia.

Resp. 4. Est obligatio in conscientia restarciendi, secundum has Leges ante sententiam judicis, damnum secutum sine peccato, sed ex culpa mere juridica in contractibus. *Ita Covarruv. Navar. Molin. Vasquez, Lessius dicens esse communiorem, & alii.* Prob. Quia qui ex contractu rem alterius accipit, obligat se saltem implicite ad eam servandam cum onere per Leges annexo, & ad præstandam curam ac diligentiam, quam Leges præscribunt; cum præsertim hæ Leges fundentur in naturali æquitate, & sancitæ sint propter bonum commune, ut contractus facile ineantur, & ad exhibendam curam ac diligentiam circa res alienas. Neque enim fundantur in præsumptione culpæ mortalis; nam v. gr. in culpa levissima non potest forum externum præsumere peccatum mortale, ut notat Vasquez, & tamen, cap. unico de commodato dicitur simpliciter: *Cum gratia sui quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur.* Unde tunc est obligatio restituendi ex contractu, cui Leges justæ eam annexuerunt, & quam contrahens, hoc ipso quod contrahit, tacite in se suscipit, cum velit & debeat contrahere secundum Leges.

Quæst. VI. *An qui inculpabiliter dixit vel fecit aliquid, ad quod jus nullum habet, & ex eo impendet damnum proximo, tenetur ex justitia illud impedire vel restituere, si non impediat quantum commode potest?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia.* Quia quisque tenetur ex justitia curare, ne ex sua actione eveniat damnum proximo contra jus illius; ideoque impedire ne malum ex sua actione secutum perseveret: alioqui qui non impedit quantum commode potest, censetur causa moralis perseverantiæ effectus a se positi, & damni secutis quod proinde ei imputabitur: nam quisque jus habet ne ei damnum sine justa causa, & auctoritate inferatur.

Hinc qui inculpate errorem docuit, vel consilium noxium dedit, tenetur, ubi advertit, dedocere; qui inculpate res alienas incendit, tenetur, quantum commode potest, ignem extinguere; alioqui continuatio incendii foret ei voluntaria & moraliter imputabilis. Si tamen non posset impedire alterius damnum sine graviori, aut saltem æquali suo damno, non poterit illi imputari, sed censebitur juste permittere. Nam multo minor est obligatio tunc impediendi, quam non inferendi positive damnum: cum ipsa non oriatur ex injusta læsione vel actione, ideoque non est obligatio impediendi damni, nisi cum potest impediri sine gravi aut saltem æquali suo damno. Cujus quidem damni proprii gravitas debet spectari respective ad damnum, quod inde proximo sequetur.

Quæst. VII. *Quid restitui debet ratione injustæ acceptionis vel damnificationis?*

Resp. Qui injuriam alteri intulit rem ejus culpabiliter accipiendo, aut detinendo, aut damnum inferendo &c. tenetur in conscientia restituere rem, si adhuc extet: vel ejus pretium si ipsa non extet: item omnes fructus naturales ac mixtos, sive perceptos, sive non perceptos, sed quos dominus percepturus erat, & compensare omne damnum emergens ac lucrum cessans. *Est communis sententia.* Quia ratione injuriæ contrahitur obligatio injuriatum omnino indemnem reddendi, & restituendi in eum statum in quo fuisset, si injuria illata non fuisset; alioqui injuria integre non tolleretur, nec æqualitas, quam justitia intendit, reponeretur; & sic non cessaret totaliter injustitia. Quare mensura restitutionis faciendæ ratione injustæ acceptionis vel damnificationis, est quantitas boni alieni ablati, & damni illati ac lucri impediti, quamvis lædeos nihil inde emolumenti perceperit, ex cap. *Gravit*, de restit. spoliat. ubi Cœlestinus III. ait: *Mandamus ablata cum integritate restituere, damna plenarie refarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere compellatis: provisuri ut non tantum fructus a novo & violento possessore perceptos, sed quos possessores veteres percepissent, vestri facietis eisdem.*

Igitur fur, vel malæ fidei possessor; vel damnificator injustus tenetur, 1. Rem alienam injuste possessam restituere domino. Nam quamdiu retinet, facit ei injuriam violando jus quod habet rem suam possidendi, & ea utendi. Quod si res aliena non extat, tenetur ejus pretium restituere, cum sit causa injustæ damni, quod patitur dominus privatione rei suæ, quam tenebatur restituere. 2. Compensare omne damnum emergens & lucrum inde cessans domino, l. 5. Cod. *de rei vindic.* Nam est causa injusta utriusque, teneturque dominum indemnem servare, ut tollatur injuria illata. Porro lucrum justum alterius impedire est illi damnum inferre: nam est eum privare lucro sperato, ad quod jus habet, & facere ut minus habeat quam habuisset. 3. Restituere omnes fructus naturales & mixtos, quos percepit, quamvis dominus non percepisset, nec illi extent amplius, nec ex illis factus sit ditior, ex l. 22. Cod. *de rei vindic.* ibi: *Certum est, male fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare.* Quia fructus rei hoc ipso quod producuntur, fiunt illius qui est dominus rei, & res quæ libet domino suo fructificat, ex instit. *de rer. divis.* Nam res ubicumque est, semper domini est, & domino valet, quod ibi valet. Ergo fructus æque restitui debent, ac res ipsa, & tunc est etiam obligatio restituendi ex re accepta. Quod si illi fructus interea, dum retinentur, pereant; pereunt non domino, sed injusto detentori, qui est in mora culpabili. Item tenetur restituere fructus omnes naturales & mixtos, immo & mere industriales, quos dominus singulari sua diligentia licite percepisset, quamvis ipse damnificator nullos perceperit, ex l. 35. §. *de rei vindic.* ibi: *Fructus non modo percepti, sed & qui percipi potuerunt, bonæ æstimandi sunt.* Et ex cap. *Gravis* cit. Nam debet compensari omne damnum emergens & lucrum cessans.

Nota 1. Fructus mere naturales sunt illi, qui ex re aliqua gignuntur sine ulla fere industria aut labore, ut herbæ in pratis, arborum poma, ani-

malium fœtus. Mere industriales sunt ii, qui ex sola industria & labore proveniunt, licet mediante alia re tamquam mero instrumento, ut quæstus, qui ex negotiatione, vel ex usu artificioso alicujus instrumenti, puta penicilli, percipitur. Fructus mixti sunt ii, qui ab ipsa re, mediante industria & labore proveniunt, ut fructus agrorum, vinearum, ad quos revocatur pretium locationis ædium, earumque rerum, quæ habent usum locabilem. Nam pretium locationis rerum est fructus earum, quem pariunt mediante usu sui, qui est pretio æstimabilis, & datur solum pro usu rei, ex l. 19. & 36. §. de usuris. Hi fructus vocantur civiles, & debentur domino rei, l. 5. Cod. *de rei vindic.* ibi: *Domum, quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversa parte injuria occupatam esse offendit, Præfecturæ provinciæ, cum pensionibus quas percepit, aut percipere poterat, & omni causa damni dati, restitui jubebit.* Soli autem fructus nostre industriales, quos dominus rei non percepisset, non sunt restituendi, quia non sunt fructus rei alienæ, sed industriæ propriæ. Sic qui pecunia furtiva negotiatus est, non tenetur lucrum suum restituere, sed solum pecuniam ablatam, & omne damnum emergens ac lucrum cessans, si quod est.

Nota 1. Semilia & alia familia, si sint aliena, non fructificant domino suo, sed domino agri, l. 25. §. de usur. ibi: *Omnis fructus non jure seminis, sed jure soli percipitur.* Quia sunt magis agri, quam seminis, quod mortuum est, & ab agro vivificari & ali debet. Hinc qui triticum fortivum seminavit in agro suo, non tenetur restituere segetes, sed aliud triticum in eadem mensura cum damno emergente & lucro cessante, si quod est secutum domino tritici.

Nota 2. Restituitio fructuum faciendæ intelligi debet deductis pretio operæ ac laboris, & impensis, quæ a domino fieri debuissent ad illos percipiendos ad conservationem rei, & ad ejus melioramenta, quibus rei valor crevit domino, ex l. 7. §. Salut. matrim. Quia his deductis dominus non patitur damnum, & reponitur æqualitas.

Quæst. VIII. *An injustus damnificator tenetur insuper aliquid solvere pro culpa in pœnam.*

Resp. Non tenetur ante sententiam judicis. Quia punitio ad judicem pertinet; sed post sententiam tenetur pœnam solvere, quia judex habet jus eam infligendi, & justa sententia obligat in conscientia. Ita S. Th. 1. 2. q. 61. art. 3.

Quæst. IX. *An fur vel injustus possessor, aut damnificator tenetur restituere rem alienam, si peritura fuisset apud dominum?*

Nota 1. Possessor malæ fidei est is, qui rem alienam injuste accepit, vel retinet, aut consumsit, vel alienavit, putans aut dubitans esse alienam, vel se non legitime possidere, vel ex ignorantia graviter culpabili judicans esse suam. Possessor bonæ fidei est, qui rem alienam detinet, judicans prudenter esse suam. Unde bona fides nunquam potest oriri ex ignorantia, quæ non excusat a culpa mortali in acceptione rei, & omissione inquirendi cujus res sit: nam tunc non potest prudenter conseri justa possessio.

Resp. 1. Injustus possessor tenetur rem alienam restituere, si illa non erat peritura apud dominum, nisi per injuriam alterius v. g. furtum. *Est communis sententia.* Quia sicut ille alius faciendo injuriam, teneretur restituere; ita tu præveniens teneris integre damnum resarcire, cum fueris caussa injusta totius damni.

Nota 2. Si res periit dolo vel injuria injusti possessoris, quia vel amfit culpa lata, vel eam scienter destruxit, absumpsit, alienavit &c. tenetur ejus pretium restituere domino, etiamsi apud hunc casu peritura fuisset. *Est communis sententia, teste Layman.* Quia talis est hic & nunc caussa injusta interitus rei, quæ vere perit per injuriam detentoris, ac proinde ratione injustæ læsionis, statim contrahit restituendi obligationem, quæ subsequente fortuito casu non extinguitur. Sic qui occidit hodie Petrum, alioqui eras interficiendum a fera, est caussa injusta mortis Petri, & tenetur ad restitutionem. Idque magis adhuc constat, si tempore, quo ex culpa periit vel destructa est res aliena, non erat notitia interitus vel periculi futuri. Quia cum periculum illud ignoretur, res illa vere tantum valebat apud homines, sicut si peritura postea non fuisset. Totus ergo valor ille fuit per injuriam ablatus ab injusto possessore, & ipse totius illius debiti reus factus est, atque adeo suscepit jam in se onus & obligationem totius illius debiti solvendi. A quo debito non liberatur ex eo quod eventus subsequens offendat rem fuisse postea perituram vel minus valituram, quia hoc non facit rem minus valuisse, tum cum injuste destructa est, pro quo tempore taxari debet valor damni illati. *Ita Delugo.*

Resp. 2. Item tenetur restituere rem alienam, quæ casu apud ipsum perit, si non sit omnino certum casu perituram fuisse apud dominum. Quia in dubio melior est conditio innocentis, & domini possidentis jus certum recipiendi rem suam, vel ejus pretium.

Immo juxta multos tenetur, etiamsi res certo fuisset peritura apud dominum casu, vel justa hostium spoliatione. Quia 1. hoc ipso quod quis rem alienam injuste aufert, vel detinet, facit domino injuriam, cui est per se annexa obligatio restituendi; per accidens autem est quod effet casu similiter apud dominum peritura. 2. Qui injuste accipit, injuste detinere incipit: sed qui injuste detinet, semper est in mora restituendi: qui autem est in mora, tenetur etiam de casu fortuito, nam mora trahit ad se periculum rei, ut statuunt jura. 3. Casus subsequens non facit ut fur vel injustus possessor damnum reipsa non intulerit, sed solum facit quod imputatum fuisset alteri caussæ. Item qui semel ratione rei injustæ acceptæ obligatur, per eventum fortuitum postea subsequentem non absolvitur.

Obj. 1. Nullum damnum ex injuria est illatum domino, cum constet eum ex casu fortuito non minus privandum fuisse re sua, quam si nulla fuisset injuria illata, adeoque nihil minus habeat quam alias fuisset habiturus: ex injuria autem oritur obligatio restituendi solum damnum ex ea secutum, non aliud. *Resp.* damnum domino illatum est, spectato statu, in quo privatus fuit re sua per injuriam, cui per se annexa est obligatio restituendi.

Obj. 2. Leg. ult. §. *ad legem Rhod.* statuitur quod si navem conduxerim ad merces meas convehendas, ipse vero nauta me invito merces meas in navem deteriorem transtulerit, cum qua merces meæ perierint, tenetur mihi de hoc damno, si altera navis salva evaserit; sed non teneatur si ambæ naves ex navigatione perierint, quia æque merces meæ in priori navi conducta periissent.

Resp. Ibi non agitur de injusto possessore, qui rem alienam habet per injuriam; sicut in nostro casu.

Sed si rem alienam, quæ incendio, vel aliter peritura erat apud dominum, auferam, & post ejus periculum non statim restituam, & postea apud me pereat, non jam peritura apud dominum: an teneor ejus pretium restituere?

Resp. Affirm. *Ita omnes.* Quia res illa a periculo libera, & secura ad dominum pertinebat, & sic ei statim tunc reddi debuit; quare si non fuit reddita, injuria ipsi facta fuit per injustam detentionem, quæ fuit caussa damni, nam apud dominum non amplius periisset.

Quæst. X. *An ratione injuriæ restitutio faciendæ est juxta summam æstimationem, quam res a tempore detentionis habuit?*

Resp. 1. Si res aliena apud furem vel injustum possessorem facta est deterior, quam cum accepta est, tenetur restituere secundum statum illum quem res tunc habebat. Nam tempore quo accepit, res illa tantumdem valebat; & accipiendo damnum injustum domino intulit, privando eum re sua in tali statu, & facultate eam majore pretio vendendi.

Resp. 2. Si res apud injustum possessorem melior effecta est, sive intrinsece & in substantia, ut si vitulus evaserit in bovem; sive extrinsece & in valore, ut si auctum fuit ejus pretium ob emptorum multitudinem; restitui debet domino in tali statu, si extet. Nam res semper manet in ejus dominio; melioratio autem & incrementum rei pertinet ad ejus dominum. Si autem res illa non extet, & vendita fuerit majore pretio, quam vendidissiles dominus, totum pretium acceptum restitui debet domino: quia res tempore quo carius vendita est & melior erat, domini erat, & domino debebatur: ergo pretium acceptum ei debetur, cum sit valor suæ rei. Quod si res casu periit, vel minore pretio vendita fuit, aut in deteriore statu & valore alienata vel consumpta, restitui debet domino secundum æstimationem, quam in optimo statu & maximo valore habuit, si dominus eam tali tempore erat venditurus, vel passus est damnum emendo aliam summo valore; quia injustus possessor fuit caussa injusta talis lucri cessantis vel damni. Idem dic, si incertum sit, an dominus lucrum ex ejus melioramento fecisset, vel quo pretio venditurus fuisset, ut docent passim Doctores. Nam injuste privatus fuit potestate lucrandi, & vendendi summo valore, qua forte usus fuisset: in dubio autem melior est conditio innocentis, & possidentis jus exigendi integram indemnitatem.

Immo juxta varios, restitutio fieri debet secundum summum valorem & incrementum, etiamsi dominus re sua certo usurus non erat, in tali statu, nec juxta summum valorem venditurus. Quia dum res apud injustum possessorem melior & rarior facta est, domino meliorata fuit, ipsique debita erat in tali statu. Ergo facta est domino injuria cum damno, eum privando re sua in optimo ejus statu & valore; quæ injusta detentio est nova injuria a prima acceptione distincta, per quam statim contracta est obligatio eam restituendi cum tali incremento & valore. Obligatio autem ex injuria contracta extinguitur per solam restitutionem, & quamvis nullum damnum dominus recipiat, spectato statu in quo futurus esset, si ad tempus minoris valoris rem servaturus esset, tamen recipit damnum, attento priori statu in quo habuit dominium rei plus valentis, quo majore valore ad se pertinente injuste privatus fuit. Confirmatur l. 8. §. de condit. furt. ibi: *Si ex caussa furtiva res condicatur, cujus temporis æstimatio fiat, quæritur? Placet tamen id tempus spectandum, quo res nunquam plurimi fuit: maxime cum deteriorem rem factam fur dando non liberatur; semper enim moram fur facere videtur.*

Obj. Restitutio fieri debet solum ad æqualitatem damni illati. At tunc non est illatum damnum secundum summum valorem rei; nam ejus incrementum non erat certo profuturum domino, cum dominus fuisset eam venditurus ante tempus illius incrementi, nec coactus fuit eo tempore aliam emere.

Resp. Damnum domino illatum est, attento priori statu, in quo habuit dominium rei plus valentis, & revera privatus fuit re sua in optimo ejus statu & valore.

Quæst. XI. *An qui ponit actionem ex qua damnum obvenit alteri, tenetur illud restituere?*

Resp. 1. Si damnum evenit tertio ex actione tua mala vel otiosa, quæ fuerit periculosa sive per se, sive ratione circumstantiarum, teneris illud resarcire, quamvis aliunde adhibueris diligentiam ne eveniret, & illud non intenderis. Quia 1. Illud damnum est tibi sufficienter voluntarium in caussa, nempe actione tua mala periculosa; per quam illud crras. 2. Iaitulisti injuriam damnosam illi tertio, quippe qui jus habebat ne malam illam actionem sibi periculosam faceres.

Secus est, si damnum eveniret alteri ex tua actione non mala, licet periculosa, sed utili tibi, cujus faciendæ jus habebas, modo adhibueris debitam ad illud impediendum diligentiam, quæ adhiberi potuit, retenta illa actione licita: tunc enim damnum illud tibi non imputaretur, cum utaris jure tuo ex c. 31. de election. *Non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo.* Et ex l. 155. §. de regul. jur. *Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere jus non habet.* Sed si non adhibueris debitam cautionem, ne aliis damnum eveniret, teneris de damno. Nam quilibet tenetur ex justitia curare, ne ex tua actione damnum eveniat alteri: nam proximus habet jus ne ei damnum inferatur sine justa caussa & legitima auctoritate. Propter eamdem rationem teneris restituere damnum, si jus non habeas faciendi aliquid periculosum, licet non malum. Sic qui in itinere foveam lupi capiendi caussa fecit, tenetur de damno; l. 28. §. *ad leg. Aquil.*

Resp. 2. Teneris resarcire damnum, quod alteri evenit ex tua culpa, scilicet actione mala vel inutili, si damnum illud intenditi. licet ex ea plerumque damnum non eveniat. Nam tunc damnum tibi voluntarium est in se, & merito conseris illius caussa, cum reipsa ex directa intentione illud intuleris per actionem tuam malam vel (*) inutilem.

Resp.

(*) *Nempe licita, sed tibi non utili, nedum necessaria actione.*

Resp. 3. Teneris refarcire damnum, quod obvenit alteri ex actione tua mala vel inutili, quamvis ex ea plerumque damnum tertio non eveniat, nec illud intenderis, si prævideris probabiliter eventurum. Quia 1. Tunc damnum illud est voluntarium tibi in actione illa mala tamquam in causa, vel saltem tamquam in occasione, quæ est æquivalenter causa. 2. Feciti injuriam alteri, qui jus habebat ne actionem illam malam faceres in talibus circumstantiis, nempe cum suo periculo, quamcumque aliunde diligentiam adhiberis. S. Th. 2. 2. q. 74. art. 8.

Resp. 4. Non teneris refarcire damnum, quod ex tua actione mala non periculosa obvenit, si illud non intenderis, nec potueris prævidere obventurum, eo quod nunquam aut fere nunquam illud eveniat ex tali actione in talibus circumstantiis. Quia tunc damnum illud nec in se, nec in alio tibi voluntarium est, cum nec illud intenderis, nec potueris prævidere: nec requiritur cautio ubi non est periculum. Hinc qui alienam arborem ascendit ad fructus furandos, & casu cadens supra socium, eum præter intentionem occidit, non est reus homicidii, nec tenetur socio ad restitutionem. Quia talis ascensus, licet illicitus, non erat sic periculosus: unde ille solum reus est furti. Quando autem S. Th. loco citato, dicit dantem operam rei illicitæ, ex qua mors alterius sequitur, esse reum homicidii, supponit illam rem esse aliquatenus periculosam, saltem ex circumstantiis.

Quæst. XII. *An in dubio de damno secuto ex actione mala per se damnificativa, sit obligatio restituendi?*

Resp. 1. Qui injuste potuit actionem ex se impeditivam lucri vel damnificativam, tenetur in dubio an reipsa alteri lucrum cessaverit, aut damnum secutum sit, restituere pro ratione debiti, seu quanti æstimatur certum subeundi damni periculum. Quia talis fuit causa injustæ periculi, quod alter subit, patiendi damnum, nec constat non passum fuisse, inquinque est, ut innocens in tali dubio totum periculum certum subeat, & alter sit immunis omni obligatione.

A fortiori qui certus est de patrata a se actione injusta per se sufficiente ad damnum inferendum, & de damno secuto, sed dubitat an secutum sit ex illa, tenetur restituere saltem pro ratione dubii, & æstimationis periculi. Dico *saltem*; nam juxta Lessium & alios multos, tenetur de toto damno: tum quia possessio est pro actione injusta, quod talem effectum procrearit, nisi oppositum constet, tum quia præsumptio juris valet, quamdiu de contraria veritate non constat: sed tunc est præsumptio juris: damnum ex illa actione, v.g. consilio malo, secutum esse ex regul. 41. jur. in 6. *Inficiamus in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

Obj. Non est æquum, tantum teneri restituere eum, qui solem ex probabili præsumptione, quantum qui ex certa scientia damnum intulit.

Resp. Hoc est justum, quando constat, positam esse causam injustam damni, & damnum secutum esse: nam in dubio an damnum revera ex illa actione secutum sit, melior est conditio innocentis & domini.

Idem dic de omissione injusta, hoc est, omissione rei ex justitia debita, dum dubitatur an ea secutum sit damnum: nam in moralibus omissio injusta est æquivalenter actio injusta.

Quæst. XIII. *An qui solo exemplo movit efficaciter alium ad damnum inferendum, tenetur damnum ab hoc illatum refarcire in ejus defectum?*

Resp. Affirm. Si hoc eventurum probabiliter prævideret. Quia 1. Talis posuit actionem malam & periculosam rationem circumstantiarum, ex qua probabiliter prævidit damnum tertio secuturum: ergo fecit ei injuriam. Nam quisque habet jus, ne fiat actio mala cum periculo damni sui. 2. Vere movit alium ad damnum inferendum, & æque est causa damni quod ex motione exempli sequitur, ac si ex consilio sequeretur. 3. Qui occasionem damni dat sine justa causa, damnum dedisse censetur, ex cap. ult. *de injur.* & l. 30. §. ad leg. Aquil. *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur.* Idem dic de eo qui hoc eventurum prævidere aut potuit aut debuit.

Quæst. XIV. *An quis teneatur restituere damnum irrogatum per suum mancipium, animal, vel furem?*

Resp. 1. Ante omnem sententiam tenetur ratione culpæ, si negligens fuit in præcavendo, ex c. 3. & ult. *de injur.* Nam tunc damnum illud ei voluntarium fuit in omissione diligentiæ debitæ; ideoque ei meritò imputatur. Hinc qui animal serum non tenuit domi clausum, vel catenis ligatum, tenetur de damno ab eo illato. Ob eamdem rationem, qui potestatem in alios habent, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem, si ubi est periculum damni, non provideant ne fiat a suis. Nam dominus & pater tenentur ex justitia impedire ne aliis damnum inferatur a suis, vel per sua animalia.

Resp. 2. Si damnum irrogatum sit sine culpa voluntaria domini, hic tenetur dare pro noxa mancipium, vel animal, aut damnum compensare, ex jure civili, instit. digest. & Cod. *de noxiat. actionibus.* Et canonico cap. ult. *de injur.* ibi. *Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris: nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum: quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent; & quam debuerat non curasti diligentiam adhibere.* Quæ leges non sunt pœnales, sed dispositivæ; & æquitati ac naturali rationi valde consentaneæ. Quia cum animal, vel servus non sui juris, sed totum quod fuit, domini sint, leges juste disposuerunt, ut sicut omnis utilitas ab eo provenienti domini est, ita etiam & damnum domini sit, nisi velit ipsum pro eo tradere: nam qui sentit commodum, debet sentire & onus, reg. 55. jur. in 6. Quare hæ leges obligant ante sententiam, nisi ex consuetudine legitime præscripta, sententia requiratur: nam in foro conscientiæ idem dicendum est circa ista, quod æquus judex cognita veritate judicaret: *Ita Sanchez, & alii.*

Item quando ex domo aliquid projicitur, vel effunditur, quod damnum intulit; si ante non fuit clamatum, caput familiæ in illa domo habitantis tenetur ad solvendum duplum illius damni, quamvis sine ejus culpa illati. L. 1. & l. 6. *de his qui effuder.* ibi: *Habitator suam, suorumque culpam præstare debet.* Sed juxta multos, si dominus vere peccato careat, nihil tenetur restituere ante sententiam:

tiam: quia sic usu receptæ sunt illæ leges, nec id necessarium est ad finem illarum. At post sententiam tenetur in conscientia parere sententiæ judicis, quia hæc non fundatur in præsumptione culpæ, sed in legibus quæ ad bonum commune & pacem publicam ita statuerunt, & ut domini diligentius caverent ne damnum aliis a suis inferatur.

Resp. 3. Parens non tenetur ex delicto filii, vel damnum refarcire, vel filium noxæ dedere, si absque parentis culpa commissum est, ex instit. *de noxal. act.*

Quæst. XV. *An qui impedivit alterum a consecutione alicujus boni, tenetur ad restitutionem?*

Resp. 1. Qui quocumque modo etiam solis precibus vel consilio, saltem absque causa justa, impedit aliquem a consecutione boni ipsi ex justitia debiti, sive habeat jus in re, sive solum jus ad rem, peccat contra justitiam, & tenetur compensare totum damnum. *Ita omnes.* Quia illius fuit causa injusta, violando jus, quod habet alter ad habendum illud bonum. Unde si alter habet jus in re, impediens tenetur restituere valorem illius rei; si vero solum jus ad rem, v. gr. per justam promissionem acceptatam, electionem, præsentationem &c. tenetur restituere quanti jus illud judicio prudenti æstimabitur.

Idem dic de impediente alterum ne uratur jure suo, v. g. exercendi suam artem, operam locandi, petendi aliquid &c. Nam quilibet habet jus utendi jure suo, quod jus tunc violatur.

Resp. 2. Qui vi, fraude, dolo, minis, detractione, calumnia, mendacio, vel alio modo injusto impedit aliquem a consecutione beneficii vel officii, quo dignus erat, vel alterius boni ex justitia non debiti, ut doni, legati &c. tenetur restituere, quanti judicio prudenti ea spes ei valebat. *Ita omnium, teste Sanchez.* Quia licet impeditus non habeat jus strictum ad tale bonum, jus tamen habet ne ab illius consecutione per vim, fraudem, vel aliam quamvis viam illicitam impediatur, & ut perfecte liberum cuique sit ei gratificari. Ergo tali facta est injuria, quæ refarciri debet. Idque sive vis, vel fraus exerceatur circa eum, qui impeditus est a consecutione boni: ut si quis vi eum detineat, vel minetur ei ne petat, vel eum decipiat, sive circa collatorem, ut minando ne conferat, vel falso persuadendo alterum esse indignum.

Dixi, *quanti spes &c.* Nam non tenetur ad æquale, *quia gratiam illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri*, ait S. Th. q. 62. art. 2. ad 4. Quod si nulla erat spes, non tenetur restituere damnum, cum reipsa nullum intulerit. Si tamen exigua spes fuisset, compensanda est judicio prudenti.

Qui autem a consecutione beneficii ecclesiastici, vel officii, aliquem indignum impedivit per vim & fraudem, licet præceperit, non tenetur damnum restituere; quia non facit injuriam quoad illud, cum nullum ad illud habeat jus, etiam conditionatum & in libera collatoris voluntate positum: nam illicitum est conferre beneficia vel officia indignis. Item qui a consecutione beneficii aliquem dignum & ipsum habentem impedit, ut digniori conferatur, non facit injuriam impediendo, nec tenetur ad restitutionem: quia ille non habet jus etiam remotum ut digniori præferatur. Si tamen impediat calumnia vel detractione, tenetur ad restitutionem famæ, sicut in primo casu.

Idem dic, si dignum solis precibus & commendatione impediat, ut æque digno conferatur: quia non habet jus ut illi præferatur in bonis communibus, nec injusta via impeditur, & tibi licet petere pro æque digno: secus, si injusta via talem impediat, nam tunc teneris illi restituere quantum ea spes ei valebat, quia jus habet, ne injuste impediatur, ut beneficium conferatur alteri non digniori.

Resp. 3. Qui etsi fine vi vel fraude, vel alia injusta via, impedit dignum a consecutione beneficii, vel officii, ut detur indigno, tenetur ad restitutionem Ecclesiæ vel Reip. quæ inde damnum injuste patitur. *Est communis sententia.* Quia utraque jus habet, ne damnum ei quovis modo inferatur. Idem dic si modo etsi non injusto impedias dignioremi, ut detur minus digno, quia Ecclesia & Resp. habent jus habendi optimos ministros, & magistratus. Sed juxta multos non tenetur restituere impedito; quia non violavit justitiam commutativam erga illum, quippe qui nullum jus talis justitiæ habet ad beneficium vel officium; non enim habet jus in re, nec jus ad rem, quo debitum ei sit beneficium vel officium, & quo possit illud jure exigere.

Resp. 4. Ex communi sententia: qui sine vi, fraude, vel alia via injusta aliquem impedivit a consecutione boni non debiti ex justitia, non tenetur ad restitutionem. Quia non fecit injuriam impedito, cum nullum jus habeat ad illud bonum, & impediens liberum cuique relinquat gratificari ei, si velit, & nullam viam injustam adhibeat. Nec refert, quod alter statuerat donare: quia sine injustitia semper potest propositum mutare: ergo & ad id induci via non injusta. Odium autem seu animus nocendi per medium non injustum, & in ilis, in quibus potest quis alioquin nocere absque injustitia, non est peccatum contra justitiam, sed solum contra caritatem.

Hinc non tenetur ad restitutionem qui sine vi, vel fraude, aut alia ratione injusta, sed solis precibus vel obsequiis aliquem avertit ab instituendo tali herede, aut a relinquendo legato, vel donando aliquo bono, vel qui curavit revocari testamentum, & alium hæredem institui. Quia nemo habet jus ad successionem, vel legatum, quamdiu testator vivit, cum libere pro libito semper possit revocare & mutare testamentum. Tamen sine justa causa aliquem a confecutione boni non debiti impedire via non injusta est contra caritatem, qua debemus velle bonum proximo, & quæ vetat ne alteri faciamus quod nobis fieri rationabiliter nolumus.

Sed quid, si alterius Procuratorem, vel Tabellarium, litteras aut mandata alterius deferentem ad impetrandum beneficium, vel ad aliquod negotium, detineam prætextu recreationis vel potationis, sciens hanc detentionem nociturum mandatario?

Resp. Peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem. Ita Delugo, & alii. Quia mandatarius habet jus, ut Procurator, vel Tabellarius, seu famulus diligentiam adhibeat, & moram vitet, ad quod tenetur ex justitia, & tu scienter impedis executionem, ac usum ejus juris, seu id ad quod ille jus habet. Sed qui quovis modo etsi de se licito scienter impedit usum juris alterius, & id

ad

ad quod jus habet, facit ei injuriam, cum violet ejus jus, ideoque tenetur ad restitutionem damni inde secuti. Idem dic, si famulum alterius quovis modo detineas, sciens hanc detentionem causam esse damni domini, ad quod vitandum famulus ex justitia tenetur: nam cooperaris injustitiæ alterius, & vere es caussa moralis talis damni.

Quæst. XVI. *An accepta ob opus malum restituí debent?*

Resp. 1. Sic accepta ante opus malum patratum restitui debent. *Ita omnes*. Quia ista non dantur nisi ex lege, ut accipiens se obliget ad opus malum, ad quod impossibile est obligari: unde datio est nulla, & sic rei dominium non fuit translatum, ex cap. ult. *de pactis*.

Resp. 2. Crimine patrato, pretium retineri potest, nisi per legem aliquam acquisitio sit irrita, vel accipiens fiat inhabilis ad acquirendum illius dominium. Ita S. Antonin. Covar. Cajet. Less. Delugo, & alii multi. Quia 1. Accipiens non est inhabilis ad illud acquirendum, & pretium datum est omnino voluntarie, non quidem ut pretium peccati, quod est tantum conditio sine qua non datur, sed ut solutio promissi posita conditione. 2. Mulier potest retinere id quod acquisivit per meretricium, ex l. 4. §. *de condit. ob turp. caus.* & ex S. Th. q. 62. art. 3. ad 2. & in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. q. 2. *Si lex prohibuit actum, ex quo quis lucratur, sed non luctum supposito actu: tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo contra legem non facit, & ideo hac retineri possunt*. 3. Quia promissio de solutione pretii valet, si consideretur ut facta ex suppositione conditionis positæ, quamvis non valeat ut facta sub conditione ponenda.

Ad leges in contrarium objici solitas, dico eas non reddere irritam acquisitionem rei ob turpem caussam datæ, nec facere accipientem inhabilem ad acquirendum illius dominium; sed solum decernere, ut ante opus patratum habeantur pacta illa invalida, & ut ne patrato opere inde oriatur obligatio civilis, ob quam scilicet posset in judicio exigi promissum: quod probatur ex l. 2. *Cod. de dict. ob turp. caus.* ubi res ob turpem caussam accepta, ei qui accepit relinquitur: & ex l. 8. §. *eod. tit.* ubi dicitur solutum ob turpem caussam non posse repeti.

Dixi, *nisi per legem &c.* Quia quando lege aliqua positiva accipiens redditur inhabilis ad acquirendum dominium, vel annullatur actus ex quo pendet acquisitio, tunc res accepta restitui debet. Nam per talem legem translatio dominii impeditur etiam in conscientia, cum bona & actus subditorum subjiciantur voluntati justæ Legislatoris in ordine ad bonum commune, quod semper per Legem justam interditur. Quod si is, qui dedit, fiat per Legem incapax datum retinendi, si restituatur, tunc restitutio fieri debet pauperibus, vel aliis piis operibus: secus, fieri debet danti, quia cum translatio dominii rei datæ nulla fit, res remanet prioris domini, qui illius dominio se non abdicavit, nisi ut in recipientem transferret. Equidem si eam rem ob opus malum dederit, dignus est ut ea privetur, sed hæc pœna infligi debet a judice, non a privato.

Resp. 3. Quoad praxim, in pœnitentiam imponenda est a confessario obligatio dandi pauperibus vel piis caussis accepta pro quovis opere malo patrato, si accipiens non indigeat: tum quia peccatum est tali pœna dignum, tum ne lucrum ex peccato reportet, & sic ad peccatum affectum retineat, & ad illud iterandum alliciatur.

Quæst. XVII. *An accepta ob opus bonum jam debitum restitui debent?*

Resp. 1. Accepta pro actione vel omissione debita ex justitia restitui debent danti. *Est communis sententia*. Quia 1. Quæ accipiuntur pro actione vel omissione debita ex justitia, accipiuntur per injustitiam, nempe contra jus quod habet proximus ut id fiat vel omittatur sine sumptu suo: at accepta per injustitiam restitui debent. 2. Tunc nullus est titulus, seu jus accipiendi & retinendi; neque enim oritur ex contractu oneroso, cum ejus natura sit, ut utrinque obligationem pariat: nulla autem nova obligatio imponitur ei, qui jam ex justitia obligatus est. Non item ex pacto gratuito, quia danti non est animus liberaliter dandi, sed dat coactæ ex metu injuriæ, ne jure suo defraudetur.

Respondeo vera est etiamsi pretium tibi detur ab alio tertio, cui nihil debeas. *Est communis sententia*. Nam ille vere dat pro re, quam gratis dare debes, & ad quam jus habet is cujus causam gerit, & pro quo petit: ac proinde ei vendis mediante pretio ab amico dato id quod ei ex justitia debes. Nec refert, quod opus debitum feceris in gratiam dantis pretium; nam hæc relatio non tollit obligationem exsiguendi opus sine pretio, nec ullum commodum pretio æstimabile affert solventi pretium; estque solum mentalis: ergo non impedit injustitiam.

Hinc peccant contra justitiam, & tenentur restituere, qui aliquid accipiunt pro ferenda sententia justa, pro testimonio vero dicendo, pro restituendo depósito, commodato, invento, vel pro solvendo debito; vel pro abstinendo a furto, homicidio, & detractione &c. cum hæc omnia sint debita ex justitia.

Resp. 2. Accepta pro opere debito ex caritate tantum, vel aliis virtutibus, quod sine labore, sumptu aut periculo fieri potest, restitui debent. *Ita Covarruv. Molin. Less. & alii*. Quia communi hominum judicio talia opera non sunt pretio æstimabilia; nec omnino voluntarie ac liberaliter aliquid pro illis datur, sed coacte ob necessitatem.

Hinc qui accepit pecuniam, ut furem indicet &c. tenetur eam restituere.

Si autem opus illud ex sola caritate debitum fieri nequeat sine labore, vel sumptu, vel periculo, aliqui docent accepta pro eo retineri posse: quia qui pro illo accipit vel exigit pretium, peccavit solum contra caritatem, cum illud sit pretio æstimabile. Alii vero nihil distinguunt, & censent, accepta pro quovis opere ex caritate vel alia virtute debito, restituenda esse: quia iniquæ exigitur, & accipitur pretium pro opere, quod nullo obiato pretio præstari debet; & dans coactus, rationabiliter invitus desistit, nempe timuit ne alioqui non fieret id quod debetur. Delugo docet, esse obligationem ex caritate restituendi accepta ob opus debitum ex caritate, quando caritas obligabat ad subveniendum gratis proximo: quia ea obligatione posita, acceptio pretii impedit ne possit fieri satis præcepto caritatis, cum pretio accepto non subveniatur gratis proximo prout caritas præcipiebat; sed tunc non est restitutio nisi late dicta.

Resp.

Resp. 3. Si constet aliquid sponte ac liberaliter donatum præcise ad inclinandum accipientem ad bonum opus ex justitia vel caritate debitum faciendum, hic non tenetur illud restituere. Quia donatio gratuita ac voluntaria est justus titulus retinendi donum gratuitum; nisi ramen Lege positiva inhabilis sit ad acquirendum dominium rei dono datæ, sicut est judex circa munus saltem magni momenti sponte oblatum.

Resp. 4. Qui aliquid accepit pro actione vel omissione, quæ solum cedit in suam commodum, vel in honorem Dei, non tenetur illud restituere. Quia illud ex caussa vel sub conditione donatum est omnino voluntarie ac liberaliter: nemo enim emit ab alio actiones vel omissiones liberas ei soli utiles; ut si des alteri aliquid, ut Sacrum audiat, jejunet, ne inebrietur, non obligando eum ad hoc opus &c. Qui tamen accepit aliquid ne admittat crimen, quod Legibus punitur, cogitur in judicio ad restituendum; & post sententiam tenetur restituere, cum sit justa, & Legi conformis.

Quæst. XVIII. *Quid restitui debet ratione rei acceptæ?*

Resp. Qui tenetur restituere solum ratione rei acceptæ, ex communi sententia tenetur solum restituere rem alienam si adhuc extet, vel id in quo ex ea factus est ditior, si non extet apud se, & ad fructus extantes, aut quatenus ex iis factus est ditior. Quia tantumdem & non plus habet ex re aliena, sive in æquivalenti. Quare mensura restitutionis faciendæ ratione rei acceptæ est quantitas possessionis rei alienæ vel in se, vel in æquivalenti possessæ: ita ut tantum restituatur, quantum rei alienæ in se, vel in æquivalenti possideret, l. 23. §. *de petit. hared.* Alienum autem in æquivalenti quis possidet, cum rem alienam consumendo aut donando, rebus suis peperit, vel alienando aliquid acquisivit.

Quæst. XIX. *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei?*

Resp. 1. Qui rem alienam bona fide possidet, putans prudenter esse suam, ubi primum novit esse alienam, ex communi sententia tenetur eam restituere prima opportunitate, *l.* 22. §. *de petit. hared.* quia dominus habet jus rem suam possidendi. Quod si non reddat ubi primum potest commode, incipit esse possessor malæ fidei, & tenetur ad restitutionem tum ratione rei acceptæ, tum etiam ratione injustæ detentionis, quæ est æquivalenter injusta acceptio: unde si interim res etiam casu pereat, tenetur ejus pretium restituere, cum fuerit in mora culpabili. Tacetur autem rem eamdem domino restituere, nec licet ei pecuniam vel aliud pro illa sine ejus consensu dare; quia res illa in individuo est domini, nec sine injuria potest dominus invitus cogi rem suam vendere, aut commutare, cum habeat jus illam possidendi, ac retinendi, & confitlat ex l. 3. *Regum* c. 21. ubi de vinea Naboth.

Resp. 2. Ex communi sententia, si possessor bonæ fidei consumpsit, vel amisit, vel alienavit, nihil admisit, vel tenetur restituere, si non sit inde factus ditior. *ex instit. offic. jud.* & l. 33. §. *de petit. hared.* Nam cum solum teneatur ratione rei acceptæ, & possitæ, non tenetur plus restituere quam ex ea possideat, sive in se, sive in æquivalenti. Sed tenetur restituere id in quo factus est ditior ex re aliena, ead. leg. cit. Quia id in quo factus est ditior, succedit in locum rei acceptæ, quæ tunc extat in æquivalenti apud ipsum, & quatenus possidet rem alienam in æquivalenti. Præterea iniquum est, ut quis ex re aliena cum domini jactura locupletetur: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria*. Reg. 38. jur. in 6.

Hinc nil tenetur restituere, si res aliena durante bona fide perit casu vel etiam culpa: vel si eam donavit aut consumpsit, aliam non donaturus: secus si alium ex suis erat *donaturus*, quia tantumdem ex suis bonis servavit, & sic ex re aliena plus habet quam alioqui haberet. Si autem rem alienam sibi donatam vendidit, tenetur ejus pretium domino ipsius rei restituere: nam habet pretium rei quod est æquivalenter res ipsa, & sic factus est ditior ex re aliena.

Resp. 3. Ex communi sententia, possessor bonæ fidei tenetur deductis expensis & laboribus restituere domino fructus rei naturales, & mixtos qui apud illum extant, l. 22. cod. *de rei vindic.* Nam res fructificat domino suo, sive fructus, qui ex re aliqua nascuntur, pertinent ad eum, ad quem res ipsa pertinet; nam id totum, quod res est & potest, est domini, sicut res ipsa. Si illi fructus non extent, tenetur solum quatenus ex iis factus est ditior: nam res alterius exstat tantum apud ipsum æquivalenter quoad hoc, ex l. 2. cod. *de petit. hared.* ibi: *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores exstiterint*. Sed non tenetur restituere, 1. Fructus meræ industriæ, quia non sunt rei. 2. Fructus quos negligentia sua non percepit, quamvis eos percepissat dominus rei: nam non tenetur dominum indemnem reddere, nec restituere in pristinum statum, cum eum ab eo non detruserit solum culpabiliter; unde nec tenetur lucrum cessans aut damnum emergens compensare. 3. Juxta multos non tenetur restituere fructus naturales & mixtos, quos bona fide, & cum titulo colorato possedit per triennium, etiamsi fide factus sit ditior: quia res mobiles præscribuntur triennali possessione cum titulo colorato. *Inst. de usucap.*

Hinc possessor bonæ fidei tenetur tantum restituere rem alienam, & ejus fructus, vel id in quo factus est ditior ex re aut fructibus ejus naturalibus vel mixtis.

Quæst. XX. *An & cui restituenda sunt bona vacantia, & derelicta?*

Resp. 1. Bona vacantia, id est, bona quæ restituit aliquis ab intestato decedens sine hæredibus, qui secundum Legem ei ab intestato succedant, restitui debent fisco: quia ad fiscum pertinent, l. 5. cod. *de bon. vac.* Bona autem mobilia vacantia peregrinorum in pios usus per Episcopum impendi debent, Auth. *Omnes peregrini*, cod. *de sacrosanct.*

Resp. 2. Bona derelicta, quæ nullum unquam habuere dominum, jure naturæ & gentium sunt inventoris. Nam cum nullius sint, sunt primo occupantis, nisi aliter Leges speciales statuant, *ex instit. de rer. divis.* & lib. 2. §. *Fera derelicta*. Bona autem derelicta sunt ea, quæ dominus eo animo abjecit, ut jam esse sua nolit. *Instit.* Hinc bona naufragorum, vel bona quæ per incendium ejiciuntur, aut in tempestate projiciuntur levandæ navis caussa, aut alluvione aquarum abripiuntur, non sunt habenda pro derelictis, quia dominus semper desiderat voluntatem illa habendi ut sua: unde & retinui debent etiamsi periculo ripueris, alias peritura, ex *instit.*

de rer. divis. & l. 18. cod. *de furtis*, & cc. 3. *de raptor.* & ex Bullis Julii II & Pauli III. Quia salva facta sunt domino suo, qui semper habuit voluntatem ut ad se reverterentur; res enim sive in periculo, sive extra periculum, semper est domini sui.

Quæst. XXI. *An, & cui restitui debent bona inventa, & bona ac debita incerta?*

Nota. Bona ac debita incerta dicuntur ea, quorum dominus vel creditor, vel ejus hæres cognosci vel inveniri nequit post diligentem inquisitionem, quæ judicio prudenti sufficiat pro rei gravitate. Hinc non sunt incerta dum constat ea deberi certæ communitati, vel majori ejus parti. Item conservari debent, quando est spes dominum inveniendi. Quod si dubitetur solum cui ex pluribus res debeatur, tunc si dubium prudenter resolvi nequit, inter illos ex æquo dividi debet juxta quantitatem debiti, ut servetur æqualitas.

Resp. 1. Bona aliena inventa, quorum dominus vel ejus hæres, post diligentem inquisitionem, cognosci non potest, impendi debent in pauperes, vel in alia pia opera. Quia 1. Catechism. Rom. dicit: *Si verum inventarum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda*. 2. Sententia communis Doctorum, teste Lessio, cum S. Th. docet, ita impendi debere, & quidem jure naturali, quod satis patet ex ratione qua utuntur. 3. Res quæ remanent in dominio alterius, si nequeant ei reddi, jure naturali impendi debent secundum ejus voluntatem rationabilem, & prudenter præsumptam: nam non licet de eo cuiquam aliter quam ex ejus voluntate disponere. At hæc censetur rationabilis voluntas dominorum, ut talia bona impendantur in pauperes, vel alia pia opera; cum sic impendantur optimo quo impendi possunt modo, & id cedat in suam vel suorum, vel publicam utilitatem, nullique sit, qui non putet, eleemosynam esse opus bonum, & utile. Jam vero qui amisit aliquid, semper retinet ejus dominium: nemo enim amittit dominium rei suæ, nisi vel sua propria voluntate, vel Lege aliqua, aut sententia justa, non autem casu fortuito. Unde illud S. Augustin. c. *Si quid* 14. q. 5. *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti*. 4. Ex Auth. Cod. *Omnis*, Cod. *Communia de success.* ibi: *Si intestati decesserint*, (peregrini & advenæ) *ad hospitem nihil pervenit, sed bona ipsorum per manus Episcopi, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in pias causas erogentur*. Et ex l. 44. §. *de furtis*, ibi: *Qui alienum quid sciens lucri faciendi causa subtulit, furti obtringitur, sive scit cujus sit, sive ignoravit: nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus sit ignoret*.

Nota. Si in rei inventione nullus labor, vel sumptus impensus fuit, inventor non potest quidquam retinere aut exigere, quia nullum habet ad id titulum; sed tenetur rem totam gratis domino vel pauperibus reddere; nullum enim habet jus retinendi quidquam ex re aliena, & injustum est ut quis rem suam pretio sibi comparet. Potest tamen accipere, quæ ipsi dantur, vel liberaliter ex gratitudine, modo nihil exigat, vel propter laborem, si quis fuerit.

Resp. 2. Bona vel debita incerta sive ex delicto, sive ex contractu, vel ratione rei acceptæ, restitui debent pauperibus vel aliis pils causis, idque jure naturali secundum communem sententiam, teste Delugo. De bonis injuste partis constat, 1. Ex c. 5. *de usur.* ubi Alexander III. jubet usuras pauperibus restitui, si non superfint iis quibus debentur, vel eorum hæredes: *Cum non remittatur peccatum, nisi restituatur oblatum*: quæ ratio valet pro quibusvis debitis saltem ex delicto. Et ex c. *Nemo, qui rapit, moriens, si habet unde reddat, salvatur. Si eos, quorum fuit, invenire non potuerit, Ecclesiæ, vel pauperibus tribuat*. 2. Nemo debet commodum ex sua iniquitate reportare. 3. Dominus non vult ea retineri ab injusto possessore; alioqui daretur occasio injuriis inferendis sub spe juste retinendi injuste parta.

De bonis ac debitis non ex delicto constat etiam ex dictis, quia bona, ac debita incerta sunt instar rerum inventarum, quarum dominus cognosci nequit, & eadem est ratio pro illis; ergo idem est judicium de illis. Enimvero bona, quæ non possunt tradi domino, vel creditori, nec ejus hæredibus, jure naturali impendi debent secundum voluntatem ejus rationabilem prudenter præsumptam, & ei restitui meliori modo quo possunt, ideoque dari pauperibus, vel pils causis, cum id ei vel hæredibus vel Resp. prosit.

Sed quid si post applicationem inveniatur dominus?

Resp. 1. Si ante diligentem inquisitionem bona, vel debita incerta impendisti in pauperes, teneris adhuc restituere domino comparenti. *Est communis sententia*. Quia fecisti injustum vero domino, qui jus habet ne bona sua omissa diligenti inquisitione alienentur; & quia tua culpa est, quod non inveneris dominum, ut ei redderentur bona quando reddi poterant. Si tamen res adhuc existat apud pauperem, vel locum pium, hic restituere tenetur, quia qui dedit non potuit transferre dominium, quod proinde manet apud dominum. Quod si post diligentem inquisitionem erogasti pauperibus, ad nihil teneris; non enim teneris ratione rei acceptæ, cum nihil apud te extet, neque in ratione injuriæ, quia jam restituisti eo modo quo potuisti ac debuisti, neque ex contractu, aut Lege, cum nihil horum sit. Si tamen ea tibi tamquam pauperi applicasti, Lessius docet te teneri ea restituere domino postea cognito, modo adhuc extent in se vel in pretio; quia teneris ratione rei, nec es in tanta necessitate, ut ea tibi possis relevare.

Recte autem monent, si res inventa vel debita sit magni momenti, potius eam xenodochio, vel monasterio pauperi, quam aliis pauperibus dandam esse, sub obligatione eam restituendi domino, si comparuerit. Si tamen bona fide in alios pauperes distributa fuerit, cum jam nulla spes superesset inveniendi dominum, ad nihil amplius distribuens tenebitur, cum adhibuerit debitam diligentiam ad restituendum domino, & jam restituerit secundum ejus voluntatem rationabiliter præsumptam.

Resp. 2. Secundum multos, pauper vel pius locus, cui bona incerta erogata sunt, non tenetur ea restituere domino comparenti, nisi data fuerint sub hac conditione. Quia pauper, vel locus pius acquisivit absolute dominium: nam res ei absolute donata est, cum dominus non poterat censeri invitus. Sed alii docent rem restituendam esse si adhuc extet in se vel in æquivalenti, quia donatio facta est sub conditione tacita, *Si non compareat dominus*; alioqui negotium ejus non esset sat bene gestum:

quod mihi videtur probabilius de re, quæ adhuc extat in se.

Quæst. XXII. *An qui habet rem alienam tenetur ad restitutionem, si pereat, vel deterior fiat ex casu fortuito?*

Resp. Qui rem alienam injuste accepit, vel detinet, ex communi sententia tenetur de damno omni etiam fortuito, quia ratione injuriæ tenetur dominum rei indemnem servare. Qui vero rem alienam bona fide vel ex contractu habet, non tenetur de casu fortuito, si absque culpa, mora, & pactum, ex l. 23. §. *de regul. jur.* & c. unico *de commodat.* Quia his seclusis res quælibet perit domino, l. 9. Cod. *de pignor. act.* Et vero casus fortuitus est extra humanam prudentiam, cum sit inopinatus rei eventus, qui ab homine prævideri aut vitari non potuit, ut incendium, latrocinium vis, mors &c. Sed ibidem omnes, tenetur de casu fortuito, 1. Si intercedit pactum de illo præstando, nam pacta obligant ex justitia. 2. Si sit in mora culpabili restituendi, ut si tempore statuto non restituat rem cum possit, & hæc postea pereat. Nam ex reg. 32. jur. in 6. *Mora sua cuilibet est nociva*: si enim restituisset, forte non periisset; & per moram culpabilem fit injustus detentor. 3. Si ex culpa dedit occasionem casui fortuito, non observando pactum, ut si re usus sit in alio loco vel tempore alio, quam quo conventum est, & magis periculoso, in eoque res perlit; vel si contra pactum ignem accendit in re locata, quæ postea casu combusta est. Nam peccavit contra justitiam, quod si non fecisset, damnum non fuisset; & *qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*, cap. ult. *de injur.* Hæc traduntur c. 1. de depos. *Passio, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur*.

CAPUT IV.

De cooperantibus ad damnum.

Quæst. I. *An qui cooperantur ad damnum alterius teneantur ad restitutionem?*

Resp. Affirm. *Ita omnes*. Quia qui quoquo modo sunt causa efficax injustæ damni, tenentur illud resarcire; nam quilibet jus habet, ne ei quocumque modo directe, vel indirecte, immediate vel mediate damnum sine justa causa & auctoritate inferatur, & ut resarciatur injuste illatum, ex c. ult. *de injur.* ubi Gregor. IX. ait: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus quam forte tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injurium verisimiliter posse contingere vel jacturam*. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati*.

Novem autem sunt modi, quibus quis potest cooperari damno alterius: unde secundum omnes, causæ cooperantes sunt novem, scilicet mandans, consulens, consentiens, palpo seu adulator, receptator, participans, mutus, non obstans, non manifestans: quarum sex priores sunt positivæ, tres vero posteriores negativæ. Comprehenduntur his versibus, apud S. Th. 2. 2. q. 62. art. 7.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quæst. II. *Quid requiritur ut cooperantes teneantur ad restitutionem?*

Resp. 1. Requiritur ut sua cooperatione fuerint causa damni. Nam qui non est causa damni, nullum damnum reipsa intulit: sed qui nullum damnum intulit, nullum tenetur resarcire. Porro *non semper consilium, adulatio, vel aliqua hujusmodi est efficax causa rapinæ. Unde tunc solum tenetur consiliator aut palpo ad restituendum, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causa fuerit injusta acceptio subsecuta*; ait S. Th. 2. 2. q. 62. art. 7.

Resp. 2. Ut jubens, consulens, consentiens, laudans, receptator, adjuvans teneantur restituere, sufficit ut executor mandato, consilio, consensu, adulatione, recursu vere motus, vel alterius auxilio ac opera adjutus sit ad damnum inferendum. Quia tunc sunt vere causa damni; neque enim est de ratione veræ causæ, ut ea non posita non ponatur effectus, sed tantum, ut ex ea tequatur effectus, nam causa efficax est præcise ea, ex qua physice, vel moraliter provenit effectus. *Ita Covarruv. Carjet. Sot. Azor. Vasq. Molin. Less. Delugo, & alii*. Idque certum est, inquit Lessius, etiam si alius non defuisset, qui jussisset, consuluisset, adjuvisset &c. nec credibile est aliquos id negare; ne eos quidem, qui indistincte requirunt, ut alioqui damnum secutum non fuisset, sed supponunt nullam aliam causam fuisse superventuram: alioqui eorum opinio est aperte falsa. Quia talis ita est causa damni in hoc casu, ut si ipse, vel alius similis non moveret vel adjuvaret executorem, damnum non fieret: ergo vere est causa, sine qua non fieret damnum; nam causa sine qua non est ea, quæ ita cooperatur, ut sine ipsa vel simili superveniente, non fieret effectus a causa executrice. Igitur jubens, consulens, adjuvans &c. tenentur restituere, etiamsi non defuisset alius, qui jussisset, consuluisset, adjuvisset &c. Enimvero alium prævenendo in injuria, contraxit obligationem, quam ipse contraxisset, & alioqui qui damnum injuste passus est ab alio, non habet jus exigendi restitutionem ob multitudinem hominum injuratorum.

Quare solum controversia esse potest, quando executor absque illo consilio, mandato, laude, ministerio, auxilio, idem damnum allaturus fuisset, quamvis nulla alia injusta causa fuisset superventura: quia nempe jam erat ex se ad id paratus, & promptus. Tunc etiam esse obligationem restituendi affirmant Cajetan. Sot. Medina, Vasq. Molina, quos refert, & sequitur Delugo asserens hanc esse communem sententiam inter recentiores, modo revera suo consilio, mandato vel auxilio cooperetur de facto ad damnum. Quia talis est vere causa damni; nam esse causam non est quod illa deficiente effectus non fieret, sed quod illa etiam reipsa cooperetur ad damnum. Nec obstat quod executor jam ex se esset causa efficax damni; nam duæ causæ totales morales possunt concurrere ad eumdem effectum, atque etiam duo motiva totalia, ita ut uno eorum deficiente effectus adhuc ex vi alterius fieret, v. gr. si medicus eat in aliquem locum vocatus a duobus infirmis ad eos curandos, ita ut propter singulos

gulos seorsim iret, moveatur quidem ab utroque, ita tamen ut altero deficiente iret; tunc singula motiva vere concurrunt, & tamen altero deficiente effectus fieret. Unde quoties tum consilium, vel auxilium vere movet & influit, licet eo deficiente idem damnum fieret, adhuc vere ex causa damni*; nam vere damnum adhuc oritur ex tuo consilio &c. Ceterum in dubio an alter tuo consilio &c. efficaciter motus fuerit ad damnum inferendum, necne, teneris restituere. Quia in dubio nemo præsumitur malum sua sponte facturus; & quia possessio stat pro obligatione restituendi, cum constet positum esse causam de se damni illati vam. *Vide dicta Qu. XI.*

Sed quid, si executor consilii, aut alia simili causa motus ea tantum ad damnum inferendum facilitur, confidentius, vel citius?

Resp. Multi negant mandantem aut consulentem teneri tunc restituere. Quia tum rem moraliter æstimando, non est causa efficax damni, & nihil interest ad damni illationem an facilius, confidentius &c. illatum sit, si revera sublato consilio &c. illatum vere fuisset ab executore sum ad id ultro determinato: & tunc consulens, laudans &c. non tam sunt causa substantiæ damni, quam modi vel circumstantiæ, qua mandatur executioni, ut nempe fiat hoc modo, hoc instrumento, hoc tempore &c. Ergo non tenentur substantiam damni rependere. Et ita sentire dicunt S. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. ad 3. quæstiunc. ubi alt de consulente: *Non obligatur semper ad restitutionem: nisi in certis casibus, quando probabiliter credit, quod consilium suum fuit efficax, & quod aliàs injusta ablatio commissa non fuisset.* Et S. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 2. §. 6. ubi dicit, jubentem & consulentem teneri de damno, *quod aliàs non fuisset factum*, secluta alia simili causa.

Medina vero, Cajet. Sot. Molina, Vasquez, Reginald. & alii affirmant. Quia adhuc talis est vera causa damni: nam est causa hujus individuæ actionis damnosæ, quæ hic & nunc fit, & ad eam concurrit.

Porro adhuc probabilius est teneri ad restitutionem eum, qui fuit causa ut damnum citius inferretur, tum ex l. 51. §. ad leg. Aquil. ibi: *Si quis servo moriturum vulnus infixerit, eumdemque alius ex intervallo ita percusserit, ut mucronis interficeretur, quam ex prime vulnere moriturus fuerat, statuendum est utrum eorum lege Aquilia teneri*: tum quia alioqui potuisset executor mutare voluntatem, vel impediri a damno inferendo; & sic damnum sine tuo consilio, vel opera potuisset non extitisse: & forte non extitisset: deinde ex causa damni hic & nunc illati.

Quæst. III. *An omnes cooperantes ad damnum teneantur singuli in solidum?*

Resp. 1. Mandans, consulens, consentiens, laudans, vel receptans &c. tenetur ad restitutionem totius damni, si causa fuit totius damni; partis vero, si solum partis causa fuit. Nam quisque tenetur refarcire totum, & solum damnum, cujus causa injusta fuit: & quando multi ad idem damnum concurrunt, tunc singuli tenentur in solidum modo infra explicando.

Quoad participantes, cum plures cooperantur ad idem damnum inferendum sic ut singuli sint causa actionis injustæ, seu conferant in actionem injustam; ut dum plures communi consilio, opera, auxilio, domum, vineam, horum spoliant, gregem abigunt, vel ædes incendunt, aut unus præbet aliis instrumenta, v. gr. claves, arma, scalas &c. tunc singuli tenentur in solidum, id est, unusquisque tenetur non solum restituere pro sua parte, sed etiam refarcire totum damnum, si alii non restituant, vel quia nolunt, vel quia non possunt. Nam singuli in totum damnum influxerunt communi consipratione, opera, vel auxilio, & reipsa actio damnosa est communis omnibus: ideoque singuli sunt causa totius damni, & quidem totalis totalitate effectus; cum totum damnum oriatur a singulis, licet sint partialis causa partialitate causæ, ex l. 51. §. *Ad leg. Aquil.* Ad obligationem autem in solidum satis est quod quilibet eorum sit causa, ex qua damnum illatum est, sive unus seorsim ad illud sufficeret, sive non: nam licet posset unus per seipsum seorsim damnum inferre; at reipsa hic & nunc sine hoc tamquam socio alius damnum non infert, & sic utrique est causa damni in totum. Ita *Covarruvias, Cajetanus, Sotus, Molina, Lessius, Tannerus &c.* Nec obstat, quod concurrant ad totum damnum solum partialitate causalitatis, ideoque solum partialiter damnum a singulis proveniat: nam hoc probat, singulos teneri tantum absolute ad partem damni, hypothetice vero ad totum, seu ex hypothesi quod alii non restituant, qui tamen suam partem tenentur rependere alteri pro se restituenti, cum actio damnosa vere a singulis manet.

Hæc autem obligatio in solidum ad totum magis adhuc constat respectu participantis, quia ita concurrit ad damnum, ut sola ejus actio sufficeret ad illud creandum, licet non sola illud creaverit. Quia ex modo quo influit, totaliter ponit effectum, & est causa impliciter illius: Ut si duo simul lethaliter vulnerent aliquem, simul eum occidunt, quia singuli ponunt id quod sufficit ad ejus mortem. *Ita Delugo.* Item respectu causæ partialis, sine cujus causalitate, & cooperatione, quavis alia causa superaddita, effectus non fieret; nam tunc moraliter loquendo & in æstimatione prudenti singulæ ejusmodi causæ partiales æquivalent totalibus: nam licet singulæ non possint ponere effectum & damnum, possunt tamen illud impedire subtrahendo cooperationem, sine qua effectus non fieret. Ita *idem Delugo, Vasquez.*

Quando vero plures sic damnum inferunt, ut singuli solum faciant partem damni, independenter a se mutuo, ita ut unus non moveat, nec incitet, nec adjuvet alium, ut cum plures per se separatim, sine communi consensu, conspiratione & opera damnum inferunt; tunc singuli non tenentur in solidum, sed solum pro sua parte, & independenter a se invicem. Quia tunc unusquisque non est causa totius damni, sed solum partis damni, quod per se inuilit.

Resp. 2. Causæ negativæ damni, seu non impedientes damnum alterius, scilicet, mutus, non obstans, non manifestans, cum ex justitia teneantur impedire, ex communi obligantur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum. Quia sunt causa injusta totius damni post alios; nam causa permissiva damni contra debitum justitiæ, est vera illius causa injusta, cum potuisset, & debuisset ex justitia impedire, nec tamen impedivit: unde violavit jus, quod alter habebat, ut ejus damnum impediret, quod ei proinde merito imputatur.

Quæst. IV. *Quo ordine cooperantes teneantur ad restitutionem?*

Nota 1. Constat omnes ad grave damnum injustum quovis modo cooperantes peccare mortaliter: nam Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt* peccatum grave, *sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Nota 2. Is dicitur primo loco teneri ad restitutionem, qui sic ad eam tenetur, ut ipso restituente ceteri nihil debeant: & alteri restituenti, ipse, quod solvit, totum rependere teneatur. Secundo loco teneri dicitur, qui si restituerit, ceteri nihil debent excepto primo, qui totum solutum tenetur ei rependere: & sic de aliis.

Resp. Inter obligatos in solidum hic ordo ex communi doctorum sententia servandus est.

Primo loco, & ante omnes tenetur is, apud quem res aliena extat in se. Nam qui rem alienam in individuo habet, tenetur eam restituere ratione rei acceptæ, ideoque primario: res enim aliena, quamdiu extat in se, per se debetur domino, & semper clamat pro eo.

Quod si res aliena jam non extat in se, & is ad quem pervenit, consumpsit aut alienavit eam mala fide, sciens, aut saltem dubitans esse alienam; tunc adhuc ante omnes tenetur ejus pretium restituere: *quia pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere*, regul. jur. 36. in 6. & quia nova injuria, quam fecit alienando vel consumendo, non liberat eum a restitutione primo loco facienda, perinde ac si eam haberet; aliqui ex iniquitate sua commodum reportaret. Præterea cum ex re aliena sciens ac volens præ ceteris commodum percepit, æquum est ut præ ceteris restituere teneatur.

Si vero rem alienam habens, eam consumpsit, alienavitque bona fide, ignorans esse furtivam, is non tenetur restituere, nisi quatenus ex ea re factus est ditior, cum fuerit possessor bonæ fidei. Ad hoc tamen primo loco tenetur, quia quoad hoc habet rem alienam in æquivalenti, & est ea præ ceteris commodum percepit. Quare si alter damnum compensat, is ad quem res furtiva pervenit, tenetur huic restituere rem, si adhuc extet, vel ejus pretium, si mala fide consumpsit, vel quantum ex ea ditior factus est, si consumpsit bona fide: nam jus domini translatum est in eum, qui damnum compensavit.

Secundo loco, mandans, seu jubens; quia est causa magis principalis: executor vero se habet ut ejus instrumentum. Nam damnum non solum jubentis motione, sed etiam nomine & auctoritate executori necessitatem quamdam moraliter imprimente fit. Item qui fraude induxit, vel metu aut vi cogit, & cui aliter non est ausus contradicere; nam injuste conjecit executorem in obligationem restituendi, eique & damnificato injuriam intulit; & sic debet executorem indemnem servare, ideoque prius refarcire totum damnum inde secutum. Quare si is restituerit, nihil tenetur executor ei rependere.

Eodem etiam quo jubens loco tenetur is, qui suo nomine damnum fieri rogavit, aut fuafit suo nomine fieri; quia censetur in se totum onus restituendi suscepisse, & se habet instar mandantis. Præterea is, cujus nomine fit damnum, est causa principalis quæ instar finis & causæ efficientis moralis movet ceteros: ergo ante ceteras tenetur. *Lessius.*

Tertio loco tenetur executor, quia est causa principalis post mandantem; ceteri vero sunt causæ secundariæ: nam magis suo nomine fuisse in damnum, & illud immediatius attingit, quam illæ aliæ causæ. Deinde quod hæ causæ faciunt, *id* faciunt ut quodam modo servientes executori. Si tamen plures inter se inito consilio communem inimicum insectant, & unus ex eis illum occidat, vel ejus domum incendat, omnes æqualiter restituere tenentur, quia omnium nomine damnum factum est, & omnes sunt participantes.

Quarto loco, & priorum defectu, ceteræ causæ positivæ, nempe consulens, consentiens, laudans, receptans, adjuvans, tenentur singulæ ad suam partem secundum proportionem suæ cooperationis, & quidem æque primo ratione suæ cooperationis, sine ordine inter se. *Est communis sententia.* Quia una non est cooperata ad damnum mediante altera, & ut instrumentum alterius, vel alterius nomine, sed unaquæque per se in suo ordine: unde una non est magis vel minus principalis causa respectu alterius. Ergo si mandans vel executor non restituat, omnes istæ causæ secundariæ tenentur pro rata restituere; majorem quidem portionem quæ magis, minorem vero quæ minus cooperata est. Tenetur tamen quælibet totum restituere in defectum aliarum.

Si tamen executor nomine omnium damnum intulit, omnes simul tenentur primo loco; quia illorum causa factum est, & consentiendo ut sic fieret, tacite in se receperunt obligationem restituendi. Executor vero ut executor tenetur tunc secundo loco, nisi fit etiam unus illorum, quorum causa factum est: tunc enim tenetur simul cum aliis.

Ultimo loco, post omnes causas istas positivas & in earum defectum, tenentur causæ negativæ, seu non impedientes damnum contra debitum justitiæ. Tum quia causa negativa minus ac remotius ad damnum concurrit, quam positiva. Nam causa positiva reipsa creat positive, physice, vel moraliter damnum; negativa vero solum non impedit influxum positivæ. Tum quia negativa non tenetur ad restitutionem, nisi quia alias damnum intulit, nec refarcit: unde damnum passus non potest petere restitutionem a non impediente, nisi prius probaverit sibi damnum illatum esse, nec compensatum. Ergo prius est, alios non restituisse, quam causam negativam teneri ad restitutionem: Ergo hæc tenetur solum in defectum positivæ. Si tamen contingeret, damnificatorem ex consideratione præteritæ negligentiæ superioris vel custodis incitari ad damnificandum, tunc superior vel custos non impediens non se haberet ut causa mere negativa, sed simul ut positiva, ideoque teneretur simul conferre in restitutionem cum causis positivis, & non post illas, ut notat Delugo.

Porro inter causas negativas non datur ordo, quia neutra est instrumentum alterius, aut magis præcipua, nisi tamen una teneretur magis immediate impedire damnum.

Quæst. V. *Quando plures sunt causæ æque principales vel æque secundariæ, ut videantur æqualiter contulisse ad totum damnum, ad quid singulæ tenentur?*

Resp. Tenentur æquas portiones conferre ad damni compensationem: nam cum æque principaliter

cooperatæ sint ad totum damnum, æqualiter & a quis partibus tenentur ad illius restitutionem. In defectum reliquorum quisque tenetur in solidum, quia quisque concurrit ad totum damnum, cum sit causa totius actionis damnosæ: ergo in defectum sociorum tenetur totum damnum resarcire.

Quæst. VI. *Si una causa restituerit, an aliæ obligantur?*

Resp. 1. Si causa magis principalis totum restituat, cæteræ omnes liberantur ab onere restitutionis. *Est communis sententia*: quia causæ minus principales tenentur solum restituere in defectum causæ magis principalis, & primario obligatæ: ergo hac restituente aliæ sunt liberæ, nec tenentur ei quidquam rependere. Si vero causa secundaria restituerit, causa magis principalis, & primario obligata tenetur ei totum rependere. *Ita communiter*. Quia causa minus principalis solvendo acquisivit jus, quod creditor habebat exigendi solutionem a causa principaliori, quæ primario tenebatur; nec par est, ut sit pejoris conditionis, ex eo quod solverit id quod altera primario tenebatur solvere, & qua solvente nihil deberet, ficque ejus negotium utiliter gesserit, ex l. 43. §. *de negot. gestis*. Præterea alioqui debitor principalis melioris conditionis esset ob suam iniquitatem, qua restituere noluit id, quod immediate debebat, & non in defectum aliorum.

Hinc 1. Si mandans restituerit, aliæ omnes causæ sunt liberæ: nam sunt minus principales. Executori vero restituenti solus mandans tenetur ei totum rependere. 2. Si alia causa secundaria restituerit, jubens, & in ejus defectum exequens tenetur ei totum reddere, cum executor sit causa magis principalis post jubentem. 3. Si causa positiva restituerit, libera est causa negativa, cum hæc teneatur solum in defectum illius. E contra si causa negativa restituerit, tenentur causæ positivæ secundum suum ordinem ei totum solutum restituere. 4. Si creditor remittat causæ magis principali, ut jubenti, vel executori, aliæ sunt liberæ. Quia cum remissio extinguat debitum, debitor principalis liber est: ergo ii qui solum in ejus defectum tenebantur, sunt liberi proinde ac si causa principalis restituisset. Si vero creditor condoner uni causæ minus principali, tenetur adhuc restituere causæ magis principali: quia solum remittitur obligatio causæ secundariæ, non causæ principalis, quæ per se tenetur independenter a minus principali. Neque etiam liberantur aliæ, quæ in eodem gradu enim ipsa debent, quia solum portio alterius, non harum, condonatur; aliæ tamen jam non tenebuntur solvere portionem illius cui remissio facta est.

Resp. 2. Si una ex causis æqualiter obligatis totum restituerit, aliæ in defectum causæ priori loco obligatæ, tenentur singulæ pro sua portione ei rependere. *Ita communiter*. Quia alias non servaretur æqualitas inter cooperantes illos, cum singuli æqualiter teneantur pro rata, & quia jus, quod habebat dominus exigendi a singulis partem, translatum est in eum, qui prius totum solvit: neque enim pro socio solvit, ut esset liberi a restitutione; sed quia illis nolentibus, vel non valentibus restituere, tenebatur domino restitutionem integram procurare; & sic habet jus repetendi ab illis, quod pro illis domino solvit, & quod ipsi dare debuissent. Neque enim alii fiunt melioris conditionis, quia non fecerunt id ad quod tenebantur; nec ille debet esse pejoris, quia prior solvit id ad quod alii tenebantur, & sic negotium ipsorum utiliter gessit. Quod verum est, quamvis alios induxerit; nam non fecit eis injuriam; quia fcientes & volentes induxit sine vi vel fraude, neque mandavit aut coegit, neque suasit: in sui gratiam agerent, sed ob communem utilitatem vel propriam cujusque, unde non censetur totum onus restitutionis in se suscepisse.

Quod si unus ex æqualiter obligatis nollet, aut non posset suam portionem restituere, ceteri tenentur hanc partem ferre, & æqualiter inter se dividere: v. g. si tres teneantur æqualiter ad restituendum triginta aureos, & unus illos persolvat, eo quod alii duo nolint, aut nequeant suas portiones restituere: postea vero alter eorum duorum velio restituere, hic tenetur priori ultra decem restituere quinque, tamquam dimidium portionis ad quem tenetur tertius, qui non vult vel non potest restituere: nam tenetur æqualiter cum eo, qui prius totum solvit, fubire onus pro eodem tertio, cum sit æque concausa damni.

Quæst. VII. *Quandonam in particulari singula causæ cooperantes ad damnum, teneantur ad restitutionem?*

Resp. Ad singula seorsim totidem paragraphis.

§. I. *De mandante.*

Resp. 1. TS, cujus mandato, sive expresso, sive tacito, alter motus fuit ad damnum inferendum, ex communi sententia tenetur primario ad restitutionem, sive præcipiendi auctoritate polleat, sive non; quia ejus nomine ac auctoritate fit damnum, & mandans seu jubens necessitatem quamdam moralem executori imprimit, qui censetur esse solum ejus instrumentum, *cum is committatur vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur, c. de sent. excomm.* Immo tenetur resarcire non solum damnum, quod præcipit, sed etiam quod ex mandato inde præter ejus intentionem secutum est, si res præcepta fuerit periculosa. Quia tunc mandans censetur causa culpabilis talis damni, aut saltem dedisse sua culpa occasionem tali damno, ex c. ult. *de homicid. in c. 6.* ibi: *Si qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius finem mandati excedens mutilet, vel occidat, cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.*

Dixi, *tacite*, ut si quis famulo vel filio, aut alteri, qui ipsius imperio moveatur, dicat: Vindictam ex tali opto, aut vellem ut tali inferretur tale damnum, l. 2. §. *mandat.*

Resp. 2. Ex communi sententia, si jubens ante damnum illatum mandatum revocet, idque mandatario innotescat, non tenetur restituere damnum postea illatum. Quia jam non censetur causa damni, cum illud non proveniat ex mandato, tunc enim alter non agit ex vi mandati nec mandantis nomine, sed suo nomine, & motu. Secus si revocatio mandati ante damnum non innotescat: quia tunc ex vi mandati damnum infertur. Tenetur etiam mandans ad restitutionem, licet mandatum revocaverit, si non impedierit subditum a damno inferendo; tunc enim tenetur ut non obstans.

Resp.

Resp. 3. Si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, nec impedias cum possis, cohibendo vel significando, te nullatenus id velle, teneris restituere. Quia censeris, mandasse saltem tacite, aut certe taciturnitas tua censetur consensus & approbatio. Deinde quisque tenetur ex justitia impedire, ne nomine ipsius, & tamquam aliquid sibi gratum, damnum proximo injuste inferatur.

Sed an qui ratum habet damnum suo nomine factum, teneatur restituere?

Resp. Neg. Si neque expresse, neque tacite mandaverit. *Est communis sententia.* Quia talis nullatenus est causa damni: nam id, quod posterius est tempore, non potest esse sufficiens causa effectus præcedentis. Hæc autem teg. 10. jur. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*, intelligi debet præsertim de contractibus, qui alterius nescientis nomine celebrati, & a consensu ejus pendentes, subsequenti ratificatione confirmantur. Ratihabitio comparatur etiam mandato quoad culpam & pœnas in jure expressas, non autem quoad obligationem restituendi, nisi ea sit causa efficax cur damnum inferatur, vel illatum non refarciatur.

§. II. *De Consulente.*

Resp. 1. COnsulens dicitur is, qui consilio, vel precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostentione viæ accendi inducit alium ad damnum inferendum. Ex communi sententia tenetur restituere; quia est causa moralis & injusta damni (Vid. N. 32.) Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Quod si sint plures consulentes, singuli tenentur ex æquo; nam omnes in damnum æque influunt, cum omnium consilio alter motus fit ad damnum creandum. Idem dic de pluribus jubentibus.

Resp. 2. Si consulens ante damnum illatum revocet consilium, ex communi sententia tenetur adhuc resarcire damnum postea secutum, si consilium constitebat in ostentione utilitatis vel defectationis inde percipiendæ, vel modi exequendi. Quia tunc adhuc merito censetur causa damni cum sit culpabilis causa motionis impressæ, ex qua damnum oritur, & quæ non tollitur revocatione; nam hac non obstante consilium semper remanet in motivo suggestio, vel via accendi ostensa: quemadmodum si ignem injeceris in res alienas, quæ postea incendio consumantur, teneris restituere, quamquam postea coneris extinguere ignem. Ex quo patet disparitas inter revocationem talis consilii, & mandati: nam revocatio talis consilii non tollit omnem rationem agendi a consulente propositam, nec proinde de motionem inde ortam. At revocatio mandati tollit omnem rationem agendi a mandante propositam; ac proinde omnem motionem ab ipso procedentem, cum mandatarius non agat nisi nomine mandantis; nec impellatur ad agendum, nisi ut ei obsequatur. Hinc si mandans mandato suamonem addiderit, tenetur ratione consilii cum mandato conjuncti restituere damnum post revocationem illatum.

Quod si consilium constitebat in falsa doctrina, v. gr. quod talis contractus esset licitus, qui tamen illicitus est, & consulens ante executionem illud revocaverit, aperiendo illius falsitatem, ex communi sententia non tenetur restituere. Quia tunc efficaciter tollit causam damni inferendi, & motionem a se impressam. Item qui precibus, blanditiis, vel promissis ad damnificandum induxit, & ante damnificationem ostendit sibi displicere, propositum mutasse, & promissa revocare, non tenetur restituere. Quia non est causa moralis damni postea illati, nam tollit penitus omnem rationem agendi a se propositam, & motionem a se impressam.

Resp. 3. Qui minus malum consulit ad majus avertendum, non tenetur ad restitutionem, si consulit ut minus damnum eidem inferatur, cui inferendum erat majus. Quia per hoc consilium nullum damnum alteri infert; immo majus impediendo, utiliter rem ejus gerit: & tunc proprie non consulit damnum, sed potius immutationem damni, seu evitationem majoris damni. At tenetur, si parato majus damnum inferre Paulo, consulat ut minus damnum potius inferat Petro, cui non tuetur inferre. Quia consilio suo est causa injustæ damni Petro illati, & injuriam infert Petro, nam quivis innocens habet jus ne sibi inferatur damnum, etiam ad avertendum majus alterius. Et vero Petrus tam habet jus ut serveturillæsus a minori illo damno, quam Paulus ut servetur illæsus a majori. Excipe nisi damnum Petri sit tam leve, ut teneatur ex caritate illud pati ad impediendum majus damnum Pauli; quia tunc non est rationabiliter invitus.

§. III. *De consentiente.*

Resp. COnsentiens, quo nomine intelligitur etiam approbans, favens, suffragium ferens, tenetur ad restitutionem, quando per consensum, approbationem, favorem, suffragium, auctoritatem influit in actionem damnosam; nam qui in hanc influit, est causa damni ex ea secuti. Influere autem censetur, quando ab ejus consensu, favore, approbatione, vel suffragio oritur.

Hinc qui suffragium injustum tulit ad damnificandum, ad sententiam aut legem injustam, ad eligendum indignum in aliquod munus vel beneficium, tenetur de damno, si suffragium dedit antequam esset sufficientia ad id suffragia, nihil obstante quod temere non suffragatus fuisset, idem damnum ab aliis factum fuisset. *Ita comm.* Quia revera fuit cum aliis causa injusta damni; nam sine illo aut alia simili causa superventura non fuisset damnum. 2. Si ignoret esse sufficientem numerum suffragiorum: nam voluit esse causa damni per injuriam. 3. Quamvis non dederit, nisi post suffragia sufficientia, si poterat adducere priores suffragatores ad revocanda sua suffragia injusta. Nam tunc ex officio ad id obligatur, admonendo quæ sui erant officii, & recusando suum suffragium: & sic tunc tenetur de damno secuto, saltem tamquam mutus, vel non obstans. Immo tenetur etiam ut causa positiva, si suffragia fuit revocabilia, ut cum publice feruntur in consilio. Quia tunc damnum non est efficaciter illatum ante ultimum suffragium; nam pendet non solum ex prima prolatione suffragiorum sufficientium, sed etiam ex perseverantia in illis, quatenus postea non revocantur. Quare quamdiu suffragium revocari potest, nondum est efficaciter positum ad creandum damnum;

ac

ac proinde qui dat ultimum suffragium, simul positive cum aliis concurrit ad damnum, proinde ac si omnes simul suffragia irrevocabilia dedissent. *Ita Delugo.*

Quod si major pars iniquum suffragium ante te irrevocabiliter dedisset, ita ut nequeas impedire damnum dissentiendo & restitendo, peccas contra justitiam suffragando, cum consentias injustitiæ: sed juxta multos non teneris refarcire damnum, hancque esse communem sententiam asserit Layman, quia non fuisti causa illius efficax, cum jam antea irrevocabiliter illarum fuerit. Juxta alios teneris; quia etiam postremorum suffragatorum ut consentientium nomine damnum executioni mandatur.

§. IV. *De palpone, seu adulatore, & laudatore.*

Resp. QUi adulatione, laudatione, vituperatione alterum ad damnum creandum inducit, v. gr. ad vindictam, injuriam patrandam, landando facinus, vel exprobrando ignaviam ob omissionem vindictæ vel criminis; tenetur ad restituendum, si alter ex tali laude vel exprobratione motus sit ad damnum inferendum. Quia est causa moralis damni: nam se habet instar consulentis, proponendo laudem, vel ignominiæ vitationem ex facinore secuturam, vel ut motivum agendi.

§. V. *De receptore.*

Resp. AD restitutionem tenetur qui recursum, securitatem & fiduciam alteri præbet ad damnum inferendum, vel ad non refarciendum illatum. Ut si recipiat domi damnificatorem, & non alios passim; si rem furtivam custodiat ut furi servet: si ipsum furem vel ejus instrumenta occultet, ita ut hinc incitetur ad damnificandum. Item caupo vel alius recipiens aliquem consumentem bona aliena, ut filium-familias impendentem bona parentum. Nam tales revera cooperantur damno, quippe sine illis aut alia simili causa hoc damnum non fieret, ex l. 4. de incendio. *Non tantum, qui rapuit, verum is quoque qui recepit, ex causis supradictis tenetur: quia receptores non minus delinquunt quam aggressores.*

Qui vero furem dum a latronibus quæritur, occultat solum ut ejus vitam conservet, non censetur ei cooperari, quamvis fur forte e periculo elapsus, aliquando damnum aliis sit illaturus. Nam damnum illud est mere casuale respectu occultantis, & præter ejus intentionem; sila enim actio per se solum ordinatur ad eripiendum miserum hominem ex præsenti periculo vitæ vel pœnæ corporalis: secus, si furem ita occulteret, ut spem refugii in posterum daret, qua fur fidens furta continuaret.

§. VI. *De Participante.*

Resp. DUpliciter quis participans dicitur. 1. Qui solum particeps est prædæ, & hic tenetur restituere tantum partem quæ ei obvenit: nam quoad illam damnavit fecit injuriam domino, rem ejus injuste accipiendo. 2. Qui particeps est actionis damnosæ, præbendo auxilium, operam, instrumentum, adjuvando ad executionem, vel explorando, & hic tenetur refarcire damnum pro rata, immo totum, si alii non restituant suas partes: nam est confusa injustæ actionis damnosæ, ideoque totius damni ex ea orti. *L. 21. §. de furtis, & c. 6. de homicid.* Sic tenetur, qui scalas apponit, vel eas sustinet furi ascendenti, qui excubias agit, qui furem comitatur defendendi caussa, qui ad confringendum & asportandum adjuvat &c. Nec refert quod te non juvante, damnum nihilominus factum fuisset; nam eo ipso quod adjuvisti, fuisti concausa damni, quod revera fuit te non esse factum. Quare participans non solum peccat mortaliter, juxta Prov. 29. *Qui cum fure participat, odit animam suam:* sed etiam tenetur ad restitutionem.

§. VII. *De caussa negativa.*

Resp. 1. EX communi sententia, negative cooperantes ad damnum, sunt ii qui non impediunt damnum, cum impedire rationabiliter possint, & tenentur ex justitia. Tenentur autem ex justitia, qui tenentur ratione officii, muneris, vel contractus; ut superior, princeps, dux belli, magistratus, bonorum administrator, pater, tutor, curator, famuli, custodes pecorum, agrorum &c. & alii stipendio conducti. Non impeditur autem damnum tripliciter: 1. Tacendo, id est, non reprehendendo, non dissuadendo, non prohibendo, non clamando &c. 2. Non obstando, id est, omittendo subsidium, custodiam, opem vel operam ad impediendum damnum. 3. Non manifestando damnificatorem domino, sive ante ne fiat, sive post damnum factum ut refarciatur, aut etiam non monendo ipsum damnificatorem de obligatione restituendi.

Itaque ex communi sententia, qui tenentur ex officio vel contractu, aut quasi contractu, impedire damnum alterius, si negligant impedire, peccant contra justitiam, & tenentur illud refarcire; quia censentur caussa moralis, & injusta damni: nam hoc ipso quod tenentur ex officio, vel contractu impedire damnum alterius, hic habet jus ut damnum ejus impediant; ac proinde si negligant impedire, faciunt ei injuriam damnosam. Et vero alter damnum patitur ob omissionem operæ ex justitia debitæ ad illud impediendum, ideoque ob injustitiam illorum: nam si hi fecerint id ad quod ex justitia tenebantur, alter non pateretur damnum, quod proinde illis merito imputatur.

Hinc ad restitutionem tenetur Princeps, magistratus, & belli duces, si non impediant latrocinia & injurias subditorum. Nam ex justitia tenetur conservare jura & bona subditorum: reditus enim quos habent, sunt stipendia ad hoc instituta. Idem dic de judice & canonico, qui sine justa caussa abiunt, cum prævident aliquid iniquum esse gerendum: nam ex officio illud impedire, & contradicere tenentur.

Prob. 1. Qui solum ex caritate tenetur impedire damnum alterius, si non impediat cum sine magno incommodo potest, peccat quidem contra caritatem, sed non tenetur ad restitutionem: quia non peccavit contra justitiam nec censetur caussa injusta damni cum alter non habeat jus ut damnum ejus impediat. Secus, si quis positive conferat ad damnum proximi; is enim tenetur de damno, nam quilibet habet jus ne quivis alter ad damnum ejus positive cooperetur, cum habeat jus ne ei inferatur damnum sine justa caussa & auctoritate.

Hinc

Hinc ad restitutionem tenetur. 2. Qui a fure pecuniam accipit ne clamet, ne indicet, vel id promittit gratis, quamvis damnum ex sola caritate impedire teneatur: quia hoc promisso furem animosiorem ac fecuriorem reddit, & sic positive concurrit ad damnum. 3. Qui obligatum ex officio ad clamandum vel impediendum, quovis modo impedit: nam injuste impedit usum juris, quod habet tertius, ut clamet. 4. Qui clamare vel obstare volentem, licet ad id ex justitia non obligatum, impedit per vim vel dolum: nam quilibet habet jus, ne quis ejus defensionem, & bonum impediat per vim vel dolum, aliamve viam injustam.

Sed ad quid tenentur Custodes agrorum, vinearum, sylvarum, si non impediant damnum, vel non manifestent damnificatores, ut refarciatur?

Resp. Peccant contra justitiam, & religionem, quia agunt contra officium, vel pactum, & juramentum; tenenturque refarcire totum damnum. *Est communis sententia.* Nam ex officio, vel pacto tenentur sua custodia & delatione dominum loci illæsum servare.

An autem teneantur restituere mulctas quas domini acciperent ex dilatione, si non deferant? Multi negant: quia hi custodes constituuntur, non ut domini loculpletentur ex lucro perorum, sed ut custodiant rem commissam, & impediant damnum, nec tenentur deferre ad hoc ut dominus habeat mulctas, sed solum ut non patiatur damnum. Alii probabilius affirmant, quia videntur constituti ut impediant damna, tum etiam ut deferant damnificatores, præsertim cum id expediat ad avertenda multa damna, quæ alias fierent sublato metu mulctarum; unde non deferendo peccant contra officium & contractum, sicque tenentur restituere mulctas pecuniarias, quas perciperent domini ex delatione sibi jure debita.

CAPUT V.

De circumstantiis restitutionis, & ordine in ea servando?

Quæst. I. CUinam res debet restitui?

Resp. Ei, a quo accepta vel ablata fuit, modo sit dominus rei, vel habeat jus eam detinendi vel custodiendi, administrandi &c. vel ea utendi &c. qualis est conductor, commodatarius, depositarius, & similes. Quia illi fieret injuria, cum habeat jus rem possidendi, vel detinendi, custodiendi, ea utendi &c. Res autem aliena ablata furi, restitui debet non furi, sed domino; quia fur non habet jus eam possidendi, sed dominus: admonito tamen fure ne perseveret in peccato, putans se teneri restituere, vel ne iterum restituat eam suo damno.

Quod si is, cui restitutio facienda est, mortuus sit, fieri debet hæredibus ejus; quia si succedunt in omnia jura defuncti, l. 62. §. de reg. jur. & l. 57. §. de acquir. vel amitt. hered. ibi: *Hæres in omne jus mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit.* Si autem post diligentem inquisitionem hæredes cognosci nequeant, debet restitutio fieri pauperibus, juxta dicta de bonis ac debitis incertis.

Porro hæredes hic intelliguntur quicumque in defuncti hæreditatem jure succedunt, sive per testamentum, sive per sententiam, sive aliter.

Quæst. II. *Quo tempore fieri debet restitutio?*

Resp. Statim, quantum moraliter fieri potest. *Est communis sententia.* Nam præceptum restitutionis est primatio negativum; prohibet enim detentionem rei alienæ, vel alteri debitæ invito rationabiliter domino, & sic obligat semper, & pro quovis tempore.

Solutio vero debitorum ex contractu fieri debet tempore, de quo inter contrahentes expresse vel tacite conventum fuit: eo transacto, si debitor sine justa caussa non solvat, injuriam creditori infert, & tenetur compensare totum damnum hinc obvenient, etiamsi creditor solutionem non exigat, excl. 12. Cod. *de contrab. stipul.* nam creditor habet jus accipiendi tunc solutionem, & ipsum tempus præfinitum pro creditore interpellar, cap. ult. *de locat.* Si tamen debiter paratus sit tempore constituto solvere, sed creditor vel absens sit nullo procuratore relicto, vel præsens recipere nolit, tunc debitor non tenetur de damno postea eveniente, nec de pœna statuta.

Quod si nullum tempus solutioni debitorum ex contractu expresse aut tacite præfinitum sit, tunc debitor non ante censetur esse in mora culpabili, nec tenetur de damno, quam creditor debitum congruo tempore exegerit. Ita communiter per sensum contrarium, ex loco cit. quia tunc creditor scient, & valens petere, censetur per dilationem concedere non petendo, modo non omnat petere ex metu vel oblivione.

Porro licet debitori anticipate solvere debita, si terminus fuerit præfinitus in ejus favorem, ut in mutuo, & commodato. Quia quilibet potest juri suo cedere; & quia tunc terminus non est appositus, ne solutio anticipate fiat, sed ne ultra differatur. Secus, si terminus fuit appositus in favorem creditoris nam fieret injuria creditori habenti jus, ne sibi fiat solutio ante præfinitum tempus, ex l. 15. §. *de annuis legat.*

Quæst. III. *In quo loco & casu impensis fieri debet restitutio?*

Resp. 1. Si debitum ortum sit ex injuria, nempe ex injusta acceptatione, detentione, vel damnificatione culpabili, restitutio fieri debet impensis debitoris, & eo loco ubi dominus rem suam possessuras erat, si ablata vel destructa non fuisset. *Ita communiter.* Quia restitutio ob injuriam ita fieri debet, ut dominus in eum statum restituatur, in quo fuisset, si nulla injuria illata fuisset; & omnino indemnis serveur; aliquoi non reponeretur æqualitas, nec integre tolleretur injuria, nec dominus restitueretur in pristinum statum, ex quo injuste dejectus est, & ad quem jus habet. Quare si dominus alio migravit, & rem suam secum transtulerus erat, si habuisset: restitutio ei debet fieri ubi nunc degit impensis debitoris, de luctis sumptibus, quos in ea re secum asportanda fecerus fuisset. Nec excusatur debitor, etiamsi omnibus sp-statis, damnum, quod ex sumptibus vel aliunde patietur, sit duplo majus illo, quod dominus pateretur, si ei non restituetur, spectata pauperiate & necessitate utriusque. Ut si debeat centum ex delicto, nec possit reddi nisi adhuc alia centum impendendo: quia magis æquum est, ut deliquens patiatur damnum illud, & amittat

tat centum ex bonis suis, quam quod creditor innocens cogatur idem damnum pati: nam in pari damno melior est conditio innocentis, seu injuriam passi, quam nocentis, qui sibi imputare debet damnum illud; cum sit ejus causa per injuriam. *Vasqu. Delugo &c.*

Si tamen restituere non possit, nisi faciendo impensas duplo longe majores quam res valeat, potest differre restitutionem, donec illam absque tanto suo detrimento facere queat, vel monere creditorem, ut significet quid de re illa fieri velit. Quod si monere nequeat, & prudenter judicet nunquam aliter posse fieri restitutionem; juxta multos potest ac debet restituere ejus consanguineis vel pauperibus: quia creditor non est tunc rationabiliter invitus: & alioqui magna esset inæqualitas, si debitor restituere deberet cum quibuscumque sumptibus. Quique tamen tenetur causam damni a se injuste positam tollere, & damna injuste illata restituere cum suo damno æquali, atque etiam saltem paullo majore: nam justum non est, ut innocens damnum injuste sustineat, ne is, qui illud injuste intulit, æquale aut paullo majus damnum patiatur in illo impediendo & refarciendo. Quare injustus damnificator tenetur ad amplius, quam damnum secundum se consideratum æstimetur; non quidem ut dominus inde plus accipiat quam auferit; sed quia hoc est necessarium tamquam medium, ut fiat integra restitutio. Nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium necessarium.

Nota. Ut sciatur cum quanto damno restituere teneatur debitor ex delicto, perpendi debet, an creditor hic & nunc sit, vel non sit rationabiliter invitus circa omissionem vel dilationem restitutionis; hoc autem colligi debet tum ex communi sensu hominum, tum etiam inde si attendatur quid homines prudentes bonum societatis humanæ intendentes, statuissent circa hos casus antequam evenirent.

Resp. 2. Quæ debentur ex re accepta bona fide extra contractum, restitui debent in loco ubi habentur; nec debitor tenetur ea impensis suis mittere domino, sed impensis domini. *Ita omnes.* Quia possessor bonæ fidei non tenetur cum suo damno dominum in pristinum statum restituere, cum eum per injuriam non deturbaverit. Igitur debet solum præstare rem ubi illam habet, & custodire, monito interea domino, ut significet quo pacto velit rem sibi suis sumptibus remitti. Immo ipse dominus tenetur non solum ad impensas rei remittendæ, sed etiam custodiendæ necessarias, l. 11. §. *de neg. gest.*

Resp. 3. Quæ debentur ex contractu, in quo res eadem numero restituenda est, si in alterius tantum partis utilitatem accepta sint, debent ejus impensis restitui, nisi justa pactione aliter conventum sit. Quia æquum non est, ut res ex contractu debita restituatur impensis illius, cujus commodum in eo quæsitum non est, sive ut quis damnum ex beneficio collato pati debeat. E contra par est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus, *reg. jur.* 55. in 6. ibi: *Qui sentit onus, sentire debet commodum; & e contra.*

Resp. 4. Quæ debentur ex contractu, restitui debent ex natura contractus in eo loco, ubi res accepta fuit. *Ita multi.* Quia nullus locus magis justitiæ congruit; & æquitas postulat, ut sicut res eadem accepta, vel alia æquivalens, quæ loco acceptæ substituitur, restituenda est; ita etiam restituatur in eodem loco ubi accepta fuit, cum restitutio sit repositio rei in pristino statu. Hinc ex natura contractus teneris reddere mutuum, depositum, rem locatam, in loco ubi accepisti, non alibi nisi impensis alterius. Item ex natura contractus debes solvere pretium rei emptæ vel locatæ in loco, ubi res traditur, pro qua solvendum est. Nam in quocumque alio solutio fiat, deficere potest æqualitas contractus: hæc enim desumitur ex æqualitate dati, & accepti, quæ dependet multum a loco in quo datur, & accipitur: quia valor rei vel usus illius, & æstimabilitas pretii ac pecuniæ variatur ex varietate loci. *Delugo.* Possunt tamen contrahentes de alio loco pacisci, modo hoc onus justa mercede compensetur, ut servetur æqualitas. Et tunc ibi restitui debet: nam pacta justa obligant, & contractus ex conventione legem accipiunt, *ex reg. jur.* 83. in 6.

Resp. 5. Quæ debentur ex donatione, legato, testamento, tradi debent in loco ubi erant, cum donantur, (nisi aliud in ipsa dispositione expressum sit) & impensis ejus cui donata sunt. *Ita omnes.* Nam qui rem gratis dat, vel legat, non intendit se ad amplius obligare. Si tamen hæres eam alio transferret, teneretur suo sumptu illam remittere in locum ubi erat prius. *Ita Lessius.*

Quæst. IV. *Cujus periculo fieri debet restitutio?*

Resp. 1. Restitutio facienda ratione injuriæ fit periculo debitoris. *Est communis sententia.* Quia ratione injuriæ tenetur dominum prorsus indemnem servare, & sic debet subire omne damnum ac periculum: dominus enim nullum debet pati damnum ex injuria sibi illata. Et quia *culpa præcedente casus etiam fortuitus imputatur*, c. ult. *depos.*

Hinc ex communi sententia, si debitor adhibita maxima diligentia rem nuntio, quem putat fidelem, vel confessario tradat restituendam domino: & hi sive culpate, sive inculpate rem domino non reddant, tenetur iterum ad idem restituendum, donec reipsa dominus accipiat. Quod si pluries idem restituere tenetur, id fit per accidens, & tibi imputare debet: nam *damnum quod quis sua culpa sensit, sibi debet, non aliis imputare*, reg. jur. 80. in 6.

Restitutio autem rei alienæ in individuo facienda a possessore bonæ fidei sit periculo domini, modo possessor eam remiserit per hominem, quem prudenter judicabat esse redditurum, ex lib. 20. §. *commodat.* quia secluso culpa, mora, & pacto res perit domino. Hinc restitutio rei commodatæ, locatæ, depositæ, sit periculo domini, si nulla intervenial culpa restituentis.

Resp. 2. Ex communi sententia, solutio debitorum ex contractu facienda ex bonis debitoris, ejus periculo fit; ita ut si pecunia eorum solutioni destinata furripiatur, vel ab eo, cui restituendum commisit, amittatur aut retineatur, ipse tenetur aliam dare creditori. Quia res perit domino, & ex dominus pecuniæ tuæ donec creditori tradatur, tunc enim solum a te in illum transfertur dominium. Nisi tamen creditor miserit vel designaverit hominem certum, cui pecuniam committas; hic enim accipit loco creditoris, sive creditor censetur accepisse per designatum. Quare si hic pecuniam amittat vel retineat, damnum est creditoris, non tuum, l. 39. & 49. §. *de solut.*

Quæst. V. *Quo ordine restituendum est?*

Nota. Quando bona debitoris in solutionem omnibus

ibus creditoribus sufficiunt, non est opus ullo ordine, cum omnibus satisfaciendum sit.

Resp. 1. Ex communi sententia, quando res aliena extat in se, restitui debet domino, nec potest aliis in solutione dari. Quia est domini, & debitor solvere debet ex bonis propriis, non alienis: nam rei dominium nequit transferri ab eo, qui illud non habet. Unde si ignoretur dominus rei in se extantis, commodatæ, depositæ, ablatæ &c. vel ejus res, hæc impendi debet in pauperes, vel alia pia opera, juxta dicta.

Res in rigore justitiæ credito vendita extans apud debitorem non videtur reddi debere venditori præ aliis creditoribus, si is aliunde non habeat jus prælationis. Ita multi, præsertim Jurisperiti, qui apud Covarruviam afferunt hanc esse communem sententiam. Quia res vendita non est amplius venditoris, secuta traditione & habita fide de pretio ejus; nam tunc translatum est ejus dominium: neque manet illi obnoxia jure hypothecæ: nulla enim inducitur hypotheca, nisi vel ex conventione, vel jure positivo, & nulla ex hoc utroque capite reperitur inducta. Et vero si illa res ab emptore alteri revendita esset, hic haberet dominium in ea omnino liberum. Tamen res venditæ quæ adhuc extant apud emptorem, possunt & debent ex quadam æquitate reddi venditori. Ita judicarunt multæ supremæ curiæ in Gallia, & colligitur ex Leg. Procuratoris §. *de tribonis*, quod intelligo nisi obstet consuetudo loci.

Resp. 2. Ex bonis debitoris, 1. Prius solvi debent impensæ pro funere debitoris, l. penult. §. *de religios. & sumpt. funeris.* Item pro curatione ejus.

2. Ex communi sententia, prius solvenda sunt debita certa, id est, quorum cognoscitur creditor, quam incerta, id est, quorum creditor ignoratur. Tum quia creditor incertus, cum nequeat per se immediate recipere rem debitam, non est rationabiliter invitus, ut ipsi præferatur creditor certus, qui immediate damnum pateretur ex omissione restitutionis: nam habet jus immediatum ac determinatum exigendi solutionem, quod pauperes aut aliæ causæ piæ non habent circa debita incerta: cum sita possint in hos vel illos usus pios impendi. Tum maxime quia in hoc creditor incertus consentire merito præsumitur; cum sit opus pium ac Deo gratum subvenire debitori indigenti, & gravato ære alieno, ut possit se liberare a creditoribus certis cum prementibus, remanente onere postea debita incerta solvendi pauperibus, cum facultas aderit.

3. Ex communi sententia, debita ex titulo oneroso prius solvi debent, quam debita ex titulo gratuito, v. gr. liberali promissione vel legato, ex l. 19. §. *de re judic.* ibi: *Qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnatur, & quidem is solum deducto ære alieno.* Quia in pacto gratuito, & legatis intelligitur conditio, *Si absque tertii damno fieri possit, nisi status rerum mutetur.* Præterea nemo censetur se ex sola sua liberalitate velle obligare in casu quo ad necessitatem redigeretur, nec æquitas id patitur. Hinc debita defuncti solvi debent ante omnia legata, etiam pia. Idem dic de votis: quia Deus non acceptat illa cum detrimento tertii. Vota tamen solvenda sunt ante legata, quia obligant defunctum, non legata, quæ supponunt solutionem aliorum debitorum contractorum.

4. Solvendum est creditoribus hypothecam habentibus ante alios, qui non habent, l. 19. Cod. *Qui potiores in pign.* Nam bona sunt specialiter obligata solutioni hypothecariorum, qui proinde jus speciale habent, ut ex iis solutiones recipiant præ aliis.

5. Inter creditores hypothecarios prius solvendum est iis, qui priores sunt tempore, juxta reg. jur. 54. in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Nam obligatio posterior non potest tollere jus alteri jam acquisitum. Unde iis ea intelligitur hæc conditio: *Si sine damno prioris creditoris poterit ex eadem re ceteris satisfieri.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus posterior tempore præfertur priori hypothecario. 1. Si pecuniam mutuavit ad conservationem vel refectionem rei quæ alteri obligata erat, l. 5. §. *Qui potiores in pign.* Nam huic damnum non infertur, cum sine hac mutatione res hypothecata periisset, vel deterior facta fuisset. 2. Si mutuavi tibi, v. gr. frumentum, ut satisfaceres pro mercium vectura, vel pro locatione ædium, in quibus asservarentur, debeo ex illis solutionem accipere ante alios in illis hypothecam habentes, l. 6. §. eod. tit. 9. Est hypotheca dotalis, per quam bona mariti sunt obligata uxori, ejusque liberis, ita ut ex illis bonis dos deduci possit ante alios creditores habentes tacitam hypothecam priorem, l. 12. Cod. *Qui potiores in pign.* Sed ex communi sententia, dos non præfertur hypothecæ expressæ priori, licet præferatur expressis posterioribus; tum quia creditores anteriores inique per nuptias supervenientes privarentur suo jure, quod expresso pacti fuerant: tum quia fiscus, & dos æquantur in jure, & tamen fiscus non præfertur hypothecis anterioribus expressis, l. 8. §. *Qui potior in pign.* & l. 4. cod. eod. tit. 4. Cum ex pecunia pupilli vel minoris res aliqua empta est, res illa manet pupillo obligata ante omnes, l. penult. cod. *de servo pignori dato.* 5. Si credam tibi pecuniam ad emendam rem aliquam cum pacto expresso, ut res illa maneat mihi hypothecata pro debito, præferar aliis hypothecam generalem habentibus in omnibus bonis tuis etiam futuris, l. 7. Cod. *Qui pot. in pign.* Nam nulli creditori infertur damnum: debitor enim sine mea pecunia mutuata non haberet illam rem vel ejus valorem. 6. Cum quis cum fisco contraxit, manent ejus bona fisco obligata, cum privilegio prælationis. Item jus habet fiscus ratione tributi nondum soluti, l. 2. Cod. *de privileg. fisci.* 7. Cum quis alicui pecuniam ad militiam mutuat, habet hypothecam cum privilegio prælationis etiam ante dotem, licet sit posterior dote: quia in his duobus ultimis casibus spectatur bonum commune, quod privato præferri debet.

6. Post creditores hypothecarios, seu reales solvendum est aliis creditoribus personalibus non habentibus hypothecam. Inter hos primo loco solvendum est iis, qui habent personale privilegium prælationis, quale habet sponsa in bonis sponsi ratione dotis traditæ, non secuto matrimonio, & qui depositi pecuniam apud numularium, non percipiens inde usuras; item qui pecuniam credidit ad navem extruendam, instruendam, emendam &c.

Secundo loco solvendum est aliis creditoribus ex titulo oneroso, cuique pro rata, v. gr. medio vel

tertia pars debiti, sive debitum ex contractu, sive ex delicto contractum sit; nam secundum multos inter hæc debita nulla est prælatio, cum sint æque debita ex justitia sine ullo privilegio. Itaque inter creditores mere personales nulla est prælatio, sed cuique pro rata solvi debet, ex l. 6. Cod. *de bonis auctor. &c.* Et l. 17. §. *de privil. credit.* ibi: *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex caussa: & si ejusdem tituli fuerunt, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint. Quia omnes æquale jus habent.* Et illa regula: *qui prior est tempore &c.* valet solum inter hypothecarios.

Nota. Quæ hactenus de ordine restitutionis dicta sunt ex jure communi seu Cæsareo, ea servanda sunt ibi & quatenus illud receptum est. Quod si in aliquibus locis sint hac de re aliæ leges vel consuetudines rationi consentaneæ, servandæ sunt etiam in foro conscientiæ, uti docet communis sententia; nam hæ leges non nituntur falsa præsumptione. At omnis lex rectæ rationi consentanea, quæ non nititur falsa præsumptione, obligat in conscientia, cum sit actus efficax & absolutus potestatis obligativæ. Præterea nemo jus habet disponendi de bonis suis nisi secundum leges, & cum dependentia a suprema potestate, quæ habet jus altum in bona privatorum relata ad bonum commune, quod est finis omnium legum.

Quæst. VI. *An prius potenti licet prius solvere?*

Nota. Non licet creditori prius potenti solvere cum damno ejus, qui habet hypothecam priorem, vel privilegium: quia huic fieret injuria, cum habeat jus prælationis. Unde solvens tenetur ei de damno, & ipse potest recuperare ab alio creditore id quod solutum est, l. 12. Cod. *de jur. deliber.* Qui solutionem petiit vel accepit, sciens jus alterum, peccavit contra justitiam, & tenetur ante sententiam judicis restituere aliis creditoribus privilegiatis. Quia fecit illis injuriam damnosam: nam petendo induxit debitorem ad damnum injustum inferendum creditoribus hypothecariis, & solutionem recipiendo cooperatus est injustæ damnificationi illorum.

Resp. Si unus ex creditoribus personalibus, non privilegiatis, exigat in judicio solutionem debiti ante alios non habentes jus prælationis, tenetur debitor ei integre solvere, etiamsi tempore esset posterior. Quia lex, & sententia judicis dat ei jus prælationis ob diligentiam, quam adhibuit ante ceteros, l. 6. & 24. §. *Quia in fraud. credit.*

Dixi, *in judicio.* Nam si extra judicium petat, controvertitur. Asserunt Sylvester, Navarrus, Lessius, & alii quia diligentia posterioris creditoris petentis facit eum potiorem, & quia, in l. 24. cit. dicitur non posse revocari id quod solutum est uni creditori debitum exigenti, nulla facta mentione judicii; & hæc ratio additur, qu'a vigilando meliorem suam conditionem fecit. Alii cum Delugo negant, quia sola petitio privata sine sententia judicis non potest dare jus uni in detrimentum alterius æquale jus habentium; & leges supradictæ intelliguntur de petitione in judicio, accedente sententia judicis.

Sed si debitor non valens solvere omnibus creditoribus, solverit uni creditori non habenti jus prælationis, an hic tenetur restituere alteri creditori habenti tale jus?

Resp. Affirm. Quia accipiendo solutionem impedit alterum a recipienda solutione sibi prius debita, & sic facit ei injuriam damnosam. Et tunc violatur non solum ordo, sed etiam substantia restitutionis, nam quod uni ex justitia debitum est, solvitur alteri. Deinde accipiens cooperatur dationi injustæ, & damnosæ alteriùs, seu damnificationi injustæ creditoris, cui hæc pecunia prius debetur, & detrahitur: quænam enim major cooperatio dationi injustæ esse potest, quam acceptio, quæ illam perficit, & complet, & sine qua nullum parit damnum? Sed qui cooperatur actioni injustæ & damnosæ tenetur ad restitutionem. *Ita Azor, Delugo, & alii.*

Quæst. VII. *An debitor potest solvere votum debitum creditori non potenti, si ipse non sit parsolvendo aliis, qui pariter non habent hypothecam, aut privilegium?*

Resp. Negat. Quia facere injuriam aliis, qui jus habent ne alter careat privilegio, & actione ipsis præferatur. Nam, spectato jure naturali, bona debitoris, quæ omnibus debitis solvendis non sufficiunt, sunt pro rata secundum proportionem dividenda creditoribus æquale jus habentibus, & quorum nullus habet jus prælationis: nam sunt æqualiter ita debita. Multi excipiunt, si unus creditor sit in gravi necessitate, non alii; quia debitus ordo caritatis exigit, ut præferatur aliis, qui cum non indigeant, non sunt rationabiliter inviti.

Quæst. VIII. *An qui aliquid gratis vel cum onere accipit ab eo, quem scit exinde reddi impotentem ad solvendo debita, peccat contra justitiam, & tenetur acceptа restituere, licet eum ad id non induxerit?*

Resp. Affirmat. *Est communis sententia, teste Delugo.* Prob. Quia talis injuriam infert creditoribus, nam cooperatur injusto impedimento, quo debitor reddit sibi impossibilem solutionem, sive concurrit efficaciter ad injustam alienationem, & injustitiam contra creditores a debitore amissam: quælibet enim alienatio ad sui valorem & efficaciam requirit acceptationem. Et vero (ut ait Delugo) ad damnificationem creditorum non minus conducit acceptatio tua quam indictio; si enim tu non acceptares rem, maneret adhuc apud debitorem, & ipse non esset impotens ad solvendum. Ergo per acceptationem non minus quam per inductionem cooperaris ad damnum, quod creditoribus infertur. Immo tu complex & perficis illud, quod per obligationem debitoris solum erat inchoatum & quasi in affectu, per acceptationem vero perficitur & ponitur in effectu. Hinc Clerus Gallicanus ann. 1700. ut saltem & justitiæ regulis repugnantem damnavit hanc propositionem: *Etiamsi donatario perspectum sit bona sibi donata a quopiam ea mente ut creditores fraudentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.*

CAPUT VII.

De causis excusantibus a restitutione, vel ejus dilatione.

Quæst. I. *An remissio creditoris excusat a restitutione?*

Resp. Affirm. Si sit legitima. Quia per illam condonatur jus exigendi & accipiendi solutionem: ac proinde tollitur in debitore obligatio solvendi, quæ postea non redit; nam obligatio semel extincta minime reviviscit, l. 9. Cod. *de remiss. pign.* Deinde sicut creditor potest jus suum, quod habet in debitorem, alteri donare, ita etiam ipti debitori, quod est remittere; nam remissio est quædam donatio.

Ut autem hæc remissio sit legitima, & vere liberet a restitutione, tres conditiones requiruntur.

1. Ut remissio sit perfecte voluntaria, nec habeat mixtum involuntarium; quia est liberalis donatio sui juris, ideoque actus liberalitatis, qui necessario procedere debet ex spontanea ac liberali voluntate. Hinc nulla est remissio facta ex errore vel ignorantia utpote voluntarium nollente; aut vi, metu, vel fraude extorta, ob involuntarium mixtum, & injuriam; nemo quippe ex sua injuria jus & commodum reportare potest. Metu censetur extorta, si debitor expresse vel implicite minetur creditori, nisi remittat vel totum vel partem: aut si adhibeat preces valde importunas incutientes metum, aut significet, nisi contentus sit parte debiti oblata, & residuum remittat, omnia amissurum; item si cogat creditorem subire multas molestias in petendo debito, sæpe vere, fruſtra diu expectare &c. Fraus esset si debitor fingeret se longe pauperiorem quam revera sit &c.

Hinc invalida est remissio partis debiti facta ex metu amittendi totum creditum culpa vel fraude debitoris. Nec liberantur potentes, quibus inferiores remissionem concedunt ex metu ne iis displiceant, vel ab iis damnum patiantur.

2. Ut creditor possit condonare debitum, non enim potest condonare, nisi qui potest donare. Hinc filius-familias non potest remittere debita paterna, sicut nec procurator, vel committarius quæ debita sunt domino, vel committenti &c.

3. Ut condonatio non fit a jure annullata, prout est in his casibus. 1. Si viitantes Ecclesias, asciplant aliquid ab iis præter necessaria ad victum pro illis diebus quibus vitirant, tenentur restituere duplum intra mensem, non obstante quacumque remissione iis sponte facta a dantibus, c. 2. *de cens. in 6.* 2. Si judex delegatus aliquid acceperit a partibus, nisi forte ex culentum mera liberalitate oblatum; quod paucis diebus possit consumi, vel si dum cogitur extra domicilium proficisci, acceperit plus, quam moderatas impensas; vel si denique acceperit aliquod pro impensis, dum partes sunt pauperes, tenetur accepta restituere, non obstante remissione c. 22. *de rescript. in 6.* 3. Si inquisitores prætextu officii inquisitionis pecunias extorserint, tenentur restituere nullis remissionibus super hoc valituris, *Clement. 2. de hæret. in 6.* 4. Si Canonicus, qui non interest officio, acceperit distributiones. *Conc. Trid. sess. 24. c. 12.*

Quæst. II. *An cessio bonorum creditoribus facta liberat a restitutione?*

Resp. Neg. Sed solum excusat a dilatione. Ita ut debitor teneatur debita integre solvere ex iis quæ postea acquirit, retentis necessariis ad suam & suorum sustentationem parcam. *Est communis sent.*

Prob. 1. Ex jure Civili, l. 1. Cod. *Qui bonis cedere possunt*: ibi: *Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati: in eo enim tantummodo hoc beneficium* (cessionis) *eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem.* Et ex l. 4. §. de cess. bon. *Is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, quantum facere potest convenitur.* 2. Quia in foro conscientiæ per necessitatem & impotentiam non tollitur, sed solum suspenditur obligatio restituendi, donec facultas adfit: ergo nec cessio plus præstat. Igitur cessio bonorum hoc solum præstat, ne debitor possit conjici in carcerem, ex cit. l. & ne; si post cessionem aliquid acquirat, possit eo spoliari, si eo indigeat ad suam vel suorum sustentationem, ex l. 6. §. de cess. bon. Quod etiam valet in foro conscientiæ, cum sit privilegium jure concessum, & contractus juxta legis celebrentur; sed de residuo tenetur debita solvere.

Quæst. III. *An ingressus in Religionem liberat a restitutione?*

Nota. Apud omnes constat validam esse professionem hominis debitis gravati; quia persona ejus est libera; nec jure positivo irritatur, ut declaravit Clemens VIII. quoad hoc punctum abrogans quod Sixtus V. statuerat. Utenque autem Pontifex prohibuit ne in Religionem recipiantur ære alieno gravati.

Resp. 1. Si debitor habeat bona, tenetur ante ingressum restituere; nam nullam habet justam differendi caussam.

Resp. 2. Secundum multos, si debitor possit brevi tempore, v. gr. paucis annis consuetis laboribus solvere debita saltem magna ex parte, tenetur differre ingressum, ut ea solvat: quia alioqui creditores essent rationabiliter inviti, & sic injuriam iis inferret.

Resp. 3. Si debita sint incerta, ideoque in pia opera impendenda, debitor potest religionem ingredi, licet manens in sæculo possit solvere. *Id supponunt omnes.* Quia poterit, saltem ex consilio confessarii, ea sibi tamquam pauperi applicare ad opus Dei gratum, & meritorium, ut nempe possit ingredi Religionem.

Resp. 4. Si debitor non possit debita solvere, nisi longo tempore, vel insolitis laboribus, secundum multos potest licite religionem ingredi, relictis omnibus bonis suis creditoribus. Quia in hoc casu debitor pateretur damnum in bonis spiritualibus longe majus quam sit commodum creditorum: unde hi non sint rationabiliter inviti.

Alii tamen non pauci id negant: tum quia jure naturali talis debitor tenetur ex justitia restituere, ideoque injuriam infert, si voluntarie se impotentem reddat ad solvendum; obligatio autem justitiæ prævalet consilio: Tum quia stuprator virginis sub promissione matrimonii, tenetur abstinere ab ingressu religionis, ut promissioni onerosæ satisfaciat. Et hæc sententia, teste Layman, fuit approbata a Sixto V. & Gregorio XIV.

Quæst. IV. *An si debitor immemor sui debiti sat tum donet creditori, quantum ei debet, excusatur a restitutione?*

Resp. Neg. Nisi ex manifestis conjecturis colligatur eum habere voluisse pro soluto si quid deberet. Quia liberalis, & gratuita donatio nec est, nec potest esse solutio necessaria debiti ex justitia; nam hæc inter se pugnant. Nec refert quod si debitor debiti sui meminisset, gratis non donasset: nam actualis dispositio voluntaris, non autem conditionalis seu conditionate futura attendenda est, & operatur in pactis: nam quod non existit actu, nihil efficere potest. Si autem debitor memor debiti tantumdem

dem donet animo se liberandi, quamvis putetur liberaliter donare, satisfacit debito, & sic nil jam debet.

Quæst. V. *An debitor liberatur a restituiendo, si creditori sui creditoris solvat quod debet?*

Resp. Multi affirmant, modo debita utriusque sint ejusdem naturæ, nec sint alii priores creditores privilegiati, aut hypothecarii. Quia, inquiunt, solvendo tratti meo censum quæ illi debes, emo & acquiro jus quod habebat exigendi a te centum. At jus quod habeo in te tanti valet, quanti illud quod tu habes in me; & sic hæc jura sunt æqualia, proinde jam inter jura illa est posita compensatio, sive acquisito unius est solutio alterius.

Certe id non licet invito creditore: nam creditor habet jus exigendi & accipiendi id quod ei debetur, & debitor habet obligationem solvendi suo creditori id quod ei debet, nec debitor is est creditoris sui debita solvere. Et vero in toto exemplo cotae iterum solvere tibi, nisi mea causa factus sis debitor alteri, ut si gerens mea negotia mutuum ab illo acceperis, vel nisi ob rem alterius debitum contraxerim, ut si conduxi a te domum, quam tu ab illis conduxisti.

Quæst. VI. *An executor a restitutione, qui non potest restituere, nisi per bona superioris vel inferioris ordinis?*

Nota. Bonorum naturalium triplex est ordo. In supremo ordine sunt vita, membra, sanitas, virginitas, libertas; in medio honor & fama; in infimo divitiæ, & res pecuniæ æstimabiles.

Resp. Ex communi sententia, debitor non tenetur restituere cum jactura bonorum superioris ordinis, quæ in æstimatione prudenti fit longe majus detrimentum quam damnum compensandum. Tum quia creditor non est tunc rationabiliter invitus. Tum quia restitutio fieri debet ut servetur æqualitas: ergo non obligat debitorem ut longe gravius detrimentum patiatur, quam sit detrimentum creditoris. Sic per te loquendo non teneris cum jactura propriæ vitæ restituere famam æqualis tui, vel vendere libertatem tuam ut debita solvas.

At restitutio fieri debet cum jactura bonorum superioris ordinis, si bona inferioris ordinis restituenda, ex circumstantiis censeantur prudenti judicio prævalere aut æquivalere bonis superioris ordinis amittendis, ita ut damnum bonorum superioris ordinis æstimetur minoris, vel non multo pluris quam damnum boni ordinis inferioris. Nam tunc æqualitas reponenda id exigit; & alioqui creditor esset rationabiliter invitus, cum nulla adsit causa, seu justa excusatio non restituendi. Sic si ad restituendam famam, vel magnam pecuniæ summam necessarius sit labor cum periculo morbi facile fatabilis, tunc cum hoc periculo restitui debet, ut notat Delugo.

Porro bonum inferioris ordinis, sed maximi momenti, vel in magna quantitate, potest moraliter, seu in æstimatione morali & quoad usus humanos prævalere, aut æquipollere bonis superioris ordinis, sed exigui momenti, vel in parva quantitate; quemadmodum argentum in magna quantitate plus valet, quam aurum aliquod exiguum, licet aurum ex natura sua sit pretiosius argento, & in specie superiori. Sic etiam quamvis fama ex genere suo sit majus bonum quam divitiæ, tamen spectatis circumstantiis in certis casibus hæ illi præponderare possunt in æstimatione humana; si nempe sint ingentes, & fama exigui momenti, qualis est fama personæ suspectæ, vel vilis admodum conditionis, quæ parvi æstimatur. *Ita multi.*

Resp. 2. Controvertitur an restitutio fieri debeat per bona inferioris ordinis, v. gr. per peculiam pro damno in bonis superioris ordinis, v. gr. pro damno vitæ, membri, famæ, si aliter damnum reparari nequeat.

Multi affirmant. *S. Anselm. Sylvius, Adrianus, Cajetanus, Soi. Azor, Molina, Valentia, Rebellus, Gradin.* &c. Quia 1. S. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. docet: *Quando id quod est ablatum non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum alicui alicui abscisus membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo bonore, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri.* Et ad 2. *Si non posset famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in aliis dictum est.* 2. Damnum omne injuste illatum refarciri debet quantum & eo modo quo potest, nec impotentia restituendi ad perfectam æqualitatem liberat debitorem ab obligatione solvendi id quod potest: justitiæ enim commutativæ est non modo reddere justum, quatenus est æquivalens, sed etiam quantum possibile est, sive in diverso genere. Præterea non est universim verum, quod bona superioris ordinis non possint in æstimatione morali & in ordine ad usus humanos, aliquo modo compensari bonis ordinis inferioris: sic enim defectus formæ compensatur per divitias: item homines libertatem pecunia vendunt, & vitæ incolumitatem exponunt pro stipendio. Et vero bona corporis, fama & fortunæ in hoc conveniunt, quod sint bona naturalia & utilia; estque homini naturaliter optabile, ut si carendum sit hoc genere mediorum, abundet saltem mediis alterius generis. Fatentur quidem vitam & membra non cadere sub commutationem, & commercium civile; at negant inde sequi non deberi in conscientia compensationem pro damno in illis illato, dicuntque pecuniam non dari tunc ut pretium vitæ, membri vel famæ, sed ut compensationem damni vitæ, membri, aut saltem illius usus, vel famæ. Hinc concludunt pro mutilatione, deformitate, vel alio damno corporis infra mortem, vel pro fama quæ reparari nequeat, fieri debere regulariter aliquam restitutionem in pecunia arbitrio prudentis. Pro damno autem vitæ deberi fieri compensationem vel in pecunia hæredibus occisi eroganda, si certo constet occisum decessisse in statu peccati, vel si hoc non constet, ei applicando tantam partem satisfactionum propriarum, quantam Deus novit sufficere in compensationem vitæ: nisi tamen reus pœnam talionis subeat, nam tunc fit compensatio vitæ ablatæ, juxta illud *Dentem pro dente &c.* licet remaneat obligatio compensandi alia damna.

Alii multi hanc obligationem negant. *Covarruv. Navar. Gomez, Ledesma, Lessius, Delugo, Sanchez &c.* Quia 1. ex l. ult. §. *de his qui effuder. Cicatricum aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Et l. 1. *In homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest.* Ergo vita & membra hominis non sunt pretio æstimabilia, & compensabilia. 2. Bona superioris & inferioris ordinis non sunt inter se commensurabilia,

nec commutabilia. 3. Ex S. Thom. qu. 62. art. 2. *Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit.* At æqualitas inter bonum superioris & bonum inferioris ordinis nequidem in parte esse potest: alioqui bonum inferioris ordinis posset tandem per sui incrementum adæquare ex toto aliud. 4. Justitia non obligat ad restitutionem, nisi res ablata reddi possit in se vel in æquivalenti, sive ex toto, sive ex parte. At bonum superioris ordinis non potest reddi in æquivalenti, etiam ex parte per bonum inferioris ordinis: alioqui hoc per sui incrementum posset illud tandem exæquare. Jam vero inquiunt, qui nec in toto, nec in parte restituere potest bonum injuste ablatum, excusatur ob impotentiam. Fatetur tamen Lessius fieri posse, ut fit obligatio ex caritate ad aliquam compensationem pecuniariam pro damno membri vel vitæ &c. Si nempe læsus sit pauper, vel occisi uxor ac liberi sint pauperes, & non putemur mœrorem aliter deposituri: læsor vero eam sine gravi incommodo præstare possit.

Prior sententia videtur probabilior. Ad fundamentum oppositum. *Resp.* Quamvis vita & membra hominis liberi non sint pretio æstimabilia, nec bona superioris & inferioris ordinis fiat commutabilia ad æqualitatem, tamen damnum in bonis superioris ordinis illatum potest aliquo modo, nempe in ordine ad usus humanos, compensari pecunia, quæ non datur ut pretium vitæ vel famæ, sed ut compensatio damni vitæ, membri vel famæ, & ut tollantur effectus hujus damni, nempe mœror, dolor animi, & alii. Et quamvis bonum superioris ordinis non possit reddi in æquivalenti etiam ex parte, si secundum se spectetur, tamen ejus carentia potest aliquo modo compensari, quoad usus humanos: sic defectus formæ, vel nobilitatis compensatur divitiis, sic libertas pecunia venditur. Justitia autem obligat ad compensandum damnum eo modo quo fieri potest, saltem quoad usus humanos, si non possit quoad bonum ablatum. Et vero æqualitas justitiæ, quæ per restitutionem reponitur, non consistit in ipsis naturis rerum, sed in rationabili æstimatione rerum, secundum quod usui humano deserviunt.

Quæst. VII. *Quanam sunt causæ justæ differendi restitutionem, vel solutionem debiti?*

Resp. 1. Generatim id omne, quod facit ut dominus vel creditor non sit rationabiliter invitus circa dilationem, est causa justa, propter quam licite differtur restitutio. Quia sola detentio rei alienæ vel alteri debitæ injusta prohibetur. At est detentio non injusta, nisi sit contra voluntatem domini: nam omnis injustitia est contra rectam rationem, ac proinde detentio, quæ non est contra rectam rationem, non est injusta.

Resp. 2. Ex communi sententia, multiplex est causa, ob quam licite differtur restitutio quamdiu ipsa durat, quas tradit S. Anton. p. 2. tit. 2. p. 8.

1. Est extrema necessitas tua, vel tuorum, vel proximi, cui aliter subvenire non potes, quam rem alienam vel alteri debitam impendendo. Quia in tali necessitate omnia, saltem quoad usum, sunt communia. Translata autem hac necessitate teneris restituere; nam obligatio restituendi prius contracta non extinguitur ob supervenientem necessitatem, sed tantum suspenditur. Porro qui potest partem solvere, ad id tenetur, nam non habet justam causam non solvendi eam, & quoad eam dominus esset rationabiliter invitus.

2. Est gravis necessitas tua, vel tuorum, quos sustentare teneris, nisi tamen creditor sit in pari necessitate. Ex l. 233. §. de regulis juris ibi: *In condemnationem personarum, quæ in id quod facere possunt, condemnantur; non tantum quod habent extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est ne egeant.* Et ex c. 1. *de solut.* Quia tunc creditor non potest rationabiliter exigere solutionem; cum ipse teneatur proximo gravi necessitate laboranti opitulari, vel donando, vel saltem mutuando. Quod si creditor sit in pari necessitate, ex communiori sententia ei satisfieri debet; quia tunc esset rationabiliter invitus quod ei non restituas: cum ex ordine caritatis possit, ut cæteris paribus, sibi potius quam debitori velle consulere: sitque melioris conditionis, utpote possidens jus exigendi solutionem ex justitia debitam, nec extra necessitatem extremam omnia sint communia.

3. Magnum periculum salutis animæ propriæ vel tuorum, ut si periculum sit ne filiæ tuæ præ inopia se prostituant, vel ne filii latrocinentur; ita tamen ut non supperat alia via commoda id avertendi, nisi differendo solutionem. Nam tunc creditor vel dominus tenetur ex caritate consentiri dilationi, cum debitor sit in gravi necessitate spirituali.

4. Magnum detrimentum in rebus propriis non debitis, modo creditor simile damnum non patiatur ex dilatione, & postea debitor certo sit restituturus. Nam tunc creditor non est rationabiliter invitus circa dilationem; ipse enim rationabiliter vellet sibi tunc concedi dilationem si esset debitor: tenetur autem tractare debitorem sum eo modo quo vellet rationabiliter tractari in pari casu. Item contra æquitatem naturalem ageret, si vellet sibi statim restitui cum tanto alterius incommodo. Quare qui non potest statim restituere centum aureos, quos debet, nisi domum vel prædium venendo multo minoris quam valet, potest aliquamdiu differre solutionem. Idem dic si non potest statim solvere sine periculo gravis infamiæ; cum fama sit bonum præstantius divitiis.

Dixi, *in rebus non debitis*. Nam si debitor restituendo patiatur tantam jacturam in rebus debitis, vel in lucro quod intendit facere ex rebus debitis, non potest idcirco restitutionem differre: hoc enim non est damnum pari in rebus suis, sed relinquere alienas vel alteri debitas, & non facere lucrum ex alieno vel alteri debito. Excipe, nisi fine illo lucro aliis creditoribus farisfacere nequeat: tunc enim creditor tenetur ex caritate permittere dilationem, si commode possit, & contra rectam rationem vellet sibi statim restitui cum tanto aliorum creditorum damno, quod dilatione solutionis vitari potest sine magno ejus damno.

3. Si debitor non potest restituere sine damno in bonis altioris ordinis longe majore quam fit commodum creditoris. Nam alioqui non servaretur æqualitas: ideoque tunc restitutio sine injustitia exigi nequit.

4. Ex jactura propril status, juste acquisiti, modo debitor sua culpa in hoc periculum sese non consecerit, nec idem periculum subeat creditor. Quia tunc creditor peccaret contra caritatem si veller sibi satisfieri cum tanto incommodo debitoris, & sic non

est rationabiliter invitus. Tenetur tamen debitor tenuiter vivere secundum statum, & sibi detrahere quantum potest de splendore & decentia, quæ non sunt absolute necessaria ad statum conservandum, ut sensim restituere possit: nam decentia status non consistit in indivisibili. *Ita Lessius & alii.* Et generatim quilibet debitor ex justitia tenetur opera, labore, parsimonia, vel alia via sibi moraliter possibili curare, ut acquirat unde debita omnia solvat, nam obligatus ad finem obligatur ad media, saltem non nimis difficilia, sine quibus finem consequi non potest.

Dixi 1. *Juste acquisiti*. Nam si quis rapinis, usuris, fraudibus, furtis, aliisve injuriis ad aliquem statum altiorem pervenisset, ex communi sententia tenetur cum ejus jactura statim restituere. Quia hoc non est statum suum amittere, sed alienum ac injuste possessum relinquere, & ad proprium reverti. Consulendum est tamen famæ debitoris, quantum fieri potest.

Dixi 2. *Modo debitor sua culpa &c.* Nam si debitor sua culpa, puta ludis, comessationibus, superfluis sumptibus ad eas angustias redactus sit (ut faciunt multi nobiles) non meretur dilationem, & sibi imputare debet quod non possit restituere sine sui status amissione. *Ita Sotus, Toletus, Lessius & alii.*

Dixi 3. *Nec idem periculum &c.* Nam ex sententia communi, si creditor ob dilationem solutionis amissurus sit statum juste acquisitum, non debet differri solutio. Quia extra necessitatem extremam in pari causa damni potior est conditio creditoris, ob jus habendi rem sibi debitam, quod possidet, & quia tunc esset rationabiliter invitus circa dilationem, cum ceteris paribus possit secundum ordinem caritatis se aliis præferre.

7. Damnum spirituale, vel temporale grave ipsi creditori, vel alicui tertio probabiliter eventurum ex restitutione. Nam tunc creditor non est rationabiliter invitus; si enim damnum ipsi immineat, tunc differendo, ejus negotium utiliter geritur: si aliis, ipse tenetur ex caritate pari dilationem sibi graviter non damnosam, ad vitandum gravius damnum proximi. Immo ex caritate tenemur differre solutionem, si creditor pecunia restituenda certo abusurus esset ad peccandum, & spes sit, dilata solutione, malum illud impeditum iri. Quia ex caritate tenemur impedire damnum grave spirituale proximi, etiam cum aliquo ejus incommodo temporali, si possumus sine notabili gravi damno, ut patet ex correctione fraterna, dum adhibentur testes. Item secundum communem sententiam, ex justitia tenemur differre, si creditor re soluta abusurus sit contra justitiam, v. gr. si furens repetat gladium apud se depositum ad occidendum inimicum, tunc enim gladium reddere, esset proxime cooperari homicidio; & alter jus habet ne in talibus circumstantiis gladium restituas, nisi ex recusatione æquale malum tibi impendeat.

Quæst. VIII. *An est obligatio compensandi lucrum cessans & damnum emergens ex dilatione solutionis, vel restitutionis?*

Resp. Debitor, qui ex culpa fuit in mora solvendi tempore debito, tenetur ista compensare: quia peccavit contra justitiam, & ex peccato contra justitiam oritur obligatio restituendi damnum inde secutum. Quod si sine sua culpa non restituit tempore debito, adhuc ad id tenetur, si debitum erat ex delicto. Quia injuria precedens est causa illorum, cum sine illa non contigissent; & debitor ex delicto tenetur creditorem restituere in eum statum in quo fuisset, si injuria illata non fuisset, aliqui non integre resarcitur & tollitur injuria.

Sed juxta multos non tenetur debitor ex contractu justo, nisi fuerit culpabiliter in mora. Quia non est causa injusta nequidem mediata lucri cessantis vel damni ex dilatione obvenientis creditori: ficque videntur contractus intelligi; & quia ex reg. jur. 41. in 6. *Impunari non debet ei per quem non fuit, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Recte limitant, nisi differat solutionem precise ad vitandum damnum aliquod grave, quod statim solvendo pateretur, & non ob necessitatem extremam vel gravem. Nam tunc debitor ex contractu tenetur compensare creditori lucrum cessans, & damnum emergens ex dilatione illa licet justa; quia in pari casu potior est conditio creditoris possidentis jus exigendi solutionem; & par non est ut debitor se ipsum server indemnem cum damno creditoris, cui solvere potest: unde creditor non tenetur aliter consentire in hanc dilationem.

PARS III.

De injuriis in particulari, & necessaria restitutione.

CAPUT PRIMUM.

De injustitia & damnis in bonis spiritualibus, & necessaria restitutione.

Nota. Bona spiritualia alia sunt naturalia, ut potentiæ naturales, scientiæ, & artes, earumque usus; & alia supernaturalia, quæ ad animæ sanctitatem, & salutem immediate ordinantur, ut sunt gratia, virtutes infusæ, earum actus, bona merita, sacramenta &c.

Quæst. I. *An qui injuste læsit alterum in bonis spiritualibus naturalibus, tenetur ad restitutionem?*

Resp. Qui veneno, potione, vel alio modo aliam memoria, vel usu rationis aut alterius potentiæ naturalis privavit, aut maleficiis dementavit, vel vi aut fraude pertraxit ad aliquid sumendum, ex quo tale damnum secutum est, peccavit graviter contra justitiam, & tenetur ex justitia tollere ac curare ista mala, si potest, & resarcire omnia damna inde secuta. *Est communis sententia.* Quia illorum causa fuit per injuriam, violando jus quod proximus habet ad bona naturalia, quodque non minus strictum est, quam jus ad bona externa quæ possidet.

Item qui alteri causa est injusta damni in scientia vel arte, sive quia vi, fraude, aliave via injusta aliquos prohibuit ab acquisitione vel usu earum; sive quia cum ex officio, aut pacto teneretur alios docere, notabiliter fuit negligens in docendo, aut sine debita peritia munus docendi suscepit; sive quia culpabiliter falsa pro veris docuit &c. tenetur omnia damna inde ipsis & aliis secuta resarcire, & revocare quæ falsa docuit. Nam qui actione vel omissione injusta posuit causam damni, tenetur causam illam tollere, & damnum omne inde secutum resarcire; alioqui injuria non tolleretur, nec resarciretur.

Quæst. II. *An qui alterum læsit in bonis supernaturalibus, tenetur ad aliquam restitutionem?*

Resp. 1. Qui alterum vi, metu, vel fraude, vel alio modo injusto induxit in peccatum, vel abduxit a bono opere, aut decepit falsa doctrina contra fidem vel bonos mores, tenetur ex justitia vim ac seductionem tollere, fraudem, & errorem aperire, removere causas ulterioris lapsus, & curare, quantum fieri potest, ut alter restituatur in eum statum de quo injuste eum dejecit; v. g. inducendo ad pœnitentiam; orando Deum pro ejus conversione &c. *Est communis sententia.* Quia est causa injusta talis damni; quilibet enim habet jus ne injuste lædatur in bonis animæ; sicut in bonis corporis. At talis injuste lædit; nam quisque habet jus ne decipiatur in suis bonis, & ne vis ei inferatur sine justa auctoritate, quæ nequit esse ad peccatum, & errorem. Ergo tenetur causam damnorum, quam injuste posuit, tollere, & omnia damna jam ex ea secuta restituere. Hinc qui prava dogmata docuit, tenetur revocare, & quantum potest, disseminatos errores ex animis evellere, etiam cum damno vitæ.

Resp. 2. Ex communi sententia, qui sine vi, metu, fraude & deceptione alium in peccatum induxit, non tenetur ei ex justitia ad restitutionem, nisi sit prælatus, vel alius qui ex officio tenetur promovere bonum spirituale suorum. Quia ubi non est vis, nec fraus, nec deceptio in inductione, nec culpa contra officium, injuria non est, quippe quæ scienti ac sponte volenti fieri nequit. Talis tamen tenetur ex caritate, plusquam alii, curare ut alter convertatur, nam caritas, & æquitas exigit, ut is qui malo suo exemplo, vel consilio alium pervertit, curet præ ceteris ut convertatur. Si quis tamen etiam solo consilio vel precibus induxisset alterum in peccatum injustitiæ contra tertium, peccavit contra justitiam: nam inducens peccat contra virtutem, cui opponitur peccatum ad quod inducit, & in defectum inducti tenetur ei tertio de damno; quilibet enim habet jus ne quis positive cooperetur ad ejus damnum sine ejus consensu, vel sine justa causa, & auctoritate.

Quæst. III. *An qui avertit aliquem a Religione, tenetur ad aliquam restitutionem?*

Resp. 1. Qui metu, calumnia, fraude, mendacio, aliove modo injusto impedit vel avertit aliquem a Religionis ingressu aut professione, peccat graviter contra justitiam, & tenetur vim ac fraudem tollere, & ei suadere ingressum seu reditum, & monasterio compensare quanti valebat spes commodi temporalis, quod ex ipsius donatione, labore ac industria expectabatur, si injuste abductus non fuisset. *Est communis sententia.* Quia utrique fecit injuriam damnosam; nam quisque habet jus strictum, ne via injusta bonum ejus impediatur. Talis tamen seductor non tenetur ipse religionem ingredi: tum quia forte non est aptus; tum quia status religionis, cum sit status perfectionis, requirit Dei vocationem, & nullus ad illum nisi sponte volens admitti debet.

Resp. 2. Ex communi sententia, qui alterum sine vi, fraude, mendacio, aliave via injusta, sed sine justa causa avertit a religionis ingressu, vel profes-

sione, non tenetur ad restitutionem; quia nemini fecit injuriam. Sed peccat contra caritatem, retrahendo eum sine justa causa a maximo bono; & constat ex *Conc. Trid. sess. 25. cap. 18.* ubi excommunicat eos, qui *sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint*: nam tanta pœna supponit culpam mortalem. Eadem autem est ratio si juvenis vel vir abducatur a religione. Nulla tamen erit culpa, si adfit causa dissuadendi religionem, ut si quis non sit aptus, vel si in illa religione, seu monasterio observantia religiosa non vigeat, vel si parentes graviter egeant filii auxilio. Licet etiam parentibus, si prudenter dubitent de viribus vel constantia suorum liberorum, illos ad tempus non longum retinere, & probare: sed graviter peccant, si eos exponant periculis peccandi, vel alliciant per se aut alios ad voluptates, aliave illicita, ut sic a proposito avocent.

Resp. 3. Qui religiosum, etsi sine vi, & dolo, sed solo consilio vel precibus a religione abduxit, tenetur ex justitia compensare monasterio damna temporalia inde secuta. Quia fecit injuriam religioni, nam hæc habet jus retinendi suos subditos tanquam membra, & religiosus per vota totum se tradit religioni in honorem Dei, & sic religio habet jus ad commoda quæ præstitisset, & quibus privatur per abductionem. Sic abducens servum a domino, tenetur ad restitutionem.

CAPUT II.

De injuriis in corpus proximi per homicidium, & mutilationem, & de necessaria restitutione.

Notæ 1. Præcepto *Non occides* prohibentur homicidium, mutilatio, percussio, & similis affectio ac damificatio corporalis injusta, item horum causæ, & dispositiones, ut odium, vindicta, ira, rixæ &c. Immo ut a Christo explicatur, est etiam affirmativum, præcipiens humanitatem, mansuetudinem, patientiam, & injuriarum condonationem.

Porro homicidium, quod est injusta hominis occisio, gravissimum crimen est, cum per illud injuste adimatur proximo bonum temporale maximum & irreparabile. Fit etiam gravis ex circumstantia personæ quæ occiditur, ut si sit pater, consanguineus, clericus &c.

Nota. 2. Est de fide licite occidi bruta animalia in usus hominum, ex Gen. 9. *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*: nam homo est dominus animalium ex Gen. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Tenetur tamen homo abstinere a crudelitate, qua utendo, & bestias doloribus sine causa conficiendo, peccat saltem venialiter: quia in hoc est quædam inordinatio, & abusus dominii. Hinc illud, Prover. 12. *Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.*

Quæst. I. *An licet peccatores occidere?*

Resp. 1. Licet auctoritate publica occidere peccatores Reip. noxios. *Prob.* 1. Ex Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*; & ad Rom. 13. de supre-

mo Principe dicitur: *non sine caussa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit.* 2. Quia talis potestas necessaria est Reip. ad bonum commune, publicam tranquillitatem, ideoque a Deo Reip. concessa est. Et quia pars noxia toti, potest ob totius conservationem excludi, cum pars sit propter totum.

Resp. 2. Non licet auctoritate privata peccatores occidere, præcise propter eorum scelera. *Ita omnes*, ex Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et ex cap. *Quicunque*, 23. qu. 8. Quia non licet occidere peccatores, nisi auctoritate a Deo concessa propter bonum commune; ac proinde id ad eum solum pertinet, cujus est procurare bonum publicum. Nec obstat quod interdum permittatur, ut quivis possit occidere quosdam subditos Reip. publicos hostes; quia tunc non occiduntur privata, sed publica auctoritate concessa a principe.

Sed an licet verberare aliquem ob culpam quam admisit?

Resp. Non licet, nisi habenti potestatem in delinquentem. Quia (ut ait S. Th. 2. 2. qu. 65. art. 2.) *Per verberationem nocumentum infertur corpori ejus qui verberatur; nocumentum autem inferre alicui non licet, nisi per modum pœnæ propter justitiam. Nullus autem juste punit aliquem, nisi sit ejus jurisdictioni subjectus. Et ideo verberari aliquem non licet nisi habenti potestatem aliquam super illum, qui verberatur. Et quia filius subditur potestati patris, & servus potestati domini, licite potest verberare pater filium, & dominus servum caussa correctionis, & disciplinæ.* Idem dic de Magistro, & Tutore, qui gerunt vicem patris.

Quæst. II. *An licet occidere uxorem, vel filiam in adulterio deprehensam, vel ipsum adulterum?*

Resp. Neg. *Ita communis sententia.* Prob. 1. ex cap. *Inter hæc*, & seq. 33. q. 2. Et ex S. Augustin. lib. 2. *de adult. conjug.* c. 11. ibi: *Non licet mœchum adulteram occidere, sed tantum dimittere.* 2. Quia non licet propria auctoritate, ut patet, neque etiam ulla lege humana potest id fieri licitum: tum quia ubi observari potest ordo judicii, iniquum est reum inauditum, destitutum omni defensionis remedio, nullo servato juris ordine, & sine judicio punire, pœnæque executionem committere ipsi offenso, & quidem illico, cum animus recenti offensa maxime perturbatus est. Hinc reg. jur. 238. *Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice fieri possit.* Tum quia est contra caritatem sine urgenti necessitate recusare reo spatium ad pœnitentiam; sed illum statim cum periculo certæ damnationis æternæ occidere. 3. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Porro leges civiles, quæ hoc factum non improbant, id faciunt per meram tolerantiam, ne videantur favere adulteris, & ob justum ac gravissimum dolorem in tali casu, & vehementiorem iræ motum, quem quis facile temperare nequit.

Quæst. III. *An licet seipsum occidere, aut mutilare?* (*Vid. N.* 256. 23. 222.)

Resp. 1. Non licet sine auctoritate divina seipsum occidere. *Ita omnes.* Constat 1. ex S. Augustin. lib. *de Civit.* cap. 47. & cap. 5. & seq. 23. q. 5. & ex generali præcepto. *Non occides.* 2. Quia homo non est dominus suæ vitæ, sed solus Deus, ex Deuter. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Ergo homo non potest sine auctoritate Dei seipsum destruere; nam est illicitum & injustum destruere rem alterius sine ejus consensu, & jus ejus usurpare; destructio enim rei propriæ auctoritate facta, est actus dominii in illam. 2. *Qualibet pars id quod est, est totius: quilibet autem homo est pars communitatis: unde in hoc quod seipsum interficit, injuriam communitati facit*, ait S. Tho. q. 64. art. 5. Porro Martyres qui se in rogum conjecere, id fecerunt ea speciali Dei inspiratione, ac proinde auctoritate divina.

Hinc 1. Non licet auctoritate privata occidere aliquem volentem, & petentem: quia nullus potest dare hanc facultatem, cum solus Deus habeat dominium vitæ. 2. Nunquam liciti sunt ergo seipsum actus per se mortiferi, qui immediate, & ex propria natura tendunt ad mortem, ut jugulatio, strangulatio, sumptio veneni, præcipitatio ex alto loco, projectio in rogum, & similes; quia esset seipsum directe, & positive occidere. 3. Quilibet tenetur vitam & membra conservare mediis ordinariis: tum quia sicut Deus vetat proprium vitam sibi auferri, ita jubet, ut quilque ranquam a Deo constituta vitæ ac membrorum suorum custos, vitam ac membra conservet; tum quia moraliter censetur mortem sibi inferre qui non utitur mediis, quæ auctor naturæ providit ad ordinariam vitæ conservationem. Tamen juxta multos non tenemur uti mediis valde extraordinariis, vel pretiosissimis cum jactura omnium bonorum, quia hoc non est occidere, sed solum suam mortem permittere ob justam caussam.

Resp. 2. Ex communi sententia licet ob gravissimam ac justam caussam aliquid facere, vel omittere, unde præter intentionem mors certo sequatur; nam non est prohibitum homini ne vitam suam periculis unquam exponat, nec præceptum est, ut semper conetur eam positive servare quantum potest, sed tantum ne absque justa caussa illam periculo exponat. Sic miles potest, & tenetur manere in statione ob bonum commune, & aggredi hostes cum certo mortis periculo. Item reo morte damnato licet non fugere e carcere ad satisfaciendum Deo, & reipublicæ.

Resp. 3. Non licet seipsum mutilare, nisi hoc sit necessarium ad salutem corporis. *Ita omnes.* Quia homo non est dominus membrorum suorum, licite nec sui ipsius; sed habet dumtaxat convenientem eorum usum & administrationem ad bonum totius corporis. Hinc nunquam licet castrare ad vitandas tentationes, servandamque castitatem: idque vetat Concilium Nicæn. I. canon. 1. Nam mutilatio nunquam est medium necessarium ad salutem animæ, cum membra perniciem animæ nunquam afferre possint: alioqui Deus prave naturam instituisset. Imbo hæc mutilatio non est remedium ad castitatem utile, cum non tollat tentationes carnis, ut docent SS. Patres Basil. Chrysostom. & Augustin. Item non licet parentibus castrare pueros, etsi consentientes, ad conservandam vocis suavitatem, etiam in obsequium Ecclesiæ, quia solus Deus est dominus corporis & membrorum; qui sic concessit homini usumfructum membrorum, ut eorum abscissionem permiserit tantum ob salutem totius. (1).

Dixi, *Nisi sit necessarium &c.* Quia pars ordinatur ad totum, & est propter totum: ergo resecari potest membrum ad servandum totum corpus. Immo tenetur homo permittere abscissionem membri, si hæc a medicis judicetur necessaria ad vitæ conservationem, nec perferendi sint acerbissimi dolores: quia tenetur vitæ suæ periclitanti opitulari mediis non valde difficilibus, cum sit ejus custos, & œconomus, non dominus. Quod si ingentes cruciatus perferendi essent, non teneretur id permittere, ut docent passim Doctores. Quia non tenetur vitam conservare mediis nimis acerbis, & moraliter impossibilibus, nisi tamen ejus vita censeatur bono communi necessaria.

Quæst. IV. *An licet aliquando occidere innocentem?*

Resp. 1. Nunquam licet directe occidere. *Ita omnes.* Ex Exod. 23. *Insontem, & justum non occides, quia adversor impium.* Nam nullus homo habet dominium vitæ alterius, sed solus Deus. Hinc non licet infantes vel uxores hostium in bello etiam justo captos occidere, ut parentes obsessi se, ad filios a nece liberandos, dedant. Nec etiam licet rabiosos soffocare ne aliis noceant, sed debent includi, vel alligari. Quod si quem injuste aggrediantur, in solum potest vim vi repellere, cum debita moderatione, nec plus quam necessarium est ad vitam tuendam.

Resp. 2. Licet interdum ob gravissimam caussam aliquid facere vel omittere, unde præter intentionem sequatur mors innocentis. Ita passim Doctores qui docent, 1. In bello justo licere duci ad expugnandos hostes dirigere tormentum bellicum in turrim, vel arcem, in qua innocentes aliqui præter ejus intentionem perituri sunt: tunc enim non censetur moraliter caussa illorum mortis, sed solum illam permittere; nam utenti jure suo non imputatur effectus præter intentionem secutus.

2. Licet civitati cogere civem innocentem ad adeundum tyrannum, qui civitati excidium minaretur, nisi civis ille sibi traderetur, quamvis præsideretur occidendus. Nam civitas potest cogere cives ad id, ad quod jure naturali tenentur: ut innocens ille jure naturali tenetur vitam certo mortis periculo exponere propter bonum (*) commune. Quod si civis ille nollet obtemperare, jam vere non esset innocens: unde jam posset a Rep. tyranno tradi. Secus, si tyrannus peteret virginem ad illam stuprandam: nam non posset a Rep. cogi ad adeundum tyrannum, tum propter animæ periculum, tum quia illum adire in talibus circumstantiis est consentire luxuriæ.

Quæst. V. *An unquam licet procurare abortum?*

Resp. 1. Per se semper est mortale directe impedire, ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, vel fœtum ejicere. *Prob.* 1. ex S. Basil. epist. ad Amphil.] *Quæ de industria fœtum corrumpit, cædis pœnas luat. Formati autem vel informis subtilitas a nobis non attenditur.* Et ex Concilio Eliberit. Ancyr. Mogunt. Wormat. & ex cap. 5. *de homicid.* ibi: *Si aliquis caussa explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.* 2. Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* 3. Hoc repugnat bono speciei humanæ & naturali fini seminis humani, quod ex se ordinatur ad generationem & speciei humanæ conservationem, ac propagationem: ideoque iugens scelus est. Idque debuit in omni casu a Deo prohiberi; nam si id aliquando liceret, periculum esset ne homines delectatione copulæ contenti partum prolis negligerent, & sæpe impedirent ex aliquo prætextu, ut curis, & laboribus prolis liberarentur: quod cederet in detrimentum speciei humanæ, & foret occasio fornicationi, & stupris, a quibus abiterret timor prolis. Hoc tamen scelus non proprie, ac stricte homicidium, ex c. 20. *de homicid.* ubi dicitur non inducere irregularitatem: nem fœtus inanimis non est simpliciter, & complete homo: homo enim est compositum ex corpore & anima spirituali unitis.

Resp. 2. Qui animato fœtui abortum procurat, vere ac proprie homicidium committit. Nam reverra hominem injuste occidit, ideoque fit irregularis, ex cap. cit. Item ex constit. Sixti V. & Gregorii XIV. excommunicatus est: quod si parens id faciat, vere fit parricida. Quare nunquam licet abortum fœtus animati procurare, etiam si alioqui sit periculum ne fœtus simul cum matre intereat: quia nunquam licet occidere innocentem, etiam ad servandam alterius vitam. Idem dic si dubium sit an fœtus sit animatus; quia esset se exponere periculo occidendi Innocentem.

Hinc moraliter peccant medici vel alii, qui dant potiones ad procurandum abortum, sive fœtus sit animatus sive non, & mulieres fumentes. Item qui abortui occasionem præbent etiam præter intentionem, donec operam rei illicitæ, vel debitam cautionem omittendo, ut si quis percutiat mulierem gra-

(1) *Benedictus XIV. in Opere* de Synodo Diœcesi. lib. 2. cap. 7. §. 4. & 5. nov. edit. *ait neminem absolutionem posse in se permittere, nisi de consilio Medici ad servandam vitam: & quamvis Theologi quidam admittant, ut possit quis tu evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in Ecclesia canat, atque inde victum sibi honestum procurare possit, adhuc tamen Theologorum id negantium opinio communiori adstipulatur. Dissuasit vero Canonista unus ex vi Capitis* Significavit, *sub titulo* de corpore vitiatis, *Sacerdos, qui id in se commiserit, possit munus Diaconi, aut Subdiaconi in Missa exercere: cerum est ex vi ejusdem Capitis, Sacerdotem illum posse benedicere, Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ Unctionis administrare de licentia Episcopi: constat tamen Benedictum hujusmodi incurrere notam irregularitatis: nec Episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se eviranti.*

(*) *Sive inculpabilem necessitatem.*

gravidam, *vel si ipsa nimis saltavit, vel nimis inordinate laboravit, vel propter inordinatas lascivias*, ait S. Antoninus.

Nota. Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi*.

Cum autem incertum sit animationis tempus: alii enim assignant diem a conceptu 30. vel 50. pro mare, & 90. vel 80. pro femina; alii aliter: raro abest periculum homicidii in procurando abortu.

Sed num licet ad matris conservationem ei præbere pharmacum, quo fœtus putetur moriturus?

Resp. 1. Non licet præbere matri, nec ei sumere remedium ex vi sua ordinatum ad expulsionem fœtus sive animati sive inanimati, etiamsi certa sit utriusque mors, si non adhibeatur, & probabile sit matrem servandam esse illo adhibito. *Ita Azor, Deluge, Sylvius, & alii*. Quia hoc esset procurare abortum directe, seu ex natura operis, quod est semper intrinsece malum, utpote contra naturam, & finem generationis; idque etiam si fœtus non sit animatus: nam ex natura rei, & ordinatione auctoris naturæ, fœtus concipitur, ut animetur, & animatus exatur in lucem. Multo minus id licet post animationem fœtus: nunquam enim licet occidere directe innocentem, ut alius servetur. Nec infans est injustus aggressor vitæ matris, nihil enim injustum contra eum molitur, nec est membrum seu pars physica matris, cum sit homo ab illa realiter distinctus.

Resp. 2. Ex communi sententia, licet matri sumere, & ei præbere remedium per se curativum matris, nec per se tendens ad abortitionem, quamvis sit periculum ne inde abortio sequatur: modo constet fœtum non esse animatum, & mater alioqui moritura esset. Quia tunc si abortio contingat, non censetur procurata, sed solum permissa; nam præter intentionem nec ex ipso opere contingit, matre utente jure suo: mater enim in tali casu non privatur jure utendi remediis ad vitæ suæ conservationem necessariis, nec per se abortum procurantibus.

Non licet tamen matri non ex morbo periclitanti sumere, nec ei dare pharmacum quodvis, quo expellatur vel expelli possit fœtus etiam inanimatus, quamvis matri immineret infamia, vel mors inferenda ab extrinseco; quia tunc directe intenditur abortus ad vitandam infamiam vel mortem: nam pharmacum per se directe nihil facit ad alterutram vitandam, nisi per expulsionem fœtus tamquam medium: nec sumitur nisi ex intentione procurandi abortus, ut medii ad vitandam infamiam vel mortem. *Azor, Cardenas &c.*

Resp. 3. Si proles sit animata, vel dubitetur an sit, est mortale adhibere remedium directe curativum matris, sed cum periculo mortis fœtus, si probabile est eo non sumpto prolem in vitam edendam esse, & sic baptizandam. *Ita communis sententia*. Quia mater tenetur salutem æternam prolis in extrema necessitate præferre vitæ propriæ corporali. Non tamen licet matrem discindere ut proles baptizetur: quia directe occidere innocentem est intrinsece malum; ideoque illicitum ob ullum finem bonum: nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona, *Rom.* 3.

Quod si æquale est periculum abortus, sive remedium sumatur sive non, licet matri illud sumere: quia tunc fine majore periculo ac damno fœtus consulitur vitæ matris.

Quæst. VI. *An licet injustum aggressorem actualem occidere in vitæ suæ defensionem?*

Resp. Ex S. Thoma, Catheclismo Romano, & communi sententia Doctorum, licet omnibus, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quia 1. Exodi 22. qui furem nocturnum occidit, dicitur non esse reus mortis; quia nempe fur ille præsumitur venisse animo non solum furandi, sed etiam occidendi, ut explicat S. August. 2. Ex c. 18. *de homicid. Vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittunt*. 3. Homo habet jus conservandi vitam injusto oppugnatam, & illam præferendi vitæ injusti aggressoris, qui se ex mera malitia in hoc periculum mortis conjicit.

Sed ut hoc licitum sit, quædam requiruntur. 1. Ut sit actualis agressio: nam ante actum aggressionis, & post eum occidere non licet, quia non est tunc vis repellenda, nec opus est defensione, ubi non est aggressio. Hinc ex communi sententia, non licet occidere aut repercutere eum, qui percussit & jam fugit, vel certe destitit, aut ob vulnus acceptum non potest jam nocere; tunc enim occisio vel percussio non est necessaria ad propulsandam injuriam, cum jam illata sit, & jam cessarit aggressio; unde esset ultio, quæ privato nunquam licita est. Item qui scit alium se quærere ad occidendum, non potest illum prævenire occidendo, quia non esset vera defensio.

2. Ut nihil fiat, nisi quod necessarium est ad vitam servandam. Nam non licet inferre majus damnum, aut uti vi majore quam necesse sit ad vitæ defentionem: alioqui jam non est defensio, sed ultio injusta, & ideo, cap. citat. Innoc. III. ait: *Quamvis vim vi repellere omnia jura & omnes leges permittant, tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam*. Hinc si injustum invasorem armis spoliando, vel debilitando, aut vulnerando possis mortem vitare, non licet illum occidere; cum tunc ejus occisio non sit necessaria ad vitæ defensionem.

3. Ut nihil ex odio neque ex animo vindictæ fiat, ut non intendatur per se mors invasoris, sed sola vitæ propriæ conservatio per justam sui defensionem. Quia occisio hominis privata auctoritate facta, non est finis licitus; nec medium ex necessitate ad sui defensionem; sed est tantum aliquid consequens per accidens ex necessitate finis, qui est vitæ conservatio. *Illicitum est quod bonus intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro judicis pugnante contra latrones, quamvis etiam & isti peccent, si privata libidine moventur*, ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 64. artic. 7.

4. Ut aggressor non sit persona Reip. necessaria vel valde utilis, ut princeps, dux exercitus &c. quia ex ordine caritatis bonum commune, utpote bonum multorum, præferri debet privato, quod est bonum unius vel paucorum.

Ceterum in praxi percussio, & occisio injusti vitæ aggressoris raro vacat culpa, quia fere nunquam servantur conditiones ad licitam defensionem requisitæ. Et ideo aliqui Patres occisionem sine publica auctoritate factam, indefinite damnant, scilicet ob periculum vindictæ, & excessus in modo defensionis, vel ob intentionem directam occidendi.

Obj. Tenemur plus diligere salutem animæ proximi, quam vitam nostram corporalem.

Resp. Tenemur plus diligere affective, & etiam effective cum proximus est in necessitate. Non tamen tenemur vitam nostram pro salute proximi profundere, nisi in casu necessitatis, in quo egeat nostra ope. At tunc invasor non est in necessitate, sed in voluntaria malitia; nec eget ope mea, nam potest facile se periculo liberare desistendo ab injuria. Licet tamen oppugnato, ad perfectiorem actum caritatis quo vita exponitur pro salute animæ inimici ex mera malitia periclitantis exercendum, finere se occidi potius quam occidere, modo sit moraliter certus se esse in statu gratiæ: *Nam alias fatue faceret, exponendo se morti corporis, & animæ; cum sibi per mortem præcludatur via pœnitentiæ*, ait S. Antonin. par. 2. tit. 1. c. 3.

Sed an teneatur ad restitutionem, qui in defensione vitæ alterum occidit, vel mutilavit?

Resp. Non tenetur, si id fecit cum debita moderatione; quia nullam intulit injuriam. Sed qui justæ defensionis modum excedit occidendo, cum potuisset aliter vitam tueri, v. g. fugiendo, cum id posset saltem sine gravi ignominia, vel armis spoliando, aut saltem non letaliter vulnerando, tenetur omnia damna compensare. Quia illa occisio fuit injusta, utpote non necessaria ad vitæ defentionem: nam privatus nullum habet jus, nisi ut vitam tueatur per medium ad hoc necessarium; & quisque jus habet, ut non occidatur ab alio auctoritate privata, nisi ob necessariam vitæ defentionem. Ergo talis est causa injusta mortis & damnorum inde secutorum. *Ita Azor, Sanchez, & alii ejusque communis sententia*.

Quæst. VII. *An licet occidere accusatorem, & falsos testes, qui vitam injuste oppugnant?*

Resp. Neg. Quia 1. qui falsum testimonium dicit in judicio non censetur aggressor vitæ, sed committit injuriam, quæ ex se puniri potest, & alia via repelli: nam non propria auctoritate, sed per judicem, & servato ordine juris procedit. 2. Hoc debet jure naturali in omni casu prohiberi: nam si hoc liceret, aperiretur via multis cædibus, homicidiis, cum gravi detrimento reip.; homines enim sibi facile persuaderent se injuste accusari, & nullam aliam defensionis viam esse, præter mortem accusatoris. 3. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*.

Quæst. VIII. *An licet occidere pro defensione pudicitiæ suæ, qui eam tentat violare?*

Resp. Multi docent id licere, si aliter pudicitia defendi nequeat, hanoque esse communem Doctorum sententiam asserunt Lessius & Sylvius. Probant, quia præterquam quod in hac re sit periculum consensus in delectationem, ideoque peccati, immo & depravationis; pudicitia ac integritas est bonum maximi momenti, superioris ordinis ac bona fortunæ, immo in æstimatione multorum bono vitæ æquiparandum, & aliunde, si amittatur, irreparabile. Idem docet S. Antonin. 2. par. tit. 8. c. 8. *Quia*, inquit, *ille utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, & magis tenetur salusi suæ providere quam alterius: nam exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi, propter difficultatem resistentiæ voluntatis*.

Sed alii negant. Quia 1. Hic casus nec a Scriptura, nec a PP. nec a Conciliis, aut Summis Pontificibus excipitur a prohibitione generali, *Non occides*. Pudicitia, cum sit virtus, non in corpore, sed in animo residet, nec amitti potest. (Vid. N. 176. 179.) nisi per consensum liberum, ex S. August. lib. 1. *de civ.* cap. 18. & ex S. Hieronym. in cap. *de pudicitia* 32. qu. 5. *Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas*. Et aliunde per occisionem invasoris admittur ei pœnitentiæ, & animæ salvandæ locus. Probant etiam ex S. August. lib. 1. *de libero arbitr.* cap. 5. Sed priores S. Doctorem intelligunt, quando quis injustum aggressorem occidere intendit, aut justæ defensionis metas excedit.

Porro certum est teneri mulierem, vel adolescentem resistere invasori pudicitiæ, tum interius per displicentiam, tum exterius totis viribus, manibus, pedibus, allove modo sibi possibili: ita ut ei non liceat, etiam ad vitandam mortem, quieto & immoto corpore manere: nam non resistentia exterior esset cooperatio, qualis potest esse ad congressum turpem. Nulla enim cooperatio requiritur in femina ad vitam actum, nisi quod requiescat & non resistat positive viro. *Ita Deluge*. Quod si nequeat se tueri, tenetur alios clamoribus in auxilium advocare, nam tenetur adhibere omnes vias necessarias ad impedendum turpem congressum. Hinc, Deut. 22. puella quæ in civitate vim patiens non clamavit, jubetur lapidibus obrui.

Quæst. IX. *An licet occidere furem in defensionem bonorum, qua dicuntur fortunæ?*

Resp. 1. Certum est, non licere ob bona non magni momenti; nam recta ratio dictat nefas esse gravissimum malum, præsertim auctoritate privata, inferre proximo ad vitandum nostrum leve damnum. Item si bona sint magni momenti, sed possint aliter recuperari, puta in judicio: nam tunc fine causa justa, & necessitate occideretur proximus privata auctoritate: panitio autem pro injuria pertinet ad solam auctoritatem publicam.

Resp. 2. Multi cum S. Antonino docent, licere injustum aggressorem actualem occidere in defensionem bonorum magni momenti, quæ non possint aliter defendi aut recuperari. Sed alii negant id licere etiam laicis, nisi bona illa sint vitæ conservandæ necessaria. Ita Innocentius in cap. *Si vero*. Tabiena, Abulens. Panormit. Rosella, Grandin. Fagnanus asserens esse communem Canonistarum sententiam &c. Probant. 1. Quia neque Scriptura, neque Patres, neque Canones, neque Summi Pontifices, hunc casum excipiunt a generali præcepto, *Non occides*. Immo, Exod. 22. Deus id expresse vetat: nam dicit, eum qui furem diurnum occiderit, esse reum homicidii: quia scilicet, ut habetur, cap. 3. de homicid. *Poterat differrere, quod ad furandum non occi-*

den-

dendum veniret, & ideo non debet occidi. Ergo non licet furem occidere, qui venit tantum ad furandum. Quare cum eodem cap. 22. Exod. dicitur: *Si effringens fur domum fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis*: agitur de fure nocturno, qui præsumitur velle etiam occidere: nam additur: *Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur*. Et S. Gregor. lib. 31. moral. cap. 8. *Plus ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare*. 2. Quia iniquum est, & contra debitum ordinem caritatis privata auctoritate adimere proximo bonum superioris ordinis & per se irreparabile, nempe vitam, ad bonum inferioris ordinis & per se reparabile conservandum. 3. Ex Jure civili, l. 4. §. ad l. *Aquil*. non permittit furem diurnum occidi, nisi se telo defendat: unde solum vitæ periculum excipit; & l. 9. §. ad l. *Cornel*. dicitur: *Furem nocturnum si quis occiderit, eum demum impune feriet, si parcere ei sine periculo suo non poterit*. 4. A Clero Gallicano, ann. 1700. damnata est ut legi Dei & ordini caritatis divinitus instituto contraria, pernicios, & erronea hæc propositio generaliter & indefinite sumpta: *Non solum vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisivа defendere*. *Fatemur rarius licitum esse Ecclesiasticis. Si tamen aliquando contingat futurum tale malum, id est gravissimum damnum, etiam ipsis licitum erit bona ista cum occisione suis defendere*.

Obj. 1. Cap. *Interfecisti*, de homicid. *Resp.* Ibi non excusari ab occisione furis nisi qui occidit, *se & sanguinem liberando*. Ergo ad solas res conservandas non licet occidere furem, nam ista pronuntiat copulative: non sufficit ergo altera pars, ut notavit Panormitanus.

Obj. 2. Leges omnes vim vi repellere permittunt.

Resp. Id licere, sed cum ea moderatione, quam recta ratio & lex caritatis præscribunt. At non servatur hæc moderatio, cum occiditur homo ad defensionem bonorum: quia tunc privata auctoritate etipitur bonum majus & per se irreparabile, ad conservandum minus bonum & per se reparabile, quod sane inordinatum est, & iniquum. Bona porro variis modis defendere licet etiam armis, si necesse sit; modo cavetur, ne invasor mutiletur & occidatur.

Alii docent licere quidem injustum aggressorem occidere ad defendendum bona temporalia, quæ aliter defendi, vel recuperari non possunt, si illa bona sint magni momenti, & necessaria ad status sui conservationem.

Certe videtur non licere privata auctoritate occidere injustum aggressorem ad tuendum bona magni momenti, sed quæ non sunt necessaria domino ad vivendum convenienter suo statui: nam hoc saltem probant argumenta addocta, & quia tunc cessat ratio, quæ a multis affertur ad probandum licere occidere ad servanda bona temporalia; & nimis magna esset disproportio inter malum quod inferretur, & illud pro quo vitando infertur: ideoque inæqualitas & injustitia.

Nota: Innocentius XI. damnavit has tres propositiones: 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. 32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. 33. *Licitum est, tam hæredi, quam legatario, contra injuste impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habentes in cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem*.

Quæst. X. *An licet occidere altum in defensionem honoris & famæ?*

Resp. Nemini licet etiam ad injustam infamiam aut contumeliam impediendam, vel reparandam, 1. Quia vita est bonum per se irreparabile, & majus honore ac fama; cum inter bona naturalia principem locum obtineat. Ergo iniquum est, & contra legem caritatis, eam adimere proximo ad defensionem honoris & famæ, quæ sunt bona inferioris ordinis, & per se reparabilia. Id etiam repugnat patientiæ, mansuetudini, & humilitati christianæ. 2. Percussio vel occisio in illo casu est vindicta, non defensio: nam non conducit ad servandum honorem, utpote jam ablatum per injuriam, sed solum ad acquirendum aliem honorem apud mundanos homines, ob fortitudinem falsam, qua offensam vindicastis. 3. Si id liceret, pateret via multis cædibus, violentiis & perturbationibus in magnam Reip. perniciem; unde debuit prohiberi lege naturali. Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel ipse percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fugiat*.

Hinc etiam ex communi sententia non licet alapam pro alapa, fustem pro fustibus reddere, si jam percussor ab injuria destitit. Quia jam non esset defensio, quæ locum non habet nisi in actuali aggressione; sed hoc esset vindicta, cum non sit utile ad tuendum vel recuperandum honorem, nisi quatenus continet rationem vindictæ, quæ semper illicita est. *Deluga*. Immo non licet convicia conviciis, contumelias contumeliis repellere: quia hæc non est via ordinata & apta honoris defendendi, sed redderetur malum pro malo privata auctoritate, quod non licet, ex 1. Petr. 3. *Non reddentes malum pro malo nec maledictum pro maledicto &c.* & Luc. 6. *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos*. Sed illatæ contumeliæ repelli possunt verbis non contumeliosis, vel satisfactione injuriarum, si necesse sit ad reprimendam alterius audaciam, vel ad dignitatem ac auctoritatem suam tuendam, sine tamen odio, & cum animo parato remittere hanc satisfactionem justam, & plures alias injurias ferre, si salus proximi id exigeret, ex Matt. 5. *Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram*.

Obj. 1. Honor vel fama est quid præstantius vita?

Resp. Non est nisi in æstimatione stultorum & imprudentum; sed est bonum longe inferius, utpote in alieno judicio positum, & quod defideranter propter se mera vanitas est. At vita est primum ac fundamentum omnium bonorum naturalium, & per se irreparabile, cujus dominium habet solus Deus. Deinde fama vera nititur sola vera virtute. Cura autem boni nominis, quam Scriptura commendat, consistit in eo quod homo nihil turpe agat, nihil quod naturam rationalem & dignitatem filii Dei indoptivi dedeceat.

Obj. 2. Calumnia, & contumelia non vindicata reddit hominem infamem.

Resp. Neg. Nam cum aliunde constat eum, qui calumniam aut injuriam passus est, esse virum probum aut fortem; ejus moderatio non ei vertitur vitio, sed laudi apud prudentes: nihil enim indecorum agit, qui injuriam non ulciscitur, sed fert patienter secundum præceptum & exemplum Christi, aut moderate defendit in judicio. Immo condonatio injuriarum est præstantissimus fortitudinis actus, ac proinde summa laude digna. Præterea occisio vel percussio calumniatoris aut percussoris non est medium aptum ad abstergendam infamiæ labem, nisi juxta perversum judicium quorumdam mundanorum hominum, reprobatum a Deo, & contemnendum: non enim ex calumniatoris occisione sequitur cognitio falsitatis ipsius calumniæ, immo sæpe contrarium accidit. Denum si quis honorem suum & famam aliter recuperare nequeat, debet illius jacturam inter damna irreparabilia recensere, & æquo animo ferre propter amorem Dei, id præcipientis sub pœna æterna, & remunerantis immenso vere gloriæ pondere.

Quæst. XI. *An in defensionem alterius licet occidere injustum invasorem, & an ad hoc teneamur?*

Resp. 1. Ex communi sententia, licet vitam proximi ab alio injuste oppugnatam defendere, etiam cum occisione invasoris injusti, si aliter defendi nequeat. Quia sicut possumus tueri vitam propriam cum occisione invasoris injusti, modo explicato; ita & vitam proximi innocentis, qui caritatis nexu nobis conjunctus est, & quem debemus sicut nos ipsos diligere.

Resp. 2. Per se loquendo nemo tenetur vitam hominis privati cum periculo vitæ propriæ defendere. Quia quisque potest secundum ordinem caritatis magis vitam propriam diligere, quam vitam alterius privati: ergo non tenetur vitam suam exponere ad temporalem hominis privati vitam conservandam. Privati tamen tenentur vitam suam exponere ad defensionem principis, vel alterius personæ publicæ, ex cujus morte sequeretur grave detrimentum reip. quia bonum commune semper anteponi debet privato.

Resp. 3. Sub mortali tenemur ex caritate vitam proximi injuste oppugnatam defendere, quando possumus sine probabili periculo vitæ propriæ, & gravi damno proprio. *Prob.* 1. Proverb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare non cessas*. 2. Ex lege caritatis tenemur impedire grave damnum injustum proximi, cum sine gravi nostro possumus, immo & innocenti de vita periclitanti subvenire ex bonis necessariis ad decentiam status, & cum aliquo incommodo.

Quin etiam, juxta varios, ad id tunc tenemur etiam cum occisione injusti invasoris, si aliter defendi nequeat quia jure naturali quisque tenetur defendere innocentem, si possit: & melior est ac potior conditio innocentis, quam injusti aggressoris, cui proinde præferri debet in æquali damno, nisi ipse innocens sponte velit potius mori, ob salutem æternam aggressoris.

Porro quisque tenetur ex caritate etiam honorem, & famam, & bona alia proximi defendere contra injuriam: cum commode potest, resque exigit. Nam cum quisque teneatur diligere proximum sicut seipsum, potest & debet ei opitulari eo modo, quo sibi licite posset & vellet subveniri in eadem necessitate. Nemo tamen tenetur nocentem morte justa damnatum liberare, etsi magna ei pecunia possit; quia bonum commune postulat ut crimina non maneant impunita; nec tali fit injuria.

Resp. 4. Obligantur ex justitia ad tuendam vitam, & fortunas proximi, 1. Superiores publica auctoritate ad aliorum gubernationem præditi, ut principes, magistratus &c. 2. Qui ad tuendam proximum a principe vel magistratu constituti sunt, ut tutores, curatores. 3. Qui ad hoc specialiter conducti sunt, ut milites. 4. Qui ad hoc se explicite, vel implicite obligarunt, ut feodatarii, & omnes famuli. *Lessius & alii*. Nam isti ad id vel ex contractu vel ex officio commodum aliorum spectante, ideoque ex justitia obligantur.

Quæst. XII. *Quandonam homicidium casuale est peccatum, & obligat ad restitutionem?*

Resp. 1. Homicidium omnino casuale, quod scilicet nec est in se, nec in sua causa voluntarium, non est peccatum, immo nec proprie homicidium, sed simplex occisio. Quia peccatum est essentialiter voluntarium; ergo quod nullo modo voluntarium est, nullatenus peccatum est.

Hinc qui occidit alterum in ebrietate inculpabili, non est reus homicidii, nec tenetur ad restitutionem; quia occisio illa non est voluntaria neque in se, cum desit ipsa rationis: neque in causa, nempe in ebrietate, cum hæc non fuerit ullatenus volita nec culpabilis. Secus, si ebrietas fuit culpabilis, & hunc casum prævidit vel prævidere potuit: tum tunc occisio est voluntaria in causa, ideoque imputabilis ad culpam & damnum.

Resp. 2. Qui facit actum etsi licitum, sed periculosum, omissa diligentia debita ad vitandam mortem alterius, reus est homicidii, & tenetur ad restitutionem, quamvis alium præter intentionem occidat. Quia homicidium est ei voluntarium in causa, nempe in omissione diligentiæ debitæ, seu in gravi negligentia præcavendi occisionem, ut docet S. Th. 2. 2. q. 64. art. 8. ergo est ei imputabile.

Resp. 3. Qui facit actum illicitum periculosum, si alterum occidat, licet præter intentionem, reus est homicidii, & tenetur ad restitutionem, quantumcunque aliunde diligentiam adhibuerit ad vitandam occisionem alterius. Quia occisio est ei voluntaria in causa, nempe in omissione debitæ cautionis ad non occidendum: ad hoc enim debebat omittere actum illicitum, ex quo feliciter sequi posse alterius occisionem; & occisus habebat jus ne fieret actus illicitus, sibi periculosus. Ita S. Th. 2. 2. q. 64. art. 8. ibi, *Contingit id, quod non est actu & per se volitum & per se intentum, esse per accidens voluntum vel intentum, secundum quod causa per accidens dicitur removens prohibens. Unde illi qui non removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, quando damnosperam rebus illicitis, quas vitare debet, homicidium incurrit. Alio modo, quando non adhibet debitum sollicitudinem. Et ideo secundum jura, si aliquis det operam rei illicitæ, diligentiam adhi-*

adhibent, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit reatum, si ex ejus opera mors hominis sequatur.

Hinc peccant mortaliter parentes, qui infantes valde teneros in lecto secum collocant, etiamsi mors non sequatur. Nam hoc est valde periculosum, etiam quavis cautione aliunde adhibita; sæpe enim reipsa suffocantur, non obstante tali cautione, ut experientia constat. Ideoque hoc est semper illicitum, cum sic collocando se exponant periculo illos perimendi. Quare, can. *Consuluit*, 2. qu. 1. Stephanus V. ait: *Monendi sunt & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur.*

Resp. 4. Omittens aliquid, ad quod ex justitia obligatur, si ex ejus omissione periculosa sequatur mors alterius, quamvis præter ejus intentionem, peccat peccato homicidii, & tenetur ad restitutionem. Quia homicidium est ei voluntarium in causa, nempe in omissione diligentiæ debitæ ex justitia: ergo merito ei imputatur.

Hinc medicus reus est homicidii mortalis, & tenetur ad restitutionem, si æger moriatur propter ejus imperitiam vel negligentiam: quia scilicet non fecit id, quod periti & diligentes medici facere solent in simili casu. Nec excusatur ob ignorantiam; nam tenetur scire, vel se non immiscere aliis curandis cum eorum periculo, ex c. ult. *de injur.* Idem dic de advocato, ex cujus imperitia vel negligentia cliens innocens morte damnatur, & de principe non expellente, cum possit, latrones, qui occidunt, vel spoliant viatores &c.

Resp. 5. Omittens aliquid, ad quod ex caritate tantum obligatur, si alter ex tali omissione moriatur, peccat mortaliter, & reus est mortis alterius; nam hæc est ei sufficienter voluntaria in causa, nempe in omissione, juxta illud: *Si non pavisti, occidisti*. Non tenetur tamen ad restitutionem, quia non peccavit contra justitiam commutativam, & fecit homicidium late, non stricte dictum, quatenus mors illa non sequitur ex omissione contra justitiam.

Nota. Quæ hic dicta sunt de homicidio, ea sunt applicanda mutilationi, & aliis peccatis ac damnis, quæ ex alterius actu sequuntur. Nam hæc imputantur, si sequantur ex actu periculoso illicito: vel etiam licito, sed non adhibita diligentia debita ad ea præcavenda. Vide dicta, q. 10. c. 3.

Quæst. XIII. *An duellum sit aliquando licitum?*

Nota. Duellum proprie est duorum, vel paucorum certamen, in certo loco & tempore designato, cum vitæ vel mutilationis periculo, ex mutuo consensu initum auctoritate privata. Dico, *privata*: nam pugna paucorum, quæ auctoritate principis in bello justo cum hoste suscipitur ob bonum commune, non est stricte duellum, & juxta multos potest quandoque esse licita, ut 1. Si suscipiatur ad justum bellum conficiendum, quia paucorum pugna non est minus licita quam pugna generalis: immo potius est eligibilis, in quantum paucorum sanguine finitur bellum, vitantur cædes, & damna majora; modo tamen per hoc non rediguntur victoria ad statum magis dubium, quam per pugnam generalem: aliqui princeps peccaret contra justitiam in subditos, ipsem victoriæ fere certam commutando cum incerto eventu duelli. 2. Si tempore belli videtur necessaria ad debilitandos hostium animos, & suorum exigendos, & ad victoriam facilius consequendam &c. Nam sicut in bello justo ob bonum commune auctoritate Principis licita est pugna inter multos, ita & inter paucos. Sic David auctoritate Saulis pugnavit cum Goliath.

Illicita tamen esset pugna inter duos vel paucos milites, etsi cum consensu principum, ad delectationem quamdam, vel vanam ostentationem, aut privatam illorum vindictam. Quia principes non habent dominium vitæ suorum subditorum, sed solum convenientem usum ad bonum commune; unde non possunt eam exponere ob finem vanum, nec necessarium bono communi.

Resp. Duellum, quod fit auctoritate privata, semper est mortale & intrinsece malum, nec unquam licet illud offerre vel acceptare. *Ita omnes*. Quia 1. Deus solus habet dominium vitæ hominis: ergo non licet eam destruere nec illius destruendæ periculo se exponere sine auctoritate Dei, qui hanc non dedit privatis, nisi ad necessariam vitæ propriæ defensionem: nam destructio rei propria auctoritate facta, activa est dominii in illam. Præterea occidere alterum non est modus satisfaciendi, sed est mera vindicta; nam est ei nocere, absque eo quod nobis aliquid emolumenti eveniat. Ergo duellum omne graviter repugnat juri naturali divino. Quare Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. ait: *Detestabilem duellorum usum fabricante diabolo introductum esse, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lueretur.* 2. Graviter etiam prohibetur jure, tum ecclesiastico, c. 1. *de Torneam.* ex Conc. Later. & c. *de purgatorio vulgari*, & a Concil. Trid. cap. cit. cum civili, nempe principum edictis. Quare duellum quodlibet etiam privatum repugnat omni juri, atque etiam specialiter caritati propriæ & proximi, cum duellantium vita & salus æterna morali periculo exponantur (1).

Addo quod si duellum fiat vel ad indagandam veritatem, aut ad justitiam ac innocentiam probandam, tunc crudelitati additur superstitio: nam hoc medium fallax est, & improportionatum, cum innocens possit perinde occidi ac reus. Vel ob inimicitias, & ad injuriam vindicandam; nam vindicta nunquam licita est privata auctoritate, immo nec publica cum æquali periculo injuriam passi.

Dices. Duellum necessarium est ad vitandam ignominiam, seu ignaviæ notam, quæ contrahitur si duellum non acceptetur, vel injuria accepta non vindicetur.

Resp. Hæc est falsa ignominia. Nam apud Deum & homines vere sapientes ac probos, in quorum existimatione vera fama consistit, nullam incurrit ignominiam, sed magnam gloriam acquirit, qui ut divinis humanisque legibus duellum vetantibus pareat, duellum injuria affectus non offert, nec provocatus acceptat. Neque enim dedecus est, sed ingens

(1) *Vid. N. 13. 14. Item Thesis 5. a Bened. XIV. proscriptas, quas legere est in calce hujus Theologiæ.*

gens honor ac gloria, virtutem, & præsertim caritatem ac fortitudinem, seipsum ac iram vincendo, exercere. Christi mansuetudinem ac patientiam imitari, quippe *Gloria magna est sequi Dominum* Eccli. 23. Nam Dei præceptum, & virtus est sola regula veri honoris. Nec vir sapiens falsis improborum hominum judiciis, sed recta ratione, & fide divina duci debet.

Præterea qualiscumque sit illa apprehensa ignominia, quæ ex falso perverso mundanorum hominum judicio sequitur, est prorsus contemnenda, ne amittatur gloria cælestis ac felicitas æterna, & contrahatur ignominia æterna ac summa infelicitas. Neque enim ad ignominiam, quæcumque illa sit, vitandam licet vitam alterius ac propriam periculo committere, contra legem divinam vetantem vitæ propriæ, & alienæ destructionem, & proinde ejus periculum: nam solus Deus est dominus vitæ hominum, & vita est superioris ordinis quam honor & fama. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propositionem. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Porro non licet provocato hora condicta ad locum certaminis se conferre, etsi non animo duellandi, sed se defendendi contra provocantem, si ab ipso oppugnetur. Quia in his circumstantiis esset directe se exponere periculo vitam alienam destruendi, vel propriam amittendi, & alteri occasionem proximam aggrediendi præbere. Immo moraliter ac in æstimatione prudenti, & æquivalenter esset duellum acceptare.

Nec dic acceptationem duelli esse defensionem. Nam defensio fiebat hoc loco, dum ab actuali aggressore vis vi repellitur cum debita moderatione. Præterea ipsa acceptatio est etiam aggressio, nam qui acceptat, vult aggredi adversarium, & ipsum invadit.

Quæst. XIV. *Quænam sunt pœnæ duelli?*

Resp. Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. ipso facto excommunicat, 1. Principes ac dominos temporales, qui in suis terris locum aliquem ad ejusmodi pugnam concesserint. 2. Suasores & spectatores duelli. 3. Ipsos pugnantes, & qui eorum patrini vocantur, cum proscriptione bonorum, perpetua infamia, & pœnis homicidarum; & si in conflictu decesserint, privatione ecclesiasticæ sepulturæ. Greg. XIII. Const. 71. & Clemens VIII. Constit. *Illius vices*, pœnas illas extenderunt ad duella privata, seu non sollemnia, hoc est, in loco non tuto, nec publice commissa, & absque patrinis sociisve; immo ad provocantem & acceptantem, etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commiserint, si ad locum accesserint pugnaturi, & per eos non steterit quo minus pugnarent. Item Clemens VIII. hanc excommunicationem Papæ reservavit, & hanc cum aliis pœnis supradictis extendit etiam ad suadentes, vel provocantes, ad spectatores, ad scribentes, mittentes ac divulgantes chartulas provocatorias, eorumque fautores & complices, ad eos qui ad duellum arma, equos, commeatus, vel consilium & auxilium præbuerint, vel præberi curaverint quocumque modo, etiamsi pugna non fuerit secuta, atque etiam ad eos, qui pacificantur de diriendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit.

Observa 1. Duellum asserit, has constitutiones, *Antoine Theol. Mor.* T. II. P. I.

quamvis in Gallia promulgatas non fuit, tamen ejus usu receptas, eo quod committentes duella particularia puniantur excommunicatione & privatione sepulturæ ecclesiasticæ. Alii dicunt Episcopos Galliæ specialiter excommunicationem sibi reservatam duello annexuisse. Certe coetus multorum Archiepiscoporum & Episcoporum Parisiis anno 1654. congregatorum, excommunicationem ipso facto tulit; & Episcopo reservavit contra duellum privatum incurrendam, contra provocantes, voces vel chartas provocatorias ferentes; & allos eas acceptantes, quamvis pugna non fit secuta; modo per eos non steterit quominus pugnarent. Natalis Alexander, in sua Theologia dogmatica & morali, l. 1. sic ait: *Consuetudo in Gallia invaluit, ut duelli crimen & provocatio ipsa ad duellum, singulari certamine non secuto, sint casus solis Episcopis reservati.*

1. Nomine spectatorum juxta multos non intelliguntur casu, & obiter aspicientes duellum, qui illac fortuito transibant, sed qui illud spectant *ex composito*, ut fert Bulla Gregorii, & *de industria*, ut Clemens loquitur.

2. Licet quævis pugna cum vitæ periculo voluntarie suscepta privata auctoritate, sit jure naturali illicita, cum nusquam liceat privatim vitam hominis destruere, vel illius destruendæ periculo se exponere ad vindicandam quamlibet injuriam; tamen ad contrahendam excommunicationem illam, juxta multos requiritur pugna ex pacto invicem inito, uno scilicet indicente, & altero acceptante, cum designatione loci ac temporis. Quia Gregorius expresse dicit, *Ex conflictu, statuto tempore, & in loco convento*: & Clemens, *Ex composito*; unde si duo subito in iram vel rixam versi gladios extrahant, & ibi pugnent, quamvis pecent mortaliter, tamen hanc excommunicationem non contrahunt, quia hæc pugna non est ex conflictu, seu ex composito, sive pacto pugnandi, sed est ipsamet rixa.

4. Qui moritur in conflictu, privatur sepultura ecclesiastica. Si tamen duellum non fuerit notorium, Barbosa monet, tunc Parochum debere rem ad Ordinarium deferre: quia publicæ pœnæ solum publicis criminibus, & auctoritate publica sunt infligendæ.

5. Secundum multos, qui alterum in duello utique voluntario occidit, non tenetur ipse nec ejus hæredibus ad restitutionem: quia, inquiunt, occisus in pugnam lethalem consentiendo, censetur ipsemet in mortem consentire, adeoque in damna mortem consequentia, & concedere alteri facultatem contra se agendi, quod potest. Item provocatus si provocantem occidat, nil tenetur restituere, quia provocans invitat alium ad sui occisionem, ni forte superior sit: & hic implicite consentit in omnia damna inde secutura: scienti autem & ipsemet consentienti non fit injuria. Nihilominus videtur teneri restituere damna creditoribus inde obventientia, & alere uxorem ac liberos occisi, si indigent, & occisus eos alebat ex suo quæstu: nam hic non potest valide condonare jus alienum. Constat autem provocantem teneri ad restitutionem, si provocatus occidatur, & involuntarie pugnarit, & solum ad vim repellendam; quia provocans est tunc aggressor injustus, nec aggressori injusto ipsemet condonatur restitutio. Porro provocatus, qui voluntarie & ex condicto descendit in pugnam, censetur, & est aggressor: nam nul-

lam vim patitur, & reverà provocantem etiam aggreditur, nec pure se defendit.

Quæst. XV. *Quid tenetur homicida, vel mutilator restituere?*

Resp. 1. Ex communi sententia, læsor tenetur solvere integras expensas factas in curationem læsi, & compensare omne lucrum cessans, & omnia damna realia ex homicidio, mutilatione, vel læsione secuta, l. ult. *de his qui effund.* Quia injusta sua actione fuit causa efficax talium damnorum & cessationis lucri; sed qui est causa damni per injuriam, tenetur ad restitutionem, cap. ult. *de injur.* Omnia autem damna realia, & lucrum cessans restituì debent hæredibus occisi, quia ex ejus morte hæc damna passi sunt. Quia hæredes hoc ipso quod sunt hæredes, succedunt in omnia jura realia defuncti, l. 37. §. *de aquir. vel amitt. hæred.*

Hinc si læsus quæstum ex officio, industria, labore, vel artificio aliquo faciebat, tenetur læsor restituere hæredibus, non quidem quantum læsus lucraturus erat, (cum hoc fit incertum, & variis modis impediri possit) sed quantum judicio prudentum valet spes lucri, spectatis omnibus circumstantiis: æstimatio enim lucri cessantis faciendæ est inspectis hominis occisi vel læsi valetudine, robore, ætate, peritia, artificio, statu, modo vivendi & lucrandi, deductis quidem impensis, & iis quæ consumpsisset; nam quæ consumpturus erat non possunt numerari in lucris ad hæredes pervenientibus. Occisor autem solum tenetur restituere valorem operarum & industriæ, quatenus ex illis obventurum erat hæredibus emolumentum.

Sed ex communi sententia deduci non debet æstimatio laboris. Tum quia labor fuit injustè impeditus: tum quia plerique libentius laborem impendunt ad lucrum, quam otiantur; & alioqui plerumque nihil restituendum esset, cum sæpe lucrum non superet æstimationem laboris.

Item occisor tenetur aliquid, arbitrio prudentum, restituere animæ occisi: si non constet decessisse in statu peccati, & præsumatur pro peccatis suis esse satisfacturus, si diutius vixisset. Nam ex hac parte damnum spirituale per injuriam illatum est, cum privando facultate præstandi has satisfactiones: quod proinde resarciri debet per eleemosynas, Missas, preces &c. juxta æstimationem veri similitudinis satisfactionem, quas occisus per se vel per alios sibi comparasset, si non fuisset occisus. Ita *S. Antonin. ex Scoto, Delugo, Navar. & alii.*

Nota. Si hominicida vel alius damnificator moriatur antequam restituerit, tenentur hæredes ex ejus bonis restituere, quantum ipse tenebatur. Quia hæredes succedunt in omnes obligationes reales defuncti, sicut in omnia ejus bona & jura, quamvis jus civile neget hæredibus occisi actionem de damno in foro externo in hæredes occisoris, nisi ante mortem ejus lis contestata fuerit; sed hoc non liberat eos in foro conscientiæ, nihil enim facit ad obligationem coram Deo, quod lis ante contestata, vel non contestata fuerit. Immo ex communi sententia ad restitutionem tenentur hæredes, etiamsi læsor, morte vel alia poena mulctatus sit. Quia damna privati non resarciuntur per hanc publicam punitionem; quæ in vindictam publicam & terrorem aliorum irrogatur, & quæ est tantum compensatio injuriæ Reip. illatæ: lex autem divina naturalis obligat ad resarciendum omne damnum injustè illatum, & cum quis duobus diversis res debet, non satisfacit utrique debito, solvendo uni, & non solvendo alteri quod ei debet. Nisi tamen hæredes occisi contenti sint pœna talionis, ut plerumque solent, si sint nobiles ac divites: nam restitutionem remittere possunt.

Resp. 2. Ordinarie læsor, nil tenetur restituere pro impensis funeris. Nam cum aliquando faciendæ fuerint, nil damni ex hac parte illatum est, nisi forte propter accelerationem; eo quod citius illæ impensæ fieri debuerint, ex quibus adhuc aliquid lucri fieri potuisset, vel nisi funus factum sit in alieno loco, ubi majores sumptus quam domi fieri debuerunt: nam omne lucrum cessans & damnum emergens compensari debet.

Quæst. XVI. *An occisor, vel mutilator tenetur restituere non solum uxori & liberis, sed etiam aliis, & creditoribus.*

Resp. 1. Si occisus vel mutilatus alebat uxorem & liberos, vel parentes ex quæstu quem faciebat, læsor tenetur eos alere. *Est communis sententia.* Quia tantundem damni illis injustè intulit, per occisionem injustam impediendo, ne alerentur ab hoc homine determinate, nempe marito, patre, vel filio. Immo ad id tenetur, etiamsi læsus omnia, quantum potest, occisori remiserit, quia hæc obligatio oritur ex injuria talibus illata, quæ non potest valide cedere juri, quod habet uxor ut a marito, liberi ut a parentibus, parentes ut a filiis alantur, cum hoc jus fundetur in specialissima conjunctione, & speciali debito ad invicem. *Delugo, & alii.*

Dixi, *ex quæstu.* Nam si alebat ex bonis quæ extant, & sufficiunt ad eos alendos, occisor non tenetur eos alere, sed solum alia omnia compensare.

Resp. 2. Occisor tenetur alere eos, quos occisus determinate alebat ex liberalitate, si probabiliter in posterum alturus erat, & quamdiu erat alturus. Sive tenetur illis restituere secundum æstimationem spei, quam habebant de alimentis ex liberalitate occisi percipiendis. Ita *S. Bernard. Vasq. Turrian. Azor, dicant esse communem, & alii multi contra multos.* Quia ipsis fuit causa injusta talis damni, & fecit injuriam, violando jus quod habebant, ne via injusta impedirentur ab alimentis accipiendis a tali homine. Qualibet enim jus rigorosum habet, ne per actionem injustam impediatur a beneficio alterius. Ergo sicut qui per vim in alium illatam cum ex quocumque motivo impedit, ne tibi donet aliquid, tenetur tibi restituere: ita &c. Et vero actio exterior, quæ est contra justitiam, si fiat ex odio, & animo nocendi, est etiam contra justitiam, si fiat ex alio motivo, cum sit per se injusta.

Resp. 3. Occisor tenetur restituere creditoribus occisi quantum occisus probabiliter judicio prudentum fuluturus erat, si bona ejus extantia non sufficiant ad debita omnia solvenda. *Ita omnes.* Quia occisor per illam injustam occisionem causa fuit, cur illi creditores damnum passi fuerint, & fecit eis injuriam violando jus quod habebant, ne adimeretur debitori facultas iis solvendi, & ne impediretur sine justa causa a receptione debitorum.

Id tamen quod creditoribus restituetur, detrahendum erit ex iis, quæ hæredibus sunt restituenda; cum tanto minus ex bonis occisi post mortem ejus naturalem accepissent. Quod si hæredibus ex re lucrum cessans & damnum emergens restituerit, nihil debet creditoribus; quia hi debent petere solutionem ab hæredibus.

Idem dic de mutilatore ob eamdem rationem.

Nota. Cum læsus antequam moreretur, dixit se remittere injuriam ac mortem occisori, id intelligi debet quoad odium ac rancorem, ut lege caritatis tenetur, vel etiam quoad actionem ad pœnam, non autem quoad restitutionem damnorum realium inde secutorum, nisi hoc clare exprimat. Nam remissio restitutionis non est necessario connexa cum depositione odii & remissione pœnæ, nec ad eam obligatur læsus. Immo etiamsi hæc damna expresse remittat, non videtur valida esse remissio respectu creditorum, & uxoris ac liberorum quoad alimenta, quæ tenebatur iis præbere, nisi bona relicta ad eos alendos sufficiant; quia non potest cedere jus aliorum.

Quæst. XVII. *An debet aliquid restitui pro vita, membro, cicatrice hominis liberi?*

Resp. Certum est, 1. Cum per injustam occisionem vel mutilationem illata sit injuria non solum realis, sed etiam personalis, quæ est vera offensa ac contemptus personæ, teneri læsorem ad satisfactionem pro ea, per significationem doloris, petitionem veniæ, aliaque submissionis signa apta ad placandum læsum, si adhuc vivat: nam omnis injuria tolli ac resarciri debet ex justitia quantum potest. Quod si condirio lædentis hæc non patiatur, & læsus placari possit per satisfactionem pecuniariam, ad hanc tenetur lædens, saltem ut quodiam est submissionis ac doloris signum, & animi placandi medium. Quemadmodum si per pecuniam posset vitam vel membrum restituere, teneretur ex justitia eam in hunc finem suppeditare. 2. Lædentem teneri in conscientia solvere mulctam pecuniariam a judice impositam in pœnam: nam judex habet jus puniendi injurias, & sententia justa obligat.

Sed controversia est, an præcise pro vita, membro &c. pecunia sponte restitui debeat? Alii affirmant probabilius, quia omne damnum restitui debet eo modo, quo id fieri potest. Negant alii, eo quod nemo tenetur restituere damnum boni superioris ordinis per bona inferioris. Vide dicta p. 1. c. 6. q. 6.

Dixi, *hominis liberi.* Nam pro vita animalis, vel mancipii, solvi debet quanti venditi poterant: pro mutilatione vero quanti minoris inde æstimantur, quia vita (*) servi & animalis pretio æstimatur, & sic ad æqualitatem compensari potest.

Quæst. XVIII. *An teneatur ad restitutionem, qui putans occidere Petrum, occidit Paulum, quem invincibiliter putabat esse Petrum?*

Resp. (Vid. N. 93. 95.) Affirm. ex l. 18. §. *de injur.* Quia revera voluit injuste occidere hunc hominem individuum, qui est reipsa Petrus, quamvis putarit esse Paulum. Sive quia voluit injuste occidere hominem, & reipsa injuste occidit hunc qui est Paulus. Ita *Rebellus, & alii.* Unde non minus tenetur ad restitutionem quam teneretur, si incendisset domum Titii, putans eam esse Caii.

CAPUT III.

De injuriis in corpus proximi per stuprum & adulterium, & de necessaria restitutione.

Quæst. I. *An quid teneatur corruptor virginis?*

Ex communi sententia, qui virginem sponte consentientem, & absque ulla vi, fraude, dolo, importunitate precum, & promissionis matrimonii vitiavit, ad nihil ei tenetur: quia scienti & sponte consentienti non fit injuria, ex reg. jur. 27. in 6.

Sed tenetur ad aliquam satisfactionem honorariam erga parentes puellæ adhuc sub patria potestate existentis, per signa doloris, submissionis, petitionem veniæ &c. si crimen resciant. *Ita Cajet. Navar. Valentia, Rebell. & alii*, cum S. Antonin. 2. part. tit. 3. c. 6. ubi ait: *In foro conscientiæ, si dixerat eam voluntariam, non tenetur ei. Patri autem tenetur, quia injuriatus est. Unde ei in aliquo satisfaciat, vel saltem eum placet.* Nam violavit jus custodiæ, quod habet circa illam pater: pater enim habet jus custodiendi & tuendi integritatem corporis suæ virginis. Item talis familia eum dedecoravit. Quod si ideo parentes majorem dotem debeant conferre filiæ ut nubat juxta suam conditionem, tenetur corruptor hoc damnum resarcire, cum æquatur ex injuria a se parentibus illata, sicque ipse sit causa illius injustæ. *Ita Azor, Navar. Valent. & alii multi.*

Porro tenetur mulier alere prolem a partu usque ad tertium annum. Ab anno tertio & deinceps ipse corruptor, donec proles possit sibi providere: immo ab ipso partu, si mater non possit, vel ipse ad id se obligarit. Si vero duo eamdem seminam cognoverint, & dubiteretur uter sit pater, uterque tenetur æqualiter hoc onus sustinere; cum æquale sit de utroque dubium, & utrique certo posuerit actionem per se generativam. *Ita communiter.* Quod si hospitali exposita fuit proles, debent parentes ei restituere impensas; nam hospitale solum fundatum est pro pauperibus gratis alendis, non pro aliis, nisi sumptu suo. *Est communis sententia.*

Resp. 1. Qui vi, minis, aut fraude, vel falsis persuasionibus virtiavit virginem absque promissione matrimonii, tenetur compensare omnia damna virgini, & ejus parentibus inde obvenientia. Quia est illorum causa per injuriam; ergo tenetur eam resarcire pecunia, vel eam ducere, si aliter resarcire nequeat. *Invitam & seductam reconciliavit, injungendum est sibi, quod satisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea componat. Et si promisisset eam ducere in uxorem, ut copulam ab ea extorqueret, servet promissum; & hoc, nisi nimis disparis esset eorum conditio, puta mulier plebeja, vir nobilis & potens*, ait S. Antonin. loc. cit. In foro autem externo in pœnam obligabitur ad eam dotandam aut ducendam, quamvis nuptias non promiserit, ex c. 1. *de adulter.*

Quod si puellæ ejusque parentibus nulla obvenerint damna, quia res manet occulta, & ipsa æque commodis potita est nuptiis, stuprator juxta multos non

(*) *Servi ex jure Civili, & Gentium.*

non teneatur, nisi ad satisfactionem honorariam, juxta petitionem venitæ &c. Quia nihil debetur pro ipsa defloratione pudicitiæ, cum sit irreparabilis, & pretio non æstimabilis, neque pro alio damno inde secuto, cum nullam reipsa fecerunt sit.

Non pauci tamen probabilius docent, pro solo damno virginitatis injuste violatæ fieri debere compensationem pecuniariam, vel aliam arbitrio boni viri. Quia nempe damnum irreparabile in bono superioris ordinis compensandum est per bona inferioris ordinis. Vide dicta p. 2. hujus tract. c. 6. qu. 6. Quod si jam nupta damnum aliquod patiatur, quia res v. gr. innotuit marito &c. certum est fiuprarorem teneri hinc damna resarcire, cum ex ejus injuria sequantur.

Nota. Metus reverentialis conjunctus cum metu mali injuste inferendi, sufficit ut stuprator teneatur ad restitutionem, si nempe puella, vel alia mulier, ob auctoritatem sollicitantis, & ex reverentia ergo eam, & metu patiendi aliquod malum injustum, non audeat resistere. Nam quamvis talis metus non excuset a culpa, facit tamen ut consensus non sit omnino voluntarius, seu ut sit mixtus involuntario, nec sufficiat ad valorem donationis simili modo extortæ; ergo retinet rationem injuriæ, a proinde damnum sequens est injustum, & parit obligationem restituendi. Secus de muneribus, & blanditiis, quæ non minuunt, sed potius augent voluntarium; item de precibus quæ non injiciunt metum mali injuste postea infereudi, nec continent vexationem injustam. *Deluge*.

Resp. 3. Qui promissione matrimonii mulierem corrupit, is tenetur eam ducere, sive vere, sive ficte promiserit. *Est communis sententia*. Nam si vere ex animo promisit, tenetur eam ducere, quia hinc promissio fuit verus contractus onerosus sub conditione, quæ fuit impleta ab una parte: ergo altera tenetur illum ex parte sua complere, cum id licite præstare possit.

Quod si matrimonium ficte promiserit, ex communi sententia tenetur adhuc illud inire. Quia qui exigit aliquid ab alio per fictum promissionem, injuste decipit, & facit injuriam, violando jus, quod quisque habet, ne per deceptionem aliquod ab eo exigatur, ac proinde deceptor tenetur deceptionem injustam ac injuriam tollere, eliciendo verum consensum, atque illo mediante veram promissionem facere, & factam præstare. Et aliqui infinitis fraudibus commercia humana pererunt, & in illis esset inæqualitas. Præterea omnini sua fraus patrocinari debet, ut monent jura. Igitur non sufficit, mulierem sic corruptam dotare, vel pecunia damnum resarcire, si ipsa non consentiat: nam ipsa non consensit in copulam, nisi ut seductori nuberet. Nec huic licet religionem ingredi; quia non potest nisi matrimonio injuriam resarcire, ad quod ex justitia tenetur. Idem dic si animo ficto eum ea get verba de præsenti contraxit, eo tantum fine, ut ea poriretur, ut docet S. Tho. in 4. dist. 28. art. 1. ad 4. Quamvis enim matrimonium tunc sit nullum, tamen manet obligatio eam ducendi, si ipsa velit, ratione sollicet injuriæ resarciendæ; nec satis est pecuniam dare, cum in propria specie restitui possit; nam non potest creditori invito unum solvi pro alio quod debetur, l. 2. *de rebus credit.* cui habet jus ad id quod sibi debetur.

Excipiuntur aliqui casus, in quibus stuprator non tenetur corruptam ducere, etiamsi id vere promiserit; sed tunc tenetur solum aliter, v. gr. pecunia, damnum inde secutum compensare. 1. Si illa finxit se virginem, nobilem, divitem, cum non esset; quia injuste decepit, & in injuriis datur compensatio: immo idem docent multi, si ipse non ab ipsa deceptus falso putavit esse virginem: quia hoc est sufficiens causa dissolvendi sponsalia; ideoque recedendi a promissione, modo damnum aliter resarciatur. 2. Si puella nolit ei nubere, vel parentes nolint eam tradere. 3. Si inde prudenter timeretur gravia mala, ut infelices exitus, graves discordiæ inter familias, grave scandalum &c. Nam tunc mulier non est rationabiliter invita, modo damnum aliunde resarciatur. 4. Si aliquod impedimentum legitimum inter venerit, ut si sacros ordines suscepisset, qua vis illicite. 5. Si femina defiorata postea cum alio fornicetur: quia promittenti fecit injuriam, & justam dedit causam recedendi a promissione. Idem censet Sanchez, quoties supervenit murtrio, seu causa gravis, sufficiens ad sponsalia dissolvenda. 6. Si facta fuerit promissio, & hanc factionem femina posuerit deprehendere ex verborum ambiguitate, aut aliis conjecturis clatis, vel ex magna disparitate conditionis sibi nota; ut si seductor sit nobilis, vel opulentus, & ipsa plebeja, & pauper. Ita S. Th. in 4. dist. 28. art. 2. ad 3. ubi air, *non teneri ducere, si sit multo melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit*; cum enim puella seipsam frustra decepit, & sibi deceptionem imputare debet. Damnum inde secutum resarciri debet, ut ipsa alteri æquali nubat, vel si nubere nolit, reponatur in statu honesto, ubi decenter vivere possit: quia promissio illa involuit serium aliquod effecit; nam puella si certo fraudem noviset, non consensisset, & sic injuriam aliquam passa est.

Quod si mulier disparitatem illam in nobilitate, divitiis &c. ignoravit, & alter nuptias ficte promiserit, juxta multos non tenetur etiam eam ducere, sed solum pecunia satisfacere arbitrio prudentum, ut possit æque honeste ac commode alteri nubere, ac si corrupta non fuisset, ut indicat S. Thom. loc. cit. Quia seductor ratione injustæ deceptionis solum tenetur ad restituendum, quantum feminæ interest, poni consensum illum, quem apprehendebat, & quem voluerat pro sui corporis pretio: nam per hoc tollitur deceptio injusta mulieris, & reponitur æqualitas. Ipsa autem non apprehendebat nec petebat contentum tanti valoris, sed minoris, quia non cognoscebat conditionem ac dignitatem promittentis. Quem proinde consensum non potest deceptor reddere, nisi reddat simul multo plus quam femina petit, & quam esse debebat. Quare deceptor tunc solum tenetur reddere id æquivalenti, tantum pecuniæ dando, quantum sufficeret ut sibi viro æquali conditionis, nisi tamen juraliet eam ductucum, nec dispensationem obtinuisset: nam ducere teneretur non vi promissionis factæ, sed vi juramenti, & reverentiæ Deo debitæ.

Porro vir superioris conditionis, qui vere nuptias promisit, ad eas tenetur, nisi grave scandalum inde merito timeretur. *Sanchez, Azor, Deluge, Lessius, & alii*. Quia tunc juri suo cessit, & ratione promissionis veræ, & acceptatæ debitus est excessus, qui quem reddendum voluit se obligare. Et vera est hæc

falsa inter inæquales valent, & obligant: ergo multo magis erunt valida, quando in compensationem femina sui corporis usuram concessit. Quare si aliam ducit, tenetur compensare, quantum feminæ interest, habere ipsum in virum, cum tantumdem damni ei injuste intulerit: mulier enim per promissionem sibi factam sub onere a se impleto, acquisivit jus ad rem promissam, tamquam ad aliquid sibi debitum ex justitia.

Quod si mulier corrupta nolit nubere seductori volenti promissum complere, is juxta multos non tenetur eam dotare, si fit æqualis conditionis, ex regul. 41. in 6. *Imputari non debet ei, per quem non fiat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum*; & ex hac 68. ibid. *Cum non fiat per eum ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset*.

Enim vero nuptias solum promisit, & mulier non habet justam causam aliud exigendi loco illarum. Sed juxta Panormit. tenetur eam dotare, si femina sit longe melioris conditionis, nec velit ei nubere: quia damnum & dedecus illatum non resarcietur talibus nuptiis, sed novum inferretur. Quod verum est, si damnum & dedecus familiæ inde sequeretur: nam mulieri non fuit injuste illatum, si (ut suppono) sine vi & fraude, sed sola promissione matrimonii adducta consensit in copulam, sciens inæqualitatem conditionis.

Sed quid si ii, qui vera vel ficta promissione matrimonii seduxit aut stupravit, nec possit satisfacere nisi nubendo, habeat votum castitatis, aut religionis?

Resp. Si votum secutum sit defiorationem, ex communi sententia tenetur ducere: quia jam ante erat jus strictum feminæ acquisitum, & obligatio eam ducendi. Quare votum non potuit esse de non contrahendo hoc matrimonio, alioqui nullum esset, cum sit de re illicita, sicut invalidum est votum dandi pauperibus id quod jam alteri debitum est ex justitia.

Si autem votum præcesserit copulam, adhuc secundum communem, aut saltem communiorem sententiam, tenetur eam ducere, saltem post obtentam dispensationem voti, quam tenetur petere, si hæc votum ingravit. Quia 1. excessio voti non ineniti matrimonium, jam facta est ei illicita respectu talis mulieris, cum sisi nequeat sine gravi ejus injuria. 2. Quia, inquit Deluge, obligatio voti provenit solum ex libera voluntate gratuita voventis, qui sibi imponit talem obligationem. Non potest autem aliquis velle se obligari tali genere obligationis in præjudicium juris alieni, quia non potest ipse propria auctoritate alieno juri derogare. Unde votum involvit hanc conditionem tacitam: Si potero fropere sine præjudicio juris alterius. 3. Si quis voviset duc omnia bona sua pauperibus, si postea gravem injuriam in bonis alteri inferret, teneretur restituere per bona voto promissa pauperibus. 4. Tunc potest & debet petere dispensationem voti, seu dilationem executionis ejus, quavis enim teneatur adhibere media licita necessaria ad solum justitiæ exercendum. Si talem tradita scivisset votum, tunc corrupta non teneretur eam ducere, quia illa non bona fide contraxit, cum videret eum non posse licite nuptias promittere; nisi forte ipse ei pertinaciter se facile obtenturum dispensationem, quo casu teneretur eam sibi comparare.

Quid dicendum de seductore mulieris non virginis?

Resp. Patet ex dictis. Itaque qui viduam honestam, vel mulierem ab alio corruptam, sed quæ passim virgo habebatur, promissione matrimonii etiam simulata seduxit, tenetur eam ducere, si ipsa velit. Nam hæc promissio facta est in modum contractus, *Do ut facias*: cum mulier det sui corporis usum, ut ille promissa perficiat. Quod si ficte promisit, adhuc tenetur: quia tenetur tollere deceptionem & injuriam illatam. Si autem vi aut fraude sine tali promissione seduxit, tenetur ante sententiam judicis damna inde secuta compensare, cum sit injusta illorum causa.

Quæst. II. *Ad quid tenetur, qui sub promissione matrimonii consanguineam violavit*.

Sic respondet Deluge: Si impedimentum sit tale, in quo Papa munquam soleat dispensare ut inter consanguineos in primo gradu transverso, vel certe in quo non soleat dispensare, nisi ex gravissima causa, qualis tunc non datur; tunc promissio est invalida propter impossibilitatem rei promissæ, ac proinde solum erit obligatio satisfaciendi & resarciendi damnum allo modo, si quod injuste illatum est; quod non contingit quando femina non fuit decepta, nec vi aut metu coacta. Si vero impedimentum est tale, in quo dispensari soleat ex causa, qualis tunc intervenit, & matrimonium promissum fuit sub conditione dispensationis; tunc promissio illa obligat ad procurandam dispensationem: quia totum id quod promittitur, licitum est & possibile, nempe procurare dispensationem; & ea obtenta matrimonium contrahere. Immo idem censet, etiamsi promissio matrimonii facta fuerit sine illa conditione; modo ereque impedimentum noverit. Quia conditio dispensationis utpote necessaria subintelligebatur: nam conditio, quæ de jure necessaria est ad valorem actus promissi, semper subintelligitur in ipsa promissione: tacite autem & expresse eadem est vis. Porro si quis consanguineam per vim, metum aut fraudem absque promissione matrimonii corrupit, tenetur resarcire damna illata, & secuta, quia fuit injusta causa illorum, copulam obtinendo per injuriam. Quod si aliter damnum resarcire non potest, nisi eam ducendo, tenetur sibi dispensationem procurare, ut eam ducat; nam qui tenetur ad damnum illatum resarciendum, tenetur adhibere media ad hoc necessaria. *Ita Deluge*.

Quæst. III. *Ad quid teneatur adulteri?*

Resp. 1. Si partus non sit secutus, adulter secundum multos tenetur solum ad satisfactionem honorariam marito præstandam pro injuria ei illata: quia pro injuria ab omni damno separata non debetur ex justitia, nisi satisfactio per signa doloris & submissionis, ut peritio venitæ &c. Quæ tamen locum non habet cum injuria ignoratur, nam satisfactio honoraria non fit nisi scienti se injuria affectum, cum consistat in placatione animi juste offensi. Unde non est exhibenda marito, nisi injuriam norit, & eam cupere putetur.

Resp. 2. Si proles ex adulterio nata sit, tenetur adulter prolem alere ab anno tertio & deinceps, donec sibi de alimentis providere possit: a partu ad tertium annum inclusive ipsa mater, ex c. 2. *de convers. infid.* in defectu matris tenetur pater, & vicissim.

Resp.

Resp. 3. Adulter & adultera tenentur æque primo & ex æquo compensare damna, quæ obvenirunt marito & legitimis hæredibus, ex sustentatione, hæreditatis partitione, & legatis, donationibus proli spuriæ factis a consanguineis patris putativi, vel matris in damnum legitimarum prolium, quibus alioqui cederent. *Est communis sententia.* Quia uterque est æque principalis causa injusta horum omnium damnorum: nam uterque posuit actionem injustam, ex qua sequitur generatio prolis, ac deinde omne tale damnum. Et ad id tenentur singuli in solidum ex alterius defectu, ex cap. ult. de injur. *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, ture super his satisfacere te oportet.* Idquenec communi sententia, etiamsi adulter suppositionem non suaserit. Quia nihilominus est æque prima causta horum damnorum ac adulterat: nam cum generatio prolis in muliere conjugata fit vera causa decepționis ac suppositionis, & ad actionem generativam injuste uterque æque primo concurrerit, uterque est æque prima causa damnorum inde eventientium.

Neque refert, si alteruter alterum ad adulterium induxit sine vi & dolo: nam consulsus ut consulens non est damni causa principalis respectu exequentis. Uterque autem executioni mandavit causam damnorum, nempe adulterium. Si tamen alteruter vim aut metum gravem etiam reverentialem incussisset, hic teneretur de omni damno: nam esset solus causa principalis adulterii, & consequenter damnorum ex eo secutorum. Alter vero teneretur solum in ejus defectum, cum sit causa minus principalis, utpote minus voluntaria, nec posuerit causam damni, nisi per injuriam a priore sibi illatam compulsus.

Resp. 4. Si probabilius sit prolem ab adultero esse genitam, tenentur adulter & adultera compensare omnia damna: nam tunc non possunt prudenter negare esse suam, ideoque se obligari ad compensationem damnorum, & utrumque prudenter judicare possunt.

Sed quid si dubium sit, utrum ab ipso adultero, an a marito proles sit genita?

Resp. Tunc tenetur adulter & adultera restituere marito vel ejus hæredibus, pro ratione majoris vel minoris dubii, judicio prudentum. *Ita Molin. Rebel. Laym. & alii.* 1. Quia uterque est causta injusta periculi pretio æstimabilis, quod subit maritus prolem alienam tamquam propriam alendi. 2. Iniquum est, ut in dubio damni totum illius periculum subeat innocens; & causta talis periculi, quæ posuit actionem de se damnificativam, sit omnino libera.

Obj. 1. In dubio nemo spoliandus est re sua, & melior est conditio possidentis.

Resp. Hoc axioma æque, immo magis favet marito quam adulteris. Nam ille est in possessione suorum bonorum, quibus in dubio non debet spoliari, & insuper ei certo facta est injuria de se damni illativa. Spoliaretur autem in dubio, si deberet bona sua impendere ad alendam prolem dubiam: nam quamdiu dubium est, an proles sit ab ipso, an ab adultero genita, dubium quoque est an ipse, an adulter teneatur illam alere, neque enim tenetur maritus alere nisi suam prolem.

Obj. 2. Proles in dubio an sit legitima, debet præsumi legitima, nam ratione matrimonii est in possessione suæ legitimitatis, quæ non debet privari ratione dubii.

Resp. Proles debet quidem tunc in foro externo præsumi legitima, & habet etiam in foro interno jus dividendi hæreditatem cum legitimis. Sed quia in hoc dubio manet marito periculum certum damni subeundi, in quod adulteri eum injuste conjecerunt, hi tenentur hanc injuriam pretio æstimabilem refarcire. Et præsumptio illa est solum in gratiam prolis innocentis.

Quæst. IV. *Quomodo teneatur adultera damna compensare.*

Resp. 1. Adultera tenetur, quantum fieri potest citra famæ jacturam & vitæ periculum, procurare, ne quid damni maritus & legitimi hæredes ratione prolis spuriæ patiantur. *Est communis sententia.* Quia si omnibus modis, quibus potest, non caveret damnum marito & hæredibus, sis inferret injuriam, cum posuerit actionem injustam damni illativam. Hinc si habet bona propria, tenetur ex illis damna compensare. Si non habeat, tenetur rem familiarem diligentius administrare, de cultu corporis sui, & sumptibus solitis propriis detrahere quantum potest, spectata conditione status, valetudine &c. Item relinquere in morte solis legitimis tantum ex bonis, de quibus libere dispone potest, & secundum multos religiosum statum spurio suadere, si ad eum idoneus videatur.

Resp. 2. Si hisce modis plene potest damnum compensare, non tenetur revelare crimen suum: nam tunc nullum damnum inde sequitur legitimis hæredibus. Si vero non potest, nec judicat prudenter illud impeditum iri, si deteget crimen suum, tunc nec tenetur aperire, quia imprudenter & frustra aperiret. Immo etiamsi judicaret posse averti damna hæredibus per illam revelationem, non tenetur crimen suum occultum revelare cum periculo mortis vel gravis scandali, discordiarum, perpetui odii mariti, infamiæ totius familiæ, vel propriæ, saltem publicæ, si non sit suspecta, vel alterius mali gravioris, quam sit damnum hæredum. *Est communis sententia.* Prob. 1. ex c. 9. de pœnit. ubi Innocentius III. consulrus de quadam muliere, quæ partum sibi supposuerat, ne bona mariti ad alios devolverentur, esset ne absolvenda, cum crimen suo marito timeret detegere, respondet Pontifex: *Sicut mulieri quæ ignorante marito de adulteria prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia denegranda: ita nec illi debet pœnitentia denegari... sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet injungi.* Ergo non tenetur cum tali metu crimen detegere: si enim teneretur & nollet, non esset capax absolutionis. 2. Quia tunc maritus, & hæredes non sunt rationabiliter inviti: & tunc restitutio evaderet moraliter impossibilis.

Si tamen mulier sciret, spurium esse valde bonum ac prudentem, & sibi fidem habiturum, & hæreditatem cessurum, nec crimen ejus revelaturum, (quod vix & rarissime præsumendum est) teneretur ei detegere. Quia infamia nocentis apud unum aut alterum postponenda est gravissimo innocentium damno, cujus est causta injusta: ut patet ex eo, quod juxta communem sententiam liceat grave peccatum alterius occultum aperire tertio, ad avertendum grave damnum ei ab illo altero impendens.

In praxi tamen ordinarie non est obliganda adultera ad crimen suum aperiendum, sive marito, ob gravia mala inde obventura, quæ ordinarie immineant, sive spurio, quia hæc revelatio est ordinarie inutilis ad avertendum damnum: nam filius, juxta communem sententiam, non tenetur credere matri juranti eum esse spurium, nisi id probet certis argumentis, ut si tempore conceptionis, & ante & post ostendat maritum absentem fuisse &c. Nam qui nascitur in conjugio legitimo, censetur esse legitimus, nisi contrarium ostendatur.

Nota. Quæ dixi de adultera & filio spurio, dicenda sunt de filio supposito, quem mulier supposuit ac finxit esse suum, ne hæreditas ad alios transeat; nam injuria his facta est, quæ eodem modo tolli, vel refarciri debet.

CAPUT IV.

De injuriis contra famam & honorem per judicium temerarium, detractionem, calumniam, & contumeliam: & de necessaria restitutione. De susurratione dictum est tractat. de peccatis cap. 7. art. 6.

Quæst. I. *Quale peccatum est judicium temerarium, item suspicio ac dubitatio temeraria?*

Nota. Dubitatio est suspensio intellectus inter assensum & dissensum. Suspicio est inclinatio, seu concitatio mentis ad assentiendum uni parti; sic tamen ut nondum absolute ei assentiatur. Judicium est assensus mentis, qui si fit cum formidine oppositi, dicitur opinio: si sine tali formidine, vocatur judicium firmum. Hi actus sunt temerarii, quando sine sufficientibus indiciis, seu rationibus concipiuntur: nam si ex sufficientibus motivis, non sunt temerarii, ut si judices Petrum esse injustum, quia usuras exigit. Caritas tamen postulat, ut dum opus externum excusare non potes: excuses intentionem vel indeliberationem, si possis, aut totum Deo discutiendum relinquas. Porro majora indicia requiruntur ad prudens judicium, quam ad suspicionem, vel dubitationem, cum plus fit judicare, quam suspicari, vel dubitare.

Nota 1. Levia sunt indicia, quæ considerata facti & personæ qualitate, aliisque circumstantiis, ut loci, temporis &c. non sufficiunt ad movendum virum prudentem & bonum ad sic dubitandum, suspicandum, vel judicandum de proximo. Gravia autem sunt, quæ omnibus illis consideratis movere possunt probum & prudentem ad dubitandum, vel male opinandum, seu judicandum de proximo: cum enim hæc materia sit moralis; non potest alio modo definiri, quodnam sit leve, quodnam grave judicium seu argumentum, quam ex prudentia, & boni viri judicio, ait Sylvius, tom. 3.

Resp. 1. Temerarium de re gravi proximum infamante judicium etiam opinativum, quod cum plena advertentia concipitur, est mortale contra justitiam: *Ita omnes de judicio firmo, & communis est sententia inter recentiores, teste Delugo, de judicio etiam opinativo ac formidoloso.* Prob. 1. Ex Matth. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Et ex Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Et Jac. 4. *Qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem.* Ubi generatim & indistincte prohibetur graviter omne judicium temerarium, & proinde non solum firmum, sed etiam opinativum. 2. Quia per illud fit gravis injuria proximo. Nam graviter violatur jus quod habet, ne sine sufficienti causta judicetur malus aut vilis, & perdat bonam æstimationem apud alium; hocque homines molestissime ferre solent. Quare est obligatio illud judicium statim deponendi, ut tollatur injuria. 3. *Ex hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causta sufficienti, indebite contemnit ipsum, & ideo injuriatur ei*, ait S. Th. 2. 2. qu. 60. art. 3. ad 2. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, 1. ad Cor. 4.

Dixi 1. *Temerarium.* Nam judicium de personis, *licet quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando est omnino temerarium*, ait S. Thom. quodlib. 12. art. 14. Proximus enim non habet jus, ut æstimetur probus ab eo, cui crimen ejus sufficienter cognitum est.

Dixi 2. *Cum plena advertentia*: nam potest esse veniale non solum ob levitatem materiæ & temeritatis, sed etiam ob defectum plenæ advertentiæ. Imo nullum est, si sit ex sola intellectus promptitudine absque ullo deliberato voluntatis consensu conceptum. Sed ubi primum advertis, te sic male judicare, peccas perseverando in eo judicio, utpote mortali, posita plena advertentia cum gravitate materiæ.

Porro ad temeritatem mortalem non requiritur advertentia actualis ad insufficientiam indiciorum seu motivorum, si mala præoccupatio, voluntaria positio, invidia vel odium sit causta præcipitationis judicii & defectus advertentiæ actualis: nam tunc temeritas illa est sufficienter voluntaria in causta, nempe in mala affectione; & inadvertentia insufficientiæ indiciorum est vincibilis ac culpabilis.

Resp. 2. Suspicio & dubitatio voluntariæ graviter temerariæ in re valde gravi, & cum advertentia plena, sunt peccata mortalia, saltem si ex pravo affectu & malevolentia nascantur. *Ita Delugo, Lessius, & alii multi.* Quia 1. ad Tim. 6. Inter gravia peccata numerantur *suspiciones malæ.* Et ex 1. ad Cor. 13. *Caritas non cogitat malum.* Quem locum sic explicat S. Chrysostom. homil. 33. *Non modo nihil male cogitat contra illum qui diligitur, sed ne suspicatur quidem.* 2. Ex S. Augustin. epist. 137. *Ne malevolo animo de servis Dei falsa suspicando pereatis, illud Apostolicum recordamini: Nolite ante tempus judicare.* 3. Tunc fit gravis injuria proximo: nam quisque habet jus ne quisquam de ipso sine sufficienti causta male opinetur, suspicetur, & de sua probitate dubitet, illudque jus graviter violatur in re valde gravi. Et nullus est prudens, qui non putet gravem sibi injuriam fieri, indeque gravem molestiam sentiat; nec eum, qui ita de se suspicaretur, haberet in numero suorum amicorum. In dubitatione illa continetur judicium: nam, qui sic cum plena deliberatione dubitat non solum suspendit assensum, sed etiam judicat aliquam esse probitatem proximi, nec eum posse prudenter judicari probum.

Quare cum S. Augustin. tract. 50. in Joan. ait suspicio-

piciones temerarias ad tentationem humanam perfrictæ, sine qua duci non potest ista vita; & S. Thom. 22. art. 3. dicit dubitationem temerariam esse venialem: intelligi debent de repentinis nondum satis deliberatis, vel leviter temerariis, & ex humano errore, non ex malevolentia conceptis. Et ideo multi docent, peccare solum venialiter eum, qui de gravi malo proximi suspicatur, vel dubitat ex solo errore intellectus, quo apprehendit indicia, ob quæ suspicatur, tamquam sufficientia ad suspicandum, paratus suspicionem deponere, ubi melius adverterit: tum quia temerarius illa non est omnino voluntaria, cum non ex malitia, sed ex solo humano errore & fragilitate suspicetur: tum quia inducia propter quæ suspicatur, non carent omni verisimilitudine ad suspicandum: quando enim suspicio non est ex malevolentia, sed ex solo humano errore, indicia non carent omni probabilitate.

Obs. 1. Quando timorati, præsertim scrupulosi, inquit Sylvius, ejusmodi sinistras cogitationes de proximis patiuntur, & dubitant an lethaliter peccaverint, interrogandi sunt, an si tunc advertissent illud esse judicium temerarium & peccatum, deliberate voluissent consentire? Si enim negative respondeant, censendi sunt non peccasse moraliter, quia vel nullus adfuit voluntatis consensus, vel non fuit plene deliberatus. Quæ regula etiam locum habet in timoratis, qui vel contra fidem, vel contra castitatem tentationes & varias cogitationes patiuntur, quibus nullo modo consentire vellent, si eas plene advertirent.

Obs. 2. Materia, quæ in detractione ad mortale sufficit, hic quoque sufficit. Hinc materia gravis censetur non solum peccatum mortale, sed etiam habitus peccati venialis, spectatis statu, fama, & qualitate personæ, vel defectus inculpabilis, sed infamans, seu unde quis notabiliter vilescit in animo judicantis, vel in contemptum adducitur, ut esse fatuum, spurium &c. Ergo moraliter peccat, si temere judices, vel suspiceris Religiosum habere consuetudinem mentiendi, esse vanum, regulas suas negligere, orationi non vacare &c. aliquem esse fatuum, & officio ac honore indignum &c.

Obs. 3. Quamvis certum sit, opus ab aliquo factum, esse mortale ex genere suo, non ideo tamen potes judicare proximum certo peccasse moraliter. Quia potest excusari coram Deo ob imperfectam deliberationem, vel inconsiderationem aut ignorantiam invincibilem. Item incertis rumoribus de proximi crimine, vel malo infamante, fides nulla adhibenda est: nam rumores incerti non possunt fundare judicium prudens. Denique semper extra necessitatem animus a dubitatione, suspicione, & judicio de peccatis alienis cohibendus est, ut virtutur periculum temere judicandi, vel suspicandi cum injuria proximi. *Etiamsi perperam actum quidem deprehendas; nec sic judices proximum: magis autem excusa intentionem, si potes non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem,* ait Sanct. Bernard. serm. 40. in Cantic.

Sed hic quari potest, utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda?

Resp. 1. Dubia de personis ad bonam, vel malam æstimationem pertinentia sunt in meliorem partem interpretanda. *Est communis sententia.* Prob. 1. Ex 6. August. lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 18. *Nolite judicare ut non judicemini &c. Hoc ideo nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, qua animo fiant, in meliorem partem interpretemur .... de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus.* 2. Ex S. Tom. 2. 2. qu. 60. art. 4. Ex *hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel necumentum quodcumque inferre absque causa cogente; & ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* 3. Quia maxime cavendum est, ne fiat injuria proximo, & de possessione bonæ famæ injuste dejiciatur.

Sic autem dubia in meliorem partem sunt interpretanda. 1. Negative, ita ut in dubio etiam positivo nunquam judices, opineris, vel suspiceris proximum esse improbum, vel peccasse graviter; aliquid peccasse contra justitiam, inferendo malum proximo sine sufficienti & justa causa: quisque enim jus strictum habet, ne ei malum sine justa causa inferatur; haberi autem improbum, est malum proximi grave, utpote per se concitativum gravis molestiæ. Et dubium etiam positivum non est sufficiens, nec justa causa judicandi proximum peccasse: incertum enim crimen non est sufficiens & justa causa eum privandi bona æstimatione, quam possidet.

2. Positive practice, hoc est, ut in praxi & vita civilis usu, ubi de cautela non agitur, affectu interno, & externo modo agendi proximus tractetur tamquam si revera esset probus, ei præstando consueta honoris & urbanitatis officia, perinde ac si nullum esset de ejus probitate dubium. Nam illis proximum ob dubium exortum privare iniquum esset, contra has regulas caritatis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Item quoties pravis in proximum animi motus vincendus est, aut vis hic & nunc statuere apud te quo loco sit habendus, aut periculum est ne bona opinio de eo a te concepta minuatur, si judicium suspendas; tunc judicare debes positive eum habendum ut virum probum, nec ob dubium exortum bonam de eo opinionem minuendam esse.

Dixi, *de personis*. Nam dubia de rebus, puta an contractus talis sit licitus necne, non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis momentis æstimanda. Quia tunc id unum agitur, ut cognoscatur veritas, & virtutur illicitum; nec timendum ne cuiquam inferatur injuria; & ex eo nihil boni vel mali accreseit rei.

Resp. 2. Cum agitur de damno vitando, vel remedio adhibendo, dum non constet de probitate proximi, ex communi sententia, licet tibi & aliis consulere, & eam cautionem adhibere, quam prudentia dictaret adhibendam, supposito quod esset malus, non tamen de eo male judicando aut suspicando. Quia tunc nemini infertur injuria, vel damnum: licitum est autem tibi & proximo sine cujusquam injuria providere. Hinc non peccas, dum excipiendo ignotum in ædes tuas, ita cavis rebus tuis, ac si dubia esset hominis probitas.

Quæst. II. Quid est Detractio, Contumelia, & Calumnia?

Resp. Fama est existimatio boni de aliquo, qua putatur bonus, & habilis ad aliquem bonum usum: sive est existimatio, seu opinio excellentiæ. Honor est testificatio excellentiæ alterius animo conceptæ. Excellentia autem, quam speciatim fama & honor, consistit primario in virtute ac sapientia, earumque functionibus, quæ homines vere laudabiles reddunt; secundario autem in aliis perfectionibus, ut sunt ingenium, doctrina, nobilitas. Item quod honorem, potestas sive ecclesiastica sive secularis, dignitas principis, &c. quæ inest parentibus &c. Immo id quod singularem quendam ad has perfectiones ordinem habet, vel ut instrumentum virtutis, vel ut effectus, est etiam rario honorandi, ut nobilitas, quæ ex præclare gestis orta est.

Hinc fama & honor inter se differunt, cum fama sit opinio de excellentia alterius; honor vero externa testificatio nostræ opinionis de excellentia alterius.

Resp. 1. Detractio est injusta ademptio seu læsio, vel innocentis bonæ famæ alterius in ejus absentia. Nam si quis coram altero famæ ipsius detrahat; jam non erit simplex detractio, sed etiam contumelia, qua coram violatur honor alterius.

Ex S. Thoma licet potest detractio esse modis. 1. Falsum crimen vel defectum imponendo. 2. Veram amplificando. 3. Occultum detegendo. 4. Sinistre interpretando factum alterius. 5. Recte facta vel dicta alterius negando. 6. Illa extenuando. 7. Silendo ubi silentium æquivaleat confessioni defectus proximi, ut quando ex silentio intelligi facile potest alium vel non esse laude dignum, vel non sanctum, vel habere aliquem defectum. 8. Simulate vel remisse aut frigide laudando, juxta hos versus.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut tegit, minuit, laudatve remisse.

Resp. 2. Calumnia est falsi criminis aut defectus imputatio. Unde est species detractionis omnium gravissima ex genere suo, cum superaddat detractioni generice sumptæ mendacium perniciosum.

Resp. 3. Contumelia est injusta inhonoratio personæ præsentis, seu læsio honoris alterius sine justa causa & auctoritate coram eo facta, sive dictis, sive factis; ut crimen, vel defectum vel malum reæ alteri præsenti objiciendo ex animo illum inhonorandi: vel ejus imaginem conculcando, ipsum percutiendo, reprehendendo aliquid, quod honorem illius lædat, ei maledicendo, conviciando, illum illudendo, irridendo &c. quod est ex genere suo mortale; cum hoc sit per se diffolativum amicitiæ, juxta illud, Eccli. 22. *Qui convitiatur amico, dissolvit amicitiam.*

Quæst. III. An & quando detractio, calumnia, & contumelia sunt peccata mortalia?

Resp. 1. Hæc tria sunt ex genere suo mortalia contra justitiam. *Ita omnes.* Nam 1. ad Rom. 1. detractores & contumeliosi dicuntur esse digni morte. 2. Per detractionem & calumniam proximus injuste lædituv in fama, per contumeliam in honore: quæ sunt bona præstantiora divitiis, & ad quæ proximus jus habet. Quare hæc tria sunt peccata graviora furto, quod ex genere suo mortale est: nam (ut ait S. Th. 2. 2. qu. 73. art. 3.) *Peccata quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundum nocumenta, quæ proximo inferunt. Tanto autem est majus quodcumentum, quantum majus bonum denigrat.*

Dixi, *ex genere suo*: nam possunt esse venialis culpa. 1. Ob defectum sufficientis advertentiæ. 2. Ob levitatem materiæ, ut si narretur levis aliqua alterius imperfectio. Plures tamen ejusdem defectus leves alteri detegere, potest esse mortale; quia possunt tandem collecti lædere graviter bonam existimationem illius. Item *cum peccatum conscii, vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat*, inquit S. Tho. qu. 72. art. 2. ad 3.) *potest contingere quod sit peccatum veniale, si sit levis convitium, non multum hominem dehonestans, & proferatur ex aliquo animi levitate vel ex levi ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi, puta cum aliquis incidit aliquem per hujusmodi verbum leviter contristare.* Porro ad 2. ait: *Sicut licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare causa disciplinæ, ita etiam causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convicioſum dicere, & hoc modo Dominus discipulos vocavit fatuos, & Apostolus Galatas insensatos.* Et ita excusari possunt plura verba contumeliosa parentum in filios, & dominorum in servos. Raro tamen adhibenda sunt verba contumeliosa in correctionibus quia sæpe potius exacerbant quam emendent, & subditus facile putat ea potius ex aliqua animi passione, quam ex caritate proficisci.

Resp. 2. Detractio omnis, licet fiat solum ex quadam animi levitate, vel loquacitate & sine intentione lædendi proximum, est ex genere suo mortalis culpæ contra justitiam. *Prob.* Ex 1. ad Cor. 6. *Neque fures .... neque maledici regnum Dei possidebunt.* Et Jacob. 4. *Nolite detrahere alterutrum. Qui detrahit fratri ... detrahit legi, & judicat legem.* Hinc illud Prov. 4. *Remove a te os pravum, & detractantia labia sint procul ate.* 2. Quia injusta ac voluntaria læsio famæ proximi est gravius peccatum quam furtum; nam per eam auferitur fama, quæ est bonum majus divitiis, quæ per furtum auferuntur, juxta illud, Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.* Sed detractio facta ex mera loquacitate & sine animo lædendi proximum, est læsio famæ proximi injusta, ut patet: nam proximus habet jus, ne ejus fama lædatur ex quocumque fine ac modo; & est etiam voluntaria saltem indirecte & implicite, cum voluntarie dicantur ea, ex quibus per se sequitur læsio famæ proximi: ad mortale autem sufficit voluntarium indirectum. *Si autem proferat ex animi levitate, uti propter cauſſam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte actum quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat, & præcipue in his quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 3. Unde tunc est obligatio restituendi, ex cap. ult. de injur. *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jactantiam.* Ibid. *Eliminemus igitur omnem ex ore nostro detractionem, scientes, quod ejs cinerem comedamus, nulla nobis asperæ vitæ hujus utilitas prodierit, nisi a detractatione abstinemus*, ait S. Chrysost. hom. 3. ad popul.

Idem dic de contumelia, qua notabiliter honor proximi lædatur, etiam sine animo lædendi profe-

xatur; quia semper est mortale, voluntarie, etiam indirecte, inferre sine justa caussa damnum notabile proximo ex quovis motivo. Infertur autem voluntarie damnum grave in honore, quoties profertur aliquid, quod prævidetur, vel prævideri potest aptum esse ad lædendum notabiliter honorem, & contristandum graviter proximum.

Cetterum detractio, quæ sit per libellum famosum, pejor est, ceteris paribus, quam quæ voce fit; quia infamia ad plurimos permeat, & vix potest aboleri. Unde mortepunitur, & qui talem libellum spargit, & qui inventum vulgavit, l. unic. cod. *de famos. libell.* Jure etiam canonico gravissime prohibetur, cum caussa 5. q. 1. tum in Bullis Pii V. & Greg. XIII. Item pejor est, si tota in aliquam communitatem, capitulum, ordinem religiosum; quia plures læduntur in fama, & ita damnum majus est.

Resp. 3. Ex communi sententia, detractio & contumelia sunt culpa mortalis, quoties sine justa caussa graviter lædit ur fama, vel honor proximi, licet absque animo graviter lædendi: nam mortale est, notabile damnum sine justa caussa inferre proximo. Venialis vero si non graviter lædatur; nam levitas damni excusat a mortali, nisi fiat ex intentione graviter nocendi, vel prævideatur gravem dolorem concitatura proximo: nam sine justa caussa & auctoritate graviter nocere, vel gravem mœrorem creare proximo est mortalis culpa; cum sit grave malum inferre proximo.

Graviter autem vel leviter lædit ur fama vel honor pro gravitate, vel levitate materiæ; spectatis omnibus circumstantiis, præsertim personæ lesæ. Nam gravitas vel levitas materiæ hic præcipue spectanda est, relate ad personam lasam, & ejus famam: fieri enim potest ut quod respectu unius est materia levis, sit gravis respectu alterius, si sit persona magnæ auctoritatis & famæ valde integræ, aut quæ obligetur ad majorem vitæ sanctitatem; ut si de puero vel vili famulo dicas, quod sæpe mentiatur, censetur leve: at si hoc dicas de Episcopo, Sacerdote, Religioso bonæ famæ, vel laico honorato, est grave; nam per hoc graviter lædit ur fama illorum, cum ii qui mentiri consueverunt, parvi fiant, præsertim si ex statu, munere, officio ceteris virtute præstare debeant. Regula ergo universalis, inquit Delugo, ad graviter detractionis desumenda est ex circumstantiis personæ, defectus qui narratur, existimationis quam persona illa apud homines habet, & similibus, ex quibus si grave detrimentum prudentis arbitrio famæ infertur, detractio erit gravis: sin minus, erit levis.

Item communella in se levis, potest esse gravis respectu personæ, cui infertur, ut si sit superior, pater &c. Immo semper mortalis est, quoties sit ex animo graviter dedecorandi vel contristandi proximum: nam sola voluntas gravis mali proximo creandi sine justa caussa est mortalis. E contra si convicium absolute ac in se grave sit, sed propter vilem personarum conditionem, aut motum patrium loquendi, grave esse non censeatur, veniale esse docent multi, qui mortalis non damnant pueros, mulierculas, ac viros intimæ sortis, cum certis conviciis ac contumeliis apud plebejos usitatis se lacessunt: quia honor vilium personarum his injuriis non censetur graviter læsi, nec his fides adhibetur. Excipe nisi sit intentio graviter lædendi vel contristandi, nam hæc mortalis est.

Hinc 2. mortaliter peccat qui detrahit cum animo notabiliter lædendi famam proximi, vel absque tali animo eam notabiliter lædit, aut dat caussam talis luctionis, advertens, vel advertere debens probabiliter ex eo dicto, vel facto tale damnum inferri. *Natur.*

2. Narratio defectus venialis plerumque est solum venialis, quia non solet graviter lædere famam proximi, cum etiam justi sine culpa veniali non vivant. *In multis enim offendimus omnes*, Jacob. 3. Est tamen mortale dicere de quibusdam personis in munere, vel statu majorem perfectionem exigente constitutis, ver. gr. Episcopo, Religioso &c. quod habeat consuetudinem alicujus peccati venialis, ver. gr. quod sæpe plus justo bibat, sit vanus &c. Nam in talibus id censetur magni momenti, & eorum fama multum inde imminuitur, & ideo despicitur.

3. Quamvis possit esse solum veniale, referre aut exprobare defectus naturales & involuntarios, ut ingenii, corporis, fortunæ, cum hi defectus non sint culpabiles: tamen mortale est, si fama vel honor inde graviter lædatur, vel si proximus graviter contemnendus sit, vilioreque apud alios reddatur, ut si extra casus exceptos de viro honorato, qui habetur nobilis, dicas esse ignobilem, ejus parentes fœnam infamaturem fubisse; item si inde grave damnum alteri sequatur; vel si in faciem exprobretur convicianti caussa, etiam vili personæ, quæ gravem inde mœrorem patiatur. Nam mortale est sine justa caussa contristare graviter proximum, vel grave damnum ei inferre. Ideo per se mortale est narrare defectum occultum naturalem, v. gr. si dicas de aliquo, eum esse illegitimum: nam hoc villiar hominem, idque molestius ferre solent homines, quam si de illis referatur grave peccatum.

4. *Ex Navarro*, detractio, quæ generalibus nominibus vitiorum tam mortalia quam venialia comprehendentibus fit, ut si dicas aliquem esse avarum, iracundum &c. mortalis est, quando cum damno notabili, aut magno ejus periculo sit, aut coram talibus, qui probabiliter existimari possunt tam maculas mortales quam veniales concepturi; nisi de solis venialibus vel de sola naturæ propensione verba fieri admoneantur: nam aliequi graviter lædit ur fama.

5. Peccat mortaliter, qui nullum defectum in particulari de proximo detegit, sed solum in genere dicit, se de illo aliquid scire, quod nemo de illo fas esse suspicaretur, vel quod illum magno pudore afficeret, si diceretur: item si dicas, illum non esse eum, qui communiter habetur &c. Tunc enim graviter lædit ur fama proximi, & sæpe gravius, quam si gravis ejus defectus nominatim detegeretur: nam ex hoc obscuro loquendi modo grave aliquid, immo sæpe longe deteriora latere auditores intelligunt vel suspicantur, quam forte reipsa sint.

6. Quando ratione conditionis personæ, peccatum aliquod mortale non censetur notabiliter lædere famam, illius revelatio non est mortalis: ut si de milite narres eum duellum commisisse; vel referas ea delicta de personis, quas scis se de illis publice jactare.

7. Irrisio, quæ est species contumeliæ, mortalis est, quoties fit ex animo graviter confundendi proximum, vel exprobratur sine caussa justa grave peccatum, aut defectus infamis, vel derisus graviter contristantur aut contemnitur: nam tunc ei grave malum infertur sine caussa justa: *Aliquem illudere vel irridere est eum omnino parvipendere, & eum tam vilem æstimare, ut de ejus malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic derisio est peccatum mortale . . . & tanto gravius, quanto major reverentia debetur personæ, quæ illuditur*, ait S. Th. 2. 2. q. 75. art. 2.

Resp. 4. Est mortale detegere alicujus crimen occultum grave non nominando personam, sed solum communitatem ex qua est, quando communitas inde gravem infamiam passura est, ut monasterium, capitulum &c. Item si de aliqua communitate in genere detrahas, v. gr. si dicas de communitate religiosa, nullam ibi esse disciplinam; aut de civitate, eam esse plenam adulteris, usurariis &c. graviter peccas, nisi hæc infamia sit publica ubi hoc dicis. Quia tunc gravis infamia injuste infertur illi communitati, & sic manet obligatio eam reparandi. Nam quamvis congregatio regularium reipsa non maculetur ex unius hominis nequitia, sicut nec Apostolorum collegium ex scelere Judæ; maculatur tamen ejus fama apud homines præsertim simplices & imperfectos.

Resp. 5. Est mortale detrahere in re gravi apud unicam personam & sub secreto; licet puterut non revelatura. *Est communis sententia, teste Delugo.* Quia tunc injuste infertur proximo grave damnum ablatione bonæ existimationis apud alium, ut patet in judicio temerario, quo quis apud se unum spoliat alterum bona existimatione; perinde enim proximo nocetur, sive in propria, sive in aliena mente ingeneretur de eo prava opinio. Et vero diffamatio apud unicum est res per se concitativa gravis molestiæ ac doloris, ut patet ex difficultate, quam ordinarie homo habet in aperiendo crimine soli confessario, quamvis sciat hoc sibi salutare esse. Unde vix est vir honestus, qui naturaliter non ferat molestius bonæ famæ amissionem apud unum virum gravem, quam jacturam summæ notabilis pecuniæ.

Resp. 6. Est mortale imponere alteri culpas veniales falsas, vel veras, sed occultas detegere; aut defectus naturales falsos, quando inde patitur damnum notabile, vel impeditur a consecutione boni notabilis, vel officii aut beneficii quo dignus est, si hoc prævideri potest, aut eo animo deteguntur; & est obligatio hoc damnus cum fama restituendi, ex cap. ult. *de injur.* Quia tunc injuste datur caussa damni gravis & jactura boni notabilis. Sic Navarrus ait, se nosse virum insignem & probum abadipiscendo egregio quodam munere impedimum per culpas veniales vanitatis & iracundiæ falso ei impositas.

Quæst. IV. *An contumelia & detractio differant specie?*

Resp. Affirm. Quia per illas proximus diverso modo & in divertis specie bonis injuste lædit ur. Immo peccata contumeliæ possunt inter se specie differre, sicut & peccata detractionis, pro diversitate specifica objectorum: sic injusta revelatio adulterii specie differt ab injusta manifestatione furti. Unde qui uno sermone de eodem dicit, cum commisisse furtum, adulterium, & homicidium, triplex specie peccatum detractionis admittit; & qui eumdem contumeliose compellat furem, adulterum & homicidam, tria peccata contumeliæ admittit specie distincta. *Azor.* Nam peccata sumunt speciem ab objecto; unde specie diversa sunt, sit habeant objecta specie moraliter diversa.

Quæst. V. *An & quando auditor detractoris, peccat mortaliter?*

Resp. 1. Hortari, incitare alterum ad inchoandam, vel continuandam gravem detractionem, v. gr. approbando exterius dicta, addendo de suo, item scienter præbendo occasionem detrahendi, ver. gr. interrogando de aliorum defectibus, significando id sibi gratum fore &c. ex communi sententia est mortale tum contra caritatem ratione scandali, & inductionis ad peccatum; tum contra justitiam. Quia talis est caussa moralis detractionis injustæ, aut saltem ei moraliter cooperatur, & sic tenetur ad restitutionem in defectum detractoris. *Si aliquis detractionem audiat absque resistentia, videtur detractori consentire; unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat cum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens, & quandoque magis. Unde Bernardus dicit, detrahere, aut detrahentem audire, quid horum duorum abhominabilius sit, non facile dixerim*, ait S. Th. 2. 2. q. 73. art. 4.

Resp. 2. Auditor, qui lætatur detractione gravi, licet non inducat ad detrahendum, nec incitet ad continuandam, nec exterius sibi placere significet, ex communi sententia peccat mortaliter tum contra caritatem, quia lætatur gravi damno proximi; tum affectu contra justitiam, quia gaudet de actu injusto: nam *digni sunt morte non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, ad Rom. 1. Non tenetur tamen ad restitutionem, quia non est caussa damni; peccatum enim contra justitiam non parit obligationem restitutionis, nisi ex eo secutum sit damnum. Equidem tenebatur illud impedire, sed solum ex caritate, non ex officio, ut suppono.

Resp. 3. Auditor detractionis gravis, licet ad eam non inducat, nec ea lætetur, nec libenter audiat ex curiositate, secundum communem sententiam peccat mortaliter contra caritatem, non impediendo dum impedire potest, aut non obsistendo, nisi prudenter putet monitionem suam inutilem fore, aut metuat grave aliquod damnum; perinde ac non impediens furum bona proximi autorentem, cum potest impedire. Quia secundum omnes, teste Delugo, ex lege caritatis quisque graviter tenetur impedire grave damnum, si sine gravi incommodo, seu damno proprio potest: nam quisque ex caritate tenetur amare proximum sicut seipsum, & ei facere quod sibi rationabiliter fieri vellet in simili casu. Hinc illud, Eccli. 28. *Linguam nequam noli audire*. Et illud Prov. 24. *Cum detractoribus non commisceris; quoniam repente consurget perditio eorum; & ruinam utriusque quis novit?* Immo, juxta Delugo, si damnum proximi sit gravissimum, & irreparabile, teneris impedire cum aliquo gravi tuo incommodo.

Porro cum auditor detractioni non potest resistere, teneturtamen, saltem si commode potest discedere, vel sermonem alio avertere, vel faciem tristio-

riorem ostendere. Nam hoc pacto impeditur continuatio detractionis, aut saltem minuitur detractoris fervor, ex Prov. 2. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Et tunc saltem est tacita improbatio peccati, & virtualis correptio. Tenetur autem quisque damnum proximi, & offensam Dei impedire, quantum moraliter potest.

Resp. 4. Dum proximo infertur calumnia, cujus falsitatem nosti, teneris ejus falsitatem aperire, ac probare quantum potes. Quia ex caritate teneris impedire grave damnum proximi, quando sine gravi tuo incommodo potes. Quod si tuum silentium in talibus circumstantiis æquivaleat tacitæ confessioni delicti, seu defectus falso imposiți proximo, ut fit dum ille est tibi notissimus, & tamen ejus innocentiam non pandis, peccas contra justitiam. Nam tunc moraliter censeris consentire, & fateri rem ita esse ut refertur, & ita facis contra jus, quod proximus habet, ne ullo modo, etiam tacite, approbetur & confirmetur calumnia tibi illata; est enim tunc tacita calumniæ, seu calumniæ confirmatio & approbatio contra justitiam, obligans ad restitutionem. Sic si quis Romæ de tuo concive tibi notissimo coram te dicat, eum esse ignobilem, spurium, injustum &c. & ipse contrarium sciens taceas, eo ipso videris consentire, & fateri ita esse. *Delugo.*

Resp. 5. Si superior subditum detrahentem famæ alterius etiam non subditi, non impediat, nec coërceat, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem famæ, in defectum subditi. *Ita Lessius, Delugo, & alii.* Quia superior tenetur ex officio, ideoque ex justitia subditos suos corrigere, a peccato cohibere, & impedire ne alios injuste lædant, unde si non impedit cum potest, meritò censetur causa injustæ damni. Quod si subditus absente superiore detrahat, tunc superior ex officio tenetur cogere subditum ut restituat famam; nam tenetur ex officio compellere subditum, ne perseveret in injuria alteri inferenda: perseverat autem in injuria, eamque continuat subditus, qui non restituit famam a se læsam, cum potest. Hinc pater, dominus, Prælatus &c. tenentur ex justitia impedire detractiones, & cogere subditos detrahentes ad restitutionem.

Dixi etiam *Prælatus*, seu superiorem regularium; quia Prælatus est etiam caput politicum suorum subditorum, quare tenetur eos gubernare, etiam in ordine ad bonum commune aliorum civium, sicut dominus tenetur gubernare suos servos & curare ne inferant damna aliis civibus. Ei enim, qui est caput politicum, tribuuntur, & imputantur damna a subditis illata, si non impediat. *Ita Delugo.* Et a fortiori quivis superior ac Prælatus tenetur ex justitia impedire subditum detrahentem alteri suo subdito: nam ex officio & justitia tenetur alicui damno subditos suos tueri, si possit, quia non solum est rector suorum subditorum, sed etiam judex & custos, qui ex suo munere, idcoque ex justitia tenetur impedire damna suorum subditorum.

Nota. Jure naturali non licet librum famam proximi lædentem, & crimina vera sed occulta sine causa justa pandentem legere, perinde ac audire detractionem: nam crimini auctoris libri quodam modo consentit, aut cooperatur lector, ut auditor detractioni. Præterea quisque rationabiliter vellet, ut liber contra ejus famam injuste scriptus a nemine legeretur.

Quæst. VI. *An audita, lecta, vel alia qualiter referens absque asseveratione peccat?*

Resp. 1. Qui audita vel lecta refert eo modo, vel nominatis iis auctoribus, ut audientes merito possint induci ad opinandum, vel suspicandum grave malum de proximo, peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur ad restitutionem. Quia est causa injustæ gravis damni seu mali proximi, nempe malæ opinionis, vel suspicionis: nam dat aliis sufficientem causam male opinandi, hoc ipso quod eo modo refert audita, ut alii merito inducantur ad male opinandum.

Resp. 2. Qui audita refert sine causa coram iis, quos probabile est creditoros ex sola levitate vel malitia, quamvis non eo modo referat, ut merito credi possent, peccat mortaliter non solum contra caritatem, ex qua quisque tenetur impedire malum proximi saltem cum facile potest, sed etiam contra justitiam, & sic tenetur ad restitutionem, saltem si non sint publica. Nam recte censetur causa injusta gravis damni, cum sine justa causa ponat id, ex quo probabiliter prævidet secuturum grave damnum proximi; & proximus habet jus, ne in tali circumstantia, seu cum sua infamiæ periculo audita referantur.

Præterea talis est causa, ut alii peccatum proximi norint, ideoque est causa, ut fama alterius apud tales amittatur. Idem dic, si ex ejus narratione gravis mali suspicio auditoribus verisimiliter suboriatur: fit, ut vulgo saltem accidit, ob infirmitatem hominum, qui facilius mala quam bona de proximo opinantur. Talis enim suspicio est grave malum saltem respectu. Per famæ honestæ.

Resp. 3. Qui audita refert eo modo, in iis circumstantiis, ibi constet auditores non esse creditoros, nec ullum esse periculum infamiæ, neque malæ suspicionis, aut dubitationis de probitate proximi (quod raro contingit) non peccat mortaliter, immo nec venialiter, si adsit justa causa referendi, quia tunc nullum damnum nec periculum damni creat.

Quæst. VII. *An crimen proximi quod publicum est in aliquo loco, licet detegere in aliis, ubi ignoratur, vel in eodem?*

Nota 1. Crimen dicitur publicum seu notorium triplicitèr. 1. Publicitate juris: dum de eo constat per publicam judicii sententiam, vel per confessionem rei, aut convictionem in judicio, seu legitimum testium testimonium. 2. Publicitate facti, cum in loco publico coram multis patratum est, ita ut nulla tergiversatione celari possit, nec ullo juris suffragio excusari. 3. Publicitate famæ, quando fama criminis ex sufficientibus indiciis orta pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tot personas de communitate, ut spectatis circumstantiis, impossibile sit moraliter, quin perveniat ad notitiam majoris partis communitatis, seu civitatis, pagi, parœciæ, collegii, vel monasterii.

Nota 2. Crimen notum majori parti unius communitatis particularis, v. gr. collegii, monasterii, non censetur publicum absolutè & respectu omnium, sed solum respectivè ad illam communitatem, v. gr. collegium, monasterium &c. Quare si notum sit solum collegio, monasterio, non censetur publicum extra illud, nec sine injustitia potest narrari iis, qui non sunt de illo. Quia talis publicitas non est absoluta, sed restricta ad illos cum quibus monasterium communicat in regula & regimine. Sic peccata solum publica inter domesticos non possunt narrari iis, qui non sunt de familia. Item peccata publica in religione aliqua non possunt revelari externis: nam religiosus infamis tantum apud suos retinet jus ad famam apud externos. Item si in vicinia dumtaxat notum sit crimen, est contra justitiam illud revelare aliis partibus amplæ civitatis, vel locis, in quibus criminosus famam hactenus illæsam retinet. Ita Layman dicens hanc esse communem doctrinam.

Resp. 1. Ex communi sententia, non est contra justitiam revelare in quovis loco crimen alicubi notum per sententiam judicis publice denuntiatam, in qua nominetur reus. Quia per hanc sententiam reus privatur jure ad famam pro omni loco: nam judex habet jus spoliandi absolute reum fama, sicut & vita, in vindictam publicam criminis; & reipsa spoliare intendit, quando eum publice condemnat, ut cæteris ubique sit in exemplum & terrorem; datque omnibus facultatem illud divulgandi, & ideo nocentes puniuntur in media luce & coram populo.

Dictum tamen in una religione publicum etiam per sententiam judicis regularis, injuste extra eam revelaretur. Quia ex mente ferentis sententiam ipsa non est lata pro publica notitia aliorum, sed solum pro privata suorum subditorum, alioqui bono communi religionis perniciosa esset.

Resp. 2. Est mortale contra caritatem crimen alterius alicubi publicum, etiam per sententiam publicam judicis, detegere sine justa causa in eo loco, quo fama non erat illud perlatura, si auctor criminis erat ibi bonæ famæ. *Ita Lessius, asserens hanc esse fere communem sententiam.* Quia proximo infertur sine justa causa grave malum graviter contrà tivum; nempe infamia, quod ipse detegens nollet rationabiliter sibi fieri in pari casu, contra illud, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nec refert, quod ille jus ad famam jam amiserit: nam illam absque injuria & fraude adhuc possidebat, & possessurus erat in eo loco. Si tamen fama communis crimen sic publicum brevi erat perlatura in locum ubi revelatii, non peccas mortaliter contra caritatem, illud antea aperiendo: quia fama brevi juste destruenda non magni æstimatur, nec proinde illius damnum censetur magnum.

Dico *juste*, nam qui crimen, quod injuste divulgandum erat, prior divulgat, peccat mortaliter, & tenetur compensare damna; sicut is qui prior incendit domum, prævidens injuste brevi incendendam ab aliis. Nam qui prærenit in injuria, prævenit in obligatione, quæ contraheretur ab aliis, & quæ necessario annexa est injuriæ damnosæ.

Resp. 3. Si crimen quantumvis publicum non sit verum, est mortale contra justitiam illud nesciens aperire. *Ita Layman, Delugo & alii.* Quia innocens per infamationem injustam licet publicam, non amittit jus ad famam: nam jus illud fundatur in carentia criminis, vel ignorantia publica veri criminis, ac proinde non potest fine injuria diffamatio ejus ad plures propagari. Et vero innocentem infamare, etiam apud unum, per se malum injustum est, atque mendacium perniciosum.

Resp. 4. Est mortale contra justitiam, crimen verum, sed solum notum per confessionem rei in judicio, vel restium testimonium, divulgare in loco, ubi nondum de eo publice infamatus est. *Est communis sententia, teste Layman.* Quia reus adhuc retinet jus ad famam, cum nondum eo in pœnam sit privatus per auctoritatem publicam; & nondum crimen publicum est in ordine ad populum; sed illis duobus modis dicitur notorium solum in ordine ad judicem, ut ab eo condemnari possit. Quare nequidem in eo loco licet illud divulgare, nisi ibi jam infamia de illo laboret, ut sæpe contingit.

Resp. 5. Juxta multos mortale est contra justitiam, crimen verum in uno loco publicum sola publicitate facti vel famæ, divulgare in alio loco, quo fama non erat illud perlatura. *Ita Adrianus, Tolet. Sotus, Rebell. Valentia, Molina, & alii.* Quia auctor criminis alibi illæsam habet famam, & per talem notitiam non amisit jus ad famam in aliis locis; neque enim ille censetur famam abjecisse respective ad alia loca; neque jure ad illam privatus est per auctoritatem publicam in pœnam criminis. Fatentur tamen licere ob bonum publicum referre in histuriis delicta publica defunctorum, quamvis infamia ad alia loca deferatur, tum ut notitia rerum publice gestarum habeatur, tum ut homines timore infamiæ perpetuo duraturæ a criminibus deterreantur.

Dixi, *in alio loco.* Nam ex communi sententia, non est contra justitiam, nesciențibus revelare crimen alterius in loco, ubi in eo publice infamatus est. Quia is in illo loco jus ad famam, sive jus secreti amisit per publicitatem, cui causam dedit, committendo crimen in multorum conspectu, vel dando multis indicia, per quæ crimen multis innotescit & divulgatur. Addit Delugo ad bonum publicum expedire, quod unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis revera publice est. Neque etiam hæc revelatio mortalis est contra caritatem, quia ex ea non sequitur grave damnum proximo, cum ibi jam sit publice infamatus: nec potest rationabiliter id multum moleste ferre, cum famam ipse suam in eo loco abjecisse censetur, crimen publice committendo.

Quod si crimen verum factum sit injuste publicum, ut si cum esset secretum, aliqui pluribus illud revelarint, Delugo negat peccare contra justitiam eum, qui illud aliis ejusdem loci nesciențibus detegit. Quia tunc solum est contra justitiam manifestatio criminis, quando jus habet proximus ne infametur; ejusmodi autem jus nullum habet in præsicto casu; nam totum jus proximi fundatur, vel in carentia talis criminis, vel in eo quod sit occultum; utrumque enim hic titulus dat jus: prior quidem absolute & universaliter; posterior vero saltem ut non narretur absque necessitate: utroque autem titulo cessante, nullum manet jus. Cum ergo sive juste sive injuste verum crimen factum est publicum, ablatum est fundamentum totum juris impediendi ne detegatur, cum & verum sit, & publicum jam sit, undecumque publicitas illa provenerit, modo non oriatur ex confessione sacramentali.

Resp. 6. Si is qui olim ob sua crimina infamis fuit, famam honestæ vivendo recuperaverit, mortale est contra caritatem illa crimina nesciențibus narrare, vel revocare in memoriam. Quia sine justa causa

si ei infertur grave damnum ac malum, quod narrans in simili casu nollet rationabiliter sibi inferri. Immo est contra justitiam, si crimen non fuit publicum per sententiam judicis. Quia sicut malis moribus infamia facti contrahitur, & fama bona amittitur; ita bonis moribus infamia facti tollitur, & fama bona recuperatur cum jure ad illam. *Ita Toletus, Navar., Molina, Reginald. Delugo, Layman, & alii.* Et fortiori est contra justitiam, si inde detur occasio opinandi eum adhuc esse impudicum, etiamsi per sententiam justæ olim infamatus sit; nam habet jus ad famam illam, quam postea bene vivendo sibi comparavit, & quam juste possidet.

Item est mortale contra justitiam, crimen alterius, quod facto vel fama diuturnaque publicum fuit, sed jam sola oblivione delenum, partimque nescientibus, vel reducere in memoriam. Quia talis jus habet ad famam pro tempore, quo crimen fuum deuit esse publicum: nam per oblivionem redactum est ad eum statum quem habuit, antequam esset publica. Ergo sicut res antea, dum erat occulta, non poterat revelari; ita nec postea, quando redit ad priorem statum, & ruinis inducit naturam rei occultæ. *Ita Delugo*, qui excipit crimen publicum per sententiam publicam: quia facultas illud divulgandi orta ex imprudentia publica adhuc irrevocata, perseverat donec publica auctoritate infamia tollatur. Sed saltem id erit contra caritatem.

Quæst. VIII. *An eum, qui non aut alterum crimine infamis est, licet de aliis infamare?*

Resp. 1. Si illa alia crimina sint ordinariæ conjuncta cum graviori crimine, quod jam publicum est, ita ut non confestur notabiliter augere infamiam, non est peccatum, saltem mortale, illa detegere iis, qui jam principale norunt. Quia non confestur nova infamia saltem gravis inferri, aut prior graviter augeri, ut si narres de ebrietate publico, cum non recte curare rem familiarem, rixari cum uxore &c. De fornicario publico, quod scripserit litteras amatorias &c.

Dixi, *graviori*. Nam mortale est contra justitiam, aperire crimen alterius ei, qui novit minus grave licet eiusdem speciei, v. gr. Si dicas Paulum furripuisse mille nummos; cum alter sciat eum tres tolim furatum esse: quia tunc graviter & injuste augetur ejus infamia.

Immo potest esse gravis injuria detegere peccata eiusdem speciei multiplicata: ut si semel aliqua femina adulterium notorium commisit, non ideo postea licebit aliud ejusdem adulterium occultum patefacere: nam relapsus motum auget infamiam. *Delugo.*

Resp. 2. Si crimina illa non fint connexa, ex communi sententia est mortale contra justitiam illa detegere, præsertim si sint alterius generis. Quia graviter injuste læderetur ejus fama, sive inferretur ei nova infamia gravis; nam qui infamis est in uno genere vitii, non ideireo censetur infamis in omnibus aliis vitiis; diversorum enim vitiorum diversa est infamia, & alia major, alia minor. Quare qui amisit jus ad famam in una virtute, non ideo jus amisit ad famam in altera virtute. Sic potest quis haberi ebriosus, & tamen esse & haberi justus in contractibus, fidelis caveri &c. Fama quippe non est quid simplex & indivisibile, sed constat diversis quasi partibus, quarum una potest haberi fine alia. Quare sicut potest quis habere unam partem famæ, licet non habeat alias; ita potest retinere jus ad unam partem famæ, licet non retineat ad alias.

Hinc est contra justitiam, furis capite damnati adulterium occultum prodere &c.

Notat Delugo, totum hoc desumendum esse ex damno novo quod circa famam fit, an judicio prudentum sit grave vel leve.

Quæst. IX. *An licet aliquando revelare crimen occultum alterius?*

Nota. Certum est id nunquam licere, si crimen innotuit solum per confessionem sacramentalem, vel si talis revelatio cedit in detrimentum publicum. Sed extra hos casus.

Resp. 1. Ex communi sententia; revelatio criminis occulti fieri potest & debet, quando necessaria est ad avertendum grave damnum communitati, aut privato innocenti impendens, sive spirituale, sive temporale. Quia nocens non habet jus retinendi famam cum gravi damno, quod inde alteri injuste obveniret: nam bonum commune, & privatum innocentis præferri debet bono privato nocentis. Et caritas obligat ad impediendum damnum communitatis, vel privati innocentis, cum impediri potest, nec alter tunc censetur rationabiliter invitus, cum adsit justa causa, ob quam debeat famæ suæ jacturam pati. Ob eamdem rationem idem tibi licet, si hoc necessarium sit ad avertendum tuum grave damnum injustum, etiam temporale.

Manifestatio autem criminis occulti alterius non est detractio, nisi cum est inordinata. Sed quæ fit ob justam & rationabilem causam & fine animo nocendi, est ordinata: nam detractio formalis, quæ semper intrinsece mala est, solum fit, cum proximi defectus aut crimen revelatur, vel sine justa causa, vel ex intentione illum infamandi. Immo ex S. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. homo tenetur manifestare ea, quæ sibi sub secreto commissa sunt: *Si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ.*

Hinc quando agitur de officio, beneficio Ecclesiastico conferendo, de matrimonio contrahendo, de Religione suscipienda, potes & debes occulta impedimenta, inc specitatem vel vitia alterius, unde aliquod grave damnum merito timetur, detegere iis, ad quos spectat, sed non pluribus; & illi teneutur sic audita non referre aliis. Sic tibi licet monere amicum, ut in familiam non assumat Petrum, nihil aliud initio allegans, quam quod ei non conveniat, & postea dicere esse furacem, si amicus perfistat velle eum assumere, tibi causam repellendi non ait. Item licet monere alterum, ut vitet consortium hominis, quem certo nosti esse corruptis moribus, ne ipse pervertatur, vel ut tibi caveat ab homine injuriis dedito. Sic Apost. 2. ad Timoth. 4. monet: *Alexander æraríus multa malæ mihi ostendit . . . quem & tu devita.*

Item talis revelatio fieri debet, cum necessaria est ad bonum spirituale delinquentis, ut si tuus superiori, parentibus, servato quantum opus est ordine fraternæ correctionis: quia bonum spirituale animæ anteponi debet famæ. *S. Basil. in reg. brev. resp. ad interrog. 5.*

Resp. 2. Licet injuriam sibi ab alio factam referre ad petendum consilium necessarium, non nominata persona, nisi ad consilium ejus sit, modo non plu-

pluribus referatur, quam necesse sit: quia tunc injuriam non est rationabiliter invitus, & lædus habet jus, consilium necessarium in injuriis acceptis quærendi. Non tamen licet ad solatium præcise seu ad dolorem leniendum narrare amico injuriam sibi factam, nominata persona, quia iniquum est gravem infamiam proximo inferre sine justa & gravi causa, quale est solatium illud, quod non est bonum tanti momenti, nec necessarium: cum verum solatium possit sine infamatione proximi obtineri, scilicet confugiendo ad Deum, qui est *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* 2. ad Cor. 1. Et vero si non licet furari pro solatio suæ gravis miseriæ: cur liceret detrahere pro solatio doloris?

Resp. 3. Si quis fictis virtutibus, vel simulata peritia famam sibi comparavit, licet aperire hanc simulationem, si ea vergat in alicujus damnum grave: ut si quis simulet se peritum medicum, advocatum &c. & constet non esse talem. Quia is non habet jus famam in errore fundatam retinendi cum aliorum damno vel periculo. Quod si simulatio virtutis vel doctrinæ nomini nocere possit, est contra justitiam eam detegere: nam quamdiu hypocritæ malitia est occulta & nemini nocet, jus habet ne positive existimetur malus: detegendo autem hypocrisim, facis ut positive existimetur malus.

Quæst. X. *An est mortale detrahere defuncto in re gravi?*

Resp. Affirm. Etiamsi ejus infamia ad alios non redundet. *Ita omnes.* Quia defunctus retinet jus ad bonam opinionem, quam habet apud homines, & censetur etiam post mortem possidere famam suam, per quam vivit in memoria hominum. Ergo eam auferendo, infertur ei grave damnum injustum; fama enim etiam post mortem magni æstimatur ab hominibus, & ideo ejus intuito res maxime arduas aggrediuntur. Hinc illud Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.*

Quare est obligatio restituendi famam defuncto sive ante, sive post ejus mortem injuste læsam. Nam injusta ademptio boni proximi obligat ad restitutionem. Nec hanc remittere potest hæres, quia jus remanet defuncto, qui damnum injuste patitur.

Quæst XI. *An licet seipsum infamare?*

Resp. 1. Ex communi sententia, laudabile est se ipsum infamare, veritatem aperiendo sine scandalo, vitæ periculo, & aliorum injuria aut damno, ad coercendam superbiam ac vanam gloriam, ad acquirendam humilitatem, ad imitandum Christi opprobria, ut fecerunt quidam Sancti. Quia homo est dominus suæ famæ, & honeste eam bono majori postponit. Si id faciat sine justa causa, erit per se loquendo venialis culpa, quia est quædam inordinatio & prodigalitas. Non est tamen per se mortale, quia nec est contra justitiam, cum homo sit dominus suæ famæ; nec contra caritatem, quia caritas non obligat ad bona temporalia externa comparanda vel conservanda, nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia, vel ad vitam temporalem nostram aut proximi conservandam.

Resp. 2. Ex communi sententia, est mortale contra caritatem seipsum infamare, aut cum scandalo proximi, vel etiam proprio, ut si inde fiat ad peccandum efficacior; aut cum periculo vitæ propriæ, ut si dicas te violasse thorum alterius: nam est mortale dare alteri occasionem graviter peccandi, & prodigere id cujus dominium non habes. Item si infamia tua impediat, ne possis prodesse proximo, cui ex sola caritate prodesse teneris.

Immo est etiam contra justitiam, si propria fama redundet ad alios: ut ad ordinem religiosum, si sis religiosus; quia cum fama tua sit connexa cum fama aliorum, non potest læsi fama tua, quin etiam fama aliorum lædatur. Si autem jus habent, ne sua fama spolientur sine gravi, & justa causa, quod jus tunc violas. Item si fama tua sit necessaria ad bene & utiliter gubernandum alios, ut si sis Episcopus, parochus, Prælatus &c. Nam ex justitia teneris nihil facere quod impediat, ne recte & utiliter aliis munus tuum exequaris: cum tenearis ex justitia illud recte & utiliter aliis obire.

Quæst. XII. *An licet contumeliam illatam repellere?*

Resp. Sic respondet S. Tho. 2. 2. qu. 72. art. 3. *Dicendum quod sicut patientia necessaria est in his quæ contra nos fiunt; ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda, sicut Augustinus dicit, De Sermone Domini in monte expositus illud præceptum Domini. Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei & aliam, ut scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit; non tamen hoc semper tenetur facere actu: quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum fuscepit aliapam, dixit: quid me cædis? Et idem etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumeliam tolerandam, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus qui contumeliam infert, ut videlicet vitia audacia reprimatur, & de cetero talia non audeant secundum illud Prov. 26. Respondе stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.*

Quæst. XIII. *An & quomodo restituenda est fama?*

Resp. 1. Est obligatio justitiæ ex genere suo gravis restituendi famam injuste læsam, sive imponendo falsum crimen, sive detegendo sine justa causa verum, sed occultum defectum vel crimen. *Ita omnes.* Quia tunc illata est vera injuria damnosa, quæ proinde tolli ac reparari debet; jus enim, quod quisque habet ad famam, auferri ob crimen etiam verum sed occultum, & jam nemini notorium nequit, nisi per authoritatem publicam. Adde quod bonum commune exigat, ut defectus vel crimina occulta non dejantur sine necessitate aliqua: alias læderetur pax ac tranquillitas publica, & tolleretur maximum frænum vitandi postea alia crimina, quod est famæ bonæ conservatio; & quo sublato in desperationem & quodvis flagitium facile ruit humana fragilitas.

Resp 2. Fama injuste ablata restitui debet integre apud eos omnes, apud quos ablata fuit. Nam justitia exigit, ut damnum injuste illatum refarciatur integre, & hæc restitutio ad æqualitatem, alioqui injustitia non tolleretur totaliter, & remaneret inæ-

inæqualitas. Hinc qui publice infamavit, tenetur famam publice restituere. *Restituis* (inquit S. Tho. 2. 2. q. 72. art. 2.) *est actus justitiæ commutativæ, quia in quadam æqualitate consistit. Et ideo restituere importat reddituum illius rei, quæ injuste ablata est. Cum ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id quod injuste ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.*

Resp. 1. Qui alium infamavit, falsum crimen imponendo, ex communi sententia tenetur illud efficaciter revocare, & adhibere omnem moralem diligentiam, ut falsa illa opinio ex animis hominum evellatur. Unde tenetur auditoribus aperte significare voce, vel scripto si necesse sit, se falsum dixisse, aut etiam mentitum esse si opus sit, adhibito etiam juramento & testibus, si aliter non putentur credituri, quamvis ideirco ipse sit infamandus. Quia tenetur efficaciter refarcire injuriam illatam, ac proinde adhibere media ad id necessaria; & sua culpa imputare debet, quod sibi imposuerit tale onus.

Qui autem verum alterius crimen, vel defectum injuste revelavit, non debet dicere se falsum dixisse, quia mentiretur; quod nunquam licet: neque enim sunt facienda mala ut eveniant bona; sed debet apud rudes dicere se perperam locutum fuisse, eum injuste infamasse, ei injuriam intulisse: apud peritos vero qui ex ejusmodi locutione magis confirmarentur in opinione admissi criminis, debet (quantum fieri potest sine mendacio) infamatum laudare in aliis virtutibus apud eos, coram quibus detraxit, ut quantum in una virtute amisit opinionis bonæ, tantum in aliis acquirat, & sic fiat quædam compensatio; item eum honorare, vel quovis alio modo ingenerare bonam opinionem de eo. *Aliquis potest aliqui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo, & juste, puta cum aliquis crimen alterius prodit ordine debito servato, & non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & injuste: & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed injuste, puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad restitutionem famæ quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit.* Ita S. Tho. 2. 2. qu. 61. art. 2. ad 2.

Sed qui libro famoso alterum injuste infamavit, tenetur restituere famam contrariis scriptis, vel publica revocatione: aliqui restitutio non esset efficax, & proportionata damno.

Resp. 4. Qui falsum, vel verum crimen alterius injuste revelavit, tenetur ex justitia reparare famam non solum apud eos omnes apud quos eam abstulit, sed etiam apud alios omnes quibus hi posita idem retulerint, talem in eorum defectum; si prævidit vel prævidere potuit, eos apud quos detraxit, rem propagaturos. *Est communis sententia.* Quia tunc detractor fuit causa injusta ulterioris infamiæ secutæ ex illius injuria, & voluntariæ in illa. Quare ab immediatis auditoribus quærere tenetur, an idem aliis renuntiet? Immo etiamsi probabilius putasset, auditores immediatos audita non relaturos esse aliis, videtur adhuc teneri in horum defectum. Quia tunc adhuc dedit injustæ occasionem illi ulteriori infamiæ: nam homines etiam alias prudentes facile, data occasione, ex inconsideratione, vel aliter, audita narrant. *Qui autem occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*, c. ult. de injur.

Quæst. XIV. *An qui crimen falsum alteri imponit, vel verum sed occultum injuste detegit, tenetur omnia alia damna sive in corpore, sive in aliis bonis inde secuta refarcire?*

Resp. Affirm. *Est communis & certa sententia.* *Prob.* 1. Ex cap. ult. de injur. ubi Gregor. XIII. ait: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his satisfacere te oportet.* 2. Quia est obligatio refarciendi omnia damna secuta ex injuria mortali: qui enim hanc intulit, est causa injusta damnorum inde secutorum, idque vertim est, etiamsi crimen sit verum, sed occultum. Nam qui illud injuste manifestavit, est causa moralis injusta damnorum: hæc enim secura non fuisset sine tali manifestatione injusta criminis.

Hinc qui defectum seu crimen, sive verum, sive falsum injuste aperiendo impedivit alterum a consecutione optimi matrimonii vel officii, aut beneficii, quo dignus est, tenetur restituere quanti ipse illius obtinendi valet arbitrio prudentis, cum injuste impediverit. Quod si infamatus ideo privatus sit officio, vel alio bono quod jam habebat, restitui debet valor officii, vel talis boni, quia detractor fuit causa injusta jacturæ boni jam acquisiti. Immo qui proximum in vitæ periculum conjicit, falsum crimen ei affingendo, tenetur ex justitia retractare etiam cum proprio vitæ periculo. Nam in pari causa & discrimine potior est conditio innocentis quam nocentis, qui est culpabilis causa periculi; & ideo quivis tenetur damnum a se alteri injuste paratum impedire cum suo damno salvem pari aut paullo majori.

Quæst. XV. *An tenetur ad restitutionem, qui falso, sed bona fide putans crimen esse verum & publicum, illud narravit?*

Resp. Qui innocentem licet inculpate infamavit etiam correctionis causa, ubi primum errorem suum deprehendit, tenetur ex justitia famam ejus restituere, & avertere damnum ex infamia imminens. *Est communis sententia, teste Delugo.* Quia 1. justitia quemlibet obligat ad curandum, ne ex sua actione sequatur damnum aliis sine justa causa. 2. Tenetur ratione rei acceptæ seu famæ ablatæ: sicut qui bona fide accepit rem alienam, tenetur eam restituere ubi primum id agnovit. Fama autem ex natura rei manet in potestate ejus, a quo ablata est. Item causa fuit damni dati, & est in potestate ipsius eam auferre, & impedire ne ulterius illud continuetur. 3. Non restituendo, quodammodo detines famam proximi, dum in mente alterius malam opinionem a te injectam relinquis, quam potes evellere.

Hinc si fueris in mora restituendæ famæ, & interea damnum in aliis bonis infamato eveniat, teneris adhuc illud refarcire. Quia ex illo tempore quo tuum errorem deprehendisti, & potuisti sine tuo gravi incommodo restituere, censeris causa injusta infamiæ ut perseverantis, seu detentionis famæ, & damnorum ex tea omissione injusta secuterum. Præterea qui causam damni a se positam non removet, censetur velle effectum, seu damnum, quod ex ea secuturum novit. Secus si infamatus sine infamatoris cul; a patiatur aliquod damnum, antequam infama

tor

ter errorem suum agnoverit: nam tunc non tenetur illud refarcire, cum sit inculpabilis causa infamiæ. Ideoque & damni secuti: nemo autem extra contractum aut quasi contractum, seu officium tenetur refarcire damnum, quod sine sua culpa voluntaria alteri sequitur.

Sed quid, si me narrante de aliquo publice infamato, auditores alium intelligunt?

Resp. Si periculum fuit ne auditores alium intelligerent, teneris ex justitia etiam cum pari damno ad restitutionem. Tunc enim merito censeris causa moralis infamiæ ex tua narratione secutæ. Si non fuit tale periculum, innocentem purgare, si potes saltem sine gravi incommodo, teneris, tum ex caritate quæ semper exigit, ut grave damnum proximi avertamus, quoties sine gravi incommodo possumus; tum ex justitia, quæ obligat ad curandum, ne ex nostra actione sequatur aliis damnum sine justa causa. *Molina, Delugo &c.*

Quæst. XVI. *An hæres detractoris teneatur ad restitutionem famæ a defuncto violatæ?*

Resp. Neg. Quia hæc obligatio non respicit bona ei relicta, sed est mere personalis. At tenetur ex justitia refarcire damna realia ex infamia secuta. Nam obligatio refarciendi damni in rebus illati afficit bona infamatoris, & hæc bona cum suo onere transeunt ad hæredem, defuncti personam repræsentantem, qui sicut in bona ac jura, item in onera ac debita realia defuncti succedit.

Quæst. XVII. *Quenam excusant a restitutione famæ?*

Resp. Excusat 1. Condonatio valida talis restitutionis facta ab eo, cujus infamia non redundat in alios: nam cum talis sit dominus suæ famæ, potest ejus restitutionem sicut aliorum exterrorum valide condonare. Illicite tamen condonaret, si ejus fama necessaria esset ad ædificationem proximi, vel ad tollendum scandalum; tunc enim peccaret contra caritatem.

In tribus autem casibus non potest valide condonari restitutio famæ. 1. Si infamia tua redundet in alios, qui inde manent infamati vel suspecti: quia non potes de aliorum fama disponere, & cedere jus, quod habent, ne infamia eis inferatur, & ut illata tollatur: talis est infamia religiosi, quæ redundat in suum ordinem &c. 2. Si fama tua necessaria sit ad rectam muneris tui administrationem, nisi officium deponas, vel aliter famam tuam apud alios recuperes. Nam subditi habent jus, ut munus tuum erga illos recte ac utiliter exerceas, ideoque ut tollatur impedimentum ortum ex tua infamia. 3. Si ex tua infamia secuturum est damnum alicui tertio; nam infamator tenetur ex justitia impedire illud damnum, cum ei causam injuste dederit, ac proinde tenetur tollere infamiam tuam, ex qua obventurum est, nisi tamen aliter removeatur.

2. Excusat, si fama sit aliunde recuperata, puta per sententiam judicis, vel per rei evidentiam, vel per testes, aut aliter. Quia jam sublatum est totum damnum illatum: ergo nihil manet refarciendum; perinde ac si equum tibi furreptum casu recepisses. Potest tamen infamator condemnari per judicem ad aliquam satisfactionem etiam pecuniariam in pœnam criminis: sed si non accuserur apud judicem, tenetur tantum ad satisfaciendum per signa doloris, petitionem veniæ, vel honorem aliquem secundum constitutionem personarum, ob mœrorem illatum & infamiam, quam passus est læsus, donec sublata fuerit, si putetur talem satisfactionem velle. Damna autem in aliis bonis ex infamia secuta, compensari semper debent. Calumniator tamen tenetur semper revocare calumniam, non obstante sententia judiciaria accusatum absolvente; quia per illam sententiam non sufficienter restituta est fama apud omnes: multi enim existimant & existimare possunt, accusatum fuisse absolutum ob defectum probationum criminis, non vero ob ejus falsitatem.

3. Si restitutio sit impossibilis; nam nemo tenetur ad impossibile, ex. reg. jur. in 6.

4. Si revera nulla fuit infamia ex detractione secuta, ut si audientes jam antea sciebant quod narrasti, vel illud non credidernnt: quia tunc nullum damnum secutum est; ergo nullum est refarciendum. Si tamen tua narratione infamia proxime notabiliter aucta est: aut si auditores inducti sunt ad judicandum malum de proximo, quod antea tantum suspicabantur, teneris ad restitutionem: quia tunc fuisti causa injusta talis incrementi, seu damni.

5. Si restitutio fieri nequeat sine periculo vitæ infamatoris, quæ judicio prudentum præsertet famæ infamati. Quia non est obligatio restituendi cum longe majori damno, spectatis omnibus; nec tunc læsus est rationabiliter invitus. Si tamen ex tua calumnia pendeat infamato aut aliis damnum grave in spiritualibus, vel periculum vitæ, aut grave scandalum, aut grande malum publicum, teneris cum periculo vitæ famam restituere. Nam illa damna æquivalent, aut etiam præstant damno vitæ infamatoris. Idem dic, si jactura famæ, vel aliorum bonorum tanti, vel fere tanti ex circumstantiis æstimetur, quanti jactura vitæ tuæ: nam quilibet tenetur damnum a se illatum restituere etiam cum aquali, vel paullo majore detrimento suo. A fortiori fieri potest, ut quis famam restituere teneatur cum jactura bonorum omnium.

6. Juxta multos non teneris restituere, si crimen verum occultum, quod aliis narrasti, fiat alia via justa publicum publicitate, qua infamatus amiserit jus ad famam.

7. Si infamia penitus ablerit in oblivionem; nec periculum sit ne revivisat: quia tunc infamia jam est abolita, ac proinde damnum sublatum. Sed si revivisat postea; erit tunc obligatio restituendi. Si autem periculum sit, ne aliquando infamia revivisat, (ut facile fieri potest, nam homines data occasione facile recordantur quæ obliti erant) debet detractor satisfacere pro illo periculo, honorando, laudando infamatum, immo & dicta revocando, si crimen fit falsum.

Quæst. XVIII. *An in restitutione famæ potest fieri compensatio?*

Resp. 1. Est mortale contra justitiam falsum crimen sive in judicio, sive extra illud imponere etiam calumniatori ad suam justitiam, vel famam tuendam. *Est communis sententia, teste Delugo.* Quia 1. est medium intrinsece malum, & prohibitum hac lege, *Non falsum testimonium dices*, Matt. 19. estque mendacium perniciosum ac injustum in re gravi: nam quisque habet jus, ne ei ob ullam causam falsum crimen affingatur. Hinc Concil. Arelatense I. & II. & Matisc. I. & alia Concilia jubent excommunicari generaliter eos, qui falsum crimen objicium

ciunt aliis. 2. Innocent. XI. damnavit has propositiones. 42. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine ei dicere?* 55. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui ut suam injustitiam defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Resp. 1. Non licet infamantem infamare, narrato etiam vero crimine præcise ad compensandam infamiam illatam. *Est communis sententia.* Quia non licet privata auctoritate malum pro malo reddere, & vindictam exercere. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut hereditatem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum: Declinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam.* 1. Pet. 3. Sit autem mera vindicta, quando quis privata auctoritate infert damnum, per quod proprium damnum non impeditur, vel acceptum non refarcitur, ut cum infamia alterius non tollit tuam infamiam: fic non licet incendere domum ejus qui tua incendit. Hinc qui se mutuo infamarunt, tenentur ad restituendum tibi mutuo famam, nisi tibi mutuo condoneur, ut præsumitur, si æqualitas sit in infamia.

Resp. 2. Si quis te falso infamet, ex communi sententia potes aliquem ejus defectum vel peccatum verum occultum detegere ab labefactandum ejus testimonium, v. gr. quod antea fuerit deprehensus in mendacio, perjurio; modo hæc manifestatio sit utilis & necessaria ad famæ tuæ defensionem, nec majorem ei infamiam pariat, quam fit ea quam tibi injuste parat. Quia 1. quisque habet jus tuendi propriam famam, quam alter vult injuste adimere; nec ille est tunc rationabiliter invitus, cum cogat læsum ad hoc medium necessarium. 2. Potes detegere crimen alterius ad impediendum grave damnum proprium vel proximi; ergo multo magis id potes ad avertendum damnum, quod ipse criminosus tibi parat injuste inferre.

Illicita tamen est defensio immoderata propriæ famæ, ut si majorem infamiam alteri inferas ad tuam minorem avertendam: nam esset inæqualitas, ideoque injustitia refarcienda.

Quod si manifestatio alieni criminis non sit necessaria ad famæ tuæ defensionem, five quia potes eam aliter tueri, ut testibus, & juramento &c. five quia hæc revelatio ad tuam defensionem inutilis est; tunc illud detegendo peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem. Nam ille habet jus ad famam, quamdiu ejus infamia non est necessaria ad infamiam, quam tibi injuste infert, amovendam: & sine justa causa læderetur fama proximi, quod est intrinsece malum: esset que mera vindicta, *Sanchez, Molina, Deluge, Lessius dicens hanc esse communiorem sententiam.*

Resp. 4. Dum duo se mutuo infamarunt, & infamia utriusque æqualis est, si unus nolit famam alteri restituere, juxta multos alter non tenetur ad restitutionem, modo infamia prioris non redundet in alios. *Prob.* 1. Ex cap. ult. *de adul.* ibi: *Cum paria crimina compensatione mutua deleantur.* Quia in rebus temporalibus, quando jura sunt paria, si alter nolit tibi servare jus & solvere debitum, nec tu teneris præstare quod ei debes: est enim quædam justa defensio tui juris, & compensatio boni tibi debiti. Fama autem est bonum temporale, cujus domini sumus: unde uterque potest ob infamationem mutuam alter alteri restitutionem famæ condonare. Qui tamen prius læsit, tenetur ad restitutionem talis excessus infamiæ, alioqui non reduceretur æqualitas. Item si altero volente tibi restituere, tu nolis idem ei præstare, peccas graviter contra justitiam; quia ex causa damni quod is invitus patitur. Neque enim infamatio tui tollit infamiam ei illatam.

Quæst. XIX. *An qui infamiam a se injuste illatam tollere nequit, tenetur pecunia compensare?*

Resp. Multi negant, eo quod bona superioris ordinis nequeant restitui per bona inferioris ordinis; ac proinde tunc sit impotentia restituendi. Nam, inquiunt, justitia commutativa, quæ æqualitatem spectat ac postulat, non obligat ad restitutionem, nisi res ablata reddi possit vel in se, vel in æquivalenti saltem ex parte. Sed fama utpote bonum superioris ordinis ad pecuniam, non potest reddi in æquivalenti etiam ex parte per pecuniam, alioqui bonum inferioris ordinis posset tandem per sui incrementum exæquare ex toto bonum superioris ordinis, ac proinde pecunia totam famam, contra illud, Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.* Igitur cum fama sit supra omne pretium, non est pretio æstimabilis, nec compensabilis.

Alii tamen cum S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. & 2. probabilius docent, talem teneri compensare pecunia, vel pilis suffragiis pro infamato oblatis, vel aliter arbitrio prudentis, propter easdem rationes, ob quas dicunt pecuniam pro damno vitæ vel membri restitui debere. *Vide dicta*, part. 2. cap. 6. qu. 6.

Fatetur Lessius, infamatorem teneri ex quadam æquitate & etiam ex caritate infamiam pecunia compensare, si infamatus sit pauper, qui non videatur aliter mœrorem depositurus, & infamator sit dives. Sicut enim ratione alicujus conjunctionis vel beneficii accepti lex caritatis me magis obligat erga hunc, quam erga alium: ita etiam ratione alicujus incommodi, quod alteri intuli, magis teneor erga illum. Sed videtur hæc esse obligatio justitiæ: nam ex justitia depelli debet mœror injuste illatus, & in hoc casu pecunia est unicum medium aptum ad eum tollendum.

Porro consentiunt omnes, infamatorem, si per judicem condemnetur ad satisfactionem pecuniariam, teneri ex justitia illam præstare. Quia supposita tali injuria judex habet jus eum ad talem satisfactionem condemnandi in pœnam criminis, & dandi læso jus ad illam; idque etiamsi fama est recuperata; nam judex potest justa pœna punire delicta etiam post damna sarta. At quisque tenetur justæ sententiæ parere. Item si infamator transigat certa pecuniæ summa cum infamato, tenetur ex justitia eam tradere: nam hoc pactum est justum: cum infamatus possit certa pecunia paciscí, ut cedat jus quod habet ad accusandum infamatorem, & exigendam satisfactionem ac restitutionem cum erit possibilis. Justus autem conventiones obligant ex justitia.

Quæst. XX. *An honor per contumeliam læsus restitui debet, & quomodo?*

Resp. 1. Qui injuste alterius honorem læsit, coram

coram aliis, sive coram ipso solo, ex communi sententia tenetur ad restitutionem. Quia fecit injuriam contra justitiam commutativam; & contumelia parit imminutionem dignitatis; & dolorem ac mœrorem, quæ per satisfactionem tolli debent. Nam secundum æstimationem hominum per contumeliam læditur & imminuitur dignitas: dum enim aliquem contumelia afficis, ejus dignitatem lædi, eumque quantum in te est, villiorem reddis.

Item qui causam offensionis dedit proximo, tenetur quantum potest ipsum placare, & se ei reconciliare, ex Matt. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, erit reus gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo. . . . Esto consentiens adversario tuo cito &c.*

Quod si honor coram aliis læsus sit, debet apud illos omnes restitui, alioqui honor injuste ablatus non restitueretur ad æqualitatem. Si tamen læsus vindictam sumpserit de inhonorante, v. gr. si eum percusserit, & sic id toleravit, secundum Deluge non requiritur ordinarie ulterior satisfactio pro honore, nisi læsus sit multo superior. Quia pro satisfactione videtur acceptare vindictam de se sumptam, & hoc ipso quod aliter viciissim non vindicat, censetur agnoscere suam culpam, & testari existimationem de læso. Deberetur tamen alia reparatio honoris apud alios testes injuriæ, qui de hac vindicta sumpta nihil resciverit.

Resp. 2. Si simul cum contumelia illata sit infamia, vel ex illa sequatur aliquod aliud damnum, tunc etiam cum fama refarciri debet damnum illud, quia lædens est illorum causa injusta.

Resp. 3. Ea adhiberi debet satisfactio, quæ prudentum judicio, spectatis omnibus circumstantiis personæ lædentis, & læsæ dignitate, injuriæ gravitate &c. sufficiat ad reparandum honorem violatum: nam justitia obligat ad satisfactionem æqualem offensæ &c.

Varii autem assignantur satisfaciendi modi, scilicet exhibitio externa honoris, amica & honorifica salutatio ac compellatio, invitatio ad mensam locum honorificum ibi dando, significatio doloris, veniæ petitio, & alia signa doloris, humiliationis & reverentiæ erga offensum &c. Raro autem superiores tenentur veniam a subditis petere, *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*, ait S. August. epist. 109. Sed contumeliam offensione majoris benevolentiæ & peculiari honore ac favore tollere possunt.

Nota. Omissio honoris debiti superioribus vel etiam æqualibus, est peccatum non solum contra observantiam, sed etiam contra justitiam, ideoque obligat ad aliquam satisfactionem. Quia hoc debitum rigorosum est, & omissio honoris debiti, ubi & quando debetur, est inhonoratio ac contumelia interpretativa: nam per illam censetur lædi dignitas superioris, & honor æqualis: ut si transeunte prælato, non aperias caput, ceteris aperientibus, censeris eum contumelia afficere.

CAPUT V.

De injuriis in bonis, quæ dicuntur fortunæ, & necessaria restitutione.

Nota. Injuria circa bona fortunæ complectuntur omnes damnificationes, seu actiones & omissiones, quibus damnum in ejusmodi bonis injuste alteri infertur, five rem ejus usurpando, recipiendo, detinendo, five destruendo, five deteriorando, five exigendo id quod non debetur, five non solvendo id quod ei debetur ex justitia, five quovis alio modo. Quia omnia sub nomine furti late sumpti comprehenduntur, & prohibentur præcepto: *Non furtum facies*, ex Concil. Colon. & Catech. Romano. *Aperte enim totum significavit quidquid illicite rerum proximi auferetur*, ait S. August. in *c. Pœnale* 14. qu. 5. Et vero inferre quocumque modo damnum alteri, idem est, quod quidpiam ab ipso auferre. Nam (ut ait Aristoteles) damnum quempiam accipere idem est quod minus habere quam habere debuit. Quare quæ dicuntur de furto stricte sumpto, applicanda sunt omnibus aliis modis creandi damni proximo.

Quæst. 1. *Quid est furtum & rapina, & quomodo differunt inter se?*

Resp. 1. Furtum sumitur tripliciter. 1. Latissime pro omni injusta damnificatione in bonis, five commissione, five omissione fiat. 2. Late pro omni injusta acceptione rei alienæ, five ea fit fraudulenta ut fit per contractus iniquos, five occulta ut fit per furtum stricte dictum, five violenta ut fit per rapinam. 3. Stricte, & furtum sic sumptum est occulta rei alienæ oblatio invito rationabiliter domino; vel ejus justo detentore.

Dicitur, 1. *Ablatio*, per quam intelligitur occupatio, acceptio & retentio: nam acceptio, & accepti retentio moraliter censetur eadem actio: qui enim rem alienam inique retinet, licet eam antea juste acceperit, perinde facit ac si tunc primo injuste acciperet. *Detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta: & ideo sub injusta acceptione intelligitur etiam injusta detentio*, ait S. Tho. 2. 2. qu. 66. art. 3.

2. *Occulta*, hoc est, quæ fit domino nesciente, vel saltem quam quis intendit facere domino nesciente, & sine vi.

3. *Rei*, quo nomine a Theologis intelliguntur non solum res corporales & mobiles, sed etiam res immobiles & jura, ut census, servitutes, usus ac possessio.

4. *Invito domino*, seu sine consensu domini saltem prudenter præsumpto. Nam si quis acciperet aliquid, quod prudenter judicat donaturum dominum, si peteret, & nequit petere, non furatur, ex l. 47. *ff. de furt.* Si autem id incertum sit, præsumendus est dominus invitus, cum nullus præsumatur velle ut bona sua auferantur.

5. *Rationabiliter*. Nam dominus debet esse cum ratione invitus: unde qui in extrema necessitate accipit occulte ea quibus indiget ad vitam servandam, nec aliter potest habere, non est reus furti.

6. *Vel ejus detentore*, seu possessore. Nam furtum committitur quoties auferitur res invito eo qui

eam legitime possidet vel detinet, ut conductore, commodatario &c. Ex l. 10. & 11. §. de furt. Quia tunc auferur usus, possessio, vel securitas, quam alter per illam rem habebat.

Resp. 1. Rapina est rei alienæ usurpatio injusta & violenta, seu facta præsente & invito domino, vel ejus detentore justo. Species differt a furto, quia injustitiæ furti superaddit aliam injuriæ speciem contra proximi honorem: nam vim inferre alicui in bonis suis, species quædam est contemptus & contumeliæ. Quare rapina ceteris paribus est peccatum gravius furto. Immo fieri potest ut quis mortaliter peccet in genere contumeliæ, licet res ablata sit materia furti venialis, ut si rem exiguam superiori vel personæ illustri per vim eripias.

Porro rapinæ reus est, qui per metum injuste incussum aliquid ab altero extorquet: ut si publici ministri, vel potentes viri aliquid indebitum postulent ab aliis, quod rogati ob metum reddere non audeant, ethnicæ crimen concussionis. Nam ipsis interius resistentibus vim inferunt, dum exterius reluctari non audent.

Quæst. II. *Quomodo dividitur furtum?*

Resp. Dividitur in simplex, & qualificatum, quod scilicet secundum leges est dignum majore pœna, quodque quadruplex est. Primum est Sacrilegium, quod est furtum rei sacræ, vel rei prophanæ in loco sacro. 2. Est Peculatus, quod est furtum rei ad fiscum vel ærarium publicum pertinentis. 3. Plagium, quod est furreptio servi alieni, vel etiam hominis liberi. 4. Abigeatus seu adductio alienorum pecorum.

Quæst. III. *Quale peccatum sunt furtum, & quævis injusta damnificatio, & rapina?*

Resp. Sunt mortalia ex genere suo; ita omnes. Constat, 1. Ex 1. Cor. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare ... Neque fures ... Neque rapaces regnum Dei possidebunt.* 2. Quia sine justa causa & auctoritate inferre damnum proximo est tum contra caritatem, tum contra justitiam, quæ virtutes obligant sub mortali in re gravi. *Quam grave scelus furtum sit, ipsa naturæ vis & ratio satis ostendit: est enim justitiæ contrarium, quæ suum cuique tribuit*, ait Catechismus Concilii Tridentini.

Dixi, *Ex genere suo*: quia furtum potest esse veniale ex parvitate materiæ: nam per furtum rei levis leve damnum infertur proximo, nisi inde sequatur aliud malum.

Quæst. IV. *Quenam quantitas requiritur, ut furtum, vel quævis alia damnificatio in rebus externis sit mortalis?*

Nota. 1. Furtum rei levis potest esse mortale per accidens ratione damni inde secuti aut lucri cessantis: ut si acum furaris sartori, qui non possit aliam habere, & ideo uno, vel pluribus diebus operas suas perdat; tunc peccas mortaliter, non quidem peccato furti stricte dicti, cum non furripias aliquid notabile, sed peccato damnificationis injustæ, quæ proprio nomine caret: nam per ablationem actus ex causa injusta, cur sartor damnum grave patiatur; est autem mortale contra justitiam, creare alteri grave damnum sine justa causa. 2. Ratione scandali, ut si scias ideo alterum blasphematurum: nam mortale est sine justa causa facere id, ex quo prævidetur alter mortaliter peccaturus. 3. Ratione gravis memoriæ, quem concipit dominus ex furto rei levis propter affectum ad illam: tunc enim graviter peccas saltem contra caritatem, ex qua tenemur impedire grave damnum proximi, quando facile possumus; licet illud irrationabiliter eventum sit. Sed hic quæritur quænam materiæ quantitas per se requiratur ad mortale, seclusis omni alio.

Nota. 2. Quantitas per se requisita ad mortale peccatum in furto & quavis alia damnificatione injusta, debet esse gravis, vel absolute, vel respective: nam ablatio rei levissimæ, puta oboli, non potest esse mortalis per se, cum sit levis læsio proximi, & leve malum. Quantitas autem gravis absolute est ea, quæ secundum se & respectu omnium est notabilis, & parit utilitatem notabilem: ideoque ejus ablatione privat notabili utilitate, & sic infert damnum notabile, & consequenter reddit dominum cum ratione graviter invitum. Quantitas gravis respective est ea, quæ est notabilis relate ad facultatem, conditionem & indigentiam certarum personarum, spectatis omnibus circumstantiis: sic quantitas aliqua levis respectu divitis, censetur gravis ac notabilis respectu pauperis ratione illius inopiæ. Hinc Marc. 12. Christus ait, viduam pauperem, quæ duo minuta dederat, plus, spectata scilicet ejus penuria, dedisse, quam divites, qui multa præbuerant.

Resp. Quantitas gravis absolute, ideoque sufficiens ad mortale respectu omnium, etiam regum, est ea, quæ exæquat valorem sexaginta affium seu trium libratum. Nam talis summa secundum se spectata, est notabilis, & parit utilitatem notabilem. Nec levis est etiam respectu regis spectatis omnibus ejus oneribus, ad quæ sustinenda non parum juvat ex ea enim rex posset uno die decem vel duodecim milites alere, qui vitam suam pro illo exponunt, vel unum militem per multos dies. Igitur cum talis valor in ordine ad usus humanos sit magnus in se, nec contemnendus, ejus damnum merito censetur magnum absolute & respectu cujuslibet vel divitissimi, quem privat facultate disponendi de bono secundum se notabili, nec parum utili; & sic talis valoris damnum est notabile secundum se ac ratione boni ablati. Adde quod si tale furtum non prohiberetur graviter, daretur occasio multis illud patrandi, unde sequerentur gravissimum damnum principibus; immo multi doctores minorem quantitatem ad mortale asfiguant etiam respectu divitissimorum.

Quantitas vero gravis respective ad conditiones personarum & sufficiens ad mortale, quadruplex est; nimirum respectu divitis est circiter triginta asses; respectu mediocriter divitis viginti asses; respectu artificis non pauperis duodecim asses, vel quantum ei valet merces operæ diurnæ; respectu pauperis sex asses, vel id quod singulis sufficit ad victum diurnum. Nam unaquæque hæc summa respectu singulorum merito censetur notabilis, & singuli præsumuntur in his esse cum ratione graviter inviti: enim vero talis summa est respectu singulorum pretium laboris haud levis, & illis sufficit ad victum diurnum, & non exiguam ipsis parit utilitatem; atque ejus privatio incommodum non leve. Et vero victus diurnus secundum communem existimationem, est quid notabile: ergo quantitas ad eum necessaria, est etiam notabilis.

Nota. Cum quantitas materiæ furti mortalis non possit mathematice statui, sed tantum moraliter, qui regi

regi surriperet summam designatam excepto uno vel altero asse, censebitur peccare mortaliter, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur: ac proinde quæ parum distant, nihil distare censentur.

Quæst. V. *An & quando peccatur mortaliter per minutia furta?*

Resp. 1. Ex communi sententia, qui per plura parva furta, uni vel pluribus facta, intendit acquirere quantitatem notabilem, peccat mortaliter cum illa intentione: quia voluit furandi rem notabilem, seu inferendi damnum notabile, mortalis est: nam est voluisse peccandi mortaliter, & actus voluntatis participat totam malitiam objecti. Tum etiam quovis furto levi ex illa intentione procedente; quia singulis vicibus auferi rem parvam cum intentione mortali auferendi magnam. Quod autem fit ex intentione mortali, quamvis in se leve fit, est peccatum mortale: actus enim imperatus a voluntate participat malitiam interioris actus imperantis: nam cum illo constituit unam moraliter actum totalem, ethicæ illius executio. Supposita tamen tali intentione, multa illa furta continenter facta, unum sunt furtum mortale: quia manant ab uno eodemque proposito efficaci, non interrupto & virtualiter permanente. Sed si interrupte fiant, tunc multiplicantur actus voluntatis mortaliter mali? Item peccat mortaliter qui rem levem semel furatur cum voluntate furandi magnam, si ea occurreret, quia habet volitionem furti mortalis.

Resp. 1. Qui sæpe minima furatur sine animo auferendi rem notabilem, sed tantum ex occasione data accipit successive quantitatem notabilem, vel damnum notabile paulatim & successive infert, peccat mortaliter per ultimum furtum vel damnum rei de se levis, sibi advertit se per illud quantitatem notabilem complere. *Est communis sententia.* Prob. Non solum quia tunc incipit detinere alienum in notabili quantitate, ut docet communis sententia, sed etiam ratione ipsius acceptionis, ut docet saltem communior. Nam tunc scienter accipit usque ad notabilem quantitatem, & hac ultima acceptione notabile damnum infert. 2. Qui vult & ponit complementum damni notabilis proximi, eo ipso vult damnum notabile proximi, sed qui vult damnum notabile proximi, peccat mortaliter: Ergo. Et vero si quis decem furtis parvis furripuit novem asses artifici, & videns, si adhuc tres furetur, quantitatem fore notabilem, & damnum grave respectu illius; certo eo ipso quod vult furari & furatur tres asses, vult saltem interpretative quantitatem quam furripuit, esse notabilem, & damnum quod intulit, esse grave. Sed qui hoc vult, peccat mortaliter. 3. Hæc ultima acceptio licet de se levis, prout conjuncta moraliter cum aliis prioribus complet ablationem rei gravis, revera gravis est, ac proinde mortalis: sicut retentio ultimæ partis licet de se levis, tamen quatenus cum retentione aliarum jam acceptarum complet retentionem gravem, est gravis ac mortalis retentio. Itaque licet levia furta præterita non uniantur moraliter cum hoc ultimo in ratione peccati, uniuntur tamen ratione materiæ & damni illati: multæ enim leves materiæ & multa levia damna inter se moraliter uniuntur, & aliquid grave constant. Hanc autem totam materiam gravem censeris velle per ultimum furtum illam complens, quo volens injuste retinere [illegible], adhuc scripis unam cum aliis prioribus aliquid grave constituentem: sicque vis omnes illas simul sumptas, ideoque grave damnum alterius.

Hinc famuli & ancillæ peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, si per plura furta levia etiam circa esculenta & poculenta, quantitatem sufficientem ad mortale compleant: quamvis juxta multos requiratur major quantitas in esculentis & poculentis, quæ ipsimet consumunt, quam in iis quæ aliis donant. Item dic de liberis, licet circa illos multi requirant majorem quantitatem, quam circa famulos, quia, inquiunt, parentes sunt minus inviti.

Immo secundum Rebell. Sanchez, Delugo, Bonac. & alios, quodlibet furtum leve factum post completam materiam est mortale. Quia toties adest voluntas talem implicita augendi prius damnum grave, quod reipsa augetur; & toties completur voluntas habendi materiam gravem, partim retinendo, partim addendo novam, ac proinde quodlibet furtum subsequens est executio talis pravæ voluntatis.

Resp. 3. Qui per furta minima quantitatem notabilem implevit, ex communi sententia tenetur sub mortali quam primum restituere: quia alioqui esset iniquus detentor rei alienæ, seu alteri debitæ notabilis, & lædetur jus alterius in re gravi. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

Resp. 4. Tota hæc doctrina de levibus furtis vera est, etiamsi fiant diversis personis, quarum singulæ seorsim sumptæ damnum damnatum leve patiantur, ita ut 1. quodlibet ejusmodi furtum cum animo quid notabile acquirendi, fit mortale. *Ita communiter.* Tum quia graviter & generaliter damnantur in Scriptura omnes, qui utuntur ponderibus vel mensuris iniquis, licet ex tali usu sæpe leve damnum ex damnum singulis obveniat, Deut. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor .... Abominatur enim Deus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Et Prover. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum ... & pondus æquum voluntas ejus.* Tum quia quodlibet fit cum voluntate mortali, seu peccandi mortaliter: nam mortale est velle furari alienum in magna quantitate, cum hoc graviter prohibitum sit, & materia sit gravis. Præterea hæc ratio damni creandi nocet graviter sociatæ humanæ; unde merito censetur graviter prohibita jure naturali: nam alioqui singuli a diversis possent grave damnum accipere, & daretur ansa artes ac labores honestos negligendi; nam citra mortale quilibet posset ditescere per minuta illa furta diversis facta.

1. Licet plura levia furta ac damna fiant diversis fine intentione acquirendi aliquid notabile, sed tantum ex occasione data, tamen ultimum furtum, seu damnum de se leve, sed complens quantitatem notabilem, est mortale. *Ita Turrian. Valentia, Sanchez, & alii multi.* Quia licet quantitas sit levis respectu singulorum, quibus fit furtum, nec proinde singulis inferatur grave damnum, est tamen notabilis respectu communitatis, seu multitudinis eorum. Ergo fur ultimo furto levi complente quantitatem notabilem, vult & infert damnum notabile illius com-

communitati seu multitudini eorum; & vult habere & habet alienum in magna quantitate. Et vero multis inferre damnum parvum, petinde est, inquit Lessius, ac si uni inferas magnum; nam omnia illa parva simul juncta efficiunt unum magnum, quod est communitatis, quæ tali semma posset aliquem notabiliter juvare.

1. Est obligatio sub mortali sic accepta restituendi quam primum, nam alioqui injuste retineretur res aliena notabilis, & notabile damnum injuste illatum continuaretur. Quod si restitutio fieri moraliter nequeat singulis, quibus subtracta est res levis, aut illatum leve damnum, vel quia ignorantur ii singuli, vel quia executio difficillior est, quam res tantilla possidet, vel quia periculum est infamiæ; tum restitutio fieri debet pauperibus communitatis damnificatorum, vel in alia pia opera eidem loco utilia impendi: nam hoc videtur consentaneum justæ voluntati illorum. Secus, si quis sit modus restituendi ipsis justis vel majori illorum parti, v. gr. vendendo essidem civibus pedca in majori mensura, vel minuendo pretium: quia læsus habet jus ut damnum sibi restituatur, dum restitui ei potest."

Nota. Secundum multos ad mortale requiritur major quantitas in furtis parvis, quæ fiunt pluribus, quam quæ uni: quia damnum divisum in plures censetur minus. Iidem Doctores communiter aliquando plus requirunt in furtis levibus ad mortale constituendum, quam in uno furto gravi, quando inter furta illa parva intervallum magnum intercedit. Quia dominus minus graviter cum ratione invitus est, & minus damnum censetur, quam si simul eadem quantitas furriperetur. Unde exigunt quantitatem paullo majorem in illis furtis minutis, ut quantitas censeatur notabilis in ordine ad constituendum mortale, quam in uno furto gravi. Certe si non adeo magnum sit intervallum, non requiritur ad materiam gravem major quantitas, dum paullatim accipitur, quam dum simul; nam tunc illa ejusdem est æstimationis, & damnum æque magnum infertur.

Quæst. VI. *An quando plures uni per levia furta grave damnum inferunt, singuli peccant mortaliter, & teneantur ad restitutionem, licet singuli parum accipiant?*

Resp. 1. Si id communi consilio, vel auxilio, vel concursu fiat, singuli peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem in solidum: nam singuli consentiunt in totum damnum, & ad illud totum moraliter cooperantur. Hinc si multi milites vineam ingressi, communi consilio vel auxilio notabile damnum inferant, quilibet miles peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem in solidum, licet duos tantum racemos carpsisset.

Resp. 2. Si id casu fiat, ita ut alter alterius non sit conscius, sed quilibet seorsim, & dependenter ab alio leve damnum inferat, ignoreque damnum ab aliis illatum, vel inferendum, tunc nullus peccat mortaliter, & singuli tenentur solum sub veniali restituere partem damni a se illati. Quia tunc singuli non sunt causa physica aut moralis damni notabilis, nec in illud ullatenus consentiunt, unde quod damnum notabile ex singulorum furtis simul sumptis sequatur, est omnino per accidens & præter intentionem singulorum.

Resp. 3. Si advertant notabile damnum inferendum per minuta furta, & tamen aliquid leve singuli accipiant, sed sine communi consilio & auxilio, ita ut nullus sit alteri suo exemplo vel hortatione causa furandi, quilibet peccat solum venialiter, & tenetur tantum ad restitutionem levis damni quod infert; quia quilibet non est physica vel moralis causa damni gravis, sed duntaxat levis. Damnum enim leve per suum furtum intulit, & non fuit aliis causa, nec occasio furandi, ut supponitur; nec consilio, auxilio, aliave ratione cooperatus est moraliter damnis ab aliis illatis. Nec unum furtum ratione solius cognitionis aliorum conjungitur moraliter cum illis in ordine ad constituendum unum damnum grave imputabile singulis, nec quilibet tunc vult interpretative damnum notabile proximi, ac in illud consentit. Quia quilibet non cooperatur moraliter gravi damno, & per accidens ac præter cujusque intentionem est, quod suum furtum cum aliis grave damnum physice constituat.

Quæst. VII. *An fur acquirat dominium rei furtivæ?*

Resp. Neg. Si ea discerni possit a rebus propriis: quia ad transferendum dominium requiritur justus titulus, ex l. 1. §. *de acquir. rer. domin.* qui hic deest. Idem dic de usuris, quia ex hac lege nunquam nuda traditio transfert dominium, nisi præcesserit venditio aut justa causa. Cum autem, *infr. de rer. divis.* dicitur, traditione rei transferri dominium, hoc intelligitur de traditione rei cum justo titulo, quem alibi leges requirunt. At traditio usurarum est sine justo titulo seu causa justa, nam ratione mutui nihil licet accipere; nec illæ liberaliter ac sponte donantur; sed sunt bonum alienum domino invito ac sine justo titulo acceptum & retentum, petinde ac pecunia a latrone extorta. Hinc qui bona fide res alienas a fure vel usurario accepit, tenetur eas restituere vero domino, ubi primum id resciverit; nam *nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habetur*, L. 54. §. de reg. jur.

Si autem fur vel usurarius res furtivas vel usuras suis rebus permiscuerit ita ut ab his discerni nequeant, & ipse habeat animum acquirendi sibi totum cumulum, earum dominium juxta multos acquirit, ex instit. de rer. divis. & l. 78. §. de solut. ibi: *Si alieni nummi inscio vel invito domino soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt. Si mixti essent, ita ut discerni non possint, ejus fieri qui accepit, in libris Cassii scriptum est, ita ut actio domino cum eo qui decisset furti competeret.* Sed lex illa non loquitur de mixtione mala fide facta. Et *Instit. loco cit.* id relinquitur arbitrio judicis. Illud certum est, remanere tunc obligationem restituendi earum valorem, & compensandi omnia damna ob injuriam illata. Ex communi autem sententia fur & usurarius fiunt domini pretii accepti ab emente bona fide rem aliquam alienam, sed cum prædicta obligatione, ex l. 49. §. *de furt.* ibi: *Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse nemini dubium est. Nummus ergo qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus.* Quare si hæc pecunia fur aliquid emat, v. gr. pannum, venditor fit dominus talis pecuniæ, nec tenetur illam restituere, cum sit furis: sed fur manet obligatus ad restitutionem. Immo fur aliquid emens pecunia furtiva, rei emptæ dominium acquirit, ex *l. penult.* Cod. *Si quis alteri sibi &c.* Venditor vero non fit dominus pecuniæ furtivæ, nisi quando illam cum propria miscuit, ita ut ab illa discerni nequeat, l. 78. §. *de solut.* Ratio est, quia fur non habet dominium rei furtivæ sicut alter contrahens sei suæ: ergo non potest illud æque transferre. Præterea hoc ita statuum est legibus; nec est iniquum, quia pro eo quod rei alienæ venditor sit dominus pretii, ipse vicissim emptori de evictione obligatus manet.

Quæst. VIII. *An licet occulte recipere rem suam apud alium extantem?*

Resp. 1. Qui occulte accipit rem suam apud alium justo titulo, v. gr. pignoris, locationis, commodati extantem, peccat contra justitiam, & tenetur rem illam reddere, & refarcire damnum, si quod inde evenit. Quia injuste alium privat usu juris, quod in illam rem habebat, scilicet juris securitatem ex ea percipiendi, vel ea utendi. Qui autem rem suam apud alium depositam furtim accipit, peccat; quia (ut ait S. Th. qu. 66. art. 5. ad 3.) gravat depositarium, & fic tenetur ad revelandum hoc gravamen, ipsum monendo, vel depositum reddendo.

Resp. 2. Qui occulte accipit rem suam apud alium sine justo titulo extantem, & quam potest alia ratione, puta per judicem recuperare, peccat contra justitiam legalem, quia violat juris ordinem. Sed non tenetur ad restitutionem, quia res illa sua est, & alter nullum jus in illam habet. Ita S. Th. 2. 2. qu. 66. art. 4. ad 6. ibi: *Qui furtim accipit rem suam apud alium injuste detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet; (& ideo non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum) sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium, juris ordine prætermisso. Et ideo tenetur Deo satisfacere; & dare operam ut scandalum proximorum, si inde ortum fuerit, sedetur.* Talis autem non peccaret, si alia ratione, nempe petitione, vel judicis auctoritate, vel sine magnis sumptibus rem suam recuperare non posset, modo abstr scandalum, & moneatur injustus detentor (si fieri potest) nihil jam debere.

Quæst. IX. *An uti licet occulta compensatione?*

Nota. Occulta compensatio est, cum inscio eo qui tibi debet, accipis, vel retines privata auctoritate ex eju bonis ea, quæ tibi certo debet ex justitia.

Resp. 1. Non licet officialibus Reip. opificibus, operariis, famulis & ancillis &c. aliquid furripere, eo quod putent stipendium, de quo convenerunt, esse justo minus. Quia, 1. Innocent. VI. damnavit hanc propositionem: *Famuli & famulæ domestici possunt occulte heris suis furripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod acceperunt.* 2. Nunquam licita est compensatio, nisi debitum si certum, quod hic non contingit. 3. Agerent contra pactum: nam consenserunt in pretium minus. 4. Nihil eis debetur ex justitia ratione laboris & operarum, nisi pretium de quo conventum est, licet sit infimum, ex Matth. 20. *Non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum?* Quod si constaret pretium illud, de quo convenerunt, esse minus infimo, tamen fieri potest ut illorum opera non sit magis utilis domino, qui illos noluisset acceptare sub majore pretio. An autem hoc ita se habeat, non ipsorum, sed domini est judicare. 5. Non invenerunt alios, qui plus dare voluerint. Ego illud est justum pretium: nam justum pretium est illud, quod communiter homines solvunt: nec enim plus valet res vel opera, quam id quod communiter pro ipso inveniri potest. Denique si id liceret, aperiretur via innumeris furtis: nam isti sibi facile persuaderent stipendia esse justo minora; essentque judices & executores in propria causa etiam dubia ac incerta. Hinc sartores peccant contra justitiam, si retineant fragmenta panni, fila serica &c. ut sic compensent sibi mercedem, quam putant satis magnam non solvi; & tenentur ad restitutionem. Idem die de aliis, qui laborant in materia aliena.

Resp. 2. Concurrentibus certis conditionibus licita est occulte compensatio. *Et communis sententia*. Quia jure naturali cuique licet in damnem se servare citra alterius injuriam. In occulta autem compensatione licita nemini fit injuria: nam occulta compensatio neque est contra justitiam commutativam, cum nulla injuria inferatur debitori nolenti solvere, ipse enim ex justitia tenetur tantumdem dare, & creditor accipit id quod ex justitia suum esse debet, estque justa defensio ab injuria, qua creditorem continuo vexat debitor injuste retinendo id, quod ei ex justitia debet. Ergo debitor non potest esse rationabiliter invitus quoad substantiam; sed nec quoad modum, quia creditorem excusat necessitas, & impotentia aliter accipiendi solutionem. Neque est contra justitiam legalem & pubblicam potestatem: nam supponitur judex vel nolle, vel non posse rem debitam creditori adjudicare.

Conditiones autem necessariæ ad licititam compensationem, hæ sunt.

1. Ut certum sit, rem illam tunc actu debitam esse ex justitia. Nam si id incertum esset, non liceret occulte furipere: quia in dubio & in casu incerto melior est conditio possidentis; & iniquum est pro debito incerto certam solutionem propria auctoritate sumere, atque exponere se periculo accipiendi rem alienam sibi non debitam. Neque id licet, si res non esset debita ex justitia, sed solum ex gratitudine; quia debitum ex gratitudine non est rigorosum, nec ullum parit jus ad rem, nec est circa aliquid determinatum, sed pendens ex libera voluntate alterius. Defectus hujus conditionis continet peccatum injustitiæ obligans ad restitutionem, quia tunc fit injuria cum damno.

2. Ut creditor non possit rem suam vel sibi debitam alia ratione, puta petitione, vel per judicem obtinere, saltem sine gravi detrimento vel incommodo. Alioqui fieret injuria publicæ potestati, & peccaretur contra ordinem debitum a jure constitutum juxta l. unic. Cod. *Ne quis in sua Causa*. ibi. *Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere*. Solus tamen defectus hujus conditionis non obligat ad restitutionem: quia debitori non est illatum damnum, cum (ut supponitur) non plus acceptum sit ex ejus bonis, quam certo debitum erat ex justitia. *Ita S. Antonin*.

3. Ut creditor non accipiat rem debitoris depositam apud se, vel sibi commodatam ex l. 11. Cod. *depos.* & l. ult. Cod. *commodat.* & ex c. ult. *de depos.* ubi Gregor. IX ait: *Sane depositori licuit, pro voluntate sua depositum revocare contra quod compensationi, vel deductioni locus non fuit: ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minime referatur, licet compensatio admittatur in aliis, si cau-*

si causa ex qua postulatur, sit liquida. Ratio est, quia heret contra fidelitatem & obligationem depositi vel commodati, quod maximam fidem postulat, & contra conventionem saltem tacitam restituendi rem domino.

4. Ut accipiatur res in eadem specie, si fieri potest: alioqui debitoris res sine necessitate & ejus consensu, ac proinde injuste permutaretur.

5. Ut fiat fine periculo scandali, & infamiæ propriæ vel proximi, vel damni tertii, qui putaretur furatus, & cogeretur restituere. Nam quamvis hoc dammum sequeretur per accidens, tenemur tamen ex caritate impedire grave malum proximi, quoties possumus sine nostro gravi damno.

6. Ut fiat sine injuria tertii, qualis esset, si acciperetur res alteri commodata, locata, oppignorata, vel apud eum deposita. Nam iste tertius habet jus, rem illam ad suum usum vel fecuritatem detinendi, aut custodiendi. Item si bona omnia essent hypothecata aliis: nam hi habent jus ex iis solutionem accipiendi cum detrimento aliorum. Vel etiamsi non essent hypothecata, sed non sufficerent aliis debitis solvendis, non potes integram solutionem recipere, nisi hypothecam, vel privilegium habeas: nam alioqui non habes jus ad integram solutionem cum damno aliorum, sed solum pro rata, cum alii creditores æque jus habeant ad bona debitoris, quod jus violas, si ex integro debitum recipias; nam infers aliis id, quod pro rata perciperent. His adde, ut facta compensatione, debitor, si fieri moraliter potest, moneatur nihil jam debere; tum ne permaneat in peccato, existimando se teneri debitum solvere; tum ne ipse, vel ejus hæredes cogantur iterum solvere tuis hæredibus. Quod si voluerit postea solvere, non debet accipi iterata solutio, vel si nequeat sine infamia recusari, occulte statim restitui debet.

Cum autem rarissime omnes istæ conditiones concurrant, rarissime licita esse potest compensatio occulta. Quamvis autem sit illicita, non tamen obligat ad restitutionem, nisi quando injuste illatum est dammum alteri.

Quæst. X. *An licet in gravi vel extrema necessitate alienu furripere?*

Resp. 1. Non licet in necessitate tantum gravi alienum furripere. *Prob.* 1. Ex c. 3. de furt. *Si quis propter necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres.* 2. Innocentius damnavit hanc propositionem: *Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate*. Neque jure naturali, neque gentium id permittitur, cum in sola extrema necessitate bona sint communia. Immo id debuit jure naturali prohiberi: nam si liceret, pateret via innumeris furtis cum magno societatis humanæ detrimento, ac perturbatione Reipubl. nec homines satis abstinerent ab otio, inertia, vel dilapidatione bonorum.

Resp. 2. In extrema necessitate licet accipere rem alienam, necessariam ad vitæ suæ vel suorum conservationem. *Est communis sententia*. Quia in extrema necessitate omnia sunt communia saltem quoad usum. Nam quisque habet jus naturale & obligationem conservandi vitam suam ac suorum per media ordinaria ad hoc ex se ordinata, & a Deo auctore naturæ omnibus concessa, qualia sunt bona externa, quorum proinde divisio & proprietas fieri non potuit, nisi servato alias jure utendi illis in extrema necessitate.

In tali necessitate *etiam potest aliquis occulte rem alienam accipere, ut subveniat proximo sic indigenti*, ita S. Th. 2. 2. q. 66. art. 7. ad 3. si nempe ex propriis bonis nequeat illi subvenire: tunc enim furripiens est veluti instrumentum indigentis. Præterea cum quisque teneatur diligere proximum sicut seipsum, potest & debet ei subvenire eo modo, quo sibi licite posset & vellet opitulari in eadem necessitate.

Neutrum tamen licet, 1. Si dominus rei sit, vel foret in pari necessitate. *Ita omnes*. Nam *in pari causa melior est conditio possidentis*, reg. jur. 2. nisi proinde sit, posse re convenienti modo petendo obtinere id quo indiges; quia cum propria per donationem habere potes, sine necessitate alienum furripere. Putat tamen Lessius, in hoc casu peccare solum venialiter non petendo: eo quod non peccetur quoad rem ipsam, sed solum quoad modum, & dominus debeat esse contentus quoad substantiam.

Qui autem rem alienam etiam magni momenti clam in extrema necessitate furripuit, secundum multos non tenetur restituere; quando commoda facultas aderit. Quia omnia tunc sunt communia simpliciter & absolute, cum bona ad vitæ conservationem a Deo hominibus omnibus concessa sint. Unde S. Th. ad 2. alt. *Per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam*. Teneris tamen restituere id, quod muruo accepisti, vel emisti, & in extrema necessitate consumpsisti. Quia consumpsisti rem propriam acquitam per contractum obligantem ad reddendum æquivalens; & ideo quando res illa perit, tibi, qui es dominus actu, perit, non alteri, qui fuit, sed jam non est ejus dominus. Quare obligatio, quam per contractum contraxisti, per supervenientem necessitatem fuit solum suspensa, non extincta. Idem die, si res in necessitate accepta perduret hac tranfacta, ex cap. *Quod* 1. q. 7. Sic qui equum alterius abstulit, ut fuga vitæ consulat, tenetur illum reddere, ubi ex periculo evasit: quia indigebat solum usu equi, non ejus proprietate. Item qui magnam pecuniæ summam in extrema necessitate furripuit, teneatur ea transacta restitutum restituere, quia cessante tali necessitate cessat jus ex ea oriundum, quod est solum ad vitæ necessaria. Item si non sis simpliciter & absolute pauper, sed habeas alibi bona, teneris restituere, quod extra patriam in extrema necessitate furripuisti; quia non licet alienum furripere, nisi eo modo, quo extrema necessitas urget. At necessitas non est simplex & absoluta; ergo non potes quidquam sumere nisi sub conditione restituendi. Præterea non habes plus juris ad capiendam rem alterius, quam hic habeat obligationem eam dandi tibi: at tenetur solum eam tibi mutuare, cum non sis simpliciter pauper.

Quæst. IX. *Quandonam uxor marito, & maritus uxori injuriam infert in bonis, & tenetur ad restitutionem?*

Resp. 1. Ex communi sententia, uxor peccat contra justitiam, & tenetur restituere viro vel ejus hæredibus, si aliquid de bonis dotalibus, vel communibus, vel propriis viri furripiat aut impendat invito rationabiliter marito. Quia injuriam cum damno infert marito: nam is solus in suum commodum habet administrationem dotis, & bonorum communium, quæ scilicet conferuntur initio, vel acquiruntur tempore matrimonii, & proprietatem mediæ partis horum, ut constat ex jure: dominium vero omnium bonorum propriorum, id est, quæ ipse ante matrimonium habebat, & quæ per contractum matrimonii noluit esse communia. Uxor tamen, secundum communem sententiam, potest de bonis communibus, & fructibus dotalibus accipere quantum opus est ad suam sustentationem, ad quamcunque familiæ necessitatem, si maritus ea deneget, cum dare possit; vel ad eleemosynas moderatas faciendas secundum consuetudinem piarum mulierum ejusdem conditionis & facultatis, nisi vir sufficientes largiatur, vel ad avertendum damnum familiæ aut mariti, ut fecit Abigail 1. *Reg. c.* 25. Item si maritus sit prodigus, potest uxor subtrahere bona necessaria ad alendam familiam, & educandos ac collocandos liberos secundum finm statum. Nam in his omnibus maritus non est rationabiliter invitus, cum speciali jure teneatur illa præstare, & familiam ac uxorem sustentare conveniente suo statui, & spectatis facultatibus utriusque. Vir enim debet uxori tamquam sociæ, familiæque matri decentem sustentationem pro qualitate status & quantitate facultatum utriusque; & ideo uxor dedit ei dotem, & insuper præstat subsidium atque operas suas.

Potest etiam uxor ex bonis dotalibus & communibus, si non habeat aalia, nec vir dare velit, accipere quantum opus est ad suppeditandam sustentationem necessariam patri indigenti, vel matri, vel proli propriæ indigenti, si quam habet ex alio matrimonio, modo remaneant necessaria marito & ejus familiæ. Quia ipsa tenetur illis subvenire, & illi jus speciale ab ea petendi alimenta habent, nec vir potest rationabiliter id iuique ferre. Omnia tamen hic tradita tenetur probabiliter uxor referre in suam partem, dum partitio fiat cum hæredibus viri; quia injuste de alieno subveniret, cum habeat propria. Alii tamen censent, uxorem ad hoc non teneri; quia ea lege censentur matrimonia contrahi, ut onera & debita realia quæ superveniunt uni conjugum, fiant quoque debita alterius; & quia inopia parentum, filiorum, uxoris censetur esse inopia ipsiusmet uxoris, cui maritus subvenire tenetur.

Resp. 2. Maritus peccat contra justitiam, & tenetur restituere uxori, vel ejus hæredibus, 1. Si dissipet ejus dotem, cum dotis proprietas sit penes uxorem: vel accipiat aut impendat bona paraphrenalia, id est, ea bona quæ uxor non attulit in dotem, nec per contractum matrimonialem voluit esse communia, sed sibi reservavit; nam uxor habet illorum omnium plenum dominium & administrationem, nec proinde vir habet jus ullum de iis disponendi. Idem dic de bonis sibi a marito vel a quovis alio donatis, ut de illis libere disponat.

2. Si bona communia notabili quantitate, invita uxore, prodige donet, vel in usus malos aut vanos impendat: nam licet horum a administratio sit penes maritum, tamen proprietas mediæ partis illorum ad uxorem jure communi pertinet; ac proinde maritus facit ei injuriam, partem ipsius, ipsa rationabiliter invita, profundens. Unde soluto matrimonio, tenetur maritus, vel ejus hæredes ad restituendum uxori, vel ejus hæredibus. *Ita Lessius, Sanchez, & alii multi*.

Quæst. XII. *An liberi peccent, & teneantur ad restitutionem, surripiendo bona parentum?*

Resp. Liberi qui surripiunt vel impendunt aliquid notabile ex bonis parentum, vel ex bonis quorum dominium vel usumfructum pater habet, peccant mortaliter, & tenentur restituere parentibus vel cohæredibus. *Est communis sententia*, & constat, 1. Ex Prov. 28. *Qui subtrahit aliquid a patre suo & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*. Ergo peccat mortaliter: 2. Quia accipiunt rem alienam notabilem invito domino: neque enim habent jus ullum disponendi de bonis parentum viventium. Nam *quamvis filiusfamilias sit hæres, non tamen est adhuc dominus rerum, & ideo dare non potest*, ait S. Th. in 4. dist. 25. q. 2. art. 5. q. 2. ad 2. Quare Catech. Rom. ait furti reos esse filios & uxores, qui a parentibus & viris pecunias surripiunt.

Idem dic si filius contra voluntatem parentis in usus vanos vel illicitos, ut in comparationes, comessationes, ludum &c. expendat summam notabilem ex iis pecuniis, quas parens ei ad honestos tantum usus præfinitos dedit, puta ad emendum libros, vestes &c. quia parens non intendit illi pecunias donare absolute ac simpliciter, sed tantum cum restrictione ad usus a se determinatos. Unde filius non habet jus de illis disponendi, nisi ad tales usus: pater enim non plus juris ei confert, quam intendit conferre. *Ita Lessius, Navar.* &c.

Hinc si filius habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, teneturque illis restituere: si non habeat, tenebitur in partitione hæreditatis cum cohæredibus computare in suam partem quod surripuit, nisi constet hos tantumdem surripuisse, vel nisi pater expresse, aut tacite condonavit.

Quæst. XIII. *An si filius familias plus ceteris fratribus pro patre laboret, & aliquid ultra suam sustentationem ex labore suo ac industria lucretur, potest ex tali lucro pretium operarum suarum subtrahere, patre inscio?*

Resp. Nihil potest sibi assumere, si parentes egeant ejus obsequio: quia filius ex pietate debet ejusmodi obsequia utrique parenti indigenti. Quod si parentes non egeant ejus obsequio, & plus laboret, quam impendat, juxta multos potest operæ stipendium perere, sicut potest alteri locare operas, ex l. 10. *de obsequ.* ibi: *Pietatem liberi parentibus, non operas debent*. Quod si nihil petat, nihil potest clam surripere. Quia tunc censetur gratis laborare, & alioqui si petivisset, pater potuisset eum repellere, & ejus loco accipere alium, qui gratis aut viliore pretio aut melius serviret. Ergo cum pater non contraxerit cum filio, ei non debet salarium, præsertim cum non sit consuetudo, ut talis filius salarium a patre exigat. Præterea etiamsi deberetur illi salarium, non ei licet furripere patre vivo, quia illud lucrum recenseur inter bona adventitia, quorum possessio & usufructus pertinent ad patrem donec filius emancipetur.

Multi tamen contra multos docent, in tali casu filium familiæ qui laboravit cum voluntate mercedem aliquando percipiendi, sed quam ex metu patrem offendendi petere non ausus est, posse retinere aliquid suo labori congruens, quod patre mortuo ex

bonis furripuit, deductis sustentatione & usufructu. Quia, inquiunt, filios non debet esse deterioris conditionis quam extraneus, cui ejusmodi merces deberetur; neque tenetur pro patre non indigente gratis laborare. Et licet in foro externo censeatur gratis laborasse, cum nullam pactionem inierit; tamen hæc præsumptio non habet locum in foro interno, cum ille semper habuerit voluntatem contrariam. *Ita Barthol., Decius, Navarr. Lessius, Cabassut. &c.* Sed hoc est incertum. Quare non ei licet salarium occulte compensare; nam occulta compensatio non est licita, nisi ubi jus certum est.

Quæst. XIV. *An qui rem furtivam emit, tenetur illam restituere domino?*

Resp. 1. Qui rem furtivam emit mala fide, sciens, vel dubitans esse furtivam, tenetur eam restituere si habeat, vel ejus pretium in defectum furti, si non habeat nec possit recuperare. *Est communis sententia.* Quia injustitiam commisit, rem alienam mala fide sibi accipiendo contra voluntatem domini: unde tenetur ratione injustæ acceptionis. Nec potest a domino exigere pretium furi datum, sed jacturam illam malitiæ suæ aut imprudentiæ imputare debet, ex Tob. 1. *Videte, ne forte furtivum sit, reddite eum domini sui, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere.*

Resp. 2. Qui rem alienam a fure exiguo pretio emit cum intentione eam reddendi domino, tenetur quidem illam restituere cum fructibus perceptis, sed potest a domino exigere pretium furti datum, & impensas ad eam emendam ac conservandas factas, & dominus tenetur id totum ei rependere. *Est communis sententia.* Quia ille rem domini utiliter gessit, rem ejus exiguo pretio emendo, ne ei periret. Ergo æquitas exigit, ut ei rependatur quidquid de suo ad hoc impendit; quod si magno, vel fere æquali pretio emit cum tali intentione, dominus tenetur solum reddere, quantum judicio prudentum gerendo utiliter negotium ejus, impendere potuit.

Resp. 3. Qui rem furtivam emit bona fide, nesciens, nec dubitans esse furtivam, tenetur eam restituere domino etiam non repetenti; nec potest reddere furi ut pretium datum recipiat, nisi certo sciat ab eo rem domino restituturum iri. *Ita Major, Covarruvias, Medina, Solus, Azor, Molina, Layman, & alii multi contramulti.* Quia 1. dominus habet jus, ut sua tibi res restituatur a quocumque ejus possessore, non obstante jactura pretii; nam ea non obstante, dominus potest per se immediate a quovis possessore rem suam recipere ac vendicare; l. 3. Cod. *de rei vindic.* & dominus nihil juris circa talem rem amisit, perinde ac si a fure donata fuisset. Dominium enim rei alienæ non transfertur nisi per legem, aut judicis sententiam, vel per domini voluntatem, ex l. 81. §. de reg. jur. *Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.* Ergo possidens ratione rei acceptæ tenetur eam reddere domino. Et vero periode esse videtur, sive dominus rem suam repetat, sive ob facti ignorantiam non repetat: nam ignorantia jus ipsi suum non adimit. 2. Si fur non inveniretur, vel si obiisset, juxta omnes, res furtiva deberet reddi domino, nec posset exigi pretium datum: quia nempe est aliena. At ex eo quod reperiri latro possit, idem dominus nullum jus amittit. 3. Tradens rem alienam furi non restituturo, cooperaris iniquæ illius detentioni, & positive concurris ad privandum dominum propria re. 4. Res cum omnibus suis conditionibus, & melioramentis ad dominum eam pertinet. Cumque jam sit in statu securitatis apud emptorem, & hic status spectet ad rem ipsam, sitque quoddam melioramentum extrinsecum rei, ad dominum pertinet. 5. Non licet rem alienam a periculo ereptam in illud reducere, v.gr. non licet rem alienam ab incendio extractam in ignem projicere. His adde textum Tob. 2. supra cit. qui supponit rem bona fide emptam esse.

Nec potest emptor pretium furi datum a domino repetere, ex l. 2. Cod. *de furt.* ibi: *In civilem rem* (id est, contra jus, ut ait glossa,) *desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium solutum fuerit a domino.* Nam qui emit a fure, nullum habuit jus in re empta, nisi quod a fure potuit transferri. At nullum jus potuit a fure transferri; cum fur nullum habuerit, ex reg. jur. 97. in 6. & l. 54. §. de diversi. reg. *Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habuerit.* Ergo emptor nihil potest exigere pro re illa, in quam jus nullum habet; sed damnum, quod inde patitur, fortuito casui imputare debet, perinde ac si pecuniam adulterinam accepisset, vel aliquid casu amisisset. Si tamen scierit furem restiturum rem domino, posset ei reddere ut pretium datum recuperaret; nam tunc dominus non est rationabiliter invitus. Immo fur habet jus rem repetendi reddito pretio ut eam restituat.

Obj. 1. Qui furi rem emptam reddit, is non ponit rem illam in pejore statu quam erat ante emptionem. Ergo non facit injuriam domino.

Resp. Neg. conseq. Nam rem privat statu intermedio meliore, quam acquisiverat.

Inst. Hic status non provenit ex ipsa re, sed ex libera voluntate mentis.

Resp. Undecumque proveniat hic status, spectat ad rem, proindeque ad dominum rei. Sic res ex incendio erepta ab altero, non potest ab eodem in idem periculum injici. Ergo dominus jus habet, ut res sua in illo statu meliori, seu securiori relinquatur.

Obj. 2. In jure datur actio furi, per quam possit rem repetere.

Resp. Non datur talis actio, nisi quia prudenter judicatur velle rem domino restituere, quod leges illæ præsumunt.

Resp. 4. Si emptor bonæ fidei rem furtivam bona fide consumpsit, aut si illa apud eum casu vel culpa perit, non tenetur ejus pretium restituere domino, nisi quatenus ejus pretio vel ea factus est ditior, ex l. 23. *de petit. hered.* quia fuit possessor bonæ fidei, secluſa lege positiva aliud statuente.

Resp. 5. Si quis rem furtivam bona fide emptam revendiderit, & postea compareat dominus, primus emptor tenetur rescindere contractum; pretium secundo emptori reddere, & rem ipsam furtivam restituere domino. *Ita Sotus, Azor, Valentia, Deluge, & alii.* Quia 1. Venditor ex vi contractus tenetur servare emptorem indemnem ab omni lite, molestia, & sumptu circa rem venditam, nec potest eum ad alium ablegare, ex l. 1. §. *de evict.* alioquin esset inæqualitas, ideoque injustitia: nam cum acciperet pretium certum ac securum, cujus dominium in eum transfertur, tradere debet emptori rem securam, cujus quoque dominium in eum transferatur: quam rem si non tradit, tenetur pretium reddere, & rem accipere, ut reponatur æqualitas. 2. Error dedit causam contractui, nec emptor voluit tradere pretium nisi pro re, cujus dominium in ipsum pariter vere transferretur. Quare venditor non satisfacit cedendo actionem, quam habet contra eum, a quo prius eam emit; hoc enim non est, eum indemnem servare, sed cogere ad sumptus & molestias, ex l. 31. §. *de actione empt.*

Quod si comparente domino, secundus emptor, qui rem habet, invenire nequeat, venditor non tenetur pretium acceptum domino rei restituere, nisi illud quod ex revenditione sine industria propria lucratus est, vel nisi rem dono accepisset. Quia cum domino teneatur solum ratione rei acceptæ, & jam rem alienam non possideat, nec habere queat, tenetur solum restituere, quatenus ex ea factus est ditior. Et aliunde leges statuunt, ut venditio rei furtivæ valeat ad transferendum dominium pretii pro ea accepti: non tamen ipsius rei, l. 49. §. *de furt.*

Quæst. XV. *An qui pascit, vel ligna cædit contra justam prohibitionem, tenetur ad restitutionem?*

Resp. 1. Qui pascit, vel ligna cædit in loco alicujus privati, vel in loco communitatis suæ, sed locato alteri, vel in loco alterius communitatis, peccat contra justitiam pro ratione rei ablatæ, & damni illati, quod sæpe multo pluris est, quam res secisa valeat: & tenetur ad restitutionem. *Ita Sotus, Lessius & alii.* Quia violat jus alienum cum damno; nam herbæ & ligna, utpote prædiorum fructus, pertinent ad dominum fundi, qui potest ea locare & vendere.

Licet tamen, herbis & frugibus collectis, mittere oves ad pascendum herbam nascentem, quam dominus agri non est venditurus, nec ex ea utilitatem percepturus, nec suo gregi destinaturus. Quia tunc non aufertur alienum invito domino, & injuste minuit portionem aliorum. Enimvero si pecunia ad communitatem suam pertinentes & singulis ejus membris distribuendæ summam notabilem surriperet, nonne graviter peccaret, & restituere teneretur? Ergo etiam peccat, & ad restitutionem tenetur, si æquivalens injuste quoquo modo auferat. Idem dic a fortiori de eo, qui ligna cædit in sylva ad principem pertinente, cum vere auferat rem alienam invito domino.

Quæst. XVI. *An is, qui contra prohibitionem venatur, piscatur, vel aucupatur, peccat & tenetur ad restitutionem?*

Nota. Certum est, 1. Eum qui alterum impedit a venatione vel piscatione, ad quam jus habet, peccare, & teneri ad restitutionem probabilis lucri, quod deductis impensis ac laboribus facturus erat, quia ei injuriam infert cum damno. 2. Eum, qui etiam juste venando, damnum aliis infert, puta segetes proculcando, sepimenta dissipando &c. teneri resarcire damna illata: quia alii habent jus, ne damnum patiantur in bonis suis. 3. Eum, qui occidit aut læsit animal alterius, dum in suo prædio damnum infert, peccare graviter, & teneri ad restitutionem. Quia non habet jus occidendi aut lædendi animal alienum, sed solum expellendi, & satisfactionem exigendi; non enim ideo definit esse domini sui, sine cujus consensu destrui non potest nisi per auctoritatem publicam.

Resp. 1. Qui venatur in fundo alicujus privati invito domino, semper peccat saltem venialiter. *Ita Covarruv. Medina, Lessius, & alii.* Quia facit ei injuriam: nam dominus jus habet, ut nemo in suo fundo se noleante venetur, *ex instit. de rer. divisi.* Et, l. *Item, §. de usufructu.* Quod si notabile damnum inferat, ut capiendo feras, quas dominus fundi venaturus erat, & probabiliter capturus; vel crebra venatione efficiendo, ut minoris æstimetur jus venandi, quod vendere, & locare statuerat, peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur ad restitutionem judicio prudentis statuendam: nam violat jus domini cum gravi ejus damno.

Resp. 2. Qui venatur in fundo alieno, sepe vel muro clauso, peccat graviter, & tenetur restituere animalia in tali loco detenta, quæ ibi cepit. Quia ejusmodi animalia sunt domini, cujus est locus, cum censeantur amisisse naturalem libertatem, & jam occupata a domino, a quo facile apprehendi possunt. *Instit. de rer. divisi.* Idem die de eo, qui in alieno stagno seu vivario piscatur: quia pisces omnes ibi concluſi, sunt domini loci.

Resp. 3. Qui venatur aut piscatur in loco publico non prohibito, nec ulli speciatim addicto, sed modo, seu medio, vel tempore prohibito, peccat mortaliter, si notabile damnum inferat, v.gr. extinguendo magna ex parte ferinam sobolem, vel aquas infecundo. *Lessius & alii.* Quia tunc graviter lædit jus venandi ac piscandi, quod habet communitas, & spem lucri ac oblectationis injuste aliis eripit, vel saltem notabiliter minuit: unde tenetur ad resarciendum hoc damnum.

Resp. 4. Qui venatur in loco publico venationi Principis vel aliorum juste assignato, semper peccat contra justitiam saltem venialiter, & mortaliter, dum notabile damnum infert, ut capiendo feras magni pretii, vel multas, ita ut Princeps vel alii qui soli jus venandi habent, non possint tot capere quot antea solebant, vel non æque facile &c. Ita *Valent. Lessius & alii.* Quia tunc gravit er lædit jus Principis: unde tenetur ad compensationem damni, si Princeps eam curet, nec contentus sit ut deprehensi pœnam luant.

Resp. 5. Qui in loco publico prohibito, vel ad privatum pertinente venatur invito domino, licet peccet, & teneatur resarcire damnum illatum; non tamen tenetur restituere feras captas, quæ libertate naturali fruebantur. Quia ejusmodi feræ sunt primo occupantis, cum nullius sint, nisi tamen feræ libertate fruentes lege aliqua ita addicantur Principi vel bono publico, ut non cedant in dominium capientium.

Quæst. XVII. *An tributa solvi debent ex justitia?*

Nota. Tributum hic late sumitur, nempe pro eo omni quod principi vel Reip. penditur, ut & statum ac dignitatem suam tueri, & communibus necessitatibus ac commodis prospicere possit. Unde hæc voce contioetur etiam vectigal, quod pro rebus in civitatem, vel provinciam invectis, vel ex ea evectis exigitur, & vocatur etiam Gabella.

Resp. Est obligatio justitiæ solvendi justa tributa ac vectigalia. *Est communis sententia.* Prob. 1. Ex

Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Et Rom. 3. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal vectigal*. 2. Quia ex justitia debentur principi ratione sui officii ac laboris pro Rep. & pacti saltem impliciti: sumque juxta stipendia administrationis suæ ad ejus sustentationem, & subsidia necessaria ad onera publica sustinendo, ad pacem, tranquillitatem, ac justitiam tuendam, reip. pericula avertenda &c. Principes enim ex officio tenentur subditorum felicitati, quieti, ac saluti diligenter consulere, justitiam per se, vel per suos præfectos ac magistratus administrare, crimina avertere, punire & coercere subditos, & eorum bona ac jura tueri, hostes arcere: item Leges divinas, Ecclesiam, & ejus jura ac decreta, atque Religionem catholicam tueri ac promovere. Ut autem hæc præstare possint, tenentur populi, tributa ac vectigalia eis solvere, illique parere. Hinc tributa justa solvi debent antequam petantur, nisi ex consuetudine non solvantur ante petitionem; & ex communi sententia, teste Valentia, restituere debet, qui ea non solvit. Item non licet uti fraude ad vitandam gabellam, sed solvi debet saltem cum exigitur.

Immo etiam exteri tenentur vectigalia solvere. Quia juste iis imposita sunt, & sub hac tacita conditione administrantur ad negotiandum; atque onus hoc compensatur per protectionem ac securitatem quam ibi habent, & per alia commoda quæ ibi percipiunt.

Ut autem tributa justa sint, non debent esse majora quam postulet principis sustentatio, consideratis status dignitate ac ditione, & necessitas vel magna Reip. utilitas. Nam hic est finis ad quem ordinantur, propter quem solum exigi possunt; ideoque non debent illum excedere. Quod si principes plus exigant ad superfluum luxum, ad prodigas largitiones, ad usus vanos &c. peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem. Quia non habent potestatem in personas & facultates subditorum nisi in ordine ad bonum commune, & suam sustentationem convenientem. Nam omnis potestas publica est solum ad bonum publicum instituta, ideoque non se extendit ultra illud, cum finis rei sit ejus mensura. Unde S. Th. 2. 2. q. 66. art. 8. ad 3. ait: *Si aliquid principes indebite extorqueant, rapina est, sicut & latrocinium. Unde dicit Augustinus, remota justitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia?... Unde & ad restitutionem tenentur, sicut & latrones*. Debent quoque tributa exigi secundum proportionem facultatum singulorum, sic ut non alii plus, alii minus graventur, quam justum sit.

Quod si bonum commune postulet, ut nova & extraordinaria tributa imponantur ob causam publicam, in eam ex justitia impendi debent, & causa cessante cessare.

Obj. Samuel 1. Reg. c. 8. ait: *Hoc erit jus Regis filios vestros tollet ... agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet* &c.

Resp. Non intelligitur jus legitimum, sed usurpatum, quod Reges sibi arrogantes esse prædicebat Samuel, ut populum e Regis postulatione avocarer. Unde vox hebræa significat judicium, mortem Regis. Nam 3. Reg. c. 21. Deus Regem Achab graviter arguit, & gravissima mala ei intentat, quod vineam Naboth usurpaverit.

Porro in dubio de justitia tributorum, ea solvi debent. Quia in dubio justitiæ debet præsumi pro justo præcepto superioris possidentis jus percipiendi, & exigendi tributa, quod jus est altius & majus jure, quod habent subditi in bona quæ possident. Præterea princeps sæpe habet causas justas occultas. Immo etiamsi essent evidenter injustæ sive ex toto, sive ex parte, tamen solvenda sunt, cum exiguntur ad vitandum scandalum ac perturbationem publicam, ob quam causam quisque juri suo cedere debet.

Quæst. XVIII. *Quid dicendum de Decimis?*

Resp. Decimæ solvi debent ex justitia & religione secundum receptam consuetudinem, & ad restitutionem tenentur qui eas non solvunt integras, vel solum de deterioribus rebus. Constat 1. ex titulo de decimis, ex Conc. Gener. Later. II. quod c. 10. de laicis decimas Ecclesiarum quoquo modo accipientibus ait: *Nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & periculum damnationis æternæ incurrere*. Eadem autem est ratio de non solventibus & sibi retinentibus. Et ex Later. IV. c. 52. ibi: *Decimas Ecclesiis cum integritate persolvant, & ad id per censuram ecclesiasticam compellantur. Illæ quippe decimæ necessario sunt solvendæ, quæ debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata*. Item ex Conc. Trid. sess. 25. c. 12. ibi: *Cum decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt*. 2. Quia sunt bona consecrata Deo, & debita ex justitia intuitu religionis in sustentationem ministrorum, qui habent jus percipiendi sustentationem a populo, cum in ejus commodum occupati sint, & pro eo Deum orent, laudent, sacrificium offerant, & alia sacra ministeria obeant.

Quæst. XIX. *An male distributens bona, vel onera communia, tenetur ad restitutionem?*

Resp. 1. Quamvis violatio solius justitiæ distributivæ non obligat ad restitutionem, quippe quæ est actus justitiæ commutativæ, per aequalitatem rei ad rem spectantis; quia tamen sæpe justitia commutativa concurrit cum distributiva, ideo sæpe mala distributio bonorum, vel onerum distribuendorum obligat ad restitutionem, quoties scilicet in ea violatur justitia commutativa, seu aliquod alterius jus in re, vel ad rem.

Resp. 2. Qui onera, tributa, militum hospitia &c. male distribuit, nec justam proportionem in iis servat, tenetur ad restitutionem privatis, quos illa improportionata distributione gravat. Quia in hoc violat etiam justitiam commutativam: nam illos sine causa justa spoliat bonis quæ possident, vel graviori incommodo afficit, & privatus quisque habet jus strictum ac proprium, ne supra facultatem, & debitam proportionem gravetur.

Resp. 3. Distributio bonorum communium debitorum privatis ex aliquo titulo particulari, v. g. laboris, operæ, pacti &c. ut solutio stipendii facienda militibus, vel operariis ex ærario publico, pertinent ad justitiam commutativam, quippe quæ versatur circa debitum ex aliquo titulo particulari, ut constat ex ejus notione. Quare si male fiat, contrahitur obligatio restituendi.

Resp. 4. Si bona communia ex lege, vel consuetudine, vel voluntate superioris, aut donatoris destinata sint principaliter in bonum eorum quibus distribui debent, qualia sunt proventus aliquarum civitatum ad hoc donati vel destinati, ut singulis incolis distribuantur proportionate ad indigentiam, vel meritа aut dignitatem singulorum; item pecuniæ summa a principe in præmium constituta militibus, qui fortiter pugnarunt; aut spolia hostium jussu ducis dividenda inter milites pro singulorum meritis ac dignitate, male ea distribuens tenetur restituere eis, quibus minus distribuit quam habere debebant. Quia in ea distributione violavit justitiam commutativam: nam singuli habent jus accipiendi proportionate ad suam indigentiam, vel merita, servitia &c. fundatum in donatione talium bonorum per distributorem proportionate facienda.

Item qui accipit bona distribuenda pauperibus alicujus communitatis juxta cujusque indigentiam, tenetur ex justitia commutativa talem pecuniam illis pauperibus, & non aliis sic distribuere secundum voluntatem donantis. Nam singuli illi habent jus rigorosum in donatione fundatum accipiendi secundum suam indigentiam. Ita S. Th. 2. 2. qu. 62. art. 2. ad 3. ibi: *Recompensatio, quam facit distributens ei, cui dedit minus quam debuit, fit per comparationem rei ad rem: ut si quanto minus habuit quam debuit, tanto plus ei detur. Et ideo jam pertinet ad justitiam commutativam*.

Resp. 5. Qui male distribuit bona communia primario ordinata ad bonum commune, ut qui confert officia publica, vel beneficia ecclesiastica indignis aut minus dignis, tenetur refarcire damna inde secuta Ecclesiæ, vel communitati. Quia ex officio & pacto implicito, vel ex commissione accepta, ideoque ex justitia commutativa erga Ecclesiam, vel communitatem, tenebatur in hac distributione bono communi prospicere, & eligere digniores. Sed juxta multos non tenetur ad restitutionem dignioribus quos præterit, quia hi non habent jus strictum ac sibi proprium, & fundatum in titulo aliquo particulari proprietatis, pacti, donationis, contractus, nisi id factum sit in concursu & examine, in quo digniores habent ex pacto implicito jus sibi proprium, ut aliis præferantur.

Quæst. XX. *An in dubio, utrum res sit aliena, restitui debet?*

Resp. 1. Qui bona fide rem possidere cepit, si postea incipiat dubitare, an sit aliena, tenetur ex justitia veritatem diligenter exquirere. Nam hæc investigatio necessaria est, ut unicuique quod suum est reddatur, & alias se exponit periculo retinendi rem alienam. Quod si post diligentem inquisitionem non apparet probabilius rem esse alienam, manet in possessione bonæ fidei, nec tenetur restituere: quia in tali dubio melior est conditio possidentis, juxta reg. 65. jur. in 6. *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis*. Et l. 170. §. de reg. jur. *In pari causa possessor potior haberi debet*. Nam possessor præter jus dubium utrinque æquale habet jus certum actualis possessionis, quo potiori jure vincit jus dubium alterius non possidentis. Idque exigit bonum commune, ut finiantur lites, sumptus impediantur, bona non negligantur, & alioqui nemo fere securus esset in rerum suarum pacifica possessione.

Quod si æque probabile appareat rem esse alienam, Azor cum aliis docet, licere possessori eam consumere vel vendere, modo in animo habeat ejus pretium domino postea cognito restituere, & admoneat emptorem de illo dubio: nam est quoddam vitium occultum rei, ex quo damnum emptori sequi potest, si dominus comparet. Si vero multo probabilius possessori appareat esse alienam, tenetur eam restituere domino, vel si cognosci nequeat, pauperibus: Nam tunc longe major probabilitas prævalet possessioni, & potest certitudinem moralem parere. Nec jam par est causa, quam regulæ juris ad meliorem conditionem possidentis exigunt ac supponunt, ut notat Delugo. Nec talis potest tunc prudenter negare esse alienam & jurare esse suam.

Resp. 2. Possessor bonæ fidei, qui occurrente dubio non exquirit diligenter veritatem, peccat mortaliter: & si postea certo agnoscat dominum verum rei, tenetur ei restituere rem, & ex eo tempore quo dubitare cepit, rei fructus, tum naturales, tum mixtos, non solum quos percepit, sed etiam quos non percepit, sed percepisset dominus, si rem suam habuisset. *Lessius & alii*. Quia ex eo tempore cepit esse possessor malæ fidei, cum sciverit se non posse juste sine inquisitione diligenti rem retinere; & fecit dominо injuriam, negligendo inquirere; nam quilibet habet jus, ne quis se exponat periculo retinendi rem ejus, & ut in dubio jus ejus expendatur. Quod si, quia neglexit statim inquirere, nequeat postea veritatem invenire, tenetur restituere pro ratione dubii. *Ita Sanchez, Delugo, & alii*. Nam omittendo inquirere, fecit injuriam ei de quo dubitabat an esset dominus: ergo hæc injuria refarciri debet secundum proportionem spei, quam alter habere poterat, ut agnosceretur verus dominus.

Resp. 3. Qui autequam possideat, dubitat utrum res sit aliena, postea eam accipere titulo venditionis, donationis &c. modo acciplat ex intentione eam restituendi domino, si post diligentem inquisitionem invenerit. Quia in hoc domino præstat beneficium, nam alioqui nunquam fortasse fuisset ei restituenda. Quod si accipiat ut sibi absolute retineat, peccat contra justitiam: Nam lege justitiæ tenetur non se exponere periculo accipiendi rem alienam invito domino: at tali periculo se exponit, cum res illa possit esse alterius. Acceptam tamen potest, mutato animo, retinere, donec inveniat dominum cui restituat, & tunc debet diligenter inquirere an sit aliena. Et si probabilius appareat esse alienam, tenetur eam domino cognito, vel pauperibus, si cognosci nequeat, restituere cum omnibus fructibus: nam non potest tunc prudenter judicare esse suam, & negare esse alienam. Si autem sit æque probabile rem esse alienam, debet eam cum altero, de quo dubitat, dividere, & possessio capta cum dubia fide, meliorem non facit conditionem sic possidentis. Ergo cum æqua sit ejus conditio ac alterius non possidentis, æquale jus utrique habet, ideoque res, vel ejus pretium inter illos æquabiliter dividi debet.

Idem dic si quis dubitans an res sit aliena, præoccupavit illius possessionem a nemine occupatam. Si vero dubius an res sit sua, eam abstulit a possessore bonæ fidei, tenetur totam ei restituere sicut possessor malæ fidei: quia in dubio & pari causa potior est condicio possessoris bonæ fidei.

Resp. 4. Quando nullus eorum, de quibus dubitatur an sint domini rei, rem possidet, si dubium sit æquale, res æqualiter inter illos dividi debet: vel si dividi nequeat, ejus pretium, nisi forte ex eorum consensu agatur: nam non est ratio uni totum, vel plus aut minus adjudicandi. Si longe probabilius sit ad unum illorum totam pertinere, tota ei est adjudicanda, ut adjudicaret æquus judex, re ita cognita.

Quæst.

Quæst. XXI. *An qui dubitat utrum solverit debitum, tenetur adhuc illud integre solvere, si certo scire nequat se solvisse.*

Resp. Affirm. *Est communis sententia.* Quia 1. Debito certo non satisfit per solutionem non certam: nam solutio dubia non est æqualis debito certo: justitia autem æqualitatem exigit. 2. In eo casu pro debito stat possessio. 3. In foro conscientiæ judicare debemus de rebus istis, sicut prudens judex cognita veritate, & inspecto jure naturali judicaret in foro externo; nam forum internum debet sequi sententiam fori externi, nisi constet extremum nisi præsumptione falsa. At in foro externo debitor cogetur solvere debitum certum, nisi probet solutum esse, etiamsi creditor fateatur se de solutione dubitare, nec de ea recordari.

Nec dicas in dubio meliorem esse conditionem possidentis. Nam 1. hoc non est verum, nisi quando in ceteris par est caussa possidentis & non possidentis: nam regulæ juris parem caussam exigunt ad meliorem conditionem possidentis. 2. Creditor possidet jus exigendi & accipiendi solutionem debiti sui; quo jure spoliari non debet in dubio. Nec refert quod debitor pecuniam solvendam possideat; nam dubium non versatur circa ipsam pecuniam, cujus sit; sed circa jus exigendi debitum, an adhuc sit. Cum autem jus illud certo extiterit, & non constet de ejus extinctione, creditor possidet durationem juris illius. *Ita Del. Sanch. &c.*

Quæst. XXII. *An est contra justitiam prodere alterius secretum sine fidei commissum, & est obligatio refarcindi damnum inde secutum?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia.* Quia quilibet habet jus, ne ejus secreta detegantur; estque mortale, si arcanum sit gravis momenti, vel inde grave damnum proximi aut discordia sequi possit. Unde illud, Eccl. 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit . . . Denudare amici mysteria desperatio est animæ infelicis.*

Quare non licet arcanum etiam a privato creditum, sine ejus consensu alteri aperire, etiam ex præcepto superioris, nisi alia via cognitum sit, *quia servare fidem est de jure naturali*, ait S. Th. qu. 70. art. 1. ad 2. Nihil autem potest præcipi, nec fieri contra id quod est de jure naturali.

Hinc graviter peccant & ad restitutionem tenentur, qui proximi secretum explorant, vel ad januam auscultando, vel epistolas legendo, vel alio quovis modo: nam quilibet jus habet ad suum secretum. Item superiores, consiliarii, medici, advocati, amici, quibus consilii, vel auxilii petendi caussa, secretum committitur, graviter peccant, si illud detegant; quia vi muneris ac officii sui, ad servandum secretum obligantur. Immo qui ab altero alienum secretum accepit, & illud detegit cum gravi proximi detrimento, mortaliter peccat, tum contra caritatem vetantem, ne quis alteri faciat quod sibi fieri non vult, tum etiam contra justitiam, perinde ac cum fama læditur: nam quivis jus habet ad suum secretum, perinde ac ad suam famam.

Excipe, nisi secreti revelatio necessaria sit ad impediendum grave damnum injustum spirituale vel temporale tertii, vel communitatis a tali homine inferendum aut continuandum; tunc enim non spectato præcepto superioris teneris secretum tibi creditum revelare iis quorum interest, non nominata persona, nisi hoc necessarium sit ad malum impediendum. *Ita communiter.* Quia caritas obligat ad impediendum damnum commune & privatum innocentis etiam cum damno nocentis: nam bonum publicum, vel jus innocentis, ad cujus defensionem revelatur secretum, prævalet juri, quod nocens habebat ad illud secretum, & ejus damno.

Circa ea, quæ aliter (quam per confessionem sacramentalem) *homini sub secreto committuntur, aliquando sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, puta, si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando, vel denunciando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum.* Ita S. Tho. 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2.

Hinc teneris patefacere eos, qui prava dogmata occulte sparguut, vel aliquid moliuntur contra patriam, vel vitam, famam, bona alicujus privati, modo id extra confessionem noveris. Idque quamvis jurasses te non revelaturum. Nam juramentum illud, utpote contra obligationem naturalem caritatis, invalidum est & illicitum.

Item juxta multos non teneris secretum juste cognitum cum certo periculo vitæ tuæ, vel gravissimi damni occultare, nisi sit ex confessione notum, vel secretum principis, aut Reip. vel nisi ejus revelatio vergeret in grave Reip. seu communitatis malum, vel promiseris cum tanto damno servaturum. Quia seclusis his casibus & ceteris, habes jus tibi potius consulendi quam alteri privato, qui non est in hoc rationabiliter invitus, nec censeris voluisse te obligare cum tanto onere ad illud servandum.

Nota. Is, cui alter injuste aperuit secretum tertii; tenetur illud non detegere. Quia illa cognitio derivata est a primo, manifestatione sub secreto data, & ulterior illa manifestatio cederet in injuriam alterius, qui secretum commisit, effertque extensio ac ampliatio injuriæ factæ a primo iniquo proditore. Præterea si tale secretum detegas, impedis separationem damnorum quæ ex priore secreti violatione sequuntur, & ad quam jus habet ille tertius.

Quæst. XXIII. *An obligatio restituendi bona externa, & refarciendi damna in illis injuste illata a defuncto, transit ad hæredes etiam extraneos?*

Resp. Affirm. Const. 1. ex cap. ult. *de sepult.* & c. 9. *de usur.* & cap. 5. *de raptor.* ibi: *Hæredes ejus moneas & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas condigne satisfaciant.* 2. Quia onus restituendi bona est affixum bonis defuncti, qui eo ipso censebatur jam totum id habere minus in suis bonis, quod teneretur illud in conscientia solvere; ac proinde onus illud transit ad eorum possessorem. 3. Hæres substituitur in locum defuncti, eumque repræsentat quoad bona, jura, ac debita realia, & sicut succedit in bona ac jura, ita in onera ac debita realia defuncti, quæ in se suscipit ex contractu implicito per acceptationem hæreditaris.

Si plures sint hæredes, singuli tenentur pro hæreditaria portione, non tamen in solidum. Quia sicut bona & jura defuncti dividuntur inter hæredes, ita & onera ac debita dividi debent, ex l. 2. Cod. *de*

de hæred. act. & l. 16. Cod. *de pact.* Æquum est enim, ut qui tantum ex parte commodum percipit, onus quoque ex parte dumtaxat sentiat: nam licet singuli repræsentent defunctum, non tamen totaliter, sed ex parte; omnes autem simul eum repræsentant totaliter. Cap. autem *Tua nos de usur.* solum significatur, totam obligationem restituendi transire ad hæredes simul junctos, ita tamen ut singuli non teneantur nisi ex parte.

Quod si res aliena exter in se apud unum hæredem, hic tenetur eam integram restituere. Idem dic de re defuncti hypothecata alteri. Nam res sic alteri obligata transit cum suo onere ad quemlibet possidentem c. 5. *de pignor.* Sed tunc is habet actionem de evictione contra ceteros hæredes, qui debent ei rependere pro rata.

Ceterum legatarii non universales minime obligantur ad restitutionem, si ea quæ hæredibus relicta sunt, sufficiunt ad solvenda omnia debita, relicta portione hæredibus jure debita. Quia non succedunt in onera testatoris sicus hæredes, nec ejus personam repræsentant. Si bona non sufficiant, debent legatarii conferre ad restitutionem pro rata, quia ante omnia legata debent solvi debita, & postea deduci portio hæredibus debita.

Nota. Hæredes tenentur etiam contractibus a testatore initis, l. 3. Cod. *de contraben. & commit. stipul.* ibi. *Generaliter sancimus omnem stipulationem sive in dando, sive in faciendo invenlatur, & ad hæredes, & contra hæredes transmitti, sive specialis hæredum fiat mentio, sive non.* Nam, ut dixi, hæredes repræsentant defectum, eique sicut in bona ac jura, ita & in onera debita, & obligationes reales succedunt.

Finis Partis Primæ Tomi Secundi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA
R. P. GABRIELIS ANTOINE
A REVERENDO PATRE
PHILIPPO DE CARBONEANO
PRIDEM NOTIS, ET APPENDICIBUS AD USUM MISSIONARIORUM, POTISSIME AD SACROS CHRISTIANORUM RITUS, ET ECCLESIÆ ORIENTALIS DISCIPLINAM SPECTANTIBUS AMPLIFICATA,

Dein novis accessionibus ex geminis Scholarum & Ecclesiæ Doctoribus S. THOMA AQUINATE & S. BONAVENTURA CARD. *depromptis ad* PAROCHOS, CONFESSARIOS, *præsertim vero ad* STUDIOSAM JUVENTUTEM *informandam aucta, & illustrata*

A R. P. BONAVENT. STAIDEL M. C.

ACCEDUNT

TRIA OPUSCULA EX AUREO MELCHIORIS CANI DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRO DESUMPTA, ET DISCEPTATIO PROOEMIALIS DE LEGE DIVINA.

EDITIO X. ABSOLUTISSIMA

A JO. DOMINICO MANSI
ARCHIEPISCOPO LUCENSI

MEDULLITUS INSPECTA, PERMULTIS ALIIS ADDITIONIBUS EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. ET CLEMENTIS XIII. & XIV.

Litteris apostolicis excerptis locupletata, correcta, nonnullis figuris æneis in fronte quorumdam Tractatuum ornata,

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

TOMI SECUNDI PARS SECUNDA.

VENETIIS MDCCLXXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione, del *P. F. Filippo Rosa Lanzi*, Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Theologia Moralis universa a R. P. Paulo Gabriele Antoine primum concinnata &c.*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 4. Novembre 1768.

(ANGELO CONTARINI PROC. RIFORM.
(ALVISE VALLARESSO RIFORM.
(FRANCESCO MOROSINI 2. CAV. PROC. RIFORM.

Registrato in Libro a carte 364. al Num. 2601.

Davidde Marchesini Segretario.

Registrato al Magistrato della Bestemmia in libro a carte 2.

Andrea Grattarol Segretario.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter ristampare il Libro intitolato: *Theologia Moralis Universa P. Gabrielis Antoine &c., a P. Dominico Mansi Archiepisc. Lucensi Medullitus inspecta* &c., osservando gli ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 27. Ottobre 1774.

(ANDREA QUERINI RIFORM.
(GIROLAMO GRIMANI RIFORM.
(SEBASTIAN FOSCARINI CAV. RIFORM.

Registrato in Libro a Carte 171. al Num. 142.

Davidde Marchesini Segretario.

INDEX.

TOMI SECUNDI PARS II.

TRACTATUS

De Contractibus.

PARS I. *De Contractibus in genere.* Pag. 1
CAP. I. *De natura, & divisione, & effectu Contractus.* ibid.
CAP. II. *De consensu ad valorem contractus requisito.* 5
CAP. III. *De iis qui contrahere possunt.* 8
PARS II. *De Contractibus in specie.* 9
CAP. I. *De promissione.* ibid.
CAP. II. *De Donatione.* 12
CAP. III. *De Mutuo, & Usura.* 14
CAP. IV. *De Deposito, Commodato, Precario, & Mandato.* 26
CAP. V. *De Emptione, & Venditione.* 29
CAP. VI. *De Locatione, & Conductione.* 37
CAP. VII. *De Censu, Emphyteusi, & Feudo.* 39
CAP. VIII. *De Contractu societatis.* 40
CAP. IX. *De Cambio.* 42
CAP. X. *De Transactione, Assecuratione, Fidejussione, Pignore, & Hypotheca.* 44
CAP. XI. *De Ludo, & Sponsionibus.* 45
CAP. XII. *De ultimis Voluntatibus.* 47

TRACTATUS

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Quæstiones præambulæ de Beneficiis. 49
§. I. *De libera Collatione.* 50
§. II. *De Præsentatione, & jure Patronatus.* ibid.
§. III. *De Electione, Postulatione, & Confirmatione.* 51
§. IV. *De Resignatione.* ibid.
§. V. *De Permutatione.* 52
TABUL. *De Matutino privato.* 59
Appendix Compendiaria ex operibus Ben. XIV. *Quoad Doctrinam de Beneficiis.* 59

TRACTATUS

De Obligationibus specialibus certorum Statuum & Officiorum.

CAP. I. *De Obligationibus Clericorum.* 62
Dissertatio de Negotiatione Clericorum. 65
SS. D. N. CLEMENTIS XIII. *Epistola Encyclica adversus Clericos Negotiatores.* 73
Dissertatio de Peculio Clericorum. 89
CAP. II. *De statu & obligationibus Religiosorum.* 99
CAP. III. *De Obligationibus Conjugum.* 110
CAP. IV. *De Obligationibus parentum & liberorum, & aliorum superiorum & inferiorum erga se invicem.* 115
CAP. V. *De Obligationibus personarum Judicialium vel Forensium.* 121
§. I. *De Judice.* ibid.
§. II. *De Accusatore.* 124
§. III. *De Testibus.* 125
§. IV. *De Reo.* 127
§. V. *De Obligationibus Advocati.* 129
§. VI. *De Obligationibus Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris, & Apparitoris.* 130
CAP. VI. *De Obligationibus Ducum & Militum.* 131
CAP. VII. *De Obligationibus Medicorum, Pharmacopœorum, & Chirurgorum.* 132
Obligationes Rusticorum & Opificum. 133

TRACTATUS

De Sacris Christianorum Ritibus.

CAP. I. *De Rituum definitione, & divisione.* 135
CAP. II. *Regulæ explicantur, quibus facilius superstitiosi Ritus cognosci queant.* 137

CAP.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAP. III. *De natura, origine, utilitate, & necessitate Sacrorum Rituum.* 140
PROP. I. *Sacer Ritus esse non potest actus illicitus.* ibid.
PROP. II. *Ritus sacri eadem, qua instituti sunt auctoritate mutari possunt.* ibid.
PROP. III. *Si ritus ex hominum caussa ad superstitionem, vel hæresim fovendam adhibeatur, aut in Dei injuriam cedat, prudenti œconomia mutatur, & quandoque etiam aboletur.* ibid.
PROP. IV. *Ritus legitima auctoritate institutus vel comprobatus, & in Dei cultum, & gloriam augendam referatur, licite & utiliter adhibetur, licet antea Ritus fuerit falsæ religionis, & idololatræ gentis.* ibid.
PROP. V. *Exterior Dei cultus, & Ritus sacri nonnisi a Deo originem habent.* 141
PROP. VI. *Sacri Ritus in hac providentia non solum sunt utiles, sed etiam necessarii.* ibid.
CAP. IV. *De Christianæ Ecclesiæ Ritibus, ubi præcipui circa eosdem errores Hæreticorum, qui sunt hac ætate nostra in Occidentali Ecclesia, recensentur, & confutantur.* 142
PROP. I. *Exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus Christianæ Religionis simplicitati non adversatur.* ibid.
PROP. II. *In Christi Ecclesia vera inest instituendorum Rituum potestas.* 144
PROP. III. *Hujusmodi Ecclesiæ potestas cum auctoritate conjuncta est ferendi leges.* ibid.
PROP. IV. *Potestas circa sacra a Deo Ecclesiæ concessa, non inest sæculi Principibus.* 146
PROP. V. *Potestas erga sacra, sive jus ferendi Leges ad Dei cultum & Ecclesiæ disciplinam pertinentes a Christo Ecclesiæ suæ collatum, in solis Episcopis residet, qui jure divino Presbyteris aliisque Ministris superiores sunt.* 147
PROP. VI. *Suprema in Ecclesia potestas in Romano Pontifice Petri Successore residet, ejusque auctoritati omnium Episcoporum jurisdictio subjecta est.* 151
CAP. V. *Romanæ atque Catholicæ Ecclesiæ Ritus a superstitionis nota vindicantur.* 152
CAP. VI. *De Ecclesiæ Orientalis Ritibus, eorumque varietate.* 156
§. I. *Describitur generatim Orientalis Ecclesia.* ibid.
§. II. *De Schismaticorum, Hæreticorumque Sectis, quæ in Orientali Ecclesia sunt: deque præcipuis eorumdem erroribus.* 160
§. III. *De propriis Orientalis Ecclesiæ Ritibus, eorumque varietate.* 162
CAP. VII. *De Apostolicæ Sedis œconomia in disciplinæ unitate tuenda ac procuranda, & in tolerandis diversis aliarum Ecclesiarum præsertim Orientalium Ritibus.* 172
CAP. VIII. *De Obligatione quam quisque habet in susceptο Ritu permanendi.* 174
§. I. *De Obligatione, quam habent manendi in suscepto Ritu Orientales, qui ejusdem Ritus Episcopis subsunt.* 175
§. II. *De Obligatione, quam habent manendi in suscepto Ritu Orientales, qui in Latinorum Ecclesiis degunt.* 176
§. III. *De Obligatione, qua Latini in proprio Ritu permanere tenentur.* 178
CAP. IX. *De Ritibus Apostolicæ Sedis auctoritate proscriptis, deque iis, qui rejiciendi videantur.* 179
§. I. *De proscriptis Ritibus Sinensibus, & Malabaricis.* ibid.
§. II. *Recensentur ea, quæ proscripta sunt in Constit. Benedicti XIV.* Inter omnigenas, *quæ est pro Incolis Regni Sueviæ, & finitimarum Regionum.* 181
§. III. *De reliquis Ritibus, qui vel proscripti sunt, vel rejiciendi videantur.* 182

TRA-

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

PARS PRIMA.

De Contractibus in genere.

CAPUT PRIMUM.

De natura, divisione, & effectu Contractus.

§.

Quæst. I. *Quid est Contractus?*

Resp. Contractus late sumptus idem est ac Pactum, quod l. 1. §. *de pact.* definitur: *Duorum, pluriumve in idem placitum consensus*, obligationem sciliset pariens, vel in utraque parte, ut venditio; vel saltem in una, ut promissio gratuita acceptata. Contractus stricte sumptus est pactum obligationem mutuam inducens: sive est duorum, vel plurium in idem consensus ac conventio, obligationem mutuam parieus, ex l. 19. §. *de verb. signif.* ubi dicitur esse *altro citroque obligatio*. Hinc contractus stricte sumptus differt a pacto, quod hoc præscindat a mutua obligatione, ille vero semper mutuam inducat.

Quæst. II. *Quænam requiruntur ad valorem contractus?*

Resp. Quatuor. 1. Habilitas personarum ad contrahendum. 2. Capacitas rei ut contractui subjiciatur. 3. Consensus mutuus, & quidem signo externo expressus: nam per contractum homo homini obligatur more humano, qui est ut signo sensibili explicet alteri consensum internum, qui ab eo accipetur. *Pacta in conventionibus, contrahentium voluntatem potius, quam verba spectari placuit.* L. 219. §. de verb. signif. 4. Forma substantialis a jure præscripta, si aliqua sit constituta. Nam nulla res potest subsistere sine sua forma substantiali: aliquando illa forma simul effet substantialis, & non esset.

Quæst. III. *Quomodo dividuntur contractus?*

Resp. Dividuntur, 1. In formalem seu expressum, & virtualem seu implicitum. Contractus formalis seu explicitus est ille, quo duo vel plures expresse conveniunt de eadem re cum obligatione mutua, vel saltem unius erga alterum. Contractus virtualis, seu quasi contractus est, cum tacite suscipitur obligatio justitiæ ex facto aliquo licito, v. gr. absentis negotiorum gestione, hæreditatis aditione, vel acceptatione officii aut muneris absque ulla expressa pactione, qualem obligationem in se recipiunt princeps, magistratus, prælatus, tutor, negotiorum gestor, medicus, advocatus, administrator, artifex &c. Qui enim officium ad aliorum commodum spectans suscipit, eo ipso se obligat ad procurandum bonum alterius, in cujus gratiam exercetur; & sæpe alter obligatur vicissim erga illum vi legis, aut consuetudinis, aut pacti saltem impliciti. Istæ conventiones tacitæ vocantur quasi contractus, eorumque vim habent in ordine ad obligandum ex justitia.

2. In nominatum, & innominatum. Contractus nominatus est, qui nomen proprium habet, ut emptio, locatio &c. Innominatus est, qui tantum habet genericum nomen, ut pacti, contractus. Hujus sunt quatuor species, scilicet; *do ut des, da ut facias, facio ut des, facio ut facias.* L. 5. §. de præscript. verb. Hi contractus innominati id proprium habere dicuntur, quod ab eis pars contrahens resilire possit quamdiu altera eos non implevit. Sic v. gr. si tibi dedi pecuniam ut fres Lugdunum, jure civili possum pecuniam tibi datam repetere, si non fueris, nec ullos sumptus ad hoc feceris.

3. In gratuitum, & onerosum. Gratuitus est ille,

in quo nihil rependitur, seu in quo nullum intercedit pretium aut merces, ut commodatum, mutuum &c. Onerosus est, in quo aliquid rependitur, seu in quo duas accipit pretium aut mercedem, ut emptio, locatio &c.

4. In contractum bonæ fidei, & strícti juris. Contractus bonæ fidei dicuntur ii, in quibus servari debet non solum id de quo conventum est, sed etiam id quod æquum bonumque judici videtur, quamvis non sit expressum in contractu: quia in iis bona fides spectatur in ordine ad aliquid vel restituendum, vel reficiendum, vel compensandum, vel præstandum: tales sunt emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum, mandatum, societas, pignus, permutatio. Contractus stricti juris sunt ii, in quibus agitur in rigore verborum, seu juris scripti, prout scilicet in contractu, vel dispositione fuit expressum, & de quo conventum est: tales sunt mutuum, stipulatio, donatio, promissio liberalis, legatum, testamentum, emphyteusis &c.

5. In nudum, & vestitum. Nudus est mera conventio carens firmamento, quod pariat actionem in foro externo: talis est contractus omnis innominatus antequam sit ex altera parte impletus, nisi accedat formula stipulationis, vel juramentum. Vestitus est conventio innixa aliquo firmamento, vi cujus pariat actionem civilem, qualia sunt scriptura, testes, juramentum.

6. In eos qui re, seu traditione rei perficiuntur, ut mutuum, commodatum, precarium, depositum, pignus. Et in eos, qui solo consensu perficiuntur, cujusmodi sunt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum, emphyteusis &c.

7. Denique in purum, cui nullum additur accidens, hoc est, qui fit sine conditione, modo, sive solutione ad diem &c. & non purum, cui additur accidens: & hic quintuplex est. 1. Dicitur ad diem, cum præfigitur dies, ante quem non oriatur obligatio solvendi vel tradendi, aut actio. 2. Sub modo, cum additur modus sub quo contractus obliget, v. gr. Dono tibi hunc equum cum hac obligatione, ut loces domum tuam Titio. 3. Ad causam, cum fit ob aliquam causam. 4. Ad demonstrationem, cum apponitur aliquod signum ad rem, vel personam ostendendam. 5. Sub conditione, cum apponitur aliqua conditio.

Quæst. IV. *Quænam est materia contractuum?*

Resp. Omnia bona, quorum quis & dominium & administrationem habet: nam bona illa possunt transferri in dominium, & administrationem, vel usum alterius.

Quæst. V. *An omnis contractus obligat in conscientia?*

Nota 1. Effectus contractus est obligatio, quæ definitur, Juris vinculum, quo astringimur ad aliquid dandum, aut faciendum, aut patiendum, vel non dandum, aut non faciendum. Triplex est obligatio. 1. Mere naturalis, quæ nascitur ex solo jure naturali, & semper obligat in conscientia, sed non parit actionem in foro externo. 2. Mere civilis, quæ parit actionem in foro externo, ob aliquam præsumptionem falsam, sed non obligat in conscientia. 3. Mixta, quæ & obligat in conscientia, & parit actionem in foro externo.

Nota 2. Contractus solubilis potest ex mutuo contrahentium consensu dissolvi, l. 35. §. *de reg. jur.* Quia uterque contrahens potest cedere juri suo. Unus tamen obligatus non potest secum ab alio resilire l. 3. *Cod. de obl.* Nam alter habet jus in illum vi contractus.

Resp. Omne pactum validum, etiam nudum, parit obligationem in conscientia; licet in foro externo non tribuat actionem, nisi juramento confirmetur. *Est communis sententia.* Quia 1. Ad talem obligationem, supposita materiæ capacitate & personarum habilitate, ex natura rei sufficit consensus mutuus signo externo declaratus; nam per illum datur alteruter vel utrique jus aliquod, quod violare non licet. Nec plus jure gentium requiritur. *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* l. 1. §. *de pact.* Nec obstat l. *Juris gentium*, ubi dicitur: *Nuda pactio obligationem non parit.* Nam hic agitur de obligatione civili. 2. Cap. 1. *de pactis* generaliter dicitur pacta esse custodienda, & ad id paciscentes censura compellendos. Et c. 3. dicitur *Studiose agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur.* 3. Lex divina etiam naturalis obligat ad servandam fidem datam, eamque fallere intrinsece malum est. 4. Alioqui pariter bona fides, sine qua stare nequit societas humana.

Dixi, *validum*. Nam omnis contractus jure positivo absolute irritus nullam parit obligationem in conscientia; quia revera nullus est, & perinde se habet ac si factus non esset; cum annullatus sit per legitimam potestatem, cui voluntates & bona subditorum subjiciuntur. Quod si contractus non fit ipso facto irritus, sed tantum irritandus, obligat in conscientia, donec a judice irritetur.

Quæst. VI. *An qui habuit animum contrahendi, sed cum voluntate expressa non se obligandi, manet obligatus?*

Resp. Si voluntas contrahendi prævaleat voluntati non se obligandi, sitquo magis efficax & absoluta, tunc vere obligatur. Nam tunc fit vetus contractus, qui necessario parit obligationem: si vero posterior voluntas prævaleat priori, vel utraque sit æqualis, tunc nullus est contractus, quia deest voluntas efficax vere contrahendi, cum essentiale sit contractui inducere obligationem. Sed tunc ratione injuriæ, qua injuste proximum tecum bona fide contrahentem decepisti, teneris præstare id quod ei exterius promisisti: nam teneris tollere injustam decoptionem, habendo voluntatem veram te obligandi, & eam implere si alter velit.

Quæst. VII. *An contractus sine sollemnitatibus a jure requisitis factus ligat conscientiam?*

Nota. Sollemnitates sunt quidam ritus, seu conditiones, quæ secundum leges in contractibus adhiberi debent, v. g. certus numerus testium.

Resp. Contractus defectu sollemnitatis jure positivo invalidus non obligat in conscientia, & nullus est in utroque foro. Quia est sufficiens potestas in Ecclesia & in rep. ad invalidandos actus subditorum, & ad præscribendam formam in contractibus, qua sublata non obligent; nam hæc potestas valde expedit, immo necessaria est ad bonum commune, & ad rectam administrationem, & voluntas ac bona subditorum subjiciuntur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune, & rectam illorum gubernationem, patetque ex praxi, v. g. in matrimonio clandestino, in contractu pupilli sine tutoris auctoritate &c. Enimvero si homines privatis

vatis suis conventionibus quasdam conditiones apponere possunt, quibus deficientibus, conventiones illæ jam non obligant, & in irritum abeunt; a fortiori id possunt supremi Principes erga subditorum contractus propter bonum commune.

Hinc nullum jus possessoribus competit ex hujusmodi contractibus. Nam prior dominus non potuit in illos transferre dominium rei, de qua disposuit contra legem Irritantem, cum ejus potestas fuerit impedita ab auctoritate legitima & superiore. Et sic nullum jus retinendi habet, qui illam accipit ex pacto irrito per legem. Cognoscitur autem contractum esse invalidum, vel ex verbis legis, aut consuetudine, vel si judici constaret nullam inesse fraudem, & tamen censeretur nullus.

Obj. Lex irritans fundatur in præsumptione fraudis. Ergo si constat nullam fuisse fraudem, valet contractus saltem in foro conscientiæ.

Resp. Lex irritans non fundatur in præsumptione particulari fraudis in hoc vel illo contractu, sed fundatur in periculo fraudis, ut sæpe contingentis, aut cui datur occasio per ejusmodi contractus sollemnitatibus destitutos.

Observa 1. In omni contractu servari debent leges ac consuetudines loci in quo fit, ex cap. ult. *de foro compet.* Et l. 6. §. *de restit.* 2. In contractu apponi possunt onera & obligationes ei ex natura rei non annexa, modo non repugnent naturæ talis contractus, nec lege prohibeantur; quia quisque potest jure suo cedere, & se obligare ad id, ad quod alias non teneretur. Sed debent onera illa compensari, cum sint pretio æstimabilia: alias non servaretur æqualitas. Apposita autem impleri debent ex justitia, juxta reg. 61. jur. in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, & l. 1. §. *de depos.* 3. Non omnis contractus factus contra legem est invalidus: *nam multa fieri prohibentur, quæ facta tenent*, ut constat ex jure: sic valet venditio rei jam alteri venditæ, sed nondum traditæ, quamvis sit illicita.

Quæst. VIII. *An contractus invalidus firmatur juramento, & obligat ex justitia?*

Nota 1. Aliud est, juramentum esse validum, & aliud contractum juramento firmari. Juramentum est præcise validum, quando servari debet ob honorem Dei adducti in testem, quamvis per illud nullum jus acquirit is, in cujus favorem factum est: unde inducit solam obligationem religionis, quæ tota respicit Deum, nec transit ad hæredes, utpote personalis, tolluntque juramenti relaxatione. Juramentum vero firmat contractum, quando validum contractum efficit, ideoque non solum inducit obligationem religionis, sed etiam justitiæ, & jus tribuit alteri. Unde obtenta juramenti relaxatione, remanet obligatio justitiæ orta ex contractu valido, quæ transit ad hæredes, utpote realis, ex l. 8. §. *de pecc. & commodo rei venditæ.*

Nota 2. Juramentum sive firmet contractum, sive non, est validum & obligat, quando potest servari sine peccato & damno alterius, ex c. 7. & 28. *de jurejurando*. Quia reverentia Deo debita id exigit, propter ejus auctoritatem interpositam.

Resp. 1. Ex communi sententia, contractus vi, (Vid. N. 180. & duos seq.) metu injusto, vel dolo extortus, vel injuriam continens ex parte illius cui juratur, non firmatur juramento, ita ut rescindi non possit, ex c. 28. *de jurejur.* Quia qui injuriam intulit, tenetur jure naturæ eam resarcire, & restituere alium in priorem statum ac libertatem; ideoque remittere jus ex promissione acquisitum, si quod sit. Unde talis non habet jus firmum & irrevocabile; juramentum enim non tollit injuriam acceptam, sed jurans potest ob injuriam acceptam petere & obtinere relaxationem juramenti, qua obtenta cessat omnis obligatio. Hinc quamvis usuræ juratæ solvi debeant ex obligatione religionis c. 6. *de jurejur.* cum licite solvi possunt; tamen promissio illas solvendi non firmatur juramento, nec usurarius jus ullum ad illas acquirit, sed tenetur restituere restituentiali, & cap. cit. Idem dic de promissione facta furi ex metu ab eo injuste incusso.

Resp. 2. Contractus jure naturali invalidi non firmantur juramento. Patet; nam juramentum non mutat naturam illorum, nec potest supplere defectum substantialem, propter quem sunt irriti.

Resp. 3. Contractus solo jure positivo irritus non firmatur juramento, si irritatio facta sit immediate & principaliter propter bonum commune. *Est communis sententia.* Prob. tum ex c. 11. *de foro compet.* ubi dicitur clericus non posse etiam cum juramento renunciare privilegio fori, cum hoc principaliter concessum sit ordini & statui clericorum, & juri seu beneficio publico privatorum pactio derogare non possit. Tum quia tunc eo ipso contractus est in detrimentum communitatis, ac proinde res promissa non potest licite præstari, & sic juramentum nullius roboris est ex c. 28. *de jurejur.*

Si vero irritatio facta fit immediate accipiendo principaliter propter utilitatem privatam contrahentium, tunc juxta multos contractus juramento firmatur, modo abstit injustitia ex parte illius, cui juratur. Quia 1. tales contractus accedente juramento transferunt dominium, & dant actionem, tum ex jure civili, l. *Sacramenta*, cod. *Si adversus vendit.* ibi, *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non rescindendis inviolabiliter custodiuntur*. Tum ex jure canonico c. 2. *de pact.* in 6. & ex c. 28. *de jurejur.* ubi Pontifex declarat contractum, quo uxor consentit in alienationem fundi dotalis, qui jure positivo irritus est, servari debere, si accesserit juramentum sine vi & dolo præstitum. Igitur cum jura tunc negent jus repetendi & reclamandi, quod concedunt quando juramentum dolo vel metu extortum est, agnoscunt jus justitiæ tunc oriri, & volunt valere contractum ob reverentiam juramenti. 2. Quilibet potest renunciare favori pro se directe introducto per legem, nisi ob aliquam causam id prohibeatur, ex l. 12. Cod. *de Episc. & Cleric.* Licet enim cedere juri & bono privato, cujus domini sumus. Ergo posita renuntiatione, perinde est ac si non esset jus positivum; at jure positivo secluso contractus illi sunt ex natura sua firmi & validi, ideoque perinde obligant ex justitia, ac si per leges non fuissent irritati.

Si tamen legislator ita irritaret contractum, ut nullam vim habere vellet in conscientia, quantumvis contrahentes velint, tunc non firmabitur juramento. Quia subditus non potest derogare potestati ac voluntati legislatoris, & juramentum, cum sit accessorium contractui, non potest facere ut id, quod non est, valeat.

Quæst. IX. *An & quomodo obligant contractus*

ad diem, sub modo, ad causam, & ad demonstrationem?

Resp. 1. Contractus *ad diem*, inducit statim obligationem, quam tamen debitor non tenetur complere ante diem præfinitum. Contractus vero ad diem incertum, v. g. *Cum nupserit, cum navis de Indiis venerit*, suspendit consensum & obligationem, nam resolvitur in conditionalem, v. gr. *Si nupserit &c.* l. 1. §. *de condit. & demonstr.*

Resp. 2. Contractus *sub modo*, obligat statim nec est irritus, etiamsi modus non impleatur, nisi appositus sit sub annullatione donationis vel legati: Nam modus dispositionem perfectam supponit & consequitur, non autem illam suspendit, in quo differt a conditione: modus enim est quoddam onus adjectum dispositioni, quo alter gravatur ad aliquid præstandum. Est tamen gravis obligatio ex justitia talem modum præstandi.

Resp. 3. Contractus seu dispositio facta *ad causam*, nulla est, si causa finalis non subsistat. Quia non est voluntas dandi seu alienandi, nisi sub conditione, si causa finalis subsistat, & sublata causa volendi, non est volitio. Hinc res data ob causam retineri non potest, causa non subsecuta. At valet dispositio si sola causa impulsiva defuerit: quia dispositio non fit sub conditione illius, & subsistente motivo principali ac finali volendi subsistit dispositio. Porro in dubio præsumitur causam fuisse tantum impulsivam, quando dispONens intendebat facere, & commodum præstare ei pro quo disponit.

Resp. 4. Error, seu falsitas in demonstratione non vitiat contractum seu dispositionem, modo demonstratio non apponatur per modum conditionis, nec error sit circa substantiam rei, contractus, seu personæ: nam talis error non tollit consensum circa substantialia. Idem die, quando constat de re & persona, cui dispositio fit; l. 17. & 33. §. *de condit. & demonstr.* Quia demonstratio fit ad peculiariter indicandam rem, de qua fit dispositio, & personam cui fit: quare si aliunde de utraque constet, non oberit falsitas. Hinc valet hæc dispositio: Dono, vel lego Titio equum meum, quem emi Parisiis, licet alibi emerim, vel præsidium prope urbem situm, constans quinquaginta jugeribus, licet non tot constet. At dum res, quæ demonstratur, non existit, nulla est dispositio defectu materiæ, ut si dicas: Dono vel lego Titio pecuniam, quam in tali loco habeo, cum ibi nullam habeas.

Quæst. X. *An quod obligat contractus alternativus, seu sub disjunctione?*

Resp. Si disjunctio cadat in res diversæ speciei, v. g. Promitto tibi bovem vel equum; ambæ manent sub obligatione, sed disjunctive pro arbitrio promissoris, ex l. 10. §. *de jure dotium*. Et reg. 72. jur. in 6. ibi: *In alternativis debitoris est electio, & sufficit adimpleri*. Una autem pereunte tenetur promissor dare quæ superest, nec sufficit dare pretium rei destructæ, modo creditoris culpa non perierit. Si autem alternativa detur in res ejusdem speciei, seu quæ differunt solum secundum plus & minus, v. g. centum, vel quinquaginta aureos, aut in tempus, v. g. post annum vel biennium, debetur solum id quod minus est l. 229. *de verbor. obligat.* ibi: *Si ita stipulatus fuero: Decem aut quindecim dabis, decem debentur. Item si ita: Post annum aut biennium dabis, post biennium dabis. Quia in stipulationibus id favoratur, ut quod minus esset, quodque longius esset, videretur in obligationem deductum.*

Hinc si per errorem majus datum fuit, restitui debet. Si vero disjunctio cadat in personas, v. g. Si dones centum Petro vel Paulo, debentur quinquaginta utrique ex jure novo, l. 4. God. *de verb. & rer. signific.*

Quæst. XI. *An & quando contractus sub conditione valet, & obligat?*

Resp. 1. Contractus seu dispositio sub conditione de præsenti vel præterito valet, & obligat statim, si conditio extat, vel extitit. *Ita omnes*, ex l. 37. §. *de reb. credit.* Quia posita conditione dispositio transit in absolutam, & ei æquivalet: nam ponitur consultus, qui minime suspensus est. Idem docet communis sententia, si conditio sit de eo, quod necessario futurum est, l. 9. §. *de donat.* Quia (ut ait S. Th. in 4. dist. 29. art. 3.) *talia futura jam sunt præsentia in suis causis*; & jam in præsenti verum est, quod hoc futurum sit, ac proinde conditio censetur præsens: ut do, vendo tibi, si es moriturus, si sol cras oriatur. Si autem conditio de præsenti vel præterito non esti nec fuit posita, juxta omnes non valet contractus. *infit. de verb. obligat.* Quia non datur consensus, nisi dependenter ab illa conditione posita, quæ proinde deficiente, non est consensus. Hinc non posita conditione, nulla est hæc donatio: Dono tibi hunc equum, si negotium meum fideliter gessisti, dum hoc falsum est.

Resp. 2. Si conditio honesta & possibilis sit de futuro contingenti libero, contractus non obligat ad præstandam rem promissam ante impletam conditionem. *Ita omnes*. Quia dispONens sub conditione, non intendit se obligare, nec disponere nisi illa posita. Non potest tamen refilire ante tempus præfinitum, sed tenetur conditionis eventum expectare: nam conventio ad hoc statim obligat absolute, & in hoc videntur omnes convenire, inquit Delugo. Quod si impediat conditionem, nihilominus alteri obligatur, ex l. 82. §. *de verb. oblig.* Et ex reg. jur. 66. in 6. ibi: *Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset*. Si vero conditio suo tempore impleatur, contractus juxta multos obligat jam absolute sine novo consensu, ex l. 12. §. *Qui potiores in pign.* Et ex l. 7. *de contract. empt.* ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio*: Nam tunc ponitur id, quo posito quia prius voluit obligari ac disponere. Si tamen in contractu matrimonii & in aliis, qui non solo consensu, sed traditione perficiuntur, consensus ante conditionem impletam revocatus sit, non valebunt sine novo consensu: quia traditio fieri nequit sine consensu ejus, qui rem traditurus est, & consensus ante conditionis eventum revocatus est, ideoque jam non permanet moraliter. *Delugo*. Si autem conditio non fuerit posita tempore præfinito, contractus jam non obligat, & in irritum recidit: quia contrahens sub conditione, non intendit se obligare & disponere, illa non posita. Dispositio autem pendens ex hominis libera voluntate, non aliter obligat quam disponens intendit.

Porro sola conditio expressa reddit contractum ac dispositionem conditionalem, non autem tacita, & quæ est intrinseca contractui, ex l. 99. §. *de cer-*

condit. & demonstr. Unde tacita non suspendit obligationem.

Resp. 3. Conditio impossibilis invalidat contractum & dispositionem, exceptis matrimonio, & dispositionibus ultimæ voluntatis, ex l. 31. §. *de oblig. & act.* Et *ex infit.* Quia contrahens sub conditione non vult obligari ac disponere, nisi ea conditione posita: Cum autem conditio impossibilis nequeat poni, nunquam ipse poterit obligari; & sic voluntas non potest efficaciter tendere in obligationem sub conditione, quæ apprehenditur ut impossibilis. Idem dic, si conditio sit de re illicita facienda: tum quia in jure conditio turpis habetur impossibilis, cum illud solum legitime possimus, quod licite possumus: tum quia nemo potest obligari ad peccandum, & ad id præstandum, quod per se inducit & allicit alium ad peccandum. Idem est, si conditio sit contra substantiam contractus: nam impedit consensum substantialem in ipsum contractum.

Excepi 1. Matrimonium: quia c. ult. *de condit.* Gregor. IX. statuit, *ut conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi*. Ergo illis non obstantibus valet matrimonium secundum præsumptionem fori externi supponentis tales conditiones non serio adjici. Valet etiam in foro interno, si contrahentes habeut intentionem generalem contrahendi secundum legem Ecclesiæ, prævalentem alteri intentioni particulari. Si tamen conditio turpis, vel impossibilis effet contra substantiam matrimonii, non valeret matrimonium. Nam tunc deest voluntas etiam implicita illud vere contrahendi; non enim potest quis simul velle efficaciter verum matrimonium, & simul aliquid velle quod ipsum destruit; cujusmodi est conditio impossibilis circa substantiam ejus, v. g. modo possim pro arbitrio illud matrimonium dissolvere.

Excepi 2. Ultimas voluntates, ut sunt testamentum, legatum, & donatio mortis causa. Nam in illis conditiones impossibiles, vel turpes ex juris dispositione habentur pro non adjectis, & dispositio testatoris manet absoluta & valida, & ex l. 1. 6. & 14. §. *de condit. insti.* Et ex instit. *de hared. in lit.* Eo quod intentio dispONentis non censeatur his conditionibus alligata. Quod etiam valet in foro interno; saltem nisi constet de contraria voluntate dispONentis: nam homo recte præsumitur, voluisse valide & secundum leges dispONere de rebus suis, nec voluisse mori intestatus, nec in re tanti momenti ludere & jocari, faciendo actum irritum: & ideo merito censetur ex errore potius, quam joco talem conditionem adjecisse, putando esse possibilem & honestam: eoque fuisse animo, ut si impossibilem, vel turpem esse sciret, eam non apponeret, aut saltem eam non exigeret, si alias dispositio esset nulla.

Aliud autem leges statuerunt de contractibus & dispositionibus inter vivos, quia illis per se loquendo nil nocet, contractum esse nullum, cum possint de novo contrahere, rejecta illa conditione impossibili.

Nota. In ultimis voluntatibus pro non adjecta etiam habetur hæc conditio: *Si non nupserit*, l. 120. *de condit. & demonstr.* Idque in favorem matrimonii, ut respub. augeatur. Sed postea jure codicis, hoc restrictum est ad primas nuptias, ita ut in secundis hæc conditio vim habeat, & si contra facias, legatum amittas, Authent. *Cui relictum*, Cod. *de indicta viduit.* Item hæc conditio: *Si religionem non ingrediaris* etiam pro non adjecta habetur, ex Authent. *de sanct. Episc.* c. 37. in favorem religionis, qui est status majoris perfectionis. Hinc si mulieri relicti sint mille aurei, *si nupserit*, ei tradi debent, licet religionem ingrediatur.

CAPUT II.

De consensu ad valorem contractus requisito.

Quæst. I. *Quisnam & qualis consensus requiritur ad valorem contractus?*

Resp. Ex communi sententia consensus debet esse, 1. Verus seu internus, & mutuus, ut patet ex definitione. Hinc non sufficit fictus & mere externus; nam consensus fictus non est verus consensus, sicut homo pictus non est verus homo. 2. Debet aliquo signo externo exprimi, alioqui consensus unius non potest cognosci ab alio, nec proinde acceptari, & vicissim, sicque non possent convenire in idem. 3. Debet esse liber, & plene deliberatus; nam sine plena deliberatione seu advertentia nemo censetur velle suscipere in se obligationem ex genere suo gravem, & qualibet contractus etiam late sumptus debet esse actus simpliciter humanus.

Dices. Ergo ad nihil tenetur, qui contrahit ficte, hoc est, sine animo vere contrahendi, vel se obligandi.

Resp. Is 1. peccat contra justitiam, & quidem mortaliter in re gravi, & reus est mendacii pernicioli. Nam in quolibet contractu, utrinque obligatorio, lex justitiæ præscribit, ut uterque vere contrahat, & ne alter alterum decipiat. 2. Quamvis non obligetur directe & immediate vi contractus ficti, qui nullus est; tamen tenetur in conscientia ratione injuriæ alteri factæ, impedire damnum, quod inde alteri oriri posset, & illatum refarcire, quia posuit ejus causam per injustam decepionem. Immo tenetur tollere deceptionem ipsam, & vere contrahere, contractumque ut verum implere: nam ex justitia tenebatur vere contrahere, & sic injuriam fecit ficte contrahendo. Ergo tenetur injuriam illam tollere, vere postea contrahendo: nisi tamen excusaret aliqua alia justa causa, quo casu semper damnum ex deceptione ortum refarcire debet.

Quæst. II. *An consensus ex errore, vel dolo dato contractum invalidat?*

Nota 1. Error est judicium falsum. *Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita*, l. 1. §. *de dolo malo*.

Nota 2. Error vel dolus potest esse, 1. Circa substantiam rei, de qua contrahitur, ut si emas vitrum pro gemma, l. 14. §. *de cont. empt.* vel circa naturam contractus, ut si consentias in contractum, quem putas esse commodationem, cum sit locatio; vel circa motivum substantiale seu principale contractus, ut si Titio promittas mille aureos, quia putas esse consanguineum tuum, cum non sit. 2. Circa accidens, seu qualitatem accidentalem rei, contractus, vel motivi principalis. Porro in multis contractibus ratio personæ se habet tantum accidentaliter, ut in venditione &c. si qui-

quibusdam vero habet rationem vel motivi substantialis, ut in donatione, & promissione liberali; vel substantiæ objecti, ut in matrimonio.

Nota 3. Illud censetur pertinere ad substantiam rei in contractibus, ad quod ex communi hominum usu, vel dispositione legis præsumitur saltem implicite & virtualiter restricta contrahentium intentio, ita ut illo sublato tollatur intentio contrahendi.

Nota 4. Duplex est motivum contractus; unum intrinsecum ac substantiale, quod est id in quod voluntas primario fertur, dum contrahit, ut in matrimonio acquisitio dominii in corpus conjugis, in emptione acquisitio rei venditæ &c. Et aliud extrinsecum contractui, estque causa tantum impulsiva ad contrahendum, ut nobilitas, divitiæ in matrimonio &c.

Nota 5. Error vel dolus potest esse antecedens, vel concomitans. Antecedens est, qui dat causam contractui ita ut sine illo non fuisset initus. Concomitans seu incidens est ille, qui non dat causam contractui, sed solum alicui conditioni ejus, aut circumstantiæ, in quantum scilicet sine illo contractus quidem fuisset, sed alia conditione, v. g. viliori pretio res fuisset empta, si aliquis defectus innotuisset.

Resp. 1. Quilibet error vel dolus circa substantiam rei, vel naturam contractus, vel motivum intrinsecum ac substantiale invalidat contractum jure naturæ. *Est communis sententia*. Quia deest consensus in aliquid substantiale, quod ignoratur: voluntas enim non fertur in incognitum, ex l. 22. & 42. §. *de contraben. empt.* Et ex l. 9. Cod. *de jur. & facti ignor.* ibi: *Cum nullus sit errantis consensus*. At sine consensu circa omnia substantialia contractui, nullus est contractus, utpote a libera voluntate dependens, ut constat ex ejus definitione. Hoc procedit, etiamsi error sit concomitans, quia illo posito, non abest consensus substantialis, ob defectum cognitionis: *Cum non consentiant qui errant, quid enim tam contrarium consensui quam error?* l. 15. §. *de furtis*. Ar nihil subsistit sine eo, quod est de illius substantia.

Hinc 1. Si putarem tibi vendere agrum, & tu putares tibi donari, nulla est venditio, nam erratur in specie contractus. 2. Venditio vasis aurei pro aureo nulla est. 3. Nullum est matrimonium cum Bertha, quæ putatur Titia. Item si quis falso putans matrimonium esse solubile, velit tantum facere contractum solubilem, & potius non contrahere: nullum est matrimonium. Si tamen intendens facere contractum solubilem, habet simul voluntatem generalem faciendi contractum, quem alii faciunt, valet matrimonium vi illius consensus generalis, qui debet censeri absolutus & efficax.

Resp. 2. Si error vel dolus sit circa qualitatem, & non det causam contractui, ex communi sententia non irritat contractum: quia non tollit consensum circa substantialia. Unde si rem pluris emeris quam valeat, tenet contractus; sed venditor tibi restituere tenetur excessum pretii non solum supra summum, sed etiam supra illud justum, quo, sublato dolo, res vendita fuisset; quia excessus fuit dolo extortus, ideoque quoad illum facta est injuria. Nec contractus poterit irritari a decepto; quia dolus seu injuria non fuit causa contractus, & per restitutionem excessus pretii tollitur injuria, & deceptus constituitur in eo statu in quo fuisset, sublato dolo. Immo etiamsi error, vel dolus circa accidentalia, vel causas, quæ alliciunt aut avocant a contractu, det causam contractui, non invalidat contractum, ex l. 5. Cod. *de inutil. stipul.* Et l. 5. Cod. *de rescind.* Quia cum error vel deceptio non sit circa substantialia, non impedit consensum substantialem, & sic perficitur essentialiter contractus: accidentia enim & extrinseca non tollunt substantiam rei. Idque patet in contractu matrimonii, quod juxta omnes valet, etiamsi contrahatur cum paupere, eo quod putetur dives. Nec refert, quod si scivisses illam qualitatem, vel conditionem rei, non contraxisses: nam actus iste voluntatis, qui sub conditione talis cognitionis futuros fuisset, non est actu, nec virtualiter, & sic nihil efficit, nec impedit consensum actualem absolutum ac sufficientem: aliqui omnes fere contractus nulli essent.

Error tamen circa qualitatem invalidat contractum, quando contrahens expresse, vel implicite non vult contrahere, nisi objectum sit tali qualitate affectum. Nam tunc qualitas illa simul cum substantia rei ingreditur objectum substantiale contractus, & non est voluntas contrahendi, nisi posita illa qualitate tamquam conditione.

Resp. 3. Quoties error vel dolus circa qualitatem, dans causam contractui, provenit a parte contrahente, contractus, etsi validus, potest rescindi pro voluntate decepti, si solubilis sit; unde non est omnino firmus. *Est communis sententia*. Quia decipiens injuriam facit, quam tenetur tollere, auferendo dolum, & restituendo deceptum in eum statum, in quo erat ante contractum, & sic reddendo omnia infecta, si deceptus velit. Præterea *fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent*, cap. 5. *de empt.* ac proinde deceptus habet jus dissolvendi contractum, & tollendi obligationem illam, si voluerit consensum revocare. Quare talis contractus obligat decipientem absolute & irrevocabiliter, cum sit validus, nec habeat jus eum rescindendi: deceptum vero revocabiliter & conditionate tantum, si nolit contractum rescindere, qui si velit stare contractui, tenetur deceptor excessum pretii pro merce vitiosa accepti reddere. Immo juxta Delugo, quando contrahens inculpabiliter decipit per deceptionem, quæ dat causam contractui; potest deceptus dissolvere contractum, quia sensus taliter contrahentium hic est, ut nolint irrevocabiliter se obligare, nisi stante veritate eorum, quibus alter contrahens inducitur ad contrahendum.

Dixi. *Si solubilis sit*. Nam in iis quæ constituunt statum ex natura sua firmum & irrevocabilem, qualia sunt matrimonium, & professio religiosa, voluntas naturæ rei, de qua agitur, accommodat se, & consentit absolute, irrevocabiliter & independenter ab aliis conditionibus, quæ non sunt de substantia talis contractus.

Si vero talis error vel dolus dans causam contractui proveniat non a parte contrahente, sed aliunde, ipsa inscia; tunc non solum valet contractus ob consensum circa substantialia, sed etiam rescindi nequit a decepto. *Ita multi*. Quia pars contrahens non fecit ei injuriam; unde nec tenetur restituere alium in priorem statum ac libertatem, sed solum rem adducere ad æqualitatem. Deceptor vero tenetur refarcire damnum illatum, cum sit causa illius injustæ Exci-

Excipe promissionem gratuitam, & donationem liberalem; nam possunt revocari pro arbitrio decepti, si error vel dolus circa notabilem quantitatem causam dederit, quamvis non proveniat a promissario vel donatario; quia in illis pactis unus solum se sponte & ex liberalitate obligat, ideoque pendet ab illius solius voluntate, ut pacto apponat conditionem vel limitationem, quam voluerit, qualis est hæc, ut nolit obligari, saltem irrevocabiliter, si notabilis sit error vel mutatio. Aliud est de contractibus onerosis seu reciprocis, qui pendent a voluntate duorum sese mutuo obligantium, qui sic invicem obligari volunt, ut secluso errore circa substantiam rei vel contractus, & dolo qualibet dante causam contractui, & ab altero contrahentium proveniente, rescindi non possint ab alterutro: aliqui sæpe nulla foret contractuum securitas, & pateret via innumeris litibus; nam facile alteruter sibi persuaderet se fuisse deceptum. Excipiuntur sponsalia, in quibus major libertas defideratur, eo quod ordinentur ad mutuum amorem, & ad contrahendum indissolubile matrimonii vinculum.

Quæst. III. *An validus ac firmus est contractus ex metu celebratus?*

Nota. Duplex est metus, levis, & gravis. Metus gravis, alius est absolute gravis, alius respective. Metus gravis absolute, & qui dicitur cadens in constantem virum, est metus alicujus mali in se gravis, quo vir fortis commoveri solet, ut metus mortis, mutilationis, diuturni carceris, exilii, jacturæ omnium bonorum, amissionis status &c. sive hæc mala imminenter timeri, sive ejus liberis, parentibus, conjugi, vel consanguineis. Ad metum gravem revocatur metus reverentialis, seu timor habendi parentem vel superiorem infensum, si hæc offensio putetur magna, diuturna, ac molesta, vel cum gravibus minis, aut verberibus conjuncta sit. Metus gravis respective dicitur, qui est alicujus mali, quod etsi non commoveat virum constantem, tamen feminæ, vel seni, vel puero, vel homini meticuloso formidandum merito videtur; nam hi omnes non minus concutiuntur levioribus malis, quam viri fortes gravioribus. Porro ut metus censeatur gravis, necesse est ut malum, quod timetur, verisimiliter immineat, alioqui vanus esset timor. Igitur metus gravis est, quo timetur malum verisimiliter impendens, & grave vel absolute seu secundum se, vel respective ad timentem. Metus vero levis est, quo timetur malum leve, vel grave, sed non verisimiliter impendens.

Resp. 1. Contractus stricte sumptus, ex metu gravi injuste ad extorquendum consensum injusto factus, ex communi sententia validus est, 1. Jure naturæ, quia metus gravis non impedit voluntarium ac liberum sufficiens ad peccatum mortale, quando non tollit usum rationis, nec sufficientem deliberationem: voluntas enim non potest cogi quoad actus elicitos. Sic mercator cum plena advertentia rationis, & deliberatione voluntatis elicit electionem mercium potius quam naufragium.

Nec obstat quod contrahens nollet contrahere, si metus abesset: nam ut supponitur, vere consentit, & conditio nihil ponit in re, sed relinquit absolutam electionem ad vitandum majus malum. Et vero hæc duo diversa sunt: *Volo contrahere, & nolim contrahere si metus abesset*. 2. Jure positivo, exceptis quibusdam. *Prob.* tum jure canonico, cap. 2. *de iis quæ vi &c.* ibi: *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*. Ergo sunt solum irritanda: tum civili, l. 22. §. *de eo quod metus causa*, & l. ult. Cod. *de iis quæ vi &c. Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari*.

Obj. Aliquas leges. *Resp.* Sensus illarum legum est, quod contractus ex metu injusto facti, sint irritandi, non sint firmi, nullius sint momenti, nullas vires habeant pro voluntate metum passi, quatenus ad ejus arbitrium rescindi debent, immo ab ipso rescindi possint.

Excipiuntur quidam contractus ex metu injusto facti, qui jure positivo sunt irriti, scilicet, 1. Matrimonium, cap. 13. *de sponsalibus*. Ratio est, quia si esset validum, cum natura sua sit indissolubile, injuria non posset tolli, & inde gravissima incommoda sequerentur. 2. Professio religiosa, c. 2. *de iis quæ vi &c.* Ratio est; quia professio religiosa est matrimonium spirituale, & vinculum indissolubile ex parte professi, quod proinde tam perfecte voluntarium ac libertum esse convenit, quam carnale. 3. Promissio dotis, vel ejus solutio, l. 22. §. *de eo quod metus causa &c.* Ratio est, quia dos est necessaria ad matrimonium, unde ejus naturam sequi debet, sicque maximam etiam libertatem requirit. 4. Promissio vel traditio rerum Ecclesiæ, cap. *de jurejur.* Ratio est, conservatio rerum Ecclesiæ. Et vero si alienatio rerum Ecclesiæ sponte facta sine sollemnitatibus non valet, multo magis non valet, si sit metu extorta. 5. Jurisdictio metu gravi extorta, ex l. 22. §. *de judic.* 6. Secundum multos, sponsalia metu extorta; quia sunt via ad matrimonium contrahendum: unde perfectam etiam libertatem ficut ipsum requirunt. Fieri enim non potest ut quis promissione sua obligetur ad actum invalidum, nempe ad matrimonium, quod invalide contrahitur a persona, gravi metu injusto compulsa.

Dubitatur de contractu facto cum pupillo per auctoritatem tutoris metu extortam.

Resp. 2. Contractus factus ex metu etiam respective gravi injuste incusso ad extorquendum consensum, juxta communem sententiam, potest rescindi arbitrio metum passi, ficut dictum est de dolo, unde non est omnino firmus. Quia qui metum injuste intulit, fecit alteri injuriam, quæ fuit causa contractus alioqui non futuri. Ergo tenetur tollere ac refarcire injuriam, & omnia incommoda inde manantia, & ipsum in priorem statum libertatis restituere, omnia compensare etiam ante omnem sententiam a ac proinde uterum passus habet jus recuperandi suam priorem libertatem independenter a sententia judicis. Potest tamen, si velit, stare contractui invito injuriante, cum non sit per se irritus, & injurians non habet jus eum rescindendi. Hinc qui metu coactus emit aliquid ab altero, potest contractum dissolvere, vel cogere venditorem ad standum contractui.

Immo tertius possessor tenetur reddere metum passo rem metu injusto extortam, si hi eam repetat, ex l. 14. §. *de eo quod metus causa &c.* Quia revocato consensu res illa pertinet ad priorem possessorem, & non potuit ad alium transire, nisi vitio metus affecta, & cum obligatione revertendi ad suum priorem dominum pro ejus arbitrio.

Id

id totum locum habere docent multi, etiamsi metus non a contrahente, sed a tertio incuteretur, idque jure naturæ. Quia consensus per injuriam extortus non transfert rem solide & irrevocabiliter, sed eo modo ut maneat jus in rem, & non solum in personam quæ injuriam intulit: par enim non est, ut quis per injuriam alterius jus omne in rem suam amittat. Præterea ratione injuriæ res est in priorem statum restituenda: ergo obnoxia est restitutioni ubicumque fuerit. Aliud est de errore vel dolo circa qualitatem accidentalem proveniente a tertio, quia non impedit voluntarium perfectum circa substantialia. At metus a quovis injustus ad extorquendum consensum, reddit illum minus voluntarium quoad substantiam. Ceterum constat, contractum in tali casu posse rescindi auctoritate judicis, & dari actionem non solum in personam, quæ metum intulit, sed etiam in rem, ad quemcunque pervenit, l. 9. §. *de eo quod metus causa*.

Dixi 1. *Metu gravi*. Nam metus levis, etiam respective, qui in jure dicitur vanus, non præsumitur dedisse causam contractui, & ob hanc præsumptionem, & ne multiplicentur lites, in foro externo non admittitur exceptio, nec datur actio ad rescindendum contractum. Tamen si metus levis injustus vere dederit causam contractui, ita ut eo sublato non fuisset datus consensus, juxta multos potest in foro conscientiæ rescindi contractus pro voluntate metum passi. Quia qui metu injusto, licet levi, extorquet consensum, facit alteri injuriam, quam proinde tenetur tollere ac resarcire restituendo coactum in priorem statum: unde nec habet jus ad hanc restitutionem & redditionem rei hinc, si velit rescindere contractum.

Hinc qui metu injusto sive gravi, sive levi consensum extorsit, tenetur in conscientia restituere id quod ex tali contractu accepit, si coactus velit, & insuper totum harum cessans & damnum emergens compensare, cum per injustam coactionem suam fuerit illorum causa. Coactus autem tenetur vicissim accepta restituere, si contractui stare nolit; nam non habet justum titulum ea retinendi.

Dixi 2. *Metu gravi etiam respective*, scilicet ad fragilitatem talis personæ, ut docet communis aut saltem longe communior sententia. Nam metus respective gravis idem præstat, quod metus absolute gravis; homines enim meticulosi indolis non minus commoventur levibus malis, quam viri fortes gravioribus: ideoque metus respective gravis involuntarium, seu repugnantiam æque creat.

Dixi 3. *injuste incusso*. Nam si metus fuerit justus, id est de malo debito, quod alter jure inferre potuit, contractus non potest rescindi a coactore, quia in illo nulla injuria intervenit, quæ sola rescindendi causa est.

Dixi 4. *Metu injusto ad extorquendum consensum*. Nam si metus fuerit alia de causa incussus ab alio tertio etiam injuste, contractus non potest rescindi: ut si quis in latrones incidens, metu ne ab illis occidatur vel spolietur, alteri qui injuria non est particeps, promittat pecuniæ summam, ut eum liberet, tenetur promissa complere. Quia tunc metus non est propriæ causa contractus, sed solum occasio; nec contractus est metu exortus, sed cum metus sit ob aliam causam injectus, adhiberi potuit contractus tamquam medium ad illum pellendum. Qui tamen metum illum injuste incussit, tenetur ad restitutionem damnorum; nam est illorum prima causa, vel saltem occasio injusta, ex cap. ult. *de injur.* Idem dic de metu a causa naturali vel interna orto: nam talis metus citra omnem injuriam provenit, & a nullo alio quis ad contrahendum compellitur, nisi a se ipso.

Porro si contractus licitus juramento firmatus sit, non potest rescindi nisi a superiore.

CAPUT III.

De iis qui contrahere possunt.

Quæst. I. *Quinam generatim valide possunt contrahere?*

Resp. Si omnes & soli usu rationis præditi, qui liberam habent bonorum administrationem, seu legitimam facultatem disponendi de illis. Quia cum contractus sit actus humanus, qui solum humano modo, id est, cum advertentia & libertate fieri debet, requirit rationis usum; & cum sit actus, quo de re aliqua disponitur, requirit in contrahente liberam facultatem disponendi. Posito autem libero rationis usu, & jure disponendi non ligato, nihil ultra potest requiri ad facultatem contrahendi.

Hinc non possunt valide contrahere infantes, amentes, ebrii, furiosi, prodigi, curatorem habentes &c.

Quæst. II. *An uxor possit contrahere?*

Resp. Uxor non potest contrahere, nec disponere de bonis familiæ. & de dote ejusque fructibus, marito præsente, & valente bona illa administrare, rationabiliter invito. Quia quamvis totius dotis & dimidiæ partis bonorum communium proprietas pertineat ad uxorem, tota tamen administratio bonorum familiæ & dotis pertinet ad virum, utpote caput familiæ. Potest autem ipsa disponere de aliis bonis, quæ præter dotem attulit, & sibi reservavit, cum horum habeat & proprietatem & administrationem.

Dixi, *Marito præsente &c.* Nam si sit absens, si amens, vel furens, tunc uxor bona familiæ dispensare potest. Si item maritus expresse vel tacite contentiat in impensas & contractus uxoris; vel si irrationabiliter invitus, ut si recusaret ea, quæ sunt necessaria ad suam & familiæ sustentationem congruentem, potest uxor in his casibus uti bonis familiæ, sed prudenter & moderate.

Quæst. III. *An filiifamilias, pupilli, & minor possint contrahere?*

Nota 1. Infans est, qui nondum septennium complevit. A septennio usque ad decimum cum dimidio dicitur infantiæ proximus, si sit mas; vel usque ad nonum cum dimidio, si sit femina. Pubes est qui habet annum 14. completum, si sit mas; vel duodecimum, si sit femina. Ante hanc ætatem dicuntur impuberes. Pubertati proximus censetur masculus a decimo anno cum dimidio usque ad annum 14. completum, & femina a nono cum dimidio usque ad 12. completum.

Nota 2. Pupillus est impubes; qui desiit esse subpotestate patris, propter ejus mortem, vel emancipationem. Minor est pubes, qui annum 25. nondum complevit, quo completo dicitur major.

Nota 3. Constat inter omnes, 1. Pupillum infantiæ proximum, ne naturaliter quidem obligari ob defectum sufficientis judicii; vel saltem ob periculum talis defectus jura illius contractibus resistunt, omnemque obligationem tollunt, *instit. de inutil. stipul.* 2. Minorem qui curatore caret, obligari tum naturaliter, tum civiliter, ex contractu alienationis bonorum mobilium, quæ servando secrari non possunt: quia minor curatore carens potest per se solum, quod posset cum consensu curatoris. Sed potest petere restitutionem in integrum, si ex contractu fuerit læsus, l. 3. Cod. *de integr. restit.*

Resp. 1. Filiusfamilias impubes non obligatur civiliter ex contractu etiam de bonis castrensibus, & cum consensu patris facto, *instit. de inutil. stipul.* Si pubes sit, potest de bonis castrensibus & quasi castrensibus, etiam sine consensu patris contrahere, & obligari etiam civiliter: nam horum liberam administrationem habet. At non potest de adventitiis, nec de profectitiis disponere sine consensu patris, quia non habet illorum liberam administrationem.

Resp. 2. Pupillus pubertati proximus, & minor obligantur tum civiliter, tum naturaliter, si cum consensu tutoris & curatoris contrahant de bonis mobilibus non pretiosis, ex l. 13. §. *de auctor. & consensu tutor.* Secus de immobilibus & mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt; nam hæc valide alienari nequeunt sine decreto judicis, l. 4. Cod. *de prædiis minor.* & l. 22. Cod. *de administrat. tutor.* Quod si sine consensu tutoris vel curatoris contrahant de bonis mobilibus non pretiosis, juxta multos obligantur naturaliter, sed non firmiter, quatenus hæc obligatio tolli potest beneficio restitutionis in integrum: ita ut qui aliquid ab illis accepit, non teneatur restituere ante sententiam. Sed alii probabilius negant, eos obligari naturaliter, nisi quatenus facti sunt ditiores. Quod probant, 2. ex instit. *Quibus alienare licet*, ubi dicitur. *Neque pupillum, neque pupillam ullam rem sine tutoris auctoritate alienare posse . . . nec debitum solvere sine auctoritate tutoris posse; quia id quod solvunt, non fit accipientis: cum scilicet nullius rei alienatio sit sine tutoris auctoritate concessa fit.* Et ex l. 21. §. *de acquir rer. dom.* ibi: *Pupillus quantum ad acquirendum non indiget tutoris auctoritate: alienare vero nullam rem potest nisi præsente tutore auctore.* Quoties autem contractus leibus simpliciter irritantur sine expressa limitatione ad forum externum, intelligi debent irritari etiam in foro conscientiæ, ideoque nullam parere obligationem. 2. Quia ad valide contrahendum etiam in foro conscientiæ requiritur libera bonorum administratio, qua carent pupilli & minores. Jam vero leges illæ, quæ dicunt pupillum sine auctoritate tutoris obligari, intelligi debent de pupillo, qui factus est ditior ex contractu, & in quantum factus est ditior.

Resp. 3. Ex communi sententia, pupillus pubertati proximus sine auctoritate tutoris valide contrahit cum majore in suum commodum, non autem in suum incommodum, ex instit. *de auctor. tutor.* Quod jura statuerunt in favorem ætatis illius, ut scilicet minoribus ætas in damnis subveniret, & in prospere gestis non obesset. Hinc si pupillus sine auctoritate tutoris aliquid emerit, non potest venditor pupillum compellere ad dandum pretium: si tamen vellit pupillus stare contractui, cogere potest venditorem actione civili ad tradendam mercem pro pretio constituto. Sed si venditor pupillo mercem tradidit non recepto pretio, potest repetere mercedem suam, & pupillus tenetur in conscientia eam restituere; nam nemo licite locupletari potest cum alterius injuria vel jactura, ex reg. jur. 48. in 6. Quod si dolo, vel culpa pupilli res tradita perierit, eam solvere cogitur, l. 1. §. *depos.*

Quæ autem dicta sunt de pupillo, eadem dicta intelligantur de minore contrahente sine consensu curatoris sui. Nam curator non minus datur rebus minorum administrandis, quam tutor rebus pupillorum, unde minor habens curatorem, pupillo quoad bona & contractus æquiparatur.

Quæst. IV. *An pupillus vel minor teneatur solvere pecuniam, quam sine consensu tutoris vel curatoris mutuam accepit?*

Resp. Tenetur, si eam in usus necessarios, vel utiles impenderit, ex l. 5. §. *de auct. & consensu tutor.* ibi: *Naturaliter obligabitur, in quantum locupletior factus est.* Ex pecunia autem in tales usus consumpta factus est ditior; nam tantumdem suis rebus pepercit. Et vero iniquum est, quemquam locupletari cum damno alterius maxime bona fide mutuantis. At non tenetur, si eam in usus inutiles consumpserit: quia leges volunt, eum nullo modo obligari, ne ejus bona inutiliter consumantur: ex loc. cit. & l. 39. §. *de oblig. & act.* ibi; *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nequidem jure naturali obligatur.* Leges autem, quæ videntur significare obligationem pupilli, intelligende sunt sub secundum lib. 5. §. *de auctor. & consensu tut.* citatam; nempe supponunt, pupillum ex accepto mutuo locupletiorem factum esse. Excipe, nisi mutuans bona fide putaverit, pupillum eam pecuniam impendere velle in suam utilitatem; nam tunc naturalis æquitas solutionem exigit, nec lex jurendit privare debito alterum bona fide procedentem, & gratificare volentem.

PARS II.

De Contractibus in specie.

CAPUT PRIMUM.

De Promissione.

Quæst. I. *Quid est promissa?*

Resp. Est actus voluntatis externus expressus (nam de promissione facta homini hic agitur) quo quis se obligat alteri ad aliquid: sive est deliberata fidei obligatio, facta alteri de re aliqua licita & possibili. Duplex est, nempe onerosa qua onus alteri vicissim imponitur, unde pertinet ad alios contractus; & gratuita, qua nullum onus alteri imponitur. Si promissio fiat certa verborum formula, qua unus rogat, & alter promittit, dicitur stipulatio: v.g. *Spondes te mihi daturum viginti aureos? Spondeo.*

Quæst. II. *Quinam requirantur ut promissio valeat & obliget?*

Resp. Ex communi sententia, ista, 1. Voluntas se obligandi, ex l. 3. §. *de oblig. & act.* Nam omnis obligatio, quæ non est ex lege, vel præcepto,

oritur ex privata hominis voluntate. Unde non est satis dicere, *Promitto me hoc facturum*, si solum intendat significare animi propositum, non autem se obligare: nam simplex propositum est mera voluntas faciendi aliquid, sed absque animo se obligandi. Sufficit tamen voluntas se obligandi virtualis & implicita, quam habet, qui sciens promissionem obligare, vult promittere, nec habet voluntatem contrariam: nam hoc ipso vult se obligare; qui enim vult causam, vult implicite effectum, qui ex illa necessario oritur, dicut qui vult antecedens, vult necessario consequens. Omnis autem promissio necessario parit obligationem, si acceptetur. Idem die etiam si quis ignorer obligationem ex promissione oriri, modo velit facere promissionem veram, qualis ab aliis fieri solet: nam tunc habet voluntatem implicitam se obligandi, sicut baptizatus, cum sola intentione faciendi, quod Christiani faciunt cum baptizant, habet voluntatem implicitam faciendi Sacramentum, licet ignoret quid illud sit.

2. Requiritur perfecta deliberatio, & advertentia plena ad id quod agitur; quia cum haec obligatio sit omni quoddam, quod voluntarie suscipitur, non debet censeri imposita, nisi adsit plenus consensus, qui nequit esse sine plena advertentia, sufficiente ad peccatum mortale: & ideo promissio debet etiam esse libera: cum sit actus humanus, quo homo voluntarie ac libere se obligat.

3. Ut absit error & dolus circa substantiam rei, vel causam finalem; alioqui deesset consensus substantialis.

4. Ut sit spontanea: nam si per vim vel metum sit extorta, non obligat saltem irrevocabiliter & fieriter, nisi in jurata, ex cap. 6. *de juramento*. ibi: *Debitores ad solvendas usuras in quibus se obligaverant, quoi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt damnum reddere juramentum*. Quia saltem promissio sic facta potest irritari a prominente, qui ob injuriam acceptam habet jus, ut in priorem statum ac libertatem restituatur: & ut sic accepta ei restituamur. *Talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur*, ait S. Th. 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 3. quod praesertim procedit de promissione gratuita: nam aequitas non patitur, ut quae ex liberalitate fiunt, fiant coacte.

Ad vim saltem in promissione gratuita, quae debet esse omnino spontanea, reducitur metus reverentialis, quo quis repugnante voluntate consentit, eo quod non audeat contradicere: item preces validae importunae, quibus res promittitur, vel obtinetur repugnante voluntate, & solum ad molestiam precum repellendam, quae aliter sine majore incommodo repelli nequeat.

5. Ut sit de re licita & possibili. Nam nemo potest obligari ad rem illicitam, vel impossibilem. Hinc nulla est promissio rei jam promissae alteri. Valet tamen promissio facta homini de bono minore, licet impeditivo majoris boni: nam minus bonum potest ei magis placere quam majus: secus de Deo.

6. Ut ab homine, cui fit, acceptetur. Quia fine utriusque partis consensu nullum est pactum, quod l. 3. §. *de pollicit.* definitur: *Duorum consensus atque conventio*: & sic nulla obligatio ex eo oritur, lib. 1. §. *de pact.* Praeterea sicut promissio, vel obligatio onerosa tacitam hanc habet conditionem: *Si alter vicissim se velit obligare*, qua sublata non obligat: sic etiam gratuita promissio & donatio hanc tacitam habet conditionem *Si acceptetur*: qui enim promittit vel donat, non censetur animum se obligandi habere, donec alter accepter, & rem sibi gratam fore declarer, cum velit ei gratificari.

Hinc promissio & donatio non obligant, & semper revocari possunt ante acceptationem. Promissio tamen moraliter durat ut oblata, quamdiu non revocatur, vel ab alio non censetur recusari: unde si illa nondum revocata acceptetur post intervallum temporis, perinde obligabit ac si statim acceptata fuisset. Idque locum habet in aliis contractibus. Porro juxta multos, ut promissio gratuita, non onerosa, censeatur acceptata, regulariter sufficit taciturnitas ejus, cui fit, ex reg. jur. 41. in 6. *Qui tacet consentire videtur*, quae praecipue valet in iis, quae solum tacentis commodum continent. Regula vero sequens, *Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*, procedit in promissionibus onerosis acceptandis.

Excipiuntur pollicitationes, quae fiunt civitati, vel Ecclesiae, vel ad pias causas: quamvis enim jura non loquantur expresse nisi de pollicitationibus factis civitati ad restaurandas ruinas &c. l. 3. & 4. §. *de pollicit.* tamen id extenditur Doctores ad pollicitationes & donationes ad pias causas; quia haec aequiparatur iis quae fiunt civitati, si privilegia spectentur, ex lib. 18. & 23. Cod. *de sacrosanct. Ecclesiis*. Sed tunc intervenit acceptatio rei publicae aut Ecclesiae: vel leges solum volunt ut tales promissiones non possint pro arbitrio revocari, sed semper possit acceptari, & promissum peti.

7. Ut promissio exterius significetur; nam alioqui non posset acceptari. Hinc si fit mere interna, non obligat, nisi facta sit Deo; a quo utpote cordium inspectore statim acceptatur. Unde si promissio fiat alicui solum ob Dei honorem, v. g. Promitto me Dei amore tali pauperi daturum centum, statim obligat ante quam acceptetur a paupere, quia talis promissio censetur esse votum, quod statim obligat, utpote statim acceptatum a Deo.

Quaest. III. *An quaevis promissio etiam gratuita obligat sub mortali in re gravi?*

Resp. Affirm. Ita S. Antoninus, Azor, Les. Valq. Sanch. Reginal. & alii communius.

Prob. Quia 1. Pacta omnia obligant: ergo obligant graviter, si materia sit gravis. 2. Promissio acceptata inducit obligationem justitiae, quae gravis est in re gravi: nam obligatio justitiae est ea, quae parit in altero jus exigendi aliquid: sed promissio etiam gratuita hoc jus parit; promittere enim non est solum affirmate se daturum vel facturum aliquid, sed est insuper se obligare alteri, ideoque jus ei dare ad exigendum, ut patet ex communi sensu. Unde homines queri solent, factam sibi esse injuriam, dum violatur promissio acceptata, per quam acquiritur jus ad rem, quod transit ad haeredes; ac proinde gravis est injuria, ideoque mortalis, si violetur jus ad rem gravem promissam. 3. Promissio, quae fit per formam stipulationis, vel coram notario & testibus, obligat ex justitia, cum det actionem in foro externo, cujus sententia spectat hoc, ut fusura cuique jus reddatur. Horum autem assistentia non addit novam obligationem, sed supponit, & facit solum ad majorem securitatem. 4. S. Aug. lib. 1. *de Doctr. Christ. cap. 36.* generaliter ait: *Omnis fides violator iniqui est*. 5. Et ex Tullio, lib. 1. offic. *Fides est justitiae fundamentum, dictorum conventorumque constantia*: haec qui in promissis fidem non servat, justitiae fundamentum, quo pacta nituntur, evertit. At hoc est ex suo genere graviter inordinatum. 6. Donatio gratuita accedente traditione dat jus in re, ergo promissio gratuita acceptata dat jus ad rem.

Itaque fidelitas, quae fides data servatur: est species justitiae, quatenus reddit unicuique jus suum ex promissione debitum, quamvis sit justitia minus stricta, dum promissio est gratuita. Quare si dei etiam gratis datae & acceptatae violatio est quadam injustitia, & quidem ex genere suo turpis, hominemque reddens contemptibilem; & dicitur infidelitas.

Porro consentiunt omnes, eum, qui non implet promissionem gratuitam, teneri refarcire damna inde secuta, cum dederit illis causam, non servando fidem datam, & sic decipiendo. Idem die, etiamsi fide promiserit; quia fuit causa damni per deceptionem, ideoque per injuriam. Non est tamen obligatio compensandi lucrum cessans ex re liberaliter promissa, eo quod suo tempore non fuerit data, quia promissio gratuita non obligat ex justitia tam stricta, quam promissio onerosa: nam illa dat solum jus rem promissam petendi, & conquerendi de violata fide data, & obligatio ab illa data pendet a sola promittentis voluntate, qui non intendit se obligare nisi ad dandam rem promissam.

Nota. Juxta multos major quantitas ad mortale requiritur in violatione promissionis gratuitae, quam onerosae, vel in furtis: quia minus invitus censetur promissarius, quod res gratis promissa recuperatur, quam si res propria aequalis valoris auferatur.

Quaest. IV. *Ad quid obligat promissio facti alieni?*

Resp. Obligat ad procurandum sincere & bona fide factum alterius. Nam promittens factum alienum, eo ipso censetur velle se obligare ad illud procurandum, alioqui ad nihil obligaret promissio illa, & nulla esset, nam non posset obligare ad ipsum factum alienum, quia ut alienum non est in promittentis potestate, & ad impossibile obligari non potest. *Ita Molina, Sanchez, Deluge, & alii multi*.

Quaest. V. *An promissio facta ob causam turpem, seu opus illicitum obligat?*

Resp. 1. Omnis promissio & pactio de re illicita faciendа, non obligat, & nulla est jure naturali ante executionem. *Ita omnes*. Quia nemo potest obligari ad peccandum. Quod si jurata sit, juramentum est invalidum; cum non sit vinculum iniquitatis. Immo promissio tenetur retractare statim promittendo, utpote iniquam, & ad peccandum alliciendo.

Resp. 2. Multi docent, immo Deluge asserit esse communem sententiam Theologorum, post opus malum patratum obligari promittentem ad solutionem pretii promissi, si datio & acceptatio nulla lege fit prohibita, nec irrita. Quia 1. Promissio matrimonii facta puellae sub conditione quod faceret sui copiam, quamvis ante copulam non obligaret, post eam tamen ex justitia obligat promittentem ad servanda promissa. Quae si non perficeret, postquam puella ex parte sua impleverit conditionem, injuriam ei faceret, & inaequalitatem inter se & illam poneret. 2. In illis pactis intervenit duplex promissio, una absoluta faciendi rem illicitam, & haec nunquam valet, nec obligat; altera est conditionalis, & ex suppositione conditionis positae: sicut possum pauperi promittere: *Si peccavero, dabo tibi eleemosynam*. Quae pactio perficitur pactis conditione turpi, oritur que obligatio ex vi consensus ut sequentis, non ut antecedentis opus malum. 3. Posita conditione impletio rei promissae non est turpis, nec enim promissum impletur ob causam turpem, sed ut fides data servetur. Quod si quis pretium promissum solvat eo quod crimen patratum praeteritum, sed hoc est per accidens, & ex ejus malitia: nam potest & debet solvere praecise, ut fides data servetur.

Alii vero negant tunc obligare: quia pactiones ob causam turpem in utroque jure absolute & indistincte decernuntur *nullius esse momenti, nullam obligationem inducere, nullam vim habere*, cap. tit. *de pactis*, ubi Gregor. IX. ait: *Etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure vel facto, nullam obligationem inducit*. Et lib. 26. de verb. oblig. *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti*. Et lib. 6. Cod. de pact. *Pacta quae contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere inductum juris est*. Item l. 5. Cod. de legib. Sed priores respondent, his legibus significari tales pactiones non valere ante opus patratum; neque post patratum dare actionem in foro externo: nec illas autem non tolli obligationem naturalem, quae ex promissionibus onerosis oritur.

Quaest. VI. *Quaenam promissiones secundum omnes sunt jure positivo irritae*.

Resp. Sequentes. 1. Promissiones quae dant occasionem peccandi, ut si alteri promittas te remissuram ei obligationem de dolo, vi, furto, injuria &c. lib. 2. §. *de pact.* quia hoc cederet in detrimentum boni communis. 2. Promissiones, quibus admittur potestas disponendi de rebus suis, verb. grat. promissio non condendi aut non revocandi testamentum, non instituendi alium haeredem nisi talem, quia haec omnia sunt contra bonos mores civiles, hoc est, quos expedit esse in rep. bene instituta. 3. Beneficii ecclesiastici nondum vacantis promissio quavis modo facta, est illicita & nulla, ex Conc. gener. Later. III. cap. 1. etiamsi nullum in particulari promittatur, cap. 2. *de concess. prabend.* in 6. ne detur occasio optandi mortem possessoris: Unde nec licet illud petere, cum ejus promissio sit vetita.

Quaest. VII. *Quandonam promissio acceptata & valida definit obligare?*

Resp. Ex communi sententia, in his casibus, 1. Si res promissa fiat inutilis vel noxia promissario; nam tunc cessat esse materia promissionis, eâque contra finem illius, vel si ejus impletio fiat illicita, aut impossibilis, quia nemo tenetur ad aliquid illicitum vel impossibile. 2. Si is in cujus commodum facta est, remittat: nam tunc cedit juri suo, & sic tollit obligationem promittentis. 3. Quando causa finalis, ob quam promissio facta est, non extat; ut si promiseris alteri propter beneficium, quod putas te ab illo accepisse, cum non acceperis: quia non promisisti ex hac suppositione falsa; & est error in causa finali seu motivo substantiali. Item si talis causa cessat, ut si promissoris aliquid ob pauperiem, & hæc sublata jam sit; nam non intendisti te obligare ad dandum, nisi subsistente causa finali tempore executionis. 4. Quando duo sibi vicissim aliquid promiserunt, & alter non vult promissa præstare ex cap. 3. *de jurejur.* & ex reg. jur. 73. in 6. ibi: *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.* Nam tunc fit mutua compensatio, & promittens non censetur promisisse nisi sub tacita conditione, quod alter promissum ex sua parte servaret. 5. Si status rerum & personarum ita mutetur, ut promissor juxta prudentum judicium non censeatur voluisse obligare se in tali eventu; tum quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, nec habet vim nisi ex intentione, quam expresse vel implicite habet, dum promittit; tum quia sicut ex reg. jur. 82. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, si in speciali peterentur; ita neque in promissione comprehenduntur illi eventus, qui in judicio prudentum fuissent excepti, si meuti occurrissent. Sic qui promisit se tibi mutuarium pecuniam, non tenetur stare promisso, si postea hac indigeat ob gravem & improvisam necessitatem. Ita S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 5. ibi: *Ad hoc quod teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant a quibusdam nec fuit, mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente subintelligendis debitis conditionibus. Nec etiam est infidelis non implendo quod promisit, quia eadem conditiones non extarent.* Nec obstat quod promissio fit jurata: quia juramentum firmat promissionem tantum secundum intentionem, qua censetur facta & in eo sensu, quo facta est, non in alio. Quare si promissio habet tacitam conditionem, sive ex mente promittentis, sive ex natura rei, sive ex juris dispositione aut interpretatione, Juramentum non tollit eam conditionem, sed solum secundum eam firmat promissionem.

Porro cum arctior sit obligatio, & interpretatio promissionis onerosæ, quam gratuitæ, facilius in gratuita subintelliguntur aliquæ conditiones, quæ ex communi prudentum sensu inesse censentur, nec hæc obligat, cum impleri nequit sine gravi damno non prævisо, nec ut ait S. Antoninus, *si superveniat causa rationabilis non implendi.* Quia, ut supra dixi, in promissione gratuita promittens se solum ex liberalitate obligat, ideoque pendet ab illius voluntate, ut apponat conditionem vel limitationem quam voluerit, qualis est hæc, ut nolit obligari, si superveniat causa rationabilis non implendi.

CAPUT II.

De Donatione.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex est Donatio?*

Resp. 1. Donatio est datio liberalis, sive doni datio. Donum est datum gratuitum, id est, quod neque ex justitia debitum est, neque alteri obligationem justitiæ & fidelitatis imponit, quamvis ex eo oriatur obligatio gratitudinis. Unde donatio est rei aut juris alicujus gratuita concessio.

Ut donatio valeat, ex communi sententia, debet esse deliberata & spontanea; ut dixi de promissione ob easdem rationes; *nam nec ignorans, nec invitus quisquam donat*, l. 10. Cod. *de donat.* Hinc qui aliquid per vim vel dolum accepit, tenetur illud restituere, & tollere ac refarcire injuriam, restituendo aliam in priorem statum ac libertatem. Immo juxta multos donatio ex metu levi injusto, tamquam causa finali facta, est in foro conscientiæ nulla: quia donatio ex natura sua exigit, ut fiat sponte ac liberaliter: saltem est revocabilis ad nutum donantis. Non valet etiam, nisi sit acceptata ab eo cui fit, ut dixi de promissione, & patet etiam tum ex l. 10. §. de donat. ibi: *Si nescit rem, quæ apud se est, sibi esse donatam, vel missum sibi non acceperit, donata rei dominus non fit.* Tum ex cap. *de prædendis in 6.* Ratio est, quia donatio est pactio, quæ est essentialiter consensus plurium.

Resp. 2. Donatio dividitur 1. in realem, quæ fit cum traditione doni, unde transfert dominium in donatarium; & in verbalem, quæ fit solis verbis absque traditione doni, & hæc solum parit jus ad rem. 2. In pure liberalem seu perfectam, quæ in donante nullam ne gratitudinis quidem supponit obligationem; & in remuneratoriam seu antidoralem, quæ supponit obligationem gratitudinis, & qua proinde compensantur beneficia & obsequia gratis collata. Multi autem, quos refert & sequitur Sanchez docent, quando aliqui prohibentur donationes ergà aliquos, non prohiberi donationem remuneratoriam, proportionatam beneficiis & obsequiis alias non debitis, ex l. 1. *de donat.* ubi dicitur; *Si dat aliquis ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti; propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat. Hæc proprie donatio appellatur.* Ergo, inquiunt, si quis dat, ut debita naturalis gratitudinis solvat, non est proprie ac stricte donatio, sed remuneratio. 3. Alia est inter vivos, quia quis donat cum intentione, ut res se vivo sit donatarii: & alia mortis causa, qua quis hic donat, ut nolit rem nisi post mortem suam esse donatarii, ut si dicam: *Dono tibi hanc rem post mortem meam, vel cum moriar, vel quia timeo ne moriar.*

Quæst. II. *Quinam possunt valide donare?*

Resp. Illi soli qui habent dominium & liberam administrationem bonorum; nam qui solum habent administrationem, possunt tantum secundum mentem domini & in ejus commodum alienare; qui autem solum dominium habent sine administratione, non possunt propria auctoritate pro arbitrio disponere de suis bonis: *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare*, cap. 5. de jure patron.

Hinc

Hinc 1. non possunt valide donare ii omnes qui non possunt contrahere, de quibus supra. 2. Qui præsunt communitatibus, puta civitati, monasterio; item tutores & curatores ex bonis pupillorum & minorum possunt solum facere eleemosynas, & donationes remuneratorias moderatas, in quibus censentur expendere utiliter, non liberaliter proprie donare. 3. Maritus ex bonis communibus nil potest invita uxore donare saltem sine legitima causa, ob quam uxor non sit rationabiliter invita: quia marito sola potestas ea administrandi competit quoad partem ad uxorem pertinentem; at sub facultate administrandi non continetur facultas donandi: nam donatio non est rei administratio; sed amissio, ex l. 7. §. *de donat.*

Quæst. III. *Quænam donationes sunt jure civili invalidæ?*

Resp. Sequentes 1. Donatio excedens quingentos solidos invalida est quoad excessum, nisi insinuetur, l. 36. Cod. *de donat.* Verum circa summam & modum insinuationis consulendæ sunt leges ac consuetudines locorum. In Gallia ex edicto Henrici II. non valet donatio excedens quinquaginta libras, nisi apicibus publica insinuata fit. Excipiunt multi quamlibet donationem ad causam piam; quia donatio ad redemptionem captivorum non eget insinuatione. *loc. cit.* & legata ad causas pias non indigent sollemnitate per leges ad legata prophana requisitas. Hanc que esse communem sententiam testatur Julius Clarus apud Leffi m. Pro nomine donationis venit remissio debiti liquidi.

2. Donatio omnium bonorum tam futurorum, quam præsentium inter vivos invalida est: quia per talem donationem homo privat se testandi potestate, quod lege reprobant tamquam contra bonum ordinem, quem decet esse in rep. l. 61. §. *de verb. oblig.* Valet tamen si fiat mortis causa, quia eum possit revocari arbitrio donantis, non aufert testandi facultatem.

3. Donationes conjugum inter se jure communi non sunt valide saltem irrevocabiliter, adeoque ad arbitrium donantis revocari possunt, exceptis quibusdam casibus, l. 1. & 3. §. *de donat. inter vir. & uxor.* & cap. ult. *de donat. inter vir. & uxor.* Ubi Greg. IX. ait: *Donatio, quæ constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta ... firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur &c.* Ratio est, ne conjuges mutuo amore sese bonis spolient cum damno liberorum & parentum; & ne concordia videatur pretio conciliari. Donationes tamen inter conjuges non revocatæ confirmantur alterius obitu, ex l. 32. §. & l. 3. Cod. hoc tit. & cap. cit. modo ex non impediant, ne liberi suas legitimas partes accipiant, ex l. 1. Cod. *de inoffic. donat.*

4. Donatio patris facta filio nondum emancipato, quæ jure digest. erat nulla, jure codicis est tantum revocabilis, exceptis paucis casibus: unde non revocata confirmatur morte patris, vel etiam emancipatione filii, si res est tradita. Quia quamdiu filius est sub patria potestate censetur veluti una persona cum patre quoad effectus civiles. Valet autem donatio matris in filium, quia filius non est in potestate matris scilicet civili, & in ordine ad effectus civiles.

Nota. In his & similibus, ubi agitur de dispositione bonorum, spectandæ & servandæ sunt leges ac consuetudines speciales locorum rationi consentaneæ, quæ sæpe a jure communi Cesareo discrepant. Nam cum voluntates subditorum eorumque bona subjiciantur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune, nemo potest de suis disponere licite contra leges justas, quæ semper obligant in conscientia. Immo nec valide, si sint irritantes. *Leges justæ habent vim obligandi in foro conscientiæ a lege æterna*, ait S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4.

Quæst. IV. *An donatio acceptata potest revocari?*

Resp. Donatio facta mortis causa, in tribus casibus revocatur. 1. Si donatorem illius pœniteat, sive expresse, sive etiam implicite, ut si rem alteri donet: quia talis donatio ex dispositione juris habet hanc tacitam conditionem, *Nisi revocetur.* 2. Si ante donatorem moriatur donatarius, donatio est ipso jure revocata, nisi donator promisisset, se eam non revocaturum: nam tunc juxta varios transferet ad hæredes donatarii. 3. Si donator deterit intuitu instantis periculi mortis, censetur tacite revocata donatio sublato periculo: quia censetur facta sub hac conditione, *Si non evaserit*, ex titulo *de mortis causa donat.*

Resp. 2. Donatio inter vivos revocatur ob quatuor causas. 1. Ob ingratitudinem donatarii, l. ult. Cod. *de revocat. donat.* & cap. ult. *de donat.* ut si donatori injurias atroces, vel grave rerum ejus damnum, vel vitæ periculum intulerit. Item juxta doctores, si inopia præsum non alueris. Sed ante sententiam judicis hæc pœna non debetur. 2. Ob prolem postea susceptam, ut si quis prole carens magnam suorum bonorum partem donarit, & postea ei nascatur proles, l. 8. Cod. *de revocat. donat.* quia tunc donatio habet saltem ex dispositione juris hanc conditionem, *Si proles non nascatur.* Si fit inofficiosa, hoc est, facta contra officium pietatis debitæ liberis, vel parentibus, ut quando per eam filii privantur sua legitima, id est, parte hæreditatis sibi debita secundum leges, l. 1. Cod. *de inoffic. donat.* 4. Si quid donatum fit ob causam, non secuta causa.

Resp. 3. Donatio inter vivos acceptata nequit revocari nisi ob causas præfictas, l. 5. & ult. Cod. *de revocat. donat.* Quia jure naturæ donatarius acquisivit dominium rei donatæ & traditæ, jus vero ad rem, si nondum sit traditum; nec leges dant jus revocandi nisi ob causas supradictas.

Quæst. V. *An donatio facta ad certum finem valeat, si finis ille non præstetur?*

Resp. 1. Quando aliquis donat ob certum finem, si non intendat ad illum obligare, sed solum allicere animum, vel præbere media ad illum assequendum, si placuerit, valida est donatio, etiamsi finis non sequatur. *Ea communis sententia*, ex l. 7. Cod. *de condit. ob causam.* Quia donatio non est conditionata, sed absoluta, & facta solum ex animo alliciendi ad aliquid. Unde res donata potest acceptari & retineri a donatario, etiamsi non habeat animum præstandi quod cupit donator. Sic puella potest acceptare legatum sibi factum ut nubat, etsi nollit nubere. Item valet donatio, qua quis donat alteri, ut sibi faveat in aliqua re, quamvis hic non faveat; quia principaliter facta est ad alliciendum, non ad obligandum. Quod verum est, etiamsi donator non donasset, si potuisset alium non esse alliciendum, nam adhuc subsistit causa finalis, cum donet ut possit allicere, non autem sub conditione

si acta-

si actu alliciat. Peccat tamen graviter femina, quæ munera acceptat ab amasio largiente ad alliciendum ejus consensum ad libidinem, quamvis ipsa nolit consentire ejus pravæ voluntati: nam fovet impurum ejus amorem ac desiderium, & censetur illum approbare.

Resp. 2. Si donator intendat donatarium ad certum finem obligare, donatio corruit, & res donata restitui debet, sine non impleto, si ille sit principalis finis donationis. *Est communis sententia*, ex l. 8. Cod. *de condit. ob causas*. Nam donator non vult rem esse alterius, nisi posita tali causa finali tamquam conditione.

Quæst. VI. *An detur vel error circa causam finalem irritat donationem, & promissionem gratuitam?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Quia donatio & promissio gratuita fit sub conditione; Si causa finalis subsistat; & quia causa finalis est motivum substantiale donationis & promissionis gratuitæ, quo proinde non subsistente, non subsistit actus: nam actus voluntaris non est, subsato motivo volendi. Ergo si sit error circa causam finalem, deest tunc voluntas donandi vel promittendi. Sic si quis falso putans Titium esse consanguineum, dotem ei promittat, vel doneť, quia est consanguineus, hæc promissio, vel donatio nulla est.

Hinc tenentur ad restitutionem: 1. Qui fingit se habere aliquam conditionem seu qualitatem, quæ requiritur ut quis admittatur gratis in aliquod collegium vel hospitale, vel ut accipiat aliquod pium legatum. Item qui fingit se pauperem, ut recipiatur gratis in seminarium fundatum pro pauperibus alendis: nam adest dolus & error circa causam finalem & conditionem, qua non posita, nulla est intentio donandi, nec ullum jus nascitur. 2. Qui accipit aliquid ob causam fictam. 3. Qui se fingit pauperem, tenetur accepta titulo eleemosynæ restituere vel donatori, quia adhuc illius sunt, nam non fuit voluntas dandi nisi vero pauperi; vel pauperibus, quia dum non constat donatorem revocasse voluntatem, censetur perseverare in priori voluntate dandi pauperi; unde tunc ejus voluntatem exequitur.

Secus, si error sit solum circa causam impulsivam, quæ nempe tantum movet ad faciendum, vel dandum promptius & facilius, non autem movet ad dandum simpliciter; quia ea sublata adhuc est voluntas dandi; ut si Petro vere pauperi sed simulanti pietatem, det eleemosynam principaliter ob pauperiatem.

CAPUT III.

De Mutuo, & Usura.

Quæst. I. *Quid est Mutuum, vel Mutuatio?*

Resp. Est contractus, quo res numero, pondere vel mensura constans traditur eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi similem in specie & bonitate, post lapsum temporis, ex l. 2. *§. de reb. credit. & infit.* l. 3. tit. 16.

Dicitur 1. *Res numero &c.* ut sunt pecunia, frumentum, vinum, oleum; nam materia mutui sunt res, quæ in jure dicuntur functionem recipere, hoc est, quarum una potest fungi vice alterius, ut vinum vini, pecunia pecuniæ, & sic substitui pro alia, ex loc. cit. 2. *Traditur*, quia mutuum traditione perficitur. 3. *Ut statim fiat &c.* nam per mutuum, dominium rei transfertur: unde ex justitia cit. *Mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*. Quare mutuatarius sub suo periculo tenet rem mutuatam; sed omnis fructus ex ea percepti ad eum pertinent, nam res perit & fructificat domino. Hinc mutuum differt a commodato, locato, &c. 4. *Cum obligatione &c.* Per hoc differt a donatione. 5. *Reddendi finaliter &c.* Per hoc differt a permutatione, in qua res unius speciei datur pro re alterius speciei; v. g. frumentum pro vino. 6. *Post lapsum temporis*: nam est intrinsecum mutuo, ut non statim reddi debeat, alioqui esset inutile mutuatario; & per hoc differt a cambio, ubi pro moneta aurea statim redditur argentea ejusdem valoris.

Quæst. II. *Quænam sunt obligationes mutuatoris, & mutuatarii?*

Resp. 1. Mutuator tenetur, 1. Monere mutuatarium de vitio rei, si quod sit, aliqui tenebitur de damno, cum ei causam dederit. 2. Non repetere mutuum ante tempus præfinitum. Quod si non sit constitutum, non potest repeti nisi post aliquod tempus judicio prudentis assignabile, spectatis circumstantiis & fine ob quem datur, quamvis teneatur ante recipere. 3. Non plus exigere quam valeat res mutuata: nam mutuum est contractus essentialiter gratuitus, & alioqui esset injustitia, & usura.

Resp. 2. Mutuatarius, ut patet ex natura mutui, tenetur 1. Reddere mutuum tempore statuto; quod si non sit constitutus terminus, quando mutuans rationabiliter regetet. 2. Si ex culpa sua non reddat tempore debito, tenetur compensare mutuanti damnum inde secutum & lucrum cessans, cum sit illius causa injusta; nisi ex eo quod mutuans tunc non repetierit mutuum, prudenter judicet terminum prorogasse. 3. Tenetur de omni casu fortuito, ita ut non liberetur, nisi cum mutuator mutuum reipsa acceperit vel per se ipsum, vel per alium a se designatum: quia tunc res semper manet mutuatarii, & sic ei perit. 4. Tenetur reddere rem ejusdem speciei & bonitatis, nec sufficit si solvat ejus pretium, nisi alter sponte consentiat; mutuum enim eadem bonitate qua datum est, eodemque genere reddi debet, l. 3. *§. de rebus credit.* neque enim mutuum est venditio aut permutatio.

Quæst. III. *In qua specie & bonitate res mutuata reddi debet?*

Resp. Secluſa speciali conventione justa non potest exigi pecunia eadem in specie physica, sed solum eadem in valore, quem habuit tempore mutui, sive interim valor monetæ auctus fuerit, sive imminutus, saltem si tempore mutui hæc mutatio non fuit prævisa nec spectata. Ita communiter Theologi teste Delgado. Nam cum in pecunia per se spectetur solum valor extrinsecus, non entitas physica; & ex usu constet speciem monetæ potissimum desumi ex valore, non ex materia, reddendo valorem, quem habuit tempore mutui, tantum reddis, quantum accepisti. In aliis vero rebus, in quibus per se spectatur. & intenditur rei entitas, restitui debet in eadem specie physica, v. g. triticum pro tritico, & quidem in eadem mensura, sive pretium ejus crescat, sive decrescat, quando tempore mutui hæc mutatio non prævidebatur, nec ad eam attenditur. Quia cum

eum in his rebus entitas & bonitas intrinseca spectetur, reddendo eamdem mensuram ejusdem speciei physicæ, & bonitatis intrinsecæ, tantum redditur, quantum acceptum est, & sic servatur æqualitas. Aliud est de moneta dum ejus valor accrevit; quia in ea æqualitas valoris, non substantiæ spectatur.

Quæst. IV. *An licet pacisci de reddenda re mutuata in eadem mensura & quantitate, vel pecunia in eadem specie physica?*

Resp. 1. Si sit dubium, utrum res tempore restitutionis valitura sit pluris aut minoris, licet pacisci ut reddatur per mensura rei usque in se bonæ, & eam suo tempore accipere, quamvis interim pretium ejus valde creverit, ex cap. ult. *de usur.* Quia tunc par est contrahentium conditio, & servatur æqualitas; nam ergo utrumque est æqualis spes lucri, & æquale periculum damni. Idemeo licet etiam exigere tot in specie physica nummos, quot dati sunt, sive valor mutetur, sive non, quando utrumque est æque probabile.

Resp. 2. Si certum vel probabilius sit, rem tempore solutionis plus valituram quam modo, vel valorem monetæ augendum, non licet exigere parem mensuram, vel parem numerum nummorum, sed solum eam mensuram, quæ tunc æquabit valorem præsentem rei mutuatæ, vel pretium æquale monetæ. *Ita Lessius, Delugo, Salas, & alii multi.* Quia alioqui exigeretur ultra id quod æquivaleret rei mutuatæ, quod est usura: res enim tempore solutionis pluris valebit, quam eo quo traditur. Hinc si sex modii tritici tunc valeant duodecim aureis, non licet totidem exigere, si tempore solutionis valituri sint quindecim.

Excipe, nisi statuiles rem vel monetam tuam usque ad illud tempus servare: nam tunc licet pacisci, ut monete in eadem specie physica vel mutuata cum eo incremento reddatur, deducta æstimatione laboris, periculi & sumptus in ea re usque ad illud tempus servandi; nam tunc id exigitur ratione lucri cessantis.

Quæst. V. *An filius-familiæ etiam major, qui sub patria potestate constitutus mutuam accepit ab alio pecuniam sine consensu patris, tenetur eam restituere post mortem patris?*

Resp. Juxta multos, immo communem sententiam, teste Lessio, non tenetur, etiam in conscientia, nequidem post mortem patris, si eam in ludis, comparationibus aut aliis rebus inutilibus consumpſit, & non putabatur esse sui juris. Quia jure civili tempore Senatusconsulto Macedoniano in Gallia & in Lotharingia vigente, tollitur omnis obligatio etiam naturalis ex tali mutuo: nam hoc in odium ac pœnam sic mutuantium, & ob bonum commune, nempe ad tollendam occasionem multorum malorum ac scelerum, fuit statutum a rep. seu principe habente dominium altum in bona subditorum relate ad bonum commune; & alioqui lex non assequeretur finem suum, nec satis provisum esset securitati parentum, & aliis incommodis ac criminibus ex illis mutuis sequi soliis. Unde huic privilegio filiisfamilias renuntiare non potest, quia non in ejus favorem præcise, sed præcipue parentum, & ad advertenda gravia mala concessum est. *Et quia jus publicum privatorum pactis mutari non potest*, l. 38. *de pact.* Nec hoc mutuum confirmari potest juramento, cum sit detrimentum tertii, & boni publici. Et jurans potest saltem petere relaxationem juramenti, qua obtenta, ad nihil tenebitur. Idem dic si filiofamilias merces fuerint venditæ credito, vel aliæ res mutuo datæ in fraudem legis, ut scilicet ex illis vendibilis pecuniam compararet, l. 5. *§. de Senatusconsf. Maced.*

Quæst. VI. *Quid est usura, & quotuplex?*

Resp. 1. Usura late sumpta est quodlibet lucrum sive licitum, sive illicitum, vel fructus ex aliqua re perceptus. Stricte sumpta, ut hic sumitur, est lucrum temporale præcise ratione mutui perceptum, vel quæsitum: sive lucrum immediate ex mutuo proveniens aut intentum. *Usura est, si plus acceperis, quam dederis*, ait S. Hieron. in c. 18. Ezech. *Usura est, si plus quam dedisti, expectes accipere*, ait S. Augustin. in Psalm. 36. Lucrum autem est id quod quis acquirit, cum antea non esset sum, nec ei ex justitia deberetur.

Dicitur, 1. *Lucrum temporale*, id est, pecunia vel quidlibet pretio æstimabile: nam ut ait S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. *Secundum Philosophum, omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium potest pecunia mensurari*. Hinc non est usura mutuare ad acquirendam amicitiam alterius; quia hæc non est pretio æstimabilis.

2. *Ratione mutui*; sive expressi ac formalis, sive virtualis ac impliciti. Unde lucrum aliunde proveniens potest esse justum, nec tamen usurarium, ut excessus justi pretii ex re vendita. E contra quidquid pretio æstimabile ultra sortem reddendum, sive ante, sive post mutuum datum, exigitur vel accipitur tamquam ex mutuo debitum, usura est. Mutuo tamen gratis dato, si quid sponte ac liberaliter offeratur, id mutuans licite accipit, *non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite potuit aliquod donum gratis accipere, nec potuit conditionis efficitur per hoc quod mutuavit*, ait S. Thom. 2. 2. q. 70. a. 2. sed in praxi non licet aliquid accipere a pauperibus, & raro ab aliis licet: quia raro donant sponte ac liberaliter; sed plerumque dant solum vel ad ulteriorem dilationem solutionis obtinendam, vel ex metu ne alias mutuum deliceps recuserur.

Resp. 2. Usura multiplex est, scilicet realis, mentalis, aperta, & palliata. Realis est ea, quæ in mutuo deducitur in pactum sive expressum, sive implicitum: cum mutuans expresse vel implicite declarat se velle, aut expectare aliquid supra sortem. Mentalis est, cum quis mutuat ex intentione aliquod lucrum ex mutuo percipiendi, talem intentionem non significans ei cui mutuat, licet eam exterius exequatur, sed occulte & præcise mutuando. Unde usura alio sensu dicitur mentalis, quam alia peccata dicuntur mentalia; hæc enim sic vocantur, quamdiu actu externo non consummantur: at usura dicitur mentalis, in quantum nullum pactum supponit, quamvis datione mutui, & receptione lucri exterius impleatur; sola enim voluntas percipiendi lucrum ex mutuo, si mutuum non detur, est usura pure mentalis.

Usura aperta est ea, quæ percipitur ex mutuo explicito cum pacto expresse lucri. Palliata seu implicita est ea, quæ provenit ex mutuo implicito ac virtuali, latente sub alio contractu, v. g. venditionis, depositi &c. qui tamen sit vel includat virtualiter

liter mutuum. Unde est vera usura, sed velato aliquo prætextu, ut si deponas apud Titium aliquid in pondere, numero, vel mensura consistens, data ei facultate utendi, & ad libitum disponendi, cum pacto ut pro usu aliquid ultra capitale solvat: nam tunc est reipsa mutuum, l. 9. §. de reb. credit. & sic lucrum inde proveniens est usura.

Quæst. VII. *An & quo jure usura sit prohibita?*

Resp. Quælibet (vid. N. 23.) usura omni jure prohibita est. Et 1. quidem jure divino positivo, Exech. 18. Ubi usura gravissimis criminibus annumeratur. *Uxorem proximi sui polluentem, egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola levantem oculos suos, ad usuram dantem, & amplius accipientem, numquid vivet? Non vivet: cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur.* Et Ps. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo . . . qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quem locum de præcepto explicat Conc. Nicæn. l. c. 17. & Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* Equidem (ut notat S. Th.) mutuum dare, potest esse interdum consilium; sed lucrum ex mutuo non quærere semper est præceptum: sicut in illo, Ps. 79. *Vovete, & reddite vota Domino Deo vestro*, prius verbum continet consilium, posterius vero præceptum. Quare Conc. Gen. Later. II. can. 13. ait, usuram divinis legibus in veteri & novo Testamento prohibitam esse: idem docet Conc. Gen. Later. III. c. 25. Et Conc. Gen. Vienn. c. *Ex gravi*, sic definit: *Si quis in illum errorem incideri, ut pertinaciter asserere præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum.* His adde Patrum consensum. Pro omnibus sint S. Basil. in Psalm. 14. S. Gregor. Nyssen. hom. 4. in Ecclesiasten, S. Ambr. lib. de Tobia c. 14. S. Chrysost. hom. 5. in Matth. S. Hieron. in c. 18. Ezech. S. Aug. in Psal. 54. serm. 3. S. Leo. serm. 6. de jejunio decimi mentis.

2. Jure divino naturali, ut docet communis sententia Doctorum. Nam recta ratio dictat esse illicitum, & contra justitiam commutativam, in contractu, ubi servanda est æqualitas, plus exigere, vel accipere vi illius, quam valeat res quæ datur: nam in hoc est inæqualitas, ideoque injustitia. Sed aliquid supra sortem, seu rem mutuo datam accipere ratione mutui, est plus accipere, quam valeat res data, ut patet: nam sors reddenda jam est æqualis valoris cum re mutuata . . . Unde ipsi etiudei solo lumine naturali norunt usuræ malitiam, ut Plato l. 11. *de leg.* Aristoteles l. 1. *Polit.* c. 7. Cato, Cicero, Seneca, Plutarchus &c. Adde quod ex S. Th. 2. 2. qu. 108. art. 2. & 2. ex consensu Theologorum omnia præcepta divinæ legis evangelicæ sunt juris naturalis, præter præcepta de sacramentis & de fide.

3. Jure canonico, ut patet ex toto titulo de usuris, & ex pœnis contra usurarios statutis. Hinc usurarii compellendi sunt tum ad omnes contractus usurarios utpote injustos rescindendos, antequam absolvantur; tum ad restituendum usuras & compensandum omne lucrum cessans & damnum emergens ex usuris solutis.

Obj. 1. Deus permisit Judæis, ut usuras acciperent ab extraneis. Deut. 15. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, sed alieno.*

Resp. Deus non permisit usuram propriè dictam, nempe lucrum ratione mutui proveniens; sed ut summum, ut supremus bonorum omnium dominus occasione mutui Judæis concessit dominium rei additæ sorti, sicut tradidit illis vasa Ægyptiorum. Unde Judæi auctarium non ut mutui, seu vi donationis divinæ accipiebant. Porro hanc concessionem multi restringunt ad illos alienigenas, quibuscum Judæi justum bellum gerebant. Ita S. Aug. hic. lib. 4. Tobiæ c. 15. ubi ait: *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostis? ibi, inquit, usuram exige. Cui jure infertur arma, huic legitime inducuntur usuræ . . . ab hoc usuram exige, quem non fit crimen occidere.* Ibidem dicit: *Sine dubio maledictus, qui ad usuram dedit.*

Dixi, *Ad summum.* Quia Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 2. docet, id non fuisse eis concessum ut licitum, sed duntaxat toleratum ad majus malum vitandum, ne scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant.

Nec obstat illud Deuter. *Fœnerabis gentibus multis: ipse a nullo fœnus accipies.* Nam fœnerare ibi significat mutuum dare, & fœnus accipitur pro mutuo: ibi quippe promittitur divitiarum abundantia.

Obj. 2. Montes pietatis, qui sunt cumulus pecuniarum publica auctoritate institutus ad mutuandum pauperibus, approbati sunt a Concil. Later. V. tamen in illis aliquid exigitur supra sortem.

Resp. Illud auctarium non exigitur ratione mutui, sed damni emergentis, seu pro eorum impensis & indemnitate duntaxat, ut expresse declarat Conc. Later. V. Nam ad conservationem & administrationem horum montium conducuntur ministri, quibus debetur aliqua merces, quæ si sumeretur ex ipsa sorte reddenda, brevi montes illi exhaurirentur, & sic damnum emergeret ex mutuo. Cum autem montium conservatio, indemnitas & administratio ordinetur ad utilitatem accipientium, ut semper paratam pecuniam invenire possint absque necessitate adeundi usurarios cum majori sui damno, æquum est ut pro ea aliquid conferant; nam qui commodum sentit, onus quoque sentire debet, ex reg. jur. 33. in 6. (1).

Obj. 3. Mutuans privat se potestate utendi & fruendi re mutuata, quam alias haberet.

Resp. Non ideo licet aliquid supra sortem exigere pro privatione ista. Quia sicut potestas illa non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate illius rei; ita privatio illius potestatis non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate privationis ipsius rei. Privatio autem rei sufficienter compensatur redditione ejusdem, & carentia periculi illius, quamdiu non redditur, cum mutuanti, ut supponitur, ex privatione rei nullum lucrum cesset, nec damnum sequatur.

(1) *In montibus Pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi potest ab iis, qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, nisi Apostolicæ Sedis dispensatione, ut ex Decreto S. Congregationis Concilii in Causa Neapolitana die 7. Februarii 1737. Ita Benedictus XIV.* de Synod. Dicec. Lib. 9. cap. 4. §. 12. *sicut neque absque beneplacito ejusdem Sedis piis exigi potest, quam antea fuerit consultum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro sustentatione ministrorum, ut ex alio Decreto S. Congregationis, ibid. Sivero plus exigatur, quam opus sit ad expensas necessarias, tenetur Episcopus moderari ipsas usuras: tutius est autem quod consulat de hac re Sac. Congregationem.* Ibid. §. 3.

Nec dicas posse aliquid exigi propter usum rei mutuatæ: nam per se injustum est vendere alteri usum rei non suæ, sed usum alterius; per mutuum enim transfertur in mutuatarium rei mutuatæ dominium: ac proinde usus rei pertinet ad illum, præsertim cum usus rerum, quæ mutuantur, non sit æstimandus seorsim ab illis, sitque illarum consumptio vel alienatio. Igitur nihil est pro quo lucrum ex mutuo accipi jure possit, ac proinde lucrum ex mutuo est omnino injustum, cum justo titulo careat.

Obj. 4. Jus civile probat usuras, digestis & codice de usuris.

Resp. 1. Cum S. Thom. usuræ non probantur, sed tolerantur, seu non puniuntur ad impediendia majora mala, sicut tolerantur meretrices. 2. Jus civile potest intelligi de usuris late sumptis, nempe de pecunia; quæ ultra sortem accipitur ob aliquod inter esse, scilicet vel ob lucrum cessans, vel damnum emergens. 3. Si quædam leges sic explicari non possent, nec supponerent titulum justum, correctæ sunt per jus canonicum; & sunt per se injustæ, ideoque nullæ.

Obj. 5. Ex S. Thom. potest aliquid accipi pro usu pecuniæ.

Resp. Loquitur de usu pecuniæ locatæ, non autem mutuatæ; ficenim 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 6. ait: *Usus principalis pecuniæ argenteæ est dispendium pecuniæ in commutationes: unde non licet ejus usum vendere. Tamen potest esse aliquis secundarius usus pecuniæ argenteæ: puta si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad pignandum loco pignoris: & talem usum pecuniæ licite homo vendere potest.* Quia scilicet vendens non mutuat, sed locat: unde pecuniæ dominium & periculum retinet.

Obj. 6. Mutuum dare est beneficium præstare.

Resp. Non idcirco propter hoc beneficium licet aliquid exigere: immo vero quia mutuum est beneficium, ideo est essentialiter gratuitum, nam beneficium est bonum gratis datum. Ideoque essentialiter gratuitum. *Benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam, neque enim beneficium fœneramur*, ait Cicero lib. de amicitia. Igitur mutuum est contractus essentialiter gratuitus, & institutus in solius mutuatarii commodum.

℣. *Nota.* Quæ ab Auctore in hac septima quæstione & seqq. expositæ sunt, & propugnata, confirmat, ac probat S. M. Benedictus XIV. in Epistola Encyclica, quam prima Novembris 1745. dedit ad omnes Italiæ Episcopos, quæque incipit: *Vix pervenit*. Sed quæ huc spectant, clarius & luculenter exponit in insigni, ac universæ Ecclesiæ perutili opere de Synodo Dicecesana, in quo, ea inquiens, *quæ de usuris, & contractibus ab Episcopis in Synodi decerni possint*, plura de usuris, & mutuo explicat atque declarat, quæ cum scitu necessaria videantur, omnia transcribimus.

2. Omne lucrum ex mutuo, præcise *ratione mutui*, uti loquuntur Theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium, atque omni jure, naturali scilicet, Divino, & Ecclesiastico illicitum esse, perpetua fuit, & est Catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, & Theologorum unanimi consensione firmata. Huic contradixere Græci schismatici, qui teste Guidone Carmelita *in Catalogo Hæreticorum*, quodcumque lucrum ex mutuo permittunt: Græcis ex parte consensit Calvinus, qui ad *cap. 18. Ezechielis*, licere docuit, aliquod moderatum lucrum, non quidem a paupere, sed a divite, præcise ratione mutui, exigere. Errorem a Calvino obiter insinuatum, ex professo propugnavit Carolus Molinæus *in suo tractatu de usuris*, ubi *n.* 10. audacter affirmat, usuram, non esse prohibitam, *nisi in quantum est contra caritatem*; distinguit deinde *n.* 83. tres hominum gradus. Primus complectitur pauperes, emendicata stipe viventes, quibus non mutuo, sed eleemosyna succurrendum ait: Alter indigentes, qui pro tempore indigent, quamvis pares sint mutuo postea restituendo; atque his quoque mutuum gratuito dandum asserit: Tertius gradus complectitur divites, & Mercatores, qui nihil indigent, sed rem suam negotiatione amplificare student, & ab his usuram moderatam, ratione mutui, juste, ac sancte exigi posse, tradit Molinæus. Eamdem pravam opinionem amplexatus, alia ratione defendit Claudius Salmasius, in duplici tractatu, altero inscripto *de usuris*, altero *de trapezitico fœnore*, quibus in locis usuram, nisi caritatem lædat, ab omni culpa absolvit, eo quod sit *merces locatæ pecuniæ*. Verum quamquam plurimi Heterodoxi, Calvini, Molinæi, & Salmasii systemati stibiliendo allaboraverint, inter quos Petrus Heinigius *lib. 2. qu. 1.* Gerardus Noodt *de fœnore, & usuris lib. 2.* Gronovius & Barbeyrac *in notis ad Hugonem Grotium, lib. 2. c. 12.* Bohemerus *Jur. Eccles. Potest. tom. 2. lib. 3. tit. 19.* rationem tamen, qua eam Salmasius tutatus est, fere omnes reselerunt, recte arbitrantes, mutuatæ pecuniæ dominium transferri in mutuatarium, ac propterea non posse mutuum locationi ullo pacto computari, sicut testatur Gotfridus Mascovius *in notis ad Pufendorf. lib. 3. cap. 7. §. 5.*

3. Impiæ Calvini, & Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores Catholici: distinguunt & isti duplex genus mutui. Unum quo pecunia, aliave res datur ad consumptionem, quod plerumque fit cum indigentibus, pecuniam mutuam accipientibus, ut se, suamque familiam sustentent, debita solvant, filiam nuptui tradant &c. Alterum, quo datur ad negotiationem, ut cum Mercatoribus fieri solet, qui acceptam mutuo pecuniam negotiatione augent, ingensque ex ea lucrum reportant: in primo casu usuram esse fatentur, quidquid exigitur ultra sortem; at a fœnoris labe excusant lucrum, quod in secundo casu ex mutuo percipitur, dummodo fit moderatum, modumque servet, a patriæ legibus definitum.

4. Novam hanc distinctionem, ab Hæreticis primum excogitatam, præverterunt Ecclesiæ Patres, qui uno ore, absolute, atque indefinite fœneratitium pronuntiaverunt, quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur. Tertullianus *libro 4.* contra Marcionem *cap. 17.* ita explicat Ezechielis locum: *Pecuniam, inquit, suam fœnori non dederit, & quod abun-*

daverit, non sumet : fœnoris felices redundantiam, quod est usura. Basilius *in Psal.* 14. (*tom.* 3. *oper. p.* 107.) allegato pariter Ezechielis loco, ait: *Ezechiel id in maximis malis recenset, & fœnus, & quidpiam ultra sortem accipiatur.* S. Ambrosius *lib. unic. de Tobia cap.* 14. *num.* 19. (*tom.* 2. *oper. col.* 107.) *Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque forte accidit usura est.* Sanctus Hieronymus *in cap.* 18. Ezechielis (*tom.* 3. *oper. col.* 210.) *Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari, & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.* S. Augustinus *in Psalm.* 36. *serm.* 3. *num.* 6. (*tom.* 4. *oper. col.* 285.) *Si fœneraveris homini, ideoque mutuum pecuniam dederit, a quo aliquid plusquam dederit expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud : si plusquam dedisti, expectas accipere, fœnerator es.* Concilium Apatense relatum a Burchardo *lib.* 2. *cap.* 126. Ivone *par.* 6. *cap.* 100. & a Gratiano *caus.* 14. *qu.* 3. *can.* 4. *Usura est, ubi amplius requiritur quam datur, v. g. si dederis solidos decem, & amplius quæsieris.* Ex quibus Gratianus ibidem concludit: *Ecce evidenter ostenditur, quod quidquid ultra sortem exigitur, usura est.* Patribus adhæsere veteres Theologi, qui duce D. Thoma 2. 2. *qu.* 78. *artic.* 2. adeo districte omne lucrum ex mutuo jure naturali, & Divino vetitum afferuere, ut ne munus quidem *ab obsequio, aut a lingua*, (*) quod certe quid minimum est, nullique onerosum, a mutuatario, solius mutui causa, exigi posse docuerint.

5. Neque vero Calvini, & Molinæi Affectis suffragantur aut loca Sacræ Scripturæ speciatim prohibentia, ne pauperes usuris opprimantur, uti Exodi *cap.* 22. Levitici 25. *vers.* 35. aut sententiæ Patrum, usuras duntaxat redarguentium immoderatas: aut Canones Conciliorum, puta 36. ex Apostolicis 17. Nicæni & 11. Concilii Arelatensis primi, solos Clericos fœneratores severis pœnis subjicientes: Etenim antiqui Testamenti pagina, in ipsissimet in contrarium addictis locis, & adhuc clarius Deuteronomii 23. *vers.* 19. Ezechielis 18. & 22. 14. omnem omnino usuram, absque ullo personarum, a quibus exigatur, discrimine prohibet, & detestatur. Pauperes autem alicubi expresse nominat, vel tantum exempli causa, quia plerumque continuit, ut illi magis egeant opis alienæ, & necessitate adacti mutuum accipiant, etiam sub obligatione immoderatum lucrum solvendi, quemadmodum ad præsidium Exodi caput adnotavit etiam Hugo Grotius; vel quia usuræ, quæ a pauperibus extorquentur, præter propriam pravitatem, quamdam redolent sævitiam, & immanitatem, speciali nota, & reprehensione dignam, sicuti ratiocinatur Gibalinus *de usuris, lib.* 2. *cap.* 7. *art.* 2.

6. In novo autem Testamento *Luca* 6. illis Christi Domini verbis, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, præceptum tradi, seu veritas naturalem legem iterum inculcari, nihil prorsus lucri ex mutuo ab ullo, sive paupere, sive divite, exigendi, non solum docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 78. *art.* 2. *ad* 4. sed concors fuit Conciliorum, Patrum, summorumque Pontificum sententia, præcipue Urbani III. *in cap. Consulmit, de usuris*, qui præfati Textus auctoritate, omnem quantumvis minimam usuram, universim vetitam pronuntiavit; explicans enim præfata Christi Domini verba, iis prohiberi, ait, *omnem usuram, & superabundantiam.* Dicere autem summos Pontifices, & Concilia prædicti Textus verum, & genuinum sensum non esse assequuta, quod aliquos mussitare non puduit, & temerarium, & fere hæreticum est: quidquid enim sit, an Ecclesia non solum infallibili polleat auctoritate, in definiendis quæstionibus Fidem aut mores respicientibus, quod nullus Catholicorum negat, sed etiam in delectu rationum, quas ad suas definitiones stabiliendas interdum adducit, de quo nonnulli Catholici dubitarunt, certum, & indubitatum est, eam errare non posse, in interpretanda Divina Scriptura, ejusque genuino sensu Fidelibus aperiendo.

7. Haud absimilia reponimus ad testimonia Patrum: hi siquidem, licet vehementius invehantur in usuras immoderatas, atque a pauperibus extortas, veluti culmen sceleris, ad quod homines pertrahit sordida, atque insatiabilis avaritia, non idcirco tamen approbarit moderatas, a divitibus exigendas; quinimmo etiam istas aliis in locis expresse condemnant. Enimvero Ambrosius *cit. lib. de Tobia cap.* 5. (*tom.* 1. *oper. col.* 597.) de his agens, qui pecuniam suam fœnerantur non indigenti, seu diviti, sed negotiatori, cui uberes proventus pariat, eos in hunc modum increpat: *Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna sua lucra arbitrantur, & dispendio suo deputant, quidquid ab aliis possidetur. Ancipantur heredes novos, adolescentulos divites explorant, per suos adjumenta se, simulantes paternam, & avitam amicitiam, volunt domesticos eorum cognoscere necessitates . . . . . Sin vero nullos laqueos alicujus necessitatis offenderint, intexunt tabulas; ajunt, nobile prædium est venale, amplam domum, accumulant proventus fructuum, annuos redditus exaggerant; hortantur, ut coemant; similiter faciunt pretiosas vestes & monilia nobilia prædicentes. Negavit se habere pecuniam, ingerant suam, dicentes: Utere, ut tua: de fructibus emptæ possessionis pretium multiplicabis, debitum reddes*; & cap. 14. (col. 607.) *Impetas te pie facere, quia a Negotiatore velut minus suscipis? Inde ille fraudem facis in mercium pretium, unde sibi solvit usuram. Fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et esca usura est, & quodcumque sorte accedit usura est. Quod velis eis nomen imponas, usura est.* Similiter Hieronymus *in cit. cap. Ezechielis* (*col.* 208. *num.* 3. *oper.*) perinde ac si cum illis ipsis congrederetur, contra quos pugnamus, seorsus reprobat, etiam ex re perpiendum, quæ ingeretur fructum mutuatario attulit, inquiens: *Soles argumentari, ac dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios; nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem & semis de meo habeat?* Nolite errare, *inquit Apostolus*, Deus non irridetur.

(*) *Munus a lingua perinde esse potest ac munus a manu, quum utrumque æstimari pecunia possit.*

132. *Respondeat enim nobis brevitor fœnerator misericors: utrum habenti dederit, aut non habenti. Si habenti, utique dare non debuerat: Sed dedit quasi non habenti: ergo quare plus exigit quasi ab habente &c.*

8. Ad Canones quod attinet, si argumentum, quod ex illis instauratur, quidquam habet roboris, & efficacitatis, probaret etiam fornicationes, & adulteria esse Laicis permissa, quia plerique Canones in solos Clericos fornicarios, & adulteros, nulla facta Laicorum mentione, animadvertunt, quæ sane argumentatio inepta, & ridicula foret: novum quippe non est Ecclesiam severius in Clericis punire delicta, quæ etiam in Laicis execratur; sicuti opportune, & ad rem apposite monuit Concilium Carthaginiense I. *can.* 23. *Quod in Laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis oportet prædamnari.* Cæterum non desunt alii innumeri Canones Clericos æque ac Laicos usurarios redarguentes, atque ut alios prætereamus, antiquissima Synodus Eliberitana (*can.* 20. *tom.* 1. *collect. Hardvin. col.* 252. hanc habet, *Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari, & abstineri. Si quis etiam Laicus accepisse probatur usuras, & promiserit correctus jam se cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia esse proliciendum*: ac Leo Magnus *epist. ad Episcopos per universam Italiam, relata can.* 7. §. XIV. *qu.* 4. exagitans usuræ peccatum, ait: *Quod nos, non dicam in eos, qui sunt in Clericali officio constituti, sed in Laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus.*

9. Jure itaque ac merito Auctores permittentes moderatum lucrum ex mutuo, a divite, & negotiatore exigere, veluti adversantes communi, & perpetuæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ, & inclamarunt, & validissimis argumentis confutarunt Navarrus *comment. de usuris num.* 8. *& seq.* Gibalinus, & Leonardus, in suo Quilibet, *de usuris* tractatu, Cardinalis Delug. *de just. & jur. tom.* 2. *d. sp.* 15. Jacobus Gayate, in egregio opere, quod concinnavit adversus Molinæum, Saumaisium, Auctoremque libelli Gallici *du traité la pratique des Billets*, Saintbeuve *in resolut. casuum conscientiæ, tom.* 2. *tert. edit. Paris. anni* 1700. *cas.* 210. *pag.* 422. *& seq.* Aloysius Balteau, seu Bultellus *in apologia pro Lattantio in materia usurarum, edita Parisiis anno* 1577. Pouget *in suis Canonic. institut. tom.* 1. *pag.* 760. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 8. *par.* 2. *cap.* 7. Gennet. *Theol. moral. tom.* 1. *tract.* 4. *de mutuo, & usura, quæst.* 6. *& seq.* Pontas *in dictionar. cas. conscientiæ tom.* 3. *verb. Usura.* Continuator *prædict. Theologiæ.* Honorati Tournely, *tract. de contract. part.* 2. *cap.* 3. aliique plurimi.

10. Verum, quotiam tot Doctorum auctoritate, & argumenti minime perterriti, prædictam exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, propterea Nos ad Petri Cathedram evecti, ne Catholicæ doctrinæ puritas, cujus depositum Nobis est a Christo concreditum, hac erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Episcopos encyclicis litteris sub die prima Novembris 1745. hanc inter cætera declaravimus. Primo, omne lucrum ex mutuo ratione mutui, usurarium, & illicitum esse: Secundo, ad usuræ labem purgandam, nullum accessirii posse subsidium, vel ex eo quod id lucrum non excessivum, & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo quod id lucrum non extorserit, sed ultro sponteque sibi a mutuatario relictum, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus: tertio, quamquam una cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut ajunt, forte concurrere, ipsi mutuo extrinseci, e quibus justa oriatur causa aliquid, ultra fortem ex mutuo debitam, exigendi, atque falso, & temere affirmari diximus, ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, itaut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque recipere. Alia præterea edisximus, atque in contractibus servanda commendavimus (quæ in Episcopales Synodos utiliter inferi poterunt) ne usuræ macula inficiantur, ficuti videre est *in præfatis nostris litteris impressis tom.* 2. *nostræ. Conslit. Constit.* 143. quas nuperrime Theologico commentario illustravit Daniel Concina Ordin. Prædic. Theologus.

11. Quamobrem si jampridem aliquot Episcopopi, inter quos Cardinalis de Camus Episcopus Gratianopolitanus, Cardinalis de Bissy tunc Episcopus Tullensis, Jacobus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis, & Bragadinus Episcopus Veronensis in suis edictis, & Pastoralibus instructionibus, præfatam proscripserant erroneam opinionem, utpote quam noverant jam a Conciliis, summorumque Pontificum Constitutionibus prædamnatam, multo magis integrum nunc erit Episcopis illam, postquam iterum nominatim, & expresse est ab Apostolica Sede reprobata, novis, si opus fuerit, Constitutionibus e sua Diœcesi exturbare, eamque temere disseminantes, aut ulti ipso approbantes severis pœnis coercere.

12. Post eliminatum Hæreticorum errorem, qui pauperum fraudulentia, etiam in Catholicam rempublicam irrepere cœperat, ubi re non erit obiter detegere falsam Doctrinam, qua sunt imbuti Judæi, inter Christianos degentes. Ex illis Deuter. verbis *cap.* 23. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamcumque aliam rem, sed alieno*, inferunt Hebræi sibi licere fœnerari Christianis, quos, licet inter eos versentur, pro alienis habent, & extraneis. Facile quidem esset hanc Judæorum fallaciam retundere, aut dicendo cum Ambrosio *cit. lib. de Tobia cap.* 17. in allegato textu, permissum duntaxat fuisse Judæis usuras exigere ab Amorrhæis, Amalecithis, aliisque vicinioribus populis, a quibus Deus dominium abstulerat rerum omnium, quas possidebant, & Judæis contulerat: aut dicendo cum D. Thom. 2. 2. *cit. q.* 78. *art.* 2. *ad* 2. non fuisse permissum Hebræis usuras exigere ab extraneis, sed toleratum, tamquam minus malum, eo pacto, quo, propter duritiam cordis eorum, fuit in illis toleratum uxorum repudium; quod etiam ante Divum Thomam senserat Alexander de Hales *par.* 3. *qu.* 66. *art.* 2. ubi alt:

Numquam fuit Judaïs licitum fœnerari alteri, sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudii, propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alteri, sed permittebatur eis duplici de causa, scilicet ne facerent prius, ideò ne fœnerarentur fratribus suis: & quia duri erant, & paullatim trahendi ad perfectionem. At quoniam res est cum Hebræis, qui Theologorum, & SS. Patrum auctoritatem irrident, nec ullus nobis supperit modus evellendi pravam illam opinionem, quæ in eorumdem mentibus altas egit radices; unum faciendum superest, nimirum, ut falsæ illius opinionis usum, qui in detrimentum cedit, & oppressionem pauperum Christianorum, pro viribus impediamus; neque aliter id præstari potest, quam opportunis Constitutionibus Episcoporum, & Christianorum Principum edictis, quibus severe prohibeantur Judæi Christianorum loca incolentes, ne ratione mutui quidquam a Christianis extorqueant, & certa simul præscribatur quantitas lucri, ultra quam nihil insuper exigere possint ex aliis contractibus cum Christianis initis.

13. Primum Rarium fuit in Concilio Albiensi anni 1234. edito a Luca Dacherio *tom. 2. spicilegii* in cujus *cap. 19.* (*cap. 643.*) habetur: *Statuimus, & mandamus, in his, quæ deinceps mutuaverint Judæi Christianis, Christianorum ipsorum stetur simplici juramento, an quidquam usurarium sit in eis, & in eo quod usurarium esse dixerint, sic juratis absolvantur*, quod decretum renovatum legimus in Concilio Montis Pessulani, anni 1258. *cap. 5. ed. tom. 2. spicilegii*. Alterum edixit Innocentius III. *in Concilio Generali Lateranensi cap. 67. relat. in cap. Quanto magis, de usuris*, ubi distincte vetuit, ne Judæi obtentu cujuslibet contractus, quem cetero quia licite cum Christianis inire queant, graves & immoderatas usuras exigant: *Synodali decreto statuimus, ut si de cætero, quocumque prætextu Judæi a Christianis graves, & immoderatas usuras extorqueant, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter*. Utrumque vero ad compescendos fœneratores Judæos in temporali ditione Ecclesiæ commorantes, literum decernendum consuluit Marcellus Severolus, sacri Consistorii Advocatus, Nobis, dum viveret, singularis amicitiæ nexu conjunctus, in suo elaborato suffragio, edito apud Passeritum *in cap. Quamquam 1. post. nu. 84. de usuris in 6.* & ne a Synodo recedamus, ita nuperrime statuit Episcopus Pisaurensis *in sua Diœcesana Synodo habita anno 1721. tit. 4. n. 17.* cujus exemplum poterunt alii Episcopi imitari.

Quæst. VIII. *Quænam propositiones usuræ pallatiæ damnatæ sint?*

Resp. 1. Alexander VII. hanc damnavit: *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*. Est falsa: nam obligatio non repetendi sortem ante certum tempus est longum, est intrinseca mutuo postulato: est enim de ratione mutui in communi, ut res mutuata reperi nequeat, nisi post certum tempus, varium pro varietate & exigentia caussæ petendi mutui, cum hoc fit necessarium ad finem mutui, qui est gratis impendere subsidium utile proximo: alioqui inane effet mutuum, nec beneficium, sed obligatio non repetendi sortem ante hoc tempus præfinitum est intrinseca huic mutuo in individuo. & si terminus sit ad longum tempus, tunc trahitur ad longum tempus obligatio intrinseca mutuo, & tunc est mutuum longum, seu in longum tempus, sicut mutuatio summæ magnæ est mutuum magnum. Præterea talis obligatio, secluso alio extrinseco, sufficienter compensatur obligatione mutuatarii ad reddendam rem mutuatam post tale tempus, & subeundum toto illo tempore illius periculum. Hinc nec licet aliquid exigere, eo quod mutuans terminum constitutum proroget: quia est prorogatio mutui, quod ex natura sua est gratuitum: & quia nihil potest exigi ratione dilationis solutionis.

Resp. 2. Innocent. XI. damnavit has duas propositiones 41. *Cum numeratæ pecuniæ pretiosior sit numerandæ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram; potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*. Est falsa: nam centum libræ per se, & secluso omni extrinseco, nec pluris, nec minoris valent hodie, quam infra annum, cum semper maneant eædem, & earum valor præcise per tempus non crescat. Nec pecunia præsens est utilior possidenti, si mansura fuisset otiosa in arca. Et alioqui usura non esset illicita, & cuilibet liceret exigere auctarium vi mutui, quod fidei repugnat: nam in omni mutuo essentialiter datur pecunia præsens non nisi in futurum reddenda.

41. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum*. Est falsa. Quidquid enim rependi debet ex benevolentia & gratitudine, omnino spontanee & liberaliter rependendum est, nec exigi potest. Et gratitudo non obligat ad aliquid certum ac definitum, sed potest impleri variis modis. Præterea imponitur nova obligatio ex pacto pretio æstimabilis, quæ est contra naturam remunerationis gratuitæ ac liberalis, cum imponat necessitatem pacti: *Nemo enim in necessitatibus liberalis existit. l. 18. §. de adim. legat.*

Quæst. IX. *Num saltem licet exigere aliquid ultra sortem a divitibus, et iis qui ex pecuniis mutuatis magnum lucrum faciunt, ut sunt Judæi, mercatores &c?*

Resp. Neg. Ita expresse Conc. Mediol. 1. sub S. Carolo, & Clerus Gallicanus Melodunі congregatus, an. 1579. Quia usura in Scriptura generaliter ac sine distinctione pauperis & divitis prohibetur; & quia est per se mala ac injusta. Quamvis enim non teneatis divitibus mutuare, tamen postquo mutues, non plus potes exigere quam cessisti; & pecunia mutuata jam non est tua, sed ejus cui data est, ad quem proinde pertinet totum lucrum ex ea percceptum. Quod autem tua pecunia sit ipsis tam utilis futura, hoc provenit ex eorum conditione, cura & industria, non a te, nec ab ipsa præcise pecunia, quæ de se sterilis est. Sic non licet cuivis merces vendere emptori, qui ex iis magnum sua industria lucrum facturus est.

Objicit Carolus Molinæus: *Creditor mutuando dat causam propinquam, & efficacem, hoc est, ut exigo dicunt, sine qua non, hujus lucri. Ergo lucrum dare videtur. Igitur partem inde saltem in eventum lucri stipulari potest, ex divinis & naturalibus regulis.*

Resp.

Resp. Creditor dat id quod non est caussa instrumentalis lucri, nisi mediante industria mutuatarii, & cum jam ejus dominium e creditore in ipsum translatum est: ac proinde tota caussa lucri, nempe pecunia & industria est mutuatarii, non mutuantis; & consequenter totum lucrum est mutuatarii, utpote totum ortum ex re & industria ipsius. Quod autem creditor dominium pecuniæ suæ in mutuatarium transtulerit, hoc ad æqualitatem compensatur per obligationem reddendi mutuanti eandem valore pecuniam, quæ ipsi otiosa erat, cujus periculum interea subit mutuatarius. Nam mille nummi per se & secluso omni extrinseco, non pluris valent hodie quam intra duos vel plures annos, cum eorum valor per tempus non crescat; nec pecunia præsens est utilior possidenti, si mansura sit otiosa in arca.

Quæst. X. *An licet tutoribus auctarium exigere pro pecuniis pupillorum mutuatis, eo quod per leges cogantur eorum bona integra reddere, simul ex eis lucrum facere in commodum eruendem sub pœna compensationis?*

Resp. Nez. Quia cum usura sit intrinsece mala, & a Deo absolute ac indistincte prohibita, nullam ob caussam potest esse licita. Ita Concil. Mediol. I. Et Clerus Gallican. Melodunі congregatus, ann. 1579. tit. 34. ibi: *Curandum ne quid ex mutuo, vel depositis apud Judæum factis, aliquid præter sortem a quovis homine percipi ex conventu, vel principaliter sperare possit: tametsi pecuniæ sint pupillorum aut viduarum. Omnes enim tenentur audire aliud Christi: Mutuum date, nihil inde sperantes*. Constat etiam ex c. 4. *de usur.* ubi Alexander III. ait: *Cum usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc diffensationem aliquam fieri non videmus: quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendum est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur.*

Porro tutores nihil periclitantur, si ex consilio consanguineorum pupilli, & judicis auctoritate has pecunias impendant, aut in fundi frugiferi emptionem, aut in contractu census, vel societatis.

Quæst. XI. *An ob usurarium imponere ratione mutui aliquod onus, seu obligationem novam ultra sortis solutionem?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Quia quælibet obligatio ultra sortem reddendam impolita ex pacto, est onus pretio æstimabile, cum privet libertate quam alter alias haberet, & aliquod incommodum per se pariat, ideoque est injustum: nam per sortem reddendam compensatur ad æqualitatem id totum, quod mutuans dedit. Ergo id quod amplius exigitur seu imponitur, injuste exigitur & imponitur ratione mutui, quod est essentialiter gratuitum. Enimvero ut ait Leffius, ex vi mutui præcise non licet obligare nisi ad æquale: seu reddito sortis est æquale actui mutuationis & rei mutuatæ. Ergo ex vi hujus contractus non licet obligare ad aliud, quam ad redditionem sortis.

Quare usura est, si ea lege mutuum des, ut alter etiam aliquid justo pretio tibi vendat, vel a te emat: ut tibi in posterum remittet, in tuo molendino molat, domum tuam conducat, vel suam locet; ut partem mutui in mercibus, quibus non indiget, recipiat: ut reddat aliam rem diversæ speciei, v. gr. frumentum pro pecunia; ut agrum tuum etiam justo pretio colat; ut tibi vel alii beneficium ecclesiasticum, vel officium conferri curet; ut commendet te alteri; ut præstet aliquod munus vel a lingua, vel a manu, vel ab obsequio; ut non solvat ante certus tempus, nisi alias damnum timeretur ex mutuo: nam onerosum est, non posse se debito liberare pro libito: immo ut præstet id ad quod tenetur ex caritate, quia tunc ei imponitur nova obligatio, nempe justitiæ, ratione cujus tenetur de damno secuto. Item ut plus recipias ex benevolentia vel gratitudine: nam obligatio ex pacto repugnat gratuitæ remunerationi, cum ratione pacti quis compelli possit, & hæc obligatio est quid pretio æstimabile.

Licet tamen mutuum dare ea lege, ut alter tibi solvat summam aliunde tibi ex justitia certo debitam, vel ut desistat a vexatione injusta, quia hoc non est lucrum, sed debitum jam ex justitia, nec imponitur ei obligatio nova, ad quam antea non teneretur: lucrum enim dicitur, cum quis acquirit id quod alias ad se ex justitia non pertinebat. Item licet exigere pignus, vel hypothecam pro securitate mutui; nam hæc assecuratio debita est.

Quæst. XII. *Numquam ne licet in mutuo auctarium exigere?*

Resp. 1. Duo sunt tituli extrinseci mutuo, ob quos licet aliquid ultra sortem exigere, qui comprehenduntur nomine interesse, l. 1. cod. *de sent.*

Primus est damnum emergens, cum quis in bonis jam acquisitis jacturam patitur, quia mutuat; ut si pecuniam refectioni ædium, vel solutioni debitorum destinatam mutues alteri hanc petenti: unde fit ut ædes tuæ deteriores fiant, aut corruant; vel si ipse sub usura cogaris pecuniam accipere ad debita solvenda. *Ita omnes*. Quia quilibet habet jus vitandi damnum; & nemo tenetur cum damno proprio beneficium alteri præstare, nisi is sit in necessitate, cui teneamur cum tali damno subvenire.

Secundus est lucrum cessans, cum nempe mutuans ob mutuum privatur lucro justo, quod certo vel saltem probabiliter factorus fuisset ex pecunia mutuo data, v. gr. mercedem, fundum, censum, aut quid simile emendo, vel aliter negotiando. *Est communis sententia*. Prob. Quia 1. tunc nihil exigitur supra sortem ratione mutui, sed ratione justi tituli mutuo extrinseci, nempe ob compensationem jacturæ lucri probabiliter sperati, quæ juste exigi potest, ne mutuans ex beneficio a se in alium collato damnum percipiat: nec enim æquum est, *ut qui dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse*, c. 1. de fidejuss. 2. Spes lucri probabiliter futuri est pretio æstimabilis; nam spes probabilis capturæ piscium ex jactu retis juste vendi potest, l. 12. §. de act. empt. Et l. 8. de contrab. empt. dicitur, quod *spei emptio sit*. Ergo mutuans juste aliquid exigit pro illa spe probabili & pretio æstimabili, qua se privat in gratiam alterius: immo amissio rei probabiliter sperate est damnum non solum probabiliter futurum, sed etiam actuale: nam cum spes lucri probabilis habeatur actu, & sit pretio æstimabilis, illius jactura est quoddam damnum actuale emergens, utpote jactura boni actu habiti. Brevius, cessatio lucri est in æstimatione prudenti damnum quoddam pretio compensabile:

nam

nam per illam fit, ut quis minus habeat, quam habiturus esset. Et ideo juxta omnes, qui furatur, tenetur restituere lucrum cessans. 3. pecunia ut subest industriæ, & tali destinationi quæstuosæ, plus valet possidenti, quam in se consideraea. 1. Ex c. 6. *de usur.* ubi dicitur, posse ratione lucri cessantis vendere merces ultra currens pretium, si venditor voluisset illas reservare in aliud tempus, quo plus esse valituras verisimile esset.

Porro S. Tho. 2. 2. qu. 78. art. 2. ad 1. vult solum nihil posse exigi in compensationem lucri mere possibilis & remoti; vel non posse tantum exigi in compensationem lucri probabiliter sperati, quantum est ipsum lucrum, quod speratur. Neque enim negat jacturam lucri probabiliter sperati esse causam justam exigendi compensationem: nam qu. 62. art. 4. ait: *Si quis damnificat aliquem, impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi, tale damnum non oportet recompensare ex æquo: quia minus est habere aliquid virtute quam habere actu ... Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum & negotiorum.* Idem docet in 4. dist. 15. q. 1. ar. 1.

Resp. 2. Ex communi sententia, ut possit juste aliquid ultra sortem exigi ob damnum emergens, quinque requiruntur. 1. Ut mutuum sit vera causa damni, alioqui factus esset titulus; & vera usura. 2. Ut damnum proponatur mutuatario, nam libere consentire debet in illam compensationem mutuo extrinsecam; & alioqui admonitus posset forte alibi sibi providere sine hoc onere. Quare si admonitus non fuit, non tenetur damnum compensare, etiamsi postea eveniat, modo non fuerit per moram culpabilem causa illius: nam tuto tenetur ratione culpæ, neque rei acceptæ, neque pacti additi mutuo, neque etiam contractus mutui: mutuum enim est contractus stricti juris, ex natura sua obligans solum ad reddendam sortem. 3. Ut auctarium non sit majus damno orto ex mutuo: alioqui excessus esset usurarius, nam exigeretur ratione mutui, & sine justo titulo. 4. Ut compensatio non exigatur ante tempus, quo damnum eventurum præviderit, quia tunc solum urget titulus. 5. Ut alter non cogatur ad aliquid solvendum, quidquid eveniat, si velit se obligare ad solvendum totum damnum emergens, quod reipsa contingat: alioqui ei imponeretur onus, ad quod ex mutuo non tenetur, cum solum possit obligari ad reddendum mutuantem indemnem.

Resp. 3. Ut auctarium juste exigi possit ob lucrum cessans, ex communi sententia requiruntur hæ conditiones. 1. Ut mutuum sit vera causa cur lucrum cessat: ac proinde ut mutuans ante petitum mutuum habeat facultatem proximam lucrum ex pecunia faciendi alia via justa; & pecuniam quam mutuat, jam destinarit negotiationi vel contractui justo quæstuoso, nullasque alias habeat pecunias otiosas, id est, non destinaras lucro justo faciendo, nec familiæ sustentationi, nec filiarum doti; nec provisioni casuum fortuitorum, quos prudens paterfamilias cavere debet. Nam revera lucrum ei non cessat ob mutuum, qui antequam peteretur, non destinaverat pecuniam suam negotiationi, vel emptioni rei fructiferæ, vel censui, vel societati: aut non habebat facultatem proximam justum lucrum ex pecunia faciendi, aut habebat alias pecunias otiosas. Nam tunc ex pecunia quam mutuat nullum lucrum faceret: ideoque talis nihil potest exigere ratione hujus tituli, utpote non extantis. Idem dic de eo, qui abstinens a negotiatione, interim se applicat alteri rei nec molestiori, nec minus quæstuosæ, cui vacare non potuisset negotiando: nam lucrum cessans per omissionem negotiationis compensatur per aliud lucrum, quod negotiando consequi non potuisset; & sic ei lucrum non cessat ex mutuatione, quæ revera ab æquali lucro eum non impedivit. 2. Ut lucrum sit certum, aut probabile: nam si sit solum possibile non est pretio æstimabile, cum mere possibilium ratio non habeatur, & in æstimatione morali potentia remota lucrandi ex pecunia nihil addit pecuniæ spectatæ secundum se. 3. Ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, & in illius compensatione consentiat: alioqui ad illam non tenebitur, nisi per moram culpabilem solvendi fuerit illius causa, ob rationem supradictam; quia onus extrinsecum contractui imponi non potest contrahenti sine illius consensu. 4. Ut non exigatur totum lucrum quod speratur, sed solum quantum spes illius judicio prudentum valet, deductis sumptibus & æstimatione periculi ac laboris. Nam res solum sperata non est tanti valoris, quanti habita in se ipsa, seu jam existens propter pericula & impedimenta, quæ evenire possunt: sic semen sparsum in agro minus valet, quam messis ipsa, quæ speratur. 5. Ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed solum pro tempore quo lucrum fuisset: nam qui v. gr. mutuat centum, & statim accipit decem pro lucro cessante, jam non mutuat alteri centum, sed solum nonaginta: solum enim nonaginta retinet mutuatarius, & tamen mutuans tantumdem exigit pro lucro cessante ex nonaginta, quantum ex centum, quod est injustum & usurarium: cum tunc lucrum ei solum ex nonaginta cesset. Præterea quod pro interesse solvitur, eidem subrogatur, & ejus quod nondum extat, subrogatio exigi non potest.

His adde, ut quis excusetur ab usura coram Deo ratione hujus tituli, requiritur, ut mutuet animo gratificandi proximo, non autem spe commodoris lucri. Nam si mallet mutuari quam negotiari, intenderet principaliter lucrum ex mutuo, & sic peccaret. Quare, ut ait Sylvius, requiritur, ut is qui mutuat, non sponte subtraxerit suam pecuniam a negotiatione prius quam mutuet, intendens proprium commodum, & mallens mutuare cum certo lucro, quam negotiari cum incerta spe lucri: sic enim licite pacifceretur de lucro cessante, cum pecunia jam subtracta sit potentia lucrandi, utpote nec secundum rem, & voluntatem ejus exposita negotiationi, aut destinata contractui justo, quæstuoso: atque adeo lucrum, si quod cessat, non cessat ex mutuo, sed ex eo quod negotiari noluerit, aut aliter contrahere. Idem docet Toletus, asserens doctores convenire, quod cum quis sponte alteri offert suas pecunias mutuo, nec coactus, nec rogatus, non potest licite lucrum ab alio exigere, cum ipse sponte suas pecunias a negotiatione auferat.

Nota. Non licet id quod in contractu mutui ob interesse exigitur, convertere in sortem, & ex eo aliquid ultra summam ex quovis titulo exigere: nam hoc prohibetur in jure, l. 28 Cod. de *usur.*

Quæst. XIII. *An hæc in mutuo licita sit pactio,*

ut mutuatarius, si ad terminum præstitutum non restituerit, aliquid solvat in pœnam suæ moræ?

Resp. Ex communi sententia per se licita est, positis certis conditionibus. Quia debitor, qui est in mora culpabili, dignus est pœna, cum peccet contra justitiam, non solvendo debitum tempore præfinito. Ergo potest cum ejus consensu ei imponi pœna, sicut solet imponi ei, qui a contractu recilerit: contrahentes enim, cum sint suarum rerum domini, possunt ad majorem contractuum firmitatem, & eorum implendorum certitudinem, sibi pœnam conventionalem imponere & promittere, ex cap. 4. *de arbitr.* & l. 14. Cod. *de pact.* Omne autem promissum acceptatum servari debet.

Sed ut hoc sit licitum, ex communi sententia ista requiruntur. 1. Ut id non fiat in fraudem usurarium, sed ex sola voluntate sortem suam tempore statuto recuperandi. Unde si non cures, utrum solvatur rali tempore, an non; vel si optes non solvi; vel si eum terminum, intra quem scis mutuum reddi non posse, constitutas, tunc pœna apposita est velamen usuræ, & revera lucrum ex mutuo principaliter intendis. 2. Ut debitor vere sit in culpa, non solvendo notabili tempore post transactum terminum: nam sine culpa nulla potest juste imponi nec exigi pœna, ex l. 22. Cod. *de pœn.* & cap. 2. *de consist.* ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Hinc pœna non debetur, si debitor sine culpa tempore præfinito non solverit propter moralem impotentiam, hoc est, difficultatem tantam, ut creditor censeatur rationabiliter invitus circa solutionis dilationem. 3. Ut pœna sit moderata secundum mensuram culpæ, & rei mutuatæ: alioqui esset injusta, & inique cogeretur alter in eam consentire, ideoque non potest peti quoad excessum. Hinc pactum, ut pignus sit creditoris, si certo tempore debitor non solverit est prohibitum, l. 1. & 3. Cod. *de pact. pignor.* & c. 7. *de pignor.* Quod si pars debiti solvatur, non potest tota pœna exigi, sed tantum pro ratione partis non solutæ, cap. 9. *de pœnis.* Idem dic, si mora non sit notabilis: nam si per biduum vel hebdomadam ultra terminum præfinitum solutio differatur, ordinarie non debet æstimari culpa digna pœna constituta saltem tota. *Lessius, Delugo &c.*

Pœna autem conventionalis, positis his conditionibus, debetur ante omnem sententiam. Quia debetur ex vi pacti justi, & hæc est intentio contrahentium, ut ipso jure transgressor pœnam solvere teneatur sine necessitate judicem adeundi cum sumptibus & molestiis, & saltem si petatur: sicque communis hominum sensus intelligit. Sed justa pactio jure naturali obligat in conscientia ante omnem sententiam. Multi tamen putant, talem pœnam solvi non debere antequam petatur expresse, vel tacite. Quia mutuans, si non petat solutionem pœnæ cum facile possit, censetur eam condonare: & pœna videtur imponi sub hac tacita conditione *si petatur.*

Quæst. XIV. *An licet aliquid ultra sortem exigere ratione periculi ejusmodi sortis?*

Resp. 1. Nihil licet exigere a pauperibus ratione periculi sortis, orti ex eorum inopia. Quia 1. Tale periculum est intrinsecum huic mutuo in individuo, sive tali mutuo ex natura sua accessorium est; accessorium autem sequitur naturam principalis, ex reg. 42. jur. in 6. Ergo cum nihil possit exigi pro ipso mutuo, ita nec pro tali periculo. 2. Cum caritas obliget ad illis mutuandum, ut eorum necessitati subveniatur, obligat quoque, ut id fiat sine ullo eorum gravamine, ideoque ut subeatur gratis hoc periculum, alioqui non sufficienter levaretur eorum egestas. 3. Alioqui possent maxime opprimi pauperes, & eo plus ab iis exigi posset, quo egentiores sunt, ideoque digniores majore subsidio, non gravamine. 4. Sac. Congr. Card. infra laudanda permittit aliquid accipi solum ratione periculi, prout in casu a Missionariis propositum erat, scilicet quod oriebatur ex culpa, infidelitate & injustitia mutuatarii, non autem ex ejus inopia.

Porro fidejussor non accipit juste pretium pro periculo, sed pro obligatione illud in se suscipiendi.

Resp. 2. Multi docent, licere aliquid ultra sortem pacisci & exigere ratione periculi mutuo extrinseci. Probant 1. Ex decreto Sac. Congregat. de Propaganda fide ab Innocentio X. approbato, & Romæ typis edito anno 1643. & a Cabassutio relato: *In Synarum regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quæritur utrum Sinenses sic licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta regni lege taxatam quantitatem accipere; & causa dubitandi est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quod qui accipit mutuatum, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram judice repetere, vel propter alia hujusmodi.* Sic respondit Sac. Congreg. *Consuit Sacr. Congreg. Cardinalium S. R. E. ratione mutui immediate & præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem: si vero aliquid recipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio probabilitatis periculi, & qualitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum & id quod accipitur.* Et Innocent. X. præcipit omnibus Missionariis sub excommunicatione latæ sententiæ, ut omnia responsa hujus decreti observarent, & illis uterentur: donec sua Sanctitas, vel Sedes Apostolica aliud statuerit. 2. Quia probabile periculum sortis mutuo extrinsecum, quod scilicet nascitur ex eo quod detur homini decepturi vel injusto, qui aliunde habet bona saltem in spe certa, est a tali mutuo separabile, nempe per pignus, aut hypothecam, quam potest dare, & simul est pretio æstimabile: nam ex S. Thom. quæst. 57. ar. 4. ad 1. licitum est carius vendere propter periculum, cui venditor se exponit transferendo rem de loco in locum.

Idem dicunt de extraordinariis facultatibus, laboribus, impensis, molestiis probabiliter in recuperanda sorte subeundis ex culpa mutuatarii, eo quod hæc sint mutuo extrinseca, & pretio æstimabilia.

Sed ut hoc titulo aliquid possit juste exigi, hæ requirunt conditiones. 1. Ut periculum sit vere probabile & extrinsecum mutuo, ne hoc prætextu pallientur usuræ: quale non est quoties mutuatarius est industrius, verax, justus, & de quo non datur prudens præsumptio, quod non sit soluturus. 2. Ut in hoc auctarium consentiat mutuatarius. 3. Ut mutuans

tuans non compellat illum ad secum paciscendum de periculo, sed ei relinquat liberratem assecurandi sortem per pignus, hypothecam, vel alium fidejussorem: alioqui sine caussa imponeretur illi onus pretio æstimabile, ad quod non obligatur, quod est usurarium. 4. Ut non plus exigatur, quam judicio communi prudentum valeat tale periculum subeundum, habita ratione quantitatis summæ mutuatæ & magnitudinis periculi, servatuque proportione inter periculum & auctarium.

Nec obstat, inquiunt c. *Naviganti de usur.* ubi Gregor. IX. ait: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuant pecuniæ quantitatem, pro eo quod susceptt in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus*. Nam censetur usurarius, quia supponitur noluisse mutuare nisi ea conditione, ut ipse periculum sortis certo pretio in se susciperet, & sine justa caussa impossibile est mutuatario onus pretio æstimabile, privando eum libertate assecurandi sortem alia via commodiore, nempe per pignus aut fidejussorem. Alii putant mendum in textum irrepsisse, & legendum esse, *usurarius non est censendus*, ob verba immediate sequentia: *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valitura, vrsimiliter dubitatur: non debet ex hoc usurarius reputari*. Particula, *quoque*, inquiunt, paritatem & conformitatem sonat; adeoque indicat, Pontificem velle neutrum censsendum esse usurarium; si enim de uno vellet & non de altero, dixisset: *Ille contra, ille tamen*. Ita *Barbosa, Layman &c.*

Si objicias. 1. Auctarium non esse medium agrum ad tollendum sortis periculum, immo illud augere. 2. Inde sequi, posse aliquid exigi pro periculo auctuarii ipsius, & sic in infinitum, cum illud etiam periclitetur. 3. Mutuatarium teneri, periculum illud tollere reddituæ sortis. 4. Sac. Congr. & Innoc. XI. illud solum tolerare, cum dicat non esse inquietandos.

Respondent ad 1. Auctarium illud non exigi ad tollendum periculum futurum, sed pro periculo præsenti, & damno quodam actu existente, quod actu subit mutuans, dum pecuniam in manu sua certam exponit manui periculosæ, in qua est minoris valoris quam in sua. Nec auctarium agere periculum sortis; nam mutuans quotannis recipiens parum ob periculum, quamvis postea sortem amittat, minus damnum patietur; & interea mutuatarius poterit lucrari ex mutuo ad sortem solvendam. Ad 2. illud auctarium speratum licet periclitans, esse sufficientem compensationem, ideoque nihil posse exigi pro illius periculo. Ad 3. Restitutione sortis non tolli periculum, quod ante illam subivit mutuans, quod erat prætio æstimabile, sed jam non continuari. Ad 4. Negant id tolerari tantum: nam quærebatur, an id esset licitum, & respondet Sac. Congr. non esse licitum ratione mutui, sed ratione periculi propositi non debere inquietari. Sane si id jure naturali esset illicitum, deberent Missionarii monere, & impedire ne quid tale exigatur.

Quæst. XV. *An lex vel consuetudo provinciæ est titulus legitimus aliquid ultra sortem exigendi?*

Resp. Neg. si nullus alius adsit titulus justus. Quia cum perceptio lucri ex mutuo sit jure divino vetita, nullo alio jure potest esse licita. Igitur lex, quæ permittit ex quovis mutuo aliquid ultra sortem, v. gr. quinque pro centum exigere, & de eo paciscì, immo præcipit, judici ut mutuatarium compellat ad hoc auctarium persolvendum mutuanti, semper præsumit & supponit titulum interesse, nempe lucrum cessans, vel damnum emergens. Quare si nullum reipsa ex mutuo lucrum cesset, vel damnum sequatur, tunc nihil potest in conscientia ultra sortem exigi, & accepta restitui debent. Item non licet plus accipere, quam sit lucrum cessans, vel damnum ortum ex mutuo, etiamsi plus lege constiturum sit; nam tunc lex, vel sententia judicis nititur falsa præsumptione. Neque enim est intentio legis, nec potest esse, ut aliquid accipiatur ratione mutui.

Idem dic de lege, & de sententia Judicis, qua mutuatori adjudicatur aliquid ultra fortem a tempore interpellationis suæ, in compensationem interesse. Nam si nullum lucrum cessans, nec damnum emergens, vel non tantum patiatur mutuans, nihil aut non tantum potest accipere: quia tunc sententia judicis nititur falsa præsumptione, unde non dat veram jus. Quod si adjudicaretur aliquid in pœnam dilatæ solutionis, nihil etiam posset accipi, si revera debitor non fuit in culpa: quia omnis pœna justa supponit culpam. Immo sunt, qui præter moram culpabilem debitoris requirunt adhuc, ut mutuator damnum vel lucrum cessans sustinuerit, quia putant legem ad pœnam damnantem supponere etiam interesse.

Obj. 1. Quælibet lex est essentialiter justa, alioqui non esset lex. Ergo lex est justus titulus accipiendi aliquid ultra sortem.

Resp. dist. conseq. Si illa lex non fundetur in aliqua suppositione C. conseq. Si fundetur in aliqua suppositione ejus, quod non exter, N. conseq. Lex vel consuendo quæ permittit aliquid supra sortem accipere, supponit damnum emergens, vel lucrum cessans: quod si neutrum extet, non intendit, nec potest actuarium approbare aut præcipere.

Obj. 2. Per legem illam tenentur judices damnare debitores ad solvendum aliquod ultra sortem. Ergo mutuator illud juste retinere potest. R. Neg. conseq. Nam cum judices illud auctarium non adjudicent, nisi vi legis, & lex præsupponat justum titulum, nempe damni emergentis vel lucri cessantis, non potest mutuator auctarium sibi adjudicatum retinere, si non habet verum titulum, quod lex & sententia judicis præsupponunt.

Quæst. XVI. *An qui pignus pro mutui assecuratione accepit, tenetur fructus ex illo perceptos computare in diminutione sortis, deductis expensis, laboribus ac operis?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Et constat ex c. 1. & 2. *de usur.* l. 2. Cod. *de pignor. act.* Quia mutuator nullum habet jus ad illos ratione mutui, quod est ex natura sua gratuitum; sed illi pertinent ad dominum pignoris, res enim domino suo fructificat. Hinc, qui agrum sterilem, qui antea non colebatur, accepit in pignus, tenetur fructus, quos ex illo sua diligentia percepit, referre in sortem, deductis impensis & laboribus, alioqui lucrum perciperet ex mutuo.

Excipe, 1. Feudum in pignus debiti datum domino directo; nam hic non tenetur fructus ex illo deducere in sortem, ex c. 8. *de usur.* vel quia pro tales fructus compensari debent servitia a feudatario debita, quibus interim liberatur: vel quia feudi contractus habet hanc tacitam conditionem, ut si res feudo subjecta tradatur domino directo in pignus, ejus fructus ad hanc pertineant, modo feudatarius eo præsumit & supponit titulum interesse, nempe lucrum cessans, vel damnum emergens. Quare si nullum reipsa ex mutuo lucrum cesset, vel damnum sequatur, tunc nihil potest in conscientia ultra sortem exigi, & accepta restitui debent. Item non licet plus accipere, quam sit lucrum cessans, vel damnum ortum ex mutuo, etiamsi plus lege constiturum sit; nam tunc lex, vel sententia judicis nititur falsa præsumptione. Neque enim est intentio legis, nec potest esse, ut aliquid accipiatur ratione mutui.

Idem dic de lege, & de sententia Judicis, qua mutuatori adjudicatur aliquid ultra fortem a tempore interpellationis suæ, in compensationem interesse. Nam si nullum lucrum cessans, nec damnum emergens, vel non tantum patiatur mutuans, nihil aut non tantum potest accipere: quia tunc sententia judicis nititur falsa præsumptione, unde non dat veram jus. Quod si adjudicaretur aliquid in pœnam dilatæ solutionis, nihil etiam posset accipi, si revera debitor non fuit in culpa: quia omnis pœna justa supponit culpam. Immo sunt, qui præter moram culpabilem debitoris requirunt adhuc, ut mutuator damnum vel lucrum cessans sustinuerit, quia putant legem ad pœnam damnantem supponere etiam interesse.

Obj. 1. Quælibet lex est essentialiter justa, alioqui non esset lex. Ergo lex est justus titulus accipiendi aliquid ultra fortem.

Resp. dist. conseq. Si illa lex non fundetur in aliqua suppositione C. conseq. Si fundetur in aliqua suppositione ejus, quod non exter, N. conseq. Lex vel consuendo quæ permittit aliquid supra fortem accipere, supponit damnum emergens, vel lucrum cessans: quod si neutrum extet, non intendit, nec potest actuarium approbare aut præcipere.

Obj. 2. Per legem illam tenentur judices damnare debitores ad solvendum aliquod ultra fortem. Ergo mutuator illud juste retinere potest. R. Neg. conseq. Nam cum judices illud auctarium non adjudicent, nisi vi legis, & lex præsupponat justum titulum, nempe damni emergentis vel lucri cessantis, non potest mutuator auctarium sibi adjudicatum retinere, si non habet verum titulum, quod lex & sententia judicis præsupponunt.

Quæst. XVI. *An qui pignus pro mutui assecuratione accepit, tenetur fructus ex illo perceptos computare in diminutione sortis, deductis expensis, laboribus ac operis?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Et constat ex c. 1. & 2. *de usur.* l. 2. Cod. *de pignor. act.* Quia mutuator nullum habet jus ad illos ratione mutui, quod est ex natura sua gratuitum; sed illi pertinent ad dominum pignoris, res enim domino suo fructificat. Hinc, qui agrum sterilem, qui antea non colebatur, accepit in pignus, tenetur fructus, quos ex illo sua diligentia percepit, referre in sortem, deductis impensis & laboribus, alioqui lucrum perciperet ex mutuo.

Excipe, 1. Feudum in pignus debiti datum domino directo; nam hic non tenetur fructus ex illo deducere in sortem, ex c. 8. *de usur.* vel quia pro tales fructus compensari debent servitia a feudatario debita, quibus interim liberatur: vel quia feudi contractus habet hanc tacitam conditionem, ut si res feudo subjecta tradatur domino directo in pignus, ejus fructus ad hanc pertineant, modo feudatarius eo præsumit & supponit titulum interesse, nempe lucrum cessans, vel damnum emergens. Quare si nullum reipsa ex mutuo lucrum cesset, vel damnum sequatur, tunc nihil potest in conscientia ultra sortem exigi, & accepta restitui debent. Item non licet plus accipere, quam sit lucrum cessans, vel damnum ortum ex mutuo, etiamsi plus lege constiturum sit; nam tunc lex, vel sententia judicis nititur falsa præsumptione. Neque enim est intentio legis, nec potest esse, ut aliquid accipiatur ratione mutui.

stituenda, quamvis nulla conventio præcesserit. Ex ipse, nisi mutuator habeat justum titulum retinendi, nempe lucrum cessans vel damnum emergens: tunc enim usura est pure affectiva, nec reponit inæqualitatem in rebus.

Resp. 2. Si mutuatarius sponte aliquid ultra sortem donet ex liberalitate, vel gratitudine, sed mutuans ejus mentem ignorans accipiat tamquam ex mutuo debitum, peccat & tenetur restituere ratione conscientiæ erroneæ, quamdiu illam non deponit prudenter. Tamen juxta communem sententiam, ex parte rei acceptæ ad id non tenetur, sed postquam scivit illud sibi gratis donatum fuisse, retinere potest, quia alter per illam donationem gratuitam transtulit dominium rei in mutuatorem, si accedat acceptatio legitima: unde accidente hac notitia, potest rem acceptare & retinere ut liberaliter donatam. Quamvis enim habuerit intentionem injuriam faciendi, cum acceperit tamquam debitum ex mutuo, & ideo peccarit; tamen reipsa nullum damnum inde alteri secutum est.

Resp. 3. Si mutuatarius dederit aliquid ultra sortem tamquam ex mutuo debitum, & mutuans illud acceptavit bona fide tamquam liberaliter donatum, hic tenetur, ubi resciverit, restituere acceptum, & fructus extantes. Quia deest titulus justus retinendi: nam datio rei ut debitæ ex mutuo nulla est, cum nihil fit debitum ex mutuo. Nec tunc fuit donatio liberalis, quia res data fuit ut debita. Si vero mutuator aliquid ultra sortem accipiat, dubitans qua mente illud detur, an gratis, an tamquam debitum, peccat, & tenetur acceptæ restituere; nam injustitiam committit, ficut is qui dubia fide accepit alienu possidere; & se exponit periculo alienum retinendi.

Quæst. XXI. *An cooperatores usurarii teneantur ad restitutionem in ejus defectum?*

Resp. Tenentur omnes, qui agentes partes usurarii, sunt causa efficax, cur usuræ petantur, solvantur, vel non repetantur. Quia sunt causa efficax damni mutuatario injuste illati. Tales sunt, 1. Consulentes usuras. 2. Dantes pecunias eo animo, ut ex his exerceantur usuræ. 3. Judices, qui compellunt ad usuras solvendas, vel vetant ne tollantur repetantur, qui etiam ipso facto sunt excommunicati, *Clement. unic. de usur.* 4. Notarius conficiens instrumentum, fingens licitos contractus, vel falsos scribens, ut cum dantur centum, ipse scribit centum viginti &c. Nisi id faciat postulante mutuatario; tunc enim licet moraliter peccet, & sit perjurus, tamen non tenetur ad restitutionem, quia sponte volenti & roganti non fit injuria. *Ita S. Antonin.* 5. Fictores seu negotiorum gestores, & qui contractus usurarios faciunt, & famuli cogentes ad usuras solvendam. 6. Proxenetæ, hoc est, qui quærunt eos, qui pecunia indigent, adducuntque ad usurarios, dum isto modo partes agunt usurarii. At non tenentur, dum agunt partes mutuatarii, quia tunc beneficium ei præstant, & non est in eorum potestate, ut gratis mutuum detur.

Qui autem ita remote concurrunt, ut non censeatur causa damni mutuatario illati, non tenentur restituere, quales sunt secundum multos famuli, qui recipiunt pignora, eaque custodiunt, qui numerant pecuniam, qui referunt omnia in librum rationum. Qui non censentur causa damni, cum independenter ab illorum opera illatum sit; & quia circa illorum operam non est invitus mutuatarius, nec de illa rationabiliter conqueri potest.

Quæst. XXII. *Quænam sunt pœnæ usurariis constitutæ?*

Resp. Usurarii notorii seu manifesti sunt, 1. Infames in utroque jure, ideoque irregulares. 2. Privantur communione altaris, ac sepultura ecclesiastica, & eorum oblationes non possunt accipi, c. 3. *de usur.* ex Conc. Gener. Later. III. 3. Non debent ad confessionem admitti, antequam satisfecerint, vel cautionem dederint, cap. ult. *de usur.* in 6. ex Conc. Gener. Lugdun. 4. Irrita sunt eorum testamenta, nisi ante mortem restituerint, vel cautionem legitimam dederint, ex cap. cit. 5. Pro clericis, qui moniti non desistunt, suspensio ab officio & beneficio ferenda, pro laicis excommunicatio ferenda, usque ad debitam restitutionem, cap. 7. *de usur.*

Porro usurarius notorius est ille, qui facto vel jure manifeste usurarius est. Est notorius notorietate facti, dum mutuat palam ad usuram, ita ut nulla tergiversatione celari possit. Et notorius notorietate juris, quando de hoc crimine in judicio convictus est & damnatus. In Gallia dicitur admitti sola notorietas, quæ habetur per sententiam judicis.

CAPUT IV.

De Depositi, Commodato, Precario, & Mandato.

Nota. Depositum, Commodatum &c. sumuntur hic pro contractu, licet sæpe sumantur pro ejus materia: scilicet re deposita, commodata &c.

Quæst. I. *Quid est depositum?*

Resp. Est contractus, quo aliquid alteri custodiendum traditur, & ad hoc suscipitur. Perficitur solum, dum res traditur a deponente, & suscipitur a depositario. Tradere enim vel deponere, non sufficit, sed requiritur etiam ut alter significet se ejus custodiam suscipere: nisi forte ex officio teneatur eam custodire, ut sunt caupones, stabulatii, aurigæ, nautæ &c. nam sufficit illis videntibus rem in domo, vel curru, vel navi deponi, l. 1. §. *Nauta* &c.

Sequestrum autem, quod est species depositi, est contractus, quo res, de qua est controversia, alteri tertio custodienda traditur, eo fine, ut postea reddatur ei cui adjudicabitur.

Quæst. II. *Quænam sunt obligationes depositarii?*

Resp. Ex communi sententia, tenetur, 1. Rem depositam servare ac custodire ea cura ac diligentia, quam homines diligentes solent in simili re propria adhibere, l. 32. Cod. *depos.* Quod si res deposita pereat, vel deterior fiat, tenetur solum de dolo & lata culpa, l. 1. Cod. *depos.* & c. Si tamen depositum cedat in commodum utriusque, ut si depositarius mercedem pro custodia accipiat, tenetur etiam ex culpa levi.

Hinc tortores, molitores, aurigæ, caupones, & similes tenentur ex culpa levi; nam tenentur ex officio sibi & aliis utili, annexam habente custodiam eorum, quæ ipsis traduntur; & sic tenentur ea custodire ex contractu virtuali ac implicito in utriusque partis commodum cedente. Si vero depositio cedat in commodum solius depositarii, ut si apud ipsum deponatur pecunia eo solo fine, ut possit ea uti si egeat, hic tenetur de culpa levissima, juxta alibi dicta. Item si suapte obtulit ad custodiendam rem maxima diligentia, vel hanc expresse promiserit: nam tunc tenetur ex pacto contractui addito.

2. Tenetur non uti re deposita, sine consensu domini expresso, vel tacito, aut saltem prudenter præsumpto. Quia rei usus non est ipsi concessus, sed solum commissa custodia: & non licet usurpare usum rei alienæ invito domino, alioqui fit contra justitiam: nam quivis habet jus, ut nemo utatur re sua sine suo consensu. Quare l. 3. Cod. *depos.* utens re aliqua deposita sine consensu domini, dicitur reus furti. Hinc si usus ille sit pretio æstimabilis, ut usus equi, vestis &c. solvi debet illius pretium: nam usus & fructus rei ad dominum pertinet, & pretium usus est quidam fructus. Quod si dominus usum concedat, tunc depositum transit in mutuum, si res deposita sit usu consumptibilis, aut alienata; vel si talis non sit, in commodatum, si gratis ejus usus concedatur; aut in locationem, si pretium exigatur. Porro secundum multos domini consensus præsumitur circa usum pecuniæ depositæ, cum eam tradit nec sacculo clauso, nec obsignato, nec ullo indicio ostendit se utendi facultatem denegare, modo recipiens sit moraliter certus, se eam soluturum, ut primum exigetur,

3. Tenetur depositum repetenti reddere statim, c. 2. *de depos.* & l. 2. §. *depos.* Nam alioqui retineret rem alienam invito domino. Excipe, nisi deponens in suum vel aliorum damnum reposcat, ut si furens ensem reperat; nam tunc deponens non est rationabiliter invitus, vel nisi res deposita sit furtiva, & dominus eam repetat; tunc enim restitui debet domino, l. 31. §. *depos.* Si vero dominus eam non repetat, juxta loc. cit. & l. 1. §. *deposi* restituere debet ipsi furi; sed tunc tenetur eum monere, ut eam restituat vero domino; & ni faciat, monere dominum. Immo videtur lex supponere, furem rem depositam repetere, ut eam restituat domino. Quare Lessius docet, eam semper debere restitui domino, nisi fur puterur eam repetere animo restituendi eam domino.

4. Nihil potest restituere, vel exigere pro rei custodia, nisi dominus ei mercedem expresse promiserit. Quia depositum purum est in gratiam solius deponentis: & ideirco depositarius vi illius tenetur tamum de culpa lata & dolo. Unde nihil ei debetur, nisi vi alterius contractus seu pacti; & tunc depositum transit in locationem operæ ad custodiendum rem depositam, & depositarius tenetur de culpa levi, cum jam contractus cedat etiam in ejus utilitatem.

Porro si depositarius alteri quam domino reddiderit depositum, & perierit, non tenetur ad restitutionem; modo bona fide & prudenter, licet falso juraverit esse dominum, vel aliquem ab eo missum ad illud repetendum: quia tunc abest fraus, dolus, & culpa lata, ex quibus solum tenetur de damno.

Qu. III. *Quid sunt Commodatum & Precarium?*

Resp. Commodatum est contractus, quo res ad solum usum gratuito conceditur usque ad designatum tempus, ante quod repeti non potest.

Precarium est gratuita solius usus rei concessio ad harum revocabilis. Unde non differt a commodato, nisi quod possit quovis tempore repeti a concedente, non tamen in continenti, alioqui esset inane ac illusorium, non beneficium. Solvitur ipsius rei alienatione, & morte accipientis, cap. ult. *de Precar.*

Quæst. IV. *Quænam sunt obligationes commodantis & commodatarii?*

Resp. 1. Ex communi sententia, commodans tenetur, 1. Aperire vitium rei commodatæ, si sit periculosum, alioqui tenebitur de damno inde secuto, l. 18. & 22. §. *commod.* cum dederit illius occasionem. Tenetur ad impensas extraordinarias, l. 18. §. *commod.* 3. Tenetur non repetere ante tempus, de quo expresse, vel implicite conventum est, l. 15. §. *commod.* & cap. unic. *de commod.* Quia, ut ibi dicitur, *non oportet uti beneficio decipi, sed fruendi.* Et quia alter jus re utendi usque ad illud tempus vi pacti acquisivit. Quare si ante repetat, tenebitur de interesse, quod inde alteri sequitur: nam fecit injuriam violando jus alterius ex pacto acquisitum. Excipe, nisi commodanti damnum simile ex carentia rei sua imminet; tunc enim juxta multos ei licet ante tempus finitum repetere, etiam cum alterius damno. Quia non censetur usum rei sua gratis concessisse, nisi sub hac tacita conditione, ut in tali eventu posset repetere; neque enim in gratuita promissione, & concessione usus rei, quis censetur velle se ad tantum obligare, quantum in onerosa.

Resp. 2. Ex communi sententia, commodatarius tenetur ex justitia, 1. Non uti re commodata, nisi ad usum sibi concessum; aut saltem cui prudenter judicet dominum consensurum, ex l. 5. §. *commod.* ubi alias dicitur furti reus, quia usurpat re aliquem usum rei alienæ invito domino; nec enim habet jus nisi ad usum concessum; ex instit. *de oblig. quæ ex delict. &c.* ibi: *Furtum fit, cum quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque sive creditor pignore, sive is apud quem res deposita est, ea re utatur: sive is, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quam cujus gratia ei data est, furtum committit; veluti si quis eundem equum, qui ei commodatus sibi longius aliquo duceret. Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligant id invito domino facere, eumque, si intellexisset, non permissurum, aut si permissurum credant, extrai crimen videri.*

2. Tenetur rem commodatam finito tempore restituere, etiamsi non repetatur, *cum dies finitus pro domino interpellet*, c. unic. *de locato.* Alioqui tenebitur omne lucrum cessans & damnum inde proveniens compensare, cum sit illius causa injusta: nam non habet jus utendi re aliena, eamque retinendi ultra tempus sibi concessum, sed dominus habet jus illam tunc possidendi, & ea utendi.

3. Tenetur ad impensas ordinarias & modicas, necessarias ad rei commodatæ conservationem, v. gr. ad pabulum equi, non tamen ad extraordinarias magnas, v. gr. ad curationem magni pretii, ad restaurationem domus, l. 18. §. *commod.*

4. Tenetur maximam diligentiam ac curam ad rem commodatam integre & in bono statu conservandam adhibere, ex instit. *Quibus modis &c.* & ex l. 18. §. *commod.* ibi: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet.* Quare si res pereat vel deterior fiat ex culpa etiam levissima, tenetur ad restitutionem; nam contractus cedit in ejus solius utilitatem, ex c. unic. *de commod.* ibi:

Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur, licet casus fortuitus (nisi accideret culpa sua, vel interveniret pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. Ergo tenetur ad restitutionem rei commodatæ, quæ perit vel amittitur, dum per tertium remittitur, si non adhibuit diligentiam & prudentiam maximam, ut fidelem ac idoneum inveniret: secus, si hanc adhibuit, l. 20. §. *commod.* vel si tertius ille a commodante fuit electus, tunc enim res domino suo perit. Quod si in utriusque commodum res fuisset commodata alteri, hic tenebitur solum de culpa levi, si vero in solius commodantis, de culpa lata, juxta regulas alibi traditas.

Quæst. V. *An res aliena commodata, deposita, conducta &c. debet præferri propriis, si utraque conservari nequeat, ut in periculo incendii, naufragii &c.*

Resp. 1. Si res tua propria sit pretiosior, potes eam conservare præ aliena commodata, deposita &c. Quia non exigit æquitas, ut quis majore suo damno impediat damnum minus alterius. Sed tunc si res erat commodata, juxta multos teneris ejus pretium restituere, cf. 5. §. *commod.* ubi dicitur, commodatarius non teneri compensare damnum ex incendio vel ruina ortum, *nisi cum posset res commodatas salvas facere, suas gratuito.* Nam æquum non est, ut alter damnum sustineat, salvis ejus rebus cui gratificatus est, & ob cujus solius commodum res sua addicta est in periculum.

Resp. 2. Si res aliena sit pretiosior, teneris ex justitia eam præ tuis conservare. Quia rei alienæ ea debetur custodia quam quisque prudens in suis rebus adhiberet, quisque autem servaret suas pretiosiores, relictis vilioribus. Sed tunc si res aliena erat apud te in commodum solius domini, potes exigere compensationem totius damni, quod passus es eam servando: nam non teneris eam gratis servare tuo damno, cum in tuam utilitatem non derineas. Si autem erat in commodum tui & domini, potes repetere mediam partem damni, quia utriusque causa res periclitabatur; & par est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus pro ratione commodi. Si vero res apud te erat in tui solius utilitatem, juxta Lessium & alios, non potes exigere compensationem pro tuis rebus, ex l. 5. §. *commod.* Quia cum jactura rerum tuarum minoris vel æqualis valoris teneris alterum præstare indemnem, cum tantum tui commodi occasione res ejus in periculum illud inciderit.

Resp. 3. Quando res tua est æque pretiosa, potes illam præferre alienæ, si res aliena sit apud te in commodum solius domini, vel in commodum commune. Si vero res aliena sit in commodum tui solius, juxta multos teneris eam tuæ præferre, ex l. 5. cit. Quia rem alienam in tui solius commodum accepram teneris diligentissime conservare, nec tunc ille debet tibi compensare, cum res sua tui solius causa periclitaretur; & cum solus ex contractu commodum sentias, par est ut solus damnum patiaris, præstando id ad quod tenebaris.

Porro qui rem suam præ aliena conservat, dum tenetur alienam suæ præferre; tenetur ad restitutionem, quia fecit injuriam damnosam.

Quæst. VI. *Quid est mandatum?*

Resp. Est officium gratis susceptum in gratiam alterius; sive est obligatio aliquid agendi in commodum alterius, gratis suscepta, v. gr. negotium aliquod gerendi, aliquid ipsi emendi &c. Nam si pretio suscipiatur, est potius locatio operæ. Mandatum autem non potest esse nisi de re licita, l. 6. *Mandat.* & re integra solvitur morte mandantis, l. 15. Cod. *Mandat.*

Quæst. VII. *Quænam sunt obligationes mandatarii, & mandantis?*

Resp. Ex communi sententia, mandatarius, & quivis negotiorum gestor, vel procurator tenetur, 1. Alterius negotium diligenter & utiliter gerere tamquam proprium: nam ad hoc se obligavit acceptando mandatum, nec ei aliter negotium commissum fuisset, ex l. 21. Cod. *mandat.* ibi: *Aliena negotia exacto officio geruntur: nec quidquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpa vacuum est.* 2. Negotium susceptum conficere: *Voluntatis est enim suscipere mandatum, necessitatis consummare*, l. 17. §. *commod.* Nam ad id se obligavit, illud suscipiendo. 3. Tenetur saltem de dolo, & culpa lata, si mandatum in solius mandantis utilitatem gratis susceperit, l. 3. §. *de neg. gest.* De levi, si id etiam in suam utilitatem cedat, vel si se obtulerit, cum alius diligentior præsto esset: de levissima vero, si maximam diligentiam promiserit, vel hanc res exigit. 4. Non potest fines mandati sui transire. *Diligenter enim fines mandati sui custodiendi sunt*, l. 5. §. *mand.* Unde non potest aliquid pluris emere, aut minoris vendere, quam ei præscriptum sit. 5. Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel eam prius petierit, nec ei licet operam occulte compensare; alioqui tenetur ad restitutionem. Nam hoc ipso quod mandatum susceperit nihil petendo, censetur velle alteri gratificari, & operam suam gratis ex amicitia præstare, ex l. 1. §. *mandat.* ibi: *Mandatum nisi gratuitum nullum est; nam originem ex officio atque amicitia trahit. Contrarium ergo est officio merces: interveniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius respicit.*

Resp. 2. Mandans tenetur mandatario præbere necessaria ad mandati executionem, & solvere sumptus: ex cap. 6. *de procurat.* nam id æquitas & justitia exigit.

Sed quid dicendum de eo, qui absenti & ignoranti negotium gessit sine mandato?

Resp. Is perinde ac mandatarius tenetur negotium alterius diligenter administrare tamquam suum, & refarcire damna absenti illata ex ejus culpa lata, immo levi, saltem si alius diligentior negotium illud suscepturus esset, *instit. de oblig.* & l. 20. Cod. *de negot. gest.* Quia is, qui alterius negotium suscipit, diligentiam suam ac industriam promittere censetur, quam proinde saltem ordinariam adhibere tenetur. Absens vero tenetur ei impensas & damna ex negotii administratione secuta compensare, & operæ mercedem congruentem solvere; & si recuset, datur actio contra eum, l. 2. §. *de negot. gest.* idque etiamsi negotium male succedat, modo negotii gestor prudentiam & diligentiam debitam adhiberit. Nam cum res ipsa, & bonum commune postulet, ut res & negotia absentium administrentur, æquum est impensas ea de causa factas, operas, & damna secuta compensari ei, qui talia negotia gessit. Hic autem rationem expensi & recepti reddere debet, *instit. de oblig.*

CA-

CAPUT V.

De Emptione, & Venditione.

Quæst. I. *Quid est emptio, & venditio?*

Resp. 1. Emptio est pactio pretii determinandi pro merce. Venditio est pactio mercis dandæ pro pretio determinato. Unde realiter utraque non est nisi unus contractus mutuus, qui absque traditione rei aut pretii perficitur, solo consensu partium exterius significato, quo se mutuo obligant, venditor quidem ad mercedem tradendam; emptor vero ad pretium solvendum, l. 1. §. *de contrab. empt. & instit.* l. 3. tit. 24. Ita ut simul ac de pretio convenerunt, neuter resilire possit. Tamen sine traditione non habet ultimum suum complementum, nec transfertur dominium. At non ideo licet uni contrahentium altero invito ante traditionem a conventione discedere, l. 3. Cod. *de rescind. vendit.* nam pacta obligant in conscientia.

An autem, cum arrha datur, licet resilire cum sola illius jactura?

Respondet Delugo, hoc pendere ex consuetudine, quæ intentionem contrahentium optime declarat. Quare si usus est, ut cum sola jactura arrhæ impune recedat, ea solum videtur intentio. Alioqui censetur data arrha ad securitatem obligationis contractæ etiam ex parte dantis, qui eam implere debeat.

Utriusque contractus justitia in æquali valore mercis & pretii consistit. Merx est res quævis pretio temporali æstimabilis & parabilis; pretium vero est pecunia, quæ inventa est, ut sit mensura & pretium omnium, quæ in contractus humanos venire solent. Nam ante usum pecuniæ erat solum permutatio, quæ est pactio mercis pro merce, ut etiam nunc pecuniæ pro pecunia præsenti. Permutatio autem eadem leges habet, quas contractus emptionis & venditionis, exceptis iis, quæ ad pretium spectant, ex l. ult. *de rer. permut.* & lib. 2. cod. tit. Nam in permutatione non datur pretium, seu pecunia pro alia re. Justitia tamen exigit, ut sit æqualitas valoris unius rei cum alia.

Porro dixi *pretii determinati*: nam necesse est ut pretium sit definitum. l. 35. §. *de contrab. empt.*

Nota. Cum res venditur, censetur cum ea vendi id omne, quod est pars illius, vel cum ea connexum, & ejus accessorium, nisi expresse excipiatur. Sic fundo empto censentur arbores in eo consitæ, & fructus pendentes vendi; nam fructus rei cohærentes censentur pars illius, l. 44. §. *de rei vendit.* Secus de fructibus avulsis.

Quæst. II. *Quodnam est pretium justum rerum venalium?*

Resp. Justum pretium est illud, quod exæquat valorem rei venalis. Duplex est, scilicet legitimum & vulgare, quod etiam naturale dicitur. Pretium legitimum est illud, quod lege principis, vel magistratus decreto constitutum est. Vulgare est, quod communi boni inum æstimatione constituitur, spectatis mercium copia, vel penuria venditorum, impensis, labore, periculis, modo vendendi, emptorum multitudine, vel paucitate &c. seclusis fraudibus ac monopoliis injustis, juxta leg. *Pretia*, §. ad legem Falcid. *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, hoc est, definiuntur.

Hinc pretium justum & injustum potest esse diversum in diversis locis & temporibus, pro varia in iis rerum æstimatione. Pretium legitimum confistit in indivisibili, ita ut non liceat venditori illud augere, nec emptori minuere, nisi venditor sponte velit minus exigere. Quia publica potestas, pro vi quam habet obligandi suos subditos in ordine ad bonum commune, restringit pretium ad aliquid determinatum, ideoque indivisibile. Vulgare vero habet quamdam latitudinem, intra quam licet pluris vel minoris vendere aut emere. Ratio est, quia legitimum constituitur ab uno, vel a pluribus in idem consentientibus: vulgare autem pendet a multis non idem omnino judicantibus. Quod enim quidam æstimant novem, hoc alii decem, alii vero undecim æstimant. Quare ex communi sententia, triplex est vulgare pretium, nempe infimum, medium seu mediocre, & summum seu rigorosum. Sic juxta communem sententiam, si pretium medium sit viginti, infimum erit novemdecim circiter, summum viginti unum. Item si medium sit centum, infimum erit nonaginta quinque, summum vero centum quinque, aut circiter. Et ita cum proportione de aliis secundum æstimationem prudentum: sic tamen ut latitudo sit major, si res sit pretiosior; & minor, si res sit minus pretiosa, ut patet in exemplis allatis, in quorum primo latitudo est trium aureorum, in secundo decem. Immo ipsum medium suam habet latitudinem, similiter infimum & summum.

Sed quid, si res quædam neque lege, neque ex communi æstimatione hominum pretia habeant, cujusmodi sunt gemmæ exquisitæ, aves raræ, tabellæ, statuæ antiquæ, flores, artefacta quædam rara, & similia, quæ non sunt necessaria?

Resp. Res illæ non possunt vendi pro arbitrio vendentis, sed vendi debent secundum æstimationem peritorum. *Ita Cajet. Navar. Rebellus, Lessius, Salas, Delugo, & alii.* Quia justum earum pretium sumendum est, non ex beneplacito domini, sed ex judicio prudenti, spectatis novitate, antiquitate, raritate, utilitate, & aliis circumstantiis ad valorem rei facientibus. Nam non ideo res tanti valet, quia venditori placet tanti vendere, sed quia intelligentium judicio tanti æstimatur. Et nemo pendenter potest judicare rem tanti valere, quanti potest vendi: pretium autem justum debet esse prudenter æstimatum. Nec refert, quod nulla vis aut necessitas inferatur emptori; alioqui possent usuræ retineri, quando mutuum petitur ad usus non necessarios, ut ludus &c.

Quæst. III. *An liceat vendere ultra justum pretium, saltem extranео, vel emere infra?*

Resp. Neg. *Ita nunc omnes Theologi.* Constat, 1. ex cap. 2. *de empt.* ibi: *Presbyteri plebes suas admoneant, ut non cariùs vendant transeuntibus, quam in mercato vendere possint.* 2. Quia in omni contractu æqualitas justitiæ jure naturali servari debet erga omnes; sed non servatur justitiæ æqualitas inter rem & pretium, si res pluries vendatur, vel minoris ematur, quam valeat. *Emptio & venditio videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque . . . . Quod autem pro communi utilitate introductum est, non debet esse magis in gravamen unius quam alterius; & ideo*

debet

debet secundum æqualitatem rei inter res contractus inſtitui ... & ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, eſt ſecundum ſe injuſtum & illicitum. S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1.

Quare venditor tenetur in conſcientia exceſſum pretii reſtituere, & emptor ſupplere pretium juſtum. Nam illud quod excedit vel deficit, non cenſetur liberaliter ac gratis & abſolute donatum, ſed pretium datur ſolum tamquam debitum ac juſtum pretium mercis; merx vero tamquam aliquid æquivalens ac debitum pretio oblato: quamvis in foro externo non datur actio, niſi cum ea injuſtitia, ſeu læſio ultra medietatem juſti pretii, ad vitandam multitudinem litium, quæ paſſim emergerent, ſi ex quavis inæqualitate daretur actio.

Cum autem in pretio vulgari detur aliqua amplitudo, licet vendere pretio ſummo, & emere infimo, nam utrumque juſtum eſt. Non licet tamen ei, qui aliquid pretio infimo vendidit, pretium occulta mercis imminutione reducere ad medium vel ſummum: nam ageret contra conventionem, & contra jus alterius ex ea acquiſitum, ſicque teneretur ad reſtitutionem. Venditio enim eſt perfecta conſenſio ementis & venalentis, etiam antequam tradatur merx.

Obj. L. 16. §. *de minor.* dicitur in pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire.

Reſp. Id intelligendum eſt intra latitudiem vulgaris ac juſti pretii; vel ſolum ſignificatur in foro externo non dari actionem, nec pœnam pro læſione infra dimidium. Aliqui lex iſta injuſta ac nulla eſſet, & repugnaret iſti legi divinæ naturali 1. ad Theſſal. 2. *Ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de iis omnibus.*

Nota. Eſt injuſtitia, quoties, dato juſto pretio, additur emptori vel venditori onus aliquod pretio æſtimabile, quod non compenſatur. Nam tunc eſt inæqualitas: nam emptor ultra pretium juſtum, vel venditor ultra rem venditam compellitur ad aliquid pretio æſtimabile, pro quo nihil rependitur. Delugo.

Quæſt. IV. *An qui fraude vel mendaciis induxit alium ad emendum majori pretio, quam aliat emiſſet, quamvis non excedente ſummum, peccat, & tenetur ad reſtitutionem?*

Reſp. Affirm. Quia emptori eſt illius damni vel lucri ceſſantis cauſſa per injuriam: nam quilque habet jus, ut fraude, vel mendacio, aut vi non inducatur ad aliquod damnum patiendum, vel lucrum amittendum.

Quæſt. V. *An ſunt aliquæ cauſſæ, ob quas liceat res pluris vendere, vel minoris emere, quam aliqui valeant?*

Reſp. 1. Etſi numquam liceat rem pluris vendere, vel minoris emere, quam hic & nunc valeat, omnibus conſideratis, cum alias non ſervaretur æqualitas juſtitiæ inter mercem & pretium; ſunt tamen variæ cauſſæ pluris vendendi, vel minoris emendi rem, quam alioquin valeat pretio vulgari, eo quod ob illas pluris vel minoris æſtimetur & valeat, quam ſi abeſſent.

Reſp. 2. Ex communi ſententia, cauſſæ pluris vendendi hæ ſunt. Prima, lucrum ceſſans, vel damnum emergens, deductis deducendis: ut ſi merces, quas in aliud tempus ſervare decreveras, quo plus probabiliter valituræ ſunt, vendas in gratiam alterius, ex c. ult. *de uſur.* aut ſi vendas merces, quas cogeris poſtea carius emere. Nam præter pretium rei currens exigi poteſt compenſatio jacturæ lucri ſperati, & damni, quæ ex alienatione rei ſequuntur, ut dixi de mutuo; venditor enim non tenetur ex juſtitia cum ſuo damno veniſſere. Sed tunc cum venduntur merces anticipata pretii majoris taxatione, deduci debent impenſæ, quas venditor facturus erat ad ſervandas merces uſque ad ſtatutum tempus, & computari æſtimatio diminutionis, deteriorationis, & periculi harum mercium in id tempus ſervandarum. Alioqui non ſervaretur æqualitas, & venditor exigeret ultra ſuam indemnitatem, ſicque plus quam ſibi deberetur. Exigeret enim tonum lucrum ceſſans, non compenſando damnum ac periculum, quod ſubiret, merces ſuas ſervando, & quo immunis eſt eas vendendo. Item vendeni ante tempus, quo ſtatuerat vendere, licet convenire cum emptore, ut ſolvatur pretium ſive majus, ſive minus, quod res valebit eo tempore, quo venditor decreverat vendere, ſed deductis modo dictis.

Secunda cauſſa, eſt affectus rationalis domini erga rem, quæ venditur in gratiam alterius, ut quia eſt antiqua, quia a principe vel a majoribus accepta &c. Atque etiam oblectatio; nam moleſtia ſubeunda ex carentia rei ſpecialiter amatæ, & privatio oblectationis in gratiam alterius, ſunt pretio æſtimabiles, tamquam incommoditas quædam, perinde ac privatio utilitatis. Sed illud præ.ium debet eſſe moderatum judicio prudentium: affectus enim immoderatus intra terminos rationis & moderationis reduci debet, nec pretio enormi redimi.

Nota. Cum ob prædictas cauſſas plus exigitur, emptor de hoc monendus eſt: alioqui ei fieret injuria. Nam ipſo ignorante, ideoque non conſentiente, acciperetur pretii exceſſus pro aliquo merci extrinſeco, cum tamen ipſe ſolum conſentiret in pretium mercis ſecundum ſe ſpectatæ, & forte rem non emeret, ſed aliunde ſibi provideret, ſi ſciret pretium propoſitum eſſe majus, quam res ſecundum ſe valeat. Præterea deciperetur circa valorem rei abſolutum, & alios poſſea decipere poſſet.

Tertia, ex copia emptorum vel pecuniarum, & penuria mercium, ut fit, v. gr. in adventu ſubito principis, exercitus &c. Id enim pluris æſtimatur, quod a pluribus quæritur, quodque difficilius vel minore copia invenitur.

Quarta, pericula, impenſæ, labores in rebus illis conquirendis, conſervandis &c. communiter occurrentia; nam hæc ſunt pretio æſtimabilia; niſi tamen merces illæ jam ſuum habeant pretium, quo paſſim vendantur: nam tunc in pretio æſtimando jam habita eſt ratio laborum & impenſarum, quæ communiter fieri ſolent. Dico, *communiter*. Nam ſi quis plures impenſas fecerit, & plus laboris, vel periculi, aut damni ſubierit, quam alii communiter, non poteſt ideo pretium augere, ſicut non tenetur minuere, ſi ordinarias impenſas non fecerit. Quia infortunium vel difficultas, ſicut felicitas vel induſtria unius venditoris non mutat communem æſtimationem quæ ſumitur a communiter accidentibus: res quippe tanti valet, quanti æſtimatur communiter; non quanti per infortunium, vel imprudentiam aliquibus conſtat.

Quin-

Quinta, modus vendendi, ut cum res venditur in parva quantitate & minutatim; tunc enim propter labores, impenſas, operas & curas, quæ ad id exiguntur, poteſt pluris vendi, quam ſi venderetur ſimul in magna quantitate.

Reſp. 3. Ex communi ſententia, ſunt quoque variæ cauſſæ, ob quas licet minoris rem emere, quam alias valeret.

1. Si res emptori parum ſit utilis, nec eam emat niſi in gratiam venditoris. Res enim vileſcit tum ex eo, quod emptores non inveniantur, tum ex eo quod res ementi parum ſit utilis. Item ſi res ultro offerantur, & emptores quærantur aut rogentur, juxta illud eſſatum; *Merces ultroneæ vileſcunt*: quia hoc indicat paucitatem emptorum: niſi tamen aliud caritas exigat; neque enim licet vilius emere res pauperum, quas ipſi neceſſitate compulſi venales proponunt, eo ſolo prætextu quod offeruntur venales. Immo ob neceſſitatem præciſe, qua proximus rem ſuam vendere cogitur, pretium imminuere injuſtum eſt, perinde ac illud augere ob neceſſitatem, vel utilitatem emptoris: quia ſicut emptoris neceſſitas non auget valorem rei, ſic venditoris neceſſitas eumdem abſque alio titulo non minuit.

2. Ob emptorum paucitatem. Quia id minoris æſtimatur, quod minus quæritur.

3. Ob mercium copiam ſupervenientem. Tunc enim vulgare pretium minuitur: quia minoris id æſtimatur, cujus major eſt copia.

4. Cum merces in magna quantitate ſimul emuntur, tunc minoris emi poſſunt, quam ſi minutatim & per partes emerentur. Quia hoc vendendi modo mercator liberatur multis curis ac impenſis & operis, quas circa illas habuiſſet; & ſit expeditior ad novas merces comparandas, quod magis ipſi quæſtuoſum eſt, quam ſi eas pretio ordinario ſenſim venditiſſet.

5. Cum venduntur auctione publica, ſeu ſub haſta, tunc poſſunt minoris emi, & interdum pluris vendi, quam ferat pretium mercatorum. Quia ibi res fortuito ac incerto pretio ſubjiciuntur, ita ut ſeclusa vi, fraude & ſubornatione, poſſint juſte minoris emi ob licitantium paucitatem ac frigus, & pluris vendi ob offerentium multitudinem ac fervorem. Quare juxta multos juſtum illius fori pretium eſt illud, quod abſque vi, fraude, & ſubornatione offertur & acceptatur ab intelligentibus, ut paſſim refert eruditorum ac priorum ſenſus & uſus, in quem publica poteſtas tacite conſentire videtur.

Dixi, *abſque fraude &c.* Nam ſi per fraudem, vel ſubornationem extrahatur res extra pretium mercatorum, tunc erit injuſtitia, & obligatio reſtituendi; ut ſi venditor inducat fictum licitatorem, ut augeat pretium; vel ſi emptor impediat alios, ne pretium libere augeant, vel per vim aut fraudem avertat alios ab emendo. Nam quiſque jus habet, ne fraude aut vi impediatur ejus commodum.

Quæſt. VI. *An licet pluris vendere rem eo quod ſit emptori valde grata, vel utilis, aut neceſſaria?*

Reſp. Negr. *Eſt communis ſententia.* Quia hæc utilitas, affectus, neceſſitas non eſt aliqui vendentis, ſed eſt ex conditione ementis: at injuſtum eſt vendere rem carius propter aliquid, quod ſuum non eſt. Ita S. Th. 2. 2. q. 77. art. 1. ubi ait. *Si aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero qui vendit, non damnificatur carendo re illa; non debet tam ſuper vendere: quia utilitas quæ alteri accreſcit, non eſt ex venditione, ſed conditione ementis: Nullus autem debet vendere alteri quod non eſt ſuum, licet poſſit ei vendere damnum quod patitur.* Hinc injuſte mihi carius vendis domum tuam meæ contiguam, quia mihi penutilis eſt.

Quæſt. VII. *An privatim ſciens pretium mercis brevi auctum vel imminutum iri, poteſt juſte eam pretio currente vendere, vel emere, non monito altero contrahente?*

Reſp. Affirm. modo abſit fraus omnis. Ita S. Th. 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4. & alii communiter. Quia pretium currens, ſive ſit lege, ſive communi æſtimatione conſtitutum, eſt juſtum & nondum immutatum. Nam ſcientia privata vendentis vel ementis non mutat decretum magiſtratus, nec communem æſtimationem, unde petitur juſtum rei cujuſque pretium. Sic Joſeph, *Gen.* 41. ſcieus privatim fore magnam frumenti caritatem, frumentum Ægypti pretio currente emit, quod poſtea carius vendidit: eadem autem eſt in eo caſu, quantum ad juſtitiam, venditoris ac emptoris conditio. Idem dic de pecunia, cujus valor præſens juſtus eſt: donec per edictum principis mutetur.

Sed obſerva. 1. Poteſt interdum in hoc peccari contra caritatem, ut ſi pauperi magnam copiam rerum brevi minuendarum vendas. Ita *Rebellius, Reginaldus & alii.* Quia caritas verat, ne proximum in gravem neceſſitatem conjicias, ut lucreris; ſicut jubet ei ſubveniri etiam cum aliqua bonorum tuorum jactura. Quare ſi peccas contra caritatem non ſubveniendo proximo in gravi neceſſitate conſtituto, cum potes ſine tuo gravi incommodo; a fortiori peccabis, ſi eum in talem neceſſitatem conjicias, ut lucreris.

2. Eſſet contra juſtitiam vendere pretio currente res, quarum pretium minuendum eſt ob ipſius rei vitium: nam eo ipſo res illa jam cenſetur eſſe tunc vitioſa, ac proinde jam nunc minus vălet. *Ita communiter.* Hinc qui occulte ſcit ſuum debitorem parem non eſſe ſolvendo, non poteſt hoc debitum pretio ordinario vendere; quia hoc debitum jam vitioſum eſt in ſe; cum debiti ſeu obligationis valor multum pendeat a ſolutionis certitudine. *Ita Leſſius.*

3. Si interrogatus, an pretium minuendum ſit, neges, & ideo alter inducatur ad emendum; ex communi ſententia peccas contra juſtitiam, & teneris reſtituere. Quia mendacio, ideoque via injuſta inducis proximum ad contrahendum cum ſuo damno; & injuſtum eſt, proximi bonum fraude, mendacio, vel dolo impedire aut minuere.

4. Magiſtratus peccant contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, ſi pretium rerum muteut ob privatam ſuam utilitatem: vel ſi edicti juſti promulgationem differant eo ſolum fine, ut prius merces vendant, aut emant, vel pecuniam diſtrahant; aut ſi alicui legem brevi promulgandam ſignificent, qua notitia ille utatur cum aliorum detrimento. *Ita Rebellius, Delugo, & alii multi.* Quia ex ſuo officio tenentur impedire damna aliorum, & curare ne ex ſuis decretis damnum aliquibus præ aliis eveniat. Enimvero eorum officium in communem utilitatem inſtitutum eſt: ergo non poſſunt eo uti in damnum aliorum, ob utilitatem propriam, vel privatam alterius.

Quæſt. VIII. *An excuſetur vendens ultra pretium juſtum, eo quod emptor tale pretium offerat?*

Reſp.

Resp. Neg. *Est communis sententia*. Quia emptor non vult liberaliter donare excessum pretii justi, sed emere & solvere dumtaxat justum pretium. Unde excessum non offert, nisi ex errore tollente voluntarium, vel ex necessitate aut affectu erga rem illam: quæ non augent pretium mercis respectu venditoris, cum sint ex conditione emptoris. Si tamen constaret excessum illum liberaliter donari, ut faciunt aliquando principes, posset retineri; donatio enim liberalis est justus titulus, ob quem etiam emptor posset minoris emere. Sed hoc numquam præsumi debet, nisi absint ignorantia justi pretii, necessitas, fraus ac coactio, & adsit aliqua causa, ut consanguinitas, affinitas, amicitia, vel liberalitas.

Quæst. IX. *Si venditor ignoret valorem mercis suæ, ad quid tenetur emptor?*

Resp. Ex communi sententia, tenetur illum aperire, si rogetur, alioqui injuste deciperet. Si non rogetur, tenetur pretio justo saltem infimo emere, quamvis minus ex ignorantia petatur. Nam non servaretur æqualitas; & injustum est, rem emere vel vendere minori pretio, quam communi æstimatione valeat, cum hoc pretium sit injustum. Neque enim venditor intendit donare id quod deest justo pretio; sed rem uti est vendere justo pretio; & manente ignorantia, quævis ejus condonatio non est voluntaria, nec proinde valida.

Quæst. X. *An qui scit in agro alieno latere thesaurum, licite emit agrum pretio communi, ut fiat dominus totius thesauri?*

Resp. Affirmant quidam Doctores. Quia 1. Christus, Matth. 13. innuit hoc licere. 2. Thesaurus non est pars fundi, nec ejus fructus, cum ibi non natus, sed positus fuerit; nec pertinet ad dominum agri, donec eum invenerit, cum thesaurus in nullius bonis sit, *inst. de rer. divis.* 3. Justum pretium rei petitur ex communi æstimatione, non ex utilitate soli emptori nota, quæ est per accidens & extrinseca rei. Nec emptor tenetur indicare, cum cuilibet liceat uti propria scientia ad acquirendam rem, quæ nullius est: verum alii negant.

Aliud est de venis metallicis, vel alio minerali, quæ latent in agro: nam sunt partes fundi, qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum terræ, aut saltem fundus agri. Ergo sunt domini agri, & in emptione fundi debet haberi eorum ratio, cum vere simul emantur. Sunt tamen qui docent, si emens id nesciverit, & bona fide emerit, non teneri hoc compensare; quia quæ a nemine cognoscuntur, non æstimantur pretio, sed se habent in æstimatione hominum tamquam si ibi non essent.

Quæst. XI. *An licet justo pluris vendere ob dilatam solutionem pretii, vel minoris emere ob anticipatam?*

Resp. Neutrum licet, nisi adsit alius titulus justus, ut lucrum cessans, vel damnum emergens. *Est communis sententia*, & constat, 4. c. 6. & c. 10. *de usur.* 2. Quia res non venderetur aut emeretur pretio justo: nam pretium justum est illud, quod aut lege, aut communi æstimatione constitutum currit. Neque pretium debet æstimari ex anticipatione, vel dilatione solutionis: nam perinde justum est, si illud nunc detur, vel solum post annum. Sola quippe ratio temporis per se nihil confert ad pretium; alioqui usura esset licita, & pecunia numerata esset pretiosior numeranda, quod damnavit Innocent. XI. Unde solutio futura per se æqualis est æstimationi cum præsenti. 3. In dilata vel antic pata solutione est mutuum implicitum & virtuale: nam cum creditor concedit dilationem solutionis, perinde facit, ac si acceptam a debitore pecuniam eidem usque ad tempus mutuaret. Similiter qui solutionem pretii anticipat, idem præstat, ac si nunc mutuam daret pecuniam usque ad tempus mercis accipiendæ. Ratione autem mutui aliquid ultra valorem rei exigere injustum ac usurarium est. Ita S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. ubi ait: *Si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifeste usura committitur: quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ. Similiter etiam si quis emptor velit rem emere vilius, quam sit justum pretium, eo quod pecuniam ante solvit, quam possit ei res tradi, est peccatum usuræ, quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.*

Ex communi tamen sententia, licet numerata pecunia vendere pretio infimo, non numerata summo, quia utrumque justum est. Hinc injustum est nunc emere pretio currente triticum tradendum eo tempore, quo speratur plus valiturum. Licet tamen merces emere minore pretio, quam valeant cum emuntur, & datur pretium, si verisimiliter putentur minus valituræ tempore quo tradentur: nam alias emptor damnum pateretur.

Nota. Mercatoribus, qui credito vendunt merces, non licet plerumque aliquid supra justum pretium exigere ob lucrum cessans. Quia raro lucrum eis ideo cessat; immo ordinarie augetur: nam sic vendendo, plures emptores habent, & plures merces vendunt, quam si exigerent solutionem præsentem, & liberi sunt a periculo, & labore conservandi merces.

Quæst. XII. *An licet credita, chirographa, & census minoris emere, quam contineant: v. gr. an jus ad centum nummos solvendos intra annum emi possit numeratis tantum nonaginta?*

Resp. 1. Si hæc sint litigiosa, vel si eorum solutio sit incerta, aut cum difficultate ac molestiis exigenda, licite emuntur minoris quam contineant: nam tunc in æstimatione communi minus valent. Hinc ex l. *Minus* 5. de reg. jur. *Minus est æstimem habere quam rem*, quæ scilicet certo & sine molestiis ac sumptibus haberi nequit. Idem dic si ex tali emptione lucrum cesset, vel damnum oriatur ementi. Non licet tamen ipsis debitoribus ea debita minoris emere, cum sint causa eorum minoris æstimabilitatis, & teneantur ad integram solutionem. Quæstores vero publici, & ii quibus incumbit aliorum debita solvere, si cum creditoribus dure ac molesto agant, ut ad creditum ipsis vel eorum amicis vendendum adigant, tenetur ad restitutionem; cum sint causa injusta difficultatis solutionis & damni.

Resp. 2. Secluso lucro cessante, vel damno emergente, non licet credita & chirographa liquida ac secura minoris emere quam continent. *Est communis sententia: teste Deluge*. Prob. Quia non servaretur æqualitas pretii cum re empta; nam minoris emeretur creditum quam valet. Jus enim ad debitum liquidum mille aureorum exigendum, & certo recipiendum sine difficultate ac molestia, valet mille aureos: nam si debitum illud quod emitur, non esset exigendum post annum, sed nunc, idque sine ulla difficultate, molestia ac damno, non posset dici non valere mille aureos; sed ob solam dilationem temporis non posset minui ejus valor, alioqui usura esset licita. Præterea mille aurei certo in futurum solvendi tanti valent, quanti mille præsentes, ut constat ex propol. 41. ab Innoc. XI. damnata.

Ob eamdem rationem non licet census jam constitutos, nulli periculo expositos, emere infra pretium lege vigente taxatum. Alioqui emerentur vilius justo, cum pretium legitimum sit indivisibile, & census jam constitutus nulli periculo ac difficultati expositus tanti valeat, quanti novus. Quod si lex sit abrogata per consuetudinem legitime præscriptam, vel revocata ex consensu saltem tacito principis, ita ut census constitutus habeat pretium vulgare, (ut variis dicunt ex consuetudine habere) potest emi infimo pretio census, qui summo venditus fuit, cum utrumque justum sit. Non tamen potest redimi a vendente, nisi eo quo emptus est pretio: quia ad justam venditionem cum pacto retrovendendi requiritur, ut venditor idem pretium ab emptore datum reddat, cum hoc pactum sit simile pacto rescindendi contractum.

Quæst. XIII. *Ad quid tenetur qui falsam monetam pro vera ignoranter tradidit?*

Resp. Tenetur ubi id novit, veram tradere; vel si non potest, rescindere contractum, quia rem dedit intrinsece ac substantialiter vitiosam, & se obligavit ad dandam veram monetam. Item quia fuit error circa substantiam monetæ, quæ est materia contractus; & alioqui esset inæqualitas, quæ ubi innotuerit, reduci debet ad æquitatem, ne fiat inimica.

Quæst. XIV. *An licet vendere res defectuosas, vel mixtas?*

Resp. Ex communi doctorum sententia, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, 1. Qui scienter vendit rem vitiosam, sive in substantia, tunc enim contractus est etiam nullus, ob defectum consensus substantialis; sive in quantitate seu pondere, numero vel mensura, ex Deut. 25. *Non habebis diversa pondera majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor. Pondus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus sibi erit. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam*; sive in qualitate, non minuto pretio, etiamsi vitium non sit noxium. Nam in his casibus violatur æqualitas, quam justitia exigit: non enim servatur æqualitas inter rem & pretium: nam res defectuosa seu vitiosa in quantitate vel qualitate minus valet, quam integra & bona. Ergo non potest juste vendi, nisi pretio minore pro ratione defectus. Quod si qualitas rei sit noxia, venditor tenetur emptori de damno, cum fuerit ejus causa injusta.

2. Qui vendit rem mixtam alia viliori, v. gr. vinum aqua mixtum, vel farinam frumenti mixtam hordeacea, si mixtio noxia sit, vel reddat rem inutilem aut deteriorem. Quia injuste decipit emptorem, qui res puras non mixtas putat & vult emere, cique injuste infertur damnum contra bonam fidem contractus.

Immo etiamsi res mixta non fiat deterior, nec inutilis, non licet eam vendere eodem pretio ac si esset pura. Quia minoris valet, est que injustum, eodem pretio rem vilem, quo pretiosiorem, v. gr. aquam pretio vini, panem hordeace o pretio tritici vendere secundum aliquam quantitatem. In ejusmodi autem rebus mixtis est aliqua quantitas relevilis. Ita S. *Antoninus* 2. par. tit. 2. c. 2. *Rebellus, Tamburin. & alii multi*. Nec refert, quod vinum sic mixtum aquæ vel fortasse melius emptori sapiat, quam si esset purum: hoc enim per accidens est, & emptor admiscere aquam poterit. Vinum autem mixtum est minoris æstimabilitatis ac valoris secundum se, quam purum, estque in se deterius, & citius acescit, & ad plures effectus minus utile est. Igitur tunc minui debet pretium pro ratione mixtionis.

3. Qui mixtur aliquo artificio, ut mercis bonitas magis appareat, & ideo vendit supra summum. Non enim ideo pluris valet, cum bonitas non inde augeatur. Item qui aliquo artificio auget pondus vel extensionem mercis, v. g. avenam aqua perfundit, lanam ponit in locis humidis, ut fiat ponderosior. Nam emptor decipitur in pondere & mensura; & res vere ac in se minorem habet quantitatem.

Quæst. XV. *An venditor tenetur aperire vitium ad defectum rei venditi.*

Resp. 1. Si emptor quærat, an res careat vitio, venditor tenetur ex justitia aperire rei vitia; præsertim occulta. *Est communis sententia Doctorum, inquit Lessius*. Quia alioqui emptorem injuste deciperet; nam emptor habet jus cognoscendi rem, quam vult emere, & ut ei secundum veritatem respondeatur, idque bona fides contractus postulat. Quare si venditor asserat vitio carere rem, quæ occultum habet, & ideo illiciat emptorem ad eam emendam, alias non empturam, tenetur ad rescindendum contractum, si emptor velit: quia dolus illi causam dedit. Si vero eam emisset quidem, sed minoris, venditor tenetur ei restituere ex pretio quanti minoris juste emisset; nam cateros decepit, eique fecit injuriam, l. 13. *§. de action. empt.* Quod si venditor putaret manifesta vitia non deprehendi ab emptore, tenetur etiam illa aperire, inquit Lessius, quia generatim rogatur de omnibus.

Resp. 2. Si res putetur noxia, vel inutilis ad usum ad quem petitur, venditor etiam non rogatus tenetur ejus vitium aperire, alioqui tenebitur ad restitutionem pretii dati, & damnorum inde secutorum; ut si vendat, etsi pretio modico, eorium fragile, vel pannum aduftum pro durabili, equum segnem pro generoso, animal infirmum pro sano, domum ruinosam pro firma, semina corrupta pro recentibus, carnes infectas, ovem morbidam, ex qua grex morbum contrahat, tigna vitiosa, unde ædes corruant &c. *Est communis sententia*: & constat, 1. Ex l. 13. *§. de action. empt.* & aliis. 2. Quia eo casu censetur emptor involuntarius, & quasi dolo a emendum inductus, cum putat, merceem bonam & ibi utilem offerri, talemque solum emere velit, & rameo noxia aut inutilis offertur. 1. *Venditor ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, quod rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum vel periculum incurrere possit*, ait S. Th. 2. 2. q. 77. art. 3. *Sed qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*; cap. ult. *de injur.* Idem dic, si rem vitiosam vendas emptori revendituro, quia eris causa periculi,

culi, vel damni aliis emptoribus obventuri ex ignorantia vitii.

Immo si res sit notabiliter minus utilis, quam rationabiliter exoptet emptor, tunc venditor tenetur ei defectum rei detegere. Quia tenetur cum emptore secundum voluntatem eius rationabilem contrahere, id enim exigit bona fides in contractibus servanda. Sic merces, quæ diu servari nequeunt, non licet vendere quærenti res diu servandas.

Porro venditor ignorus vitii occulti suæ mercis, tenetur eo cognito vel rescindere contractum, vel refarcire inæqualitatem, restituendo excessum pretii. Nam injustum est retinere pretium majus, quam res valeat. Non tenetur tamen compensare alia damna inde secuta, modo absit culpa lata & levis. Quia non est causa injusta illorum, cum ignorantia invincibilis eum excuset, sed se habet ut possessor bonæ fidei; & alioquin tenetur ex contractu de sola culpa lata & levi.

Nota. Quamvis dum vitium rei est manifestum, censetur nocum emptori; si tamen venditor sciat emptorem illud non advertere, & esse periculosum, tenetur ei declarare etsi non rogatus. *Ita communiter reos Rebello.* Nam tunc respectu emptoris est occultum, & error dat causam contractui. Præterea bona fides in contractibus debita id exigit. Idem docet Valentia cum aliis: si vitium adverteretur intentioni, quam actu habet emptor in emendo, quamvis ex incuria illud non adverrat: quia emptoris incuria nullum dat jus venditori, & nihilominus verum est, quod emptor non vult nec intendit emere rem cum tali vitio.

Resp. 3. Si vitium non reddat rem noxiam nec periculosam, nec notabiliter minus utilem, quam emptor rationabiliter exoptet, nec venditor interrogetur de vitio, ex communi sententia, is non tenetur aperire vitium etiam occultum, modo minuat pretium pro ratione vitii. Quia tunc nulla fit emptori injuria, nec damnum; alias non possent conservari commercia in rep. Nam si defectus omnes non notabiles in se, nec relate ad usum emptoris detegerentur, multi ab emendo deterrerentur in magnum venditorum detrimentum, vel multum de pretio justo detraherent.

Si tamen venditor probabiliter judicet emptorem rem eam esse revenditurum tanto pretio, quanto si rem eam esset defectu seu vitio, tenetur ei aperire defectum saltem post contractum. Quia hoc ipso quod rem suam exponit venalem cum occulto vitio, tenetur ex officii sui lege cavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiatur; & alias daret occasionem damni aliis inferendi. Immo si emptor non aliter consentit in contractum, nisi posita conditione, quod res careat tali vitio licet non noxio, & venditor expresse id cognoscit aut ex verbis emptoris, aut verisimiliter ex aliis signis aut conjecturis, quocumque pretio res vendatur, sit injustitia emptori, accipiendo pretium non defecto vitio. Quia tunc contractus est nullus, cum consensus emptoris fuerit conditionalis, & defit conditio cui adligatus erat.

Quæst. XVI. *Cuinam res vendita perit, vel deterior fit?*

Resp. 1. Si res vendita pereat post traditionem, fide de pretio data, perit emptori, etiamsi pretium nondum solverit. Quia emptor est illius dominus: cum per traditionem supposito titulo dominii rei acquiratur; res autem perit domino suo.

Resp. 2. Si res pereat ante traditionem, sitque res certa ac determinata, ut hic equus, hic grex &c. perit emptori, ex variis legibus, & ex instit. *de empt. & vendit.* Ratio est legum dispositio, quæ est impediant dominium ante rei traditionem, tamen statuunt, ut est ius ex eo profluentes, & omnia rei commoda ac incommoda post perfectam venditionem pertineant ad emptorem, perinde ac si jam translatum esset dominium rei, ex l. 1. Cod. *de perit. comm. rei vendit.* & l. 22. Cod. *de aff. empt.* Emptio autem & venditio perficitur solo consensu mutuo contrahentium, seu simul atque de merce tradenda & solvendo pretio determinato convenerint, dum sine scriptura res agitur, *ex instit. sup.*

Si tamen mora vel culpa levi venditoris, qui tenetur rem custodire donec tradiderit, res fiat deterior, vel pereat, vel si ita conventum sit, ipse tenebitur de damno. Item si venditio fiat sub conditione, & res pereat ante conditionis eventum, perit venditori: quia venditio sub conditione non est perfecta ante conditionis eventum, l. 7. §. *de contrab. empt. & c. ibi: Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.* Ideoque ante illius eventum periculum & detrimentum rei pertinet ad venditorem, l. 30 *de jure dotium.*

Resp. 3. Si res sit indeterminata quoad individuum, ut si emantur sex modii tritici ex granario, sex oves ex grege; vel si res sit determinata quoad mensuram tantum aut numerum, v. gr. totum acervum tritici uno aureo in singulas mensuras, vel hunc gregem taxato pretio in singula capita &c. tunc ante traditionem, aut mensurationem vel numerationem res perit venditori, qui proinde tenetur restituere pretium, si erat solutum. Quia ejusmodi venditio censetur fieri sub tacita conditione, si venditor tradiderit tot oves, mensos fuerit tot modios tritici &c. Ita l. 3. §. *de contrab. empt. & c.* Si tamen constitutus fuerit terminus, in quo res numeranda, vel mensuranda esset, & emptor monitus in mora fit; periculum rei deinceps emptoris erit: unde pereunte toto grege, vel acervo emptor pretium amittet. L. 5. §. *de peric. & commod. rei vendit.* & l. 2. *Cod. eod. tit.*

Resp. 4. Cum ex duabus rebus una disjunctive venditur, v. g. ex duobus equis unus, non determinando utram, si ambæ pereant post venditionem absolute factam, emptor tenetur solvere pretium promissum, licet nihil receperit. Si vero alterutra dumtaxat pereat, perit venditori, qui tenetur alteram tradere. l. 34. §. *de contr. empt. & vend.*

Quæst. XVII. *An venditor possit fructus & utilitates rei venditæ percipere, donec solvatur pretium?*

Resp. Seclusio titulo lucri cessantis vel damni emergentis non potest, si rem emptori tradiderit pretio promisso. *Ita communis sententia.* Quia tunc rei dominium translatum est absolute in emptorem, ex l. 29. §. *de contrab. empt.* Res autem domino fructificat, nec licet quidquam exigere præcise ob dilationem solutionis. Quod verum est, etiamsi emptor sit in mora culpabili solvendi pretii: quia non definit idcirco esse dominus rei, ac proinde etiam fructuum. Sed tunc tenetur compensare interesse, quod ex dilatione pretii venditor patitur. Hinc quando venditio absolvitur ex mutuo consensu; fructus sunt emptoris, nam tempore intermedio fuit dominus rei.

Immo non potest venditor, accepta solum de pretio fide, fructus rei venditæ percipere, etiamsi res emptori non fuerit tradita; nec perfolutum pretium. Quia perfecta venditione, sicut rei emptæ periculum & incommodum spectant ad emptorem, ita & fructus & commoda ad eum pertinere debent: alioqui inæqualis esset contrahentium conditio, ideoque injustitia. Et ita statuitur *Instit. de empt. & vend.* ubi hæc ratio additur: *Nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est.*

Sed num venditor possit singulis annis quinque pro centum exigere ab emptore, dum pretium rei emptæ solvetur?

Resp. Licite potest, modo adsit titulus damni emergentis vel lucri cessantis, ut si ex hoc pretio, seu summa tantumdem percepturus esset ex contractu census vel societatis, aut negotiatione &c. Quia annuus ille pecuniæ reditus non exigitur ratione dilationis solutionis, quod esset usurarium, sed ob compensationem jacturæ lucri aliunde justè percipiendi; & interea emptor fruitur re empta & ejus pretium retinet.

Quæst. XVIII. *An liceat vendere cum pacto retrovendendi, & emere cum pacto redimendi?*

Resp. 1. Peccat contra justitiam, qui credito, seu non numerata pecunia vendit alicui merces summo vel medio pretio, ea lege, ut sibi retrovendantur pretio infimo numerata pecunia. Quia 1. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Contractus Mohatra licitus est, etiamsi respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovendendi prævie inito cum intentione lucri.* 2. In pacto ut res retrovendatur venditori infimo pretio, est inæqualitas, ideoque injustitia, nam ultra pretium justum imponitur onus pretio æstimabile retrovendendi pretio infimo; & sic rollitur facultas retinendi, vel vendendi pretio summo aut medio. Immo hoc pactum reddit contractum usuriarium, & facit ut sit jam mutuum virtuale, in quo aliquid ultra sortem exigitur; nam perinde se habet, ac si venditor mimorem pecuniæ summam mutuaret, ut reciperet majorem.

An autem seclusio tali pacto & onere, idem venditor licite emere possit ab emptore pretio infimo eisdem merces? Negant S. Antoninus, Toletus, & alii. Affirmant plures, seclusa tamen lege positiva, qua id in multis locis prohibitum est. Quia venditor easdem merces justo pretio vendidit, & postea emit: nam si quilibet aliis justè potest merces alteri venditas emere infimo pretio; cur id non liceret etiam venditori qui reliquit emptori libertatem eas sibi retinendi, vel alteri tradendi? Neque eum gravat, sed potius liberat onere quæren si alios emptores.

Resp. 2. Venditio cum pacto retrovendendi, & emptio cum pacto redimendi, non est licita, nisi positis his conditionibus: 1. ut nihil fiat in fraudem usuræ, & adsit intentio vera emendi & vendendi. Alioqui jam esset mutuum implicitum, ideoque lucrum inde proveniens esset usura. 2. Ut onus impositum compensetur. Nam omne onus contractui extrinsecum, & pretio æstimabile compensari debet; alias non servaretur æqualitas, & justitia: ac proinde minui debet pretium, si emptor teneatur emptam rem revendere venditori: nam talis obligatio est onus pretio æstimabile, cum privet emptorem facultate eam retinendi aut aliter alienandi: augeri vero debet, si ven itor teneatur rem venditam redimere, si emptor velit, cum hoc onus sit pretio æstimabile, & extrinsecum venditioni. 3. Ut res non redimatur majore pretio, quo prius vendita fuit, nisi melior industria vel opera emptoris effecta sit. Nam vis pacti retrovendendi is eo est, ut emptor restituat rem, restituto pretio pro ea dato; perinde est enim ac si eo pacto contrahere, ac cum pacto, ut liceat post aliquod tempus contractum dissolvere. 4. Ut emptor fiat vere dominus rei emptæ, ejusque periculum subeat, & fructus & commoda percipiat; nam hoc exigit natura contractus.

Cum his conditionibus pactum illud ex communi sententia licitum est, cum non repugnet substantiæ contractus, & aliunde compensetur onus impositum. Empto tamen rei frugiferæ facta ea lege, ut venditor teneatur postea rem ipsam recipere, & totum pretium pro ea acceptum reddere emptori retinenti sibi fructus, est saltem in praxi usuræ palliatæ obnoxia. Ex ipsa est mutuum virtuale cum lucro respectu ejus, qui nolens mutuare alteri pecuniam quærenti, emit ab eo, v. g. vineam ea lege, ut post duos aut tres annos redimatur eodem pretio, quo empta fuit, retentis fructibus ex ea perceptis: nam talis non habet intentionem faciendi emendi, sed intendit solum dare pecuniam præsentem ea lege, ut totam postea recipiat cum lucro, quod est usurarium. (1)

Quæst. XIX. *An qui rem nomine alterius vendit ultra pretium sibi definitum, sed justum, possit excessum sibi retinere?*

Resp. Neg. Quia 1. dominus præscribens rei suæ pretium, intendit solum, ut non minoris vendatur, non autem ne pluris, si justè possit. 2. Totum retinere ad dominum rei venditæ. Nihil ergo ex eo retinere licet sine ejus consensu.

Nec die, hunc excessum esse fructum industriæ vendentis. Nam ipsam industriam vel gravis præstitit, & tunc non potest eam sibi compensare cum eam donaverit; vel pretio locavit, & tunc nihil ei debetur ultra mercedem pactam; vel fuit famulus, & tunc ad eam tenetur ex suo officio absque nova mercede. Si tamen famulus vel alter eam illam pretio a domino denegato sibi emat, & postea suo nomine dividat pretio justo paullo majore, potest sibi retinere hoc lucrum; quia rem illam justo pretio suo nomine vendidit: nisi dominus ei mandasset ut venderet, quanti intra latitudinem justi pretii vendi posset, quo casu teneatur illam diligentiam præstare. *Ita Lessius.*

Simi-

(1) *In hoc contractu venditionis cum pacto franeandi, debet pœnitens emptor interrogari a Confessario, num reipsa animum habuerit sincerum emendi; similiter & venditor interrogandus est, num ab emente pecuniam mutuam petierit, eumque reauem-*

tem induxerit ad usuram obtegendam pacto postea franeandi. In utroque enim illo casu subintelligitur usura, adeoque illicitum judicandum est: secus vero non. Ita Lambertinus, De Synod. Dioc. cap. 51. lib. 7. §. 7.

Similiter qui alterius nomine rem emit infra pretium sibi præfinitum: non potest residuum pretium sibi retinere. Quia præscribens pretium non intendit excessum donare, sed solum vult, ut res non pluris ematur. Hinc factores peccant retinendo excessum pretii dati ad emendum pannum, vel si faciliores sint in licitando, eo quod a mercatore aliquid obtineant: nam tenentur aliorum negotium a se susceptum utiliter gerere, perinde ac suum. Et hoc ipso quod quis mandatum alterius suscipit, seobligat ad ejus commoda procuranda; nec aliter res gerenda alteri committitur. Neque possunt operam impensam occulte compensare: nam sufficienter compensatur per hoc, quod iis præ aliis vestis faciendæ committatur, & communi pretio persolvatur. Præterea qui negotium alterius suscepit nihil petendo, censetur velle suam operam gratis præstare, ex l. 1. §. *Mandat.* &c.

Quæst. XX. *Cuinam res debetur, dum fuit duobus successive vendita?*

Resp. Ex communi sententia, si res neutri tradita fit, debetur priori emptori. Quia res illa non poterat vendi alteri sine injuria prioris emptoris, qui jus ad illam prius habet, l. 26. §. *locat.* Si vero res tradita fit secundo emptori, hujus est quia per traditionem acquisivit ejus dominium, l. 15. Cod. *de rei vendit.* Priori aut competit solum actio in venditorem, ut vel rescisso secundo contractu rem sibi tradat, vel compenset interesse: nam secundum leges solo contractu sine traditione non acquiritur dominium.

Excipe, nisi res vendita, vel donata fit civitatibus aut Ecclesiis, vel piis causis; nam per solam emptionem aut donationem, ante traditionem acquirunt dominium. Potest tamen prior emptor rem evincere a posteriore, si hic emit mala fide, hoc est, sciens rem jam esse alteri venditam. Immo hic posterior tenetur sponte rem priori tradere, recepto pretio, si impulet venditorem ad sibi itterum vendendum, sciens rem jam esse alteri venditam. Quia violat jus prioris emptoris, & est causa injustæ venditionis & damni inde secuti; unde tenetur injuriam a se illatam tollere & refarcire.

Nota. Hoc idem procedit in aliis contractibus, v. g. in locatione: nam si secundo conductori res locata tradita fuerit, is præfertur priori; quia habet tunc rei detentionem, a qua expelli non debet.

Quæst. XXI. *An Monopolia licita sint?*

Nota. Monopolium proprie est, cum unus vel pauci efficiunt, ut merces certas vendant emantve soli, vel etiam plures inter se conveniunt, ut merces aut operas non vendant, nisi certo pretio. Non agitur hic de monopolio late sumpto seu facto auctoritate publica, cum scilicet unus vel pauci facultatem a principe obtinent, ut ipsi soli certas merces vendant; nam potest hoc esse licitum, si fiat ob justam causam, & justo pretio: quia hoc interdum potest id bonum commune, ne scilicet deferatur rerum aliquarum negotiatio, vel artificium: sunt enim aliquæ merces, quæ sine magnis sumptibus comparari nequeunt, quos sumptus ob damni periculum nemo vellet in se suscipere citra privilegium, ut solus venderet, ut liquet in librorum impressione. Præterea id potest princeps, cum ipsi necessaria est pecunia ob bonum commune; sed tunc moderate taxari debet pretium illarum mercium, præsertim si sint communiter necessariæ ad commode civiliterque vivendum; nam alias daretur occasio privatis aliis pro arbitrio gravandi, magnoque damno afficiendi.

Resp. Quælibet monopolia auctoritate privata facta, sunt prohibita non solum lege humana. Cod. *de monopol.* sed etiam divina naturali: nam sunt, 1. Contra caritatem, vetantem, ne quis impediat commodum aliorum, & efficiat, ut proximus rem caram emat, quam esset empturus; nemo enim vellet id sibi fieri. 2. Contra [illegible]m commune, cum multis noceant. 3. Contra [illegible]um commutativam, ideoque obligant ad rest[illegible]em: nam populus habet jus, ut non augeantur privata auctoritate, & ob bonum privatum pretia rerum, vel caritas variis machinationibus inducatur.

Quatuor modis, & quidem contra justitiam fiunt. 1. Dum pauci vel plures inter se conveniunt, ut merces aut operas non vendant nisi certo pretio, licet non excedente summum vigens ante conventionem, vel non emant nisi infimo. Nam hi violant jus, quod singuli habent emendi pretio medio vel infimo, & vendendi summo aut medio; impediendo privata auctoritate, ne sic jam emere, vel vendere possint, & restringendo pretium ad summum vel infimum. *Ita multi* contra alios, fatentes tamen esse contra caritatem, imo etiam contra justitiam, si summum pretium excedant. 2. Cum quis vi, metu, vel fraude impedit, ne merces alibi advehantur: nam cives habent jus, ne impediatur eorum commodum, præsertim injusta via. *Ita communiter.* 3. Cum unus vel pauci emendo omnes fere merces certi generis, v. g. frumentum, inducunt caritatem. *Ita communiter.* Nam inducere caritatem, est contra jus populi, & dare illi causam damni: unde hos ita raptorum numero recenset Catechismus Romanus. Vel nolunt posita vendere, nisi summo pretio: nam impediunt privata auctoritate, ne jam alii possint emere medio aut infimo pretio, contra proprium jus. 4. Cum mercatores supprimunt merces suas, ut inde earum pretium crescat: quia efficiunt, ut augeatur earum pretium, perinde ac si raræ essent, cum tamen raræ non sint. Deinde resp. habet jus emendi res venales eo pretio, quod spectata earum copia justum censetur. Secus, si quis suas res nondum venditioni expositas servet usque ad tempus, quo carius venduntur, modo hac suppressione non inducatur caritas; tunc enim nemini fit injuria, nec occasio damni datur.

Porro ad hanc injustitiam pertinet, si apponatur fictus licitator, ut alter emptor augeat pretium. Item si artifices conspirent ad non docendam artem suam, nisi certo pretio injusto; vel ut opus ab uno incoatum alter non perficiat; quod prohibetur l. 2. Cod. *de monopol.* nam hæc conventio cedit in damnum aliorum.

Quæst. XXII. *Quanam vendere non liceat?*

Resp. Ex communi omnium sententia, non licet vendere, nec emere, 1. Res spirituales, vel spiritualibus annexas; quia simonia est. 2. Ea, quæ justa lege prohibentur: nam leges justæ obligant in conscientia. 3. Ea, quibus emptor non potest uti sine peccato, vel quæ moraliter nomini ad nocendum inserviunt, vel quibus prævidetur emptor usurus ad peccandum, vel ea, quibus homines communiter male utuntur. & quæ sunt occasio emptoribus peccandi, nisi constet hunc emptorem bene usurum. Quia esset cooperari peccato alterius, vel eum exponere periculo peccandi, imo ei instrumentum & materiam peccandi præbere.

Hinc peccat mortaliter, qui vendit obscenas imagines, libros contra religionem aut bonos mores, aut famam proximi; sed qui ejusmodi res habet, tenetur eas destruere. Quod si inde damnum patiatur, id sibi imputet: nam tales libros non debuit sibi comparare; nec ideo magis excusatur, quam qui falsam monetam ignoranter ab alio accepit, quam tamen aliis tradere non potest.

Sed an peccat mortaliter, qui vendit sal, aut alias merces sub lege civili prohibitas; etiamsi lex illa supponatur mere pœnalis?

Resp. Affirm. Quia est exponit morali periculo vitam, aut libertatem, & bona omnia amittendi cum exitio familiæ. Est autem mortale faltem contra caritatem, tali periculo se exponere ob aliquod commodum temporale longe inferius damno, cui se exponit. Quare nec licet ab aliis ista emere, quia dant occasionem peccato vendentium.

Quæst. XXIII. *Quanam sunt obligationes emptoris, & venditoris.*

Resp. Præter dictas tenetur ex justitia constituto tempore emptor solvere pretium promissum, & venditor tradere mercem: nam ex contractu oritur jus stictum & obligatio justitiæ.

Quæst. XXIV. *An peccat qui cogit vendere etiam justo pretio?*

Resp. Is mortalis violentiæ reus est. Constat, 1. ex historia regis Achab, qui Nabothem cogere voluit, ut vineam suam venderet etiam justo pretio, & a nolente eam accepit, 3. Reg. c. 21. Quocirca S. Chrysost. hom. 87. in Matth. sic ait: *Hoc Achab regem perdidit: nam quamvis pretium dederit, vi tamen, quia a nolente accepit, pœnas luit. Emptor enim non cogere, sed persuadere debet. Quod si vero æquum pretium persolvens tanto supplicio affectus est; qui nullo pretio alienæ rapit, quam punitionem non meretur?* 2. Quia gravis fit injuria domino rei, qui jus habet eam sibi retinendi.

Quæst. XXV. *Quid dicendum de Retractu gentilitio?*

Resp. 1. Est jus concessum proximo consanguineo venditoris ad refarciendam intra certum tempus, & ad se revocandam venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo res illa ab extraneo, vel a remotiore consanguineo empta fuit. Quod jus concessum est ad bona immobilia intra consanguineos conservanda: quare non potest extraneo vendi, nec dari.

Resp. 2. Peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, 1. Consanguineus, qui rem venditam retrahit animo eam alteri eo nomine comparandi, quia lex non dat jus retrahendi, nisi ut sibi retineat. Immo sæpe juramento affirmare cogitur, velle sibi retinere. 2. Extraneus qui nomine consanguinei ab emptore rem emptam vindicat: nam facit emptori injuriam; lex enim non dat jus retrahendi, nisi consanguineo proximo, ut rem venditam ab alio sibi retineat. 3. Qui fraudibus, vel minis impedit consanguineum, ne rem sibi retrahat, vel qui ab eo majus pretium exigit, quam dederit: nam illius jus violat.

CAPUT VI.

De Locatione, & Conductione.

Quæst. I. *Resp.* Quid sunt?

Locatio est contractus, quo rei usus vel fructus, vel personæ opera pro certo pretio conceditur ad tempus. Conductio est contractus, quo rei usus vel fructus aut personæ opera pretio accipitur. Unde sunt unus idemque realiter contractus mutuus, qui ex parte dantis est locatio, & ex parte accipientis est conductio. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, & conductor liberatur.

Porro, locatio, & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque regulis juris constituit, inst. l. 3. tit. 25. Nam sunt emptio & venditio usus aut fructus rei, vel operæ personæ. Hinc nunquam licet locare pretio justo majore, nec conducere justo minore.

Quæst. II. *Quanam sunt obligationes locatoris & conductoris ad se invicem?*

Resp. 1. Ex communi sententia locator tenetur, 1. Aperire conductori vitia rei locandæ, ut dixi de re vendenda, nam locatio, & conductio iisdem regulis constituunt. Alioqui tenebitur conductori de damno, etiamsi illud vitium locator ignoret, sed culpabiliter, ex l. 19. §. *locat.* ibi: *Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effuderit, tenebitur in id quod interest, nec ignorantiæ ejus erit excusata.* Quia locator tenetur expendere diligenter, num res quam locat, sit apta usui ad quem datur, nec noxia; idque postulat æquitas & natura locationis, quæ fundata est in commodum utriusque contrahentis.

2. Tenetur ad impensas necessarias tum ad reparationem rei locatæ, tum ad conservandum usum ad quem locatur. Nam debet reddere rem aptam ad usum conductoris, & si hanc aptitudinem amiserit, eamdem reddere, cum pretium propter usum acceperit, l. 15. §. *loc.* Quod si a conductore aliquid in hunc finem fuerit necessario impensum, v. gr. in curationem equi, restaurationem domus &c. tenetur locator id rependere ex l. 55. §. *locat.* Nam si talis obligatio oritur ex commodato, quod gratis fit; a fortiori exsurgit ex locato, in quo merces accipiuntur. Item tenetur ad onera publica ad eam pertinentia, nisi aliter conventum sit, ferrara æqualitate.

3. Tenetur remittere pretium locationis pro eo toto tempore, quo conductor non potuit uti re vel opera locata, si impedimentum proveniat ex parte locatoris vel rei locatæ, ex l. 27. & 33. §. *loc.* Nam conductor non censetur promittere pretium, nisi quatenus re locata uti aut frui potest, quantum est ex parte locatoris & rei locatæ; & tunc nihil refert, quod pretium mercatur. Agrorum autem locator tenetur pensionem totam remittere colono, si hic sine sua culpa, sed ob sterilitatem vel grandinem nihil recipiat, vel si vi temporalis, hostium depopulatione, aut incendio absque colonæ culpa segetes pereant, etiam collectæ in manipulos. l. 15. §. *locat.* Quod si colonus aliquid receperit, sed sterilitas vel jactura fuerit magna, tunc locator tenetur imminere pensionem prorata, *nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari*, c. 3. *de locat.* Quæ intellige, nisi colonus convenerit ab initio, ut quovis eventu solvere teneatur integram pensionem, quæ ob hoc omes minor sit; ex l. 9. *locat.* nam tunc conductor cedit juri suo, quod compensatur.

4. Si res locatam dominus vendat, debet ea lege divendere, ut conductor eadem conditione apud emptorem maneat, a quo si domo vel fundo pellatur, tene-

tenetur venditor conductori de damno, l. 25. §. *locat*.

5. Tenetur ad non privandum conductorem re locata ante terminum constitutum, alioqui tenebitur ad interesse, quia conductor per contractum acquisivit jus utendi, vel fruendi re usque ad illud tempus. Excipiuntur cap. 3. *de locat.* & l. 3. Cod. *de loc.* quatuor casus, in quibus conductor ante terminum amoveri potest. 1. Si casus improvisus accidat, ob quem res locata sit necessaria domino, ut incendii, matrimonii &c. 2. Si res locata, v. g. domus egeat refectione, seu instauratione, sed reniitti debet pensio pro residuo tempore. 3. Si conductor pensionem per biennium non solverit. 4. Si re locata ad malos usus, vel ad damnum inferendum utatur, aut rem destruat.

Denique locator tenetur rem non locare ei, qui ea male usurus est; quia hoc esset ei dare occasionem seu commoditatem peccandi, ejusque peccatis cooperari: perinde ac si daret eidem ei, quem sciret uti velle ad duellum.

Resp. 2. Ex communi sent. conductor tenetur, 1. Uti re locata juxta boni viri arbitrium, & non ad alios usus præter concessos. Nam qui usurpat usum aliquem rei alienæ sine consensu domini, peccat contra justitiam.

2. Tenetur pro illius conservatione eam curam adhibere, quam diligentiores ac prudentiores in re sua simili impendere solent. Quare si ejus culpa lata vel levi, res pereat, aut deterior fiat, tenetur ad restitutionem: nam contractus cedit in utriusque utilitatem. Immo tenetur etiam de culpa famulorum, operariorum, & eorum quos admittit; si ex negligentia non impedivit, vel si idoneos non conduxit, vel malos homines admisit, l. 11. & 23. §. *locat.* Item curare debet, ut nullum detrimentum dominus patiatur, sive quoad jus rei, sive quoad ejus substantiam, & tenetur de casu fortuito, qui simul ex eo quod aliquid egerit contra pactum, l. 11. §. *loc.*

3. Tenetur ad impensas modicas & quotidianas, necessarias ad conservationem rei conductæ, v. g. ad equi alimenta.

4. Tenetur pensionem statu tempore solvere: nam hæc tunc ex justitia debetur: unde si sit in mora culpabili, tenetur locatori de interesse, l. 19. Cod. *de locat.* Quod si conducta uti vel frui non potuerit, ob causam non provenientem ex parte sua, v. gr. ob bellum, vel si domus ex parte corruat, si equus morbo afficiatur, non tenetur solvere pensionem pro eo tempore, ex l. 27. & 33. §. *locat.* ob rationem supradictam. At si non potuit ea re uti aut frui, ob causam ex parte sua, licet sine culpa sua provenientem, tenetur totam pensionem solvere etiam pro toto tempore, quo non potuit uti. Nam æquitas postulat, ut locator damnum non patiatur ob casum supervenientem ex parte conductoris. Et licet conductor non teneatur solvere pensionem, quando non potest uti re conducta, ob causam provenientem ex parte locatoris aut rei locatæ; ita par est, ut locator percipiat pensionem, quando conductor non potuit uti re conducta, ob causam ex parte sua provenientem.

5. Tenetur rem conductam non dimittere ante terminum constitutum, alioqui tenetur solvere integram pensionem, perinde ac si ea re usus esset, nisi ejus usus locupletior ob causam non provenientem ex parte sua; quia tenetur servare contractum, l. 33. §. *locat.* Porro nisi aliter conventum sit, conductori licet rem sibi locatam locare alteri æque idoneo, qui primo conductori tenebitur pensionem solvere, & hic primo locatori, l. 6. Cod. *de locat.*

6. Rem locatam completo locationis tempore restituere locatori tenetur: nam non habet jus eam diutius detinendi; alias tenetur de damno.

Nota. Licet rei locatæ periculum maneat penes dominum, tamen ex l. 23. §. *de reg. jur.* potest apponi pactum, ut conductor præstet casus fortuitos, & in se suscipiat periculum omne rei locatæ. Sed hoc onus imminutione pretii compensari debet; alioqui esset inæqualitas ideoque injustitia.

Quæst. III. *Quænam sunt observanda circa locationem operariorum & famulorum?*

Resp. Ex communi sententia doctorum, ista, 1. Justum stipendium locationis operæ famulorum, ancillarum, & operariorum ceteratur illud, quod illis communiter in illis locis dari solet. Nam petitur a communi æstimatione; pretium quippe operarum & obsequiorum, perinde ac rerum venalium potest habere latitudinem summi, medii, & infimi, quando non est lege taxatum. Quare si quis exigat stipendium majus summo, vel solvat minus infimo, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, perinde ac vendens supra summum, vel emens infra infimum: nam tunc tollitur justitia inter pretium & operam. Item stipendium censetur justum, quando multi alii reperiuntur, qui libenter talem operam, tale munus, tale obsequium pro tali stipendio sunt præstituri: nam illud pretium communi æstimatione justum ceasetur, quod non solet tamquam insufficiens recusari, aut quod, uno recusante, statim admittitur ab alio.

2. Si nulla facta sit pactio & pretium relictum sit arbitrio conductoris, hic tenetur dare infimum ex tam mercedis justæ pretium. Nam talis conductio est quædam emptio obsequiorum, quæ semper exigit pretium justum. Et quamvis aliter nullum pretium determinavit, non intendit tamen, totum obsequium vel ejus partem gratis præstare; sed mens ejus est, ut solvat conductor, quod justum esse judicaverit secundum communem æstimationem.

3. Si famulus vel operarius se ultro obtulerit domino, & hic illius opera non egeat, sed solum ex caritate ad preces ejus eum conducat; tunc tenetur ei dare alimenta, & si ejus opera conducti affert utilitatem, quæ pluris ei valeat quam alimenta, tenetur præter alimenta dare pretium æquale valori utilitatis inde percepiæ. Nam alter non intendit operam suam donare, sed vendere justo pretio, non ex mera voluntate, sed ex æquitate constituendo; & jure naturali *dignus est operarius mercede sua*. Luc. 10. Quia cum opera pluris valeat conductori quam alimenta, compensari debet ex justitia juxta hunc valorem. In tali autem casu opera æstimari debet ex utilitate quam conductor ex ea percipit; nam in talibus circumstantiis secundum communem æstimationem non plus valet.

4. Si operarius vel artifex convenerit de pretio minore, quam valeat ejus opera vel opus, falso putans opus, v. g. ædificium minore tempore, & labore vel sumptu egere; tenetur conductor supplere defectum justi pretii, etiamsi læsio fuerit infra dimidium justi pretii. Quia alioqui esset inæqualitas inter

inter pretium & operam vel opus, ideoque injustitia. Neque enim sponte ac scienter, sed ex ignorantia consentit in pretium justo minus, nec sponte donat id quod deest. Præterea qui emit aliquid pretio proposito, sed inæquali, tenetur complere pretium saltem infimum, ut tollatur inæqualitas.

5. Si conductor non possit opera alterius conducta ubi ob impedimentum, quod non provenit ex parte operarii, tenetur totam mercedem pactam ei solvere, perinde ac si operas suas impendisset. l. 38. §. *locat.* ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, & per eum non stetit, quominus operas præstaret.* Nam fidem contractus impleri æquum est; & locator habet jus, ut non patiatur damnum, ob causam non provenientem ex parte sua. Sed si operarius ex opera sua alibi impensa aliquid lucratus fuerit, conductor potest tantundem detrahere de pretio conductionis, vel nihil dare, si tantundem lucratus fuerit, ex l. 19. §. *locat.* Quia locator nullum damnum sustinuit, & opera ilia ratione conductionis erat conductori debita. Si vero locator operam conductam non præstet, ob impedimentum ex sua parte proveniens, licet sine sua culpa, non debetur illi merces, & accepta restitui debet, ex l. 32. cit. Nam conductor non se obligavit ad dandum pretium pro opera, quæ præstari nequeat ob causam provenientem ex parte locatoris. Immo ipse tenebitur ad interesse conductoris, si operam toto tempore ex sua culpa non impenderit: quia est causa injusta damni, cum hoc oriatur ex non servato culpabiliter contractu, qui ex justitia impleri debebat.

6. Bene laborantibus justum stipendium statim solvi debet; nam habent jus statim accipiendi post operam præstitam. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem redditur*, Tob. 4. *Ecce merces operariorum, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit*, Jac. 5. Si vero non bene laborave int, peccant contra justitiam, nec debetur illis stipendium, nisi pro æstimatione laboris. Quare si integrum receperint, tenentur vel supplere defectum laboris, vel restituere excessum stipendii, cum ad eum jus non habeant, immo & compensare conductori damnum, & lucrum cessans: nam fuerunt causa illius injustæ, cum tenerentur ex conventione diligenter laborare.

CAPUT VII.

De Censu, Emphyteusi, & Feudo.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est Census.*

Resp. Census alius est reservativus, alius consignativus. Census reservativus sumptus pro contractu, est ille quo quis in alterum transfert rei suæ dominium directum & utile, reservato sibi jure pensionis annuæ super eadem re. Hunc licitum esse patet: nam sicut quis potest rem suam tradere, vel non tradere, ita & tradere, reservato sibi jure pensionis.

Census consignativus sumptus pro contractu, est contractus, quo emitur & venditur jus percipiendi pensionem annuam ex re, vel persona alterius, vel utraque. Sæpe sumitur pro tali jure. Hic census dividitur, 1. In realem, qui fundatur super re aliqua, ut prædio, domo &c. Ita ut ex ea re pensio debeatur, ad quemcumque res illa tranleat, donec census redimatur; in personalem, qui constituitur immediate super persona alterius eam obligando immediate, bona vero ejus mediate tantum; & in mixtum, qui fundatur super utrisque, ita ut re pereunte, adhuc persona maneat obligata. 2. In vitalitium, qui extenditur tolum ad vitam unius vel plurium, elique virtualis sponso nixa eventui fortuito, & in perpetuum, seu donec redimatur.

Census realem esse licitum declaravit Martinus V. & Calixtus III. Sed re super qua fundatur destructa, perit: nam corruente domo, perit res in eo fundata: ut si domus vel molendinum corruat, perit census super his fundatus, ita ut jam nihil liceat exigere a venditore. Hujus census licitus patet; nam nihil est nisi emptio & venditio rei præsio æstimabilis.

Quæst. II. *An jure naturæ licitus est census consignativus personalis, vel mixtus?*

Resp. Communis sententia affirmat, modo ematur justo pretio, idest, lege vel consuetudine constituto, & venditor censui possit sua opera vel industria lucrari, aut habeat bona in re vel in spe certa, ex quibus præsio dari possit, nec obligetur ad censum redimendum, licet semper pro illuto eam redimere possit eodem, quo vendidit pretio.

Prob. 1. Ex communi praxi piorum & eruditorum in Gallia, Belgio &c. 2. Quia pretio æstimabile est, adeoque potest emi & vendi jus ad pensionem non solum ex re frugifera, sed etiam ex persona alterius, quæ potest lucrum facere ex labore, industria, vel ex bonis suis saltem per alios, & quæ proinde potest obligari immediate ad pensionem solvendam; cum quis possit in alterum transferre jus percipiendi aliquid a se acquisitum: ergo & vendere. Nec refert, quod decursu temporis pensiones recipiendæ summam pretio dato majorem efficiant, nam non emuntur illæ pensiones, sed jus ad illas percipiendas. At ejus ad pensiones per partes & tot intervalla annorum recipiendas non pluris æstimatur, quam summa simul habita, licet minor illis pensionibus collective sumptis. Quia illa summa divisa per multas partes, multaque ac longa temporum intervalla, cum incertitudine recipienda, & variis incommodis expolita, minoris valet secundum prudentum æstimationem, quam illarum partium collectio simul habita, quæ opportunior ac utilior est ad quodlibet lucrum ac negotiationem, & nullis incommodis obnoxia. Et vero in emptionem agri pretium communi censetur justum; licet diuturnitate temporis fructus superent pretium agri, 3. Teste Toleto, Nicolaus Papa V. ann. 1450. approbavit hunc contractum ad petitionem Alphonsi regis Aragoniæ.

Obj. 1. Contractus censualis personalis videtur esse mutuum virtuale.

Resp. Neg. Nam ille census est emptio non pensionis, sed juris ad pensionem, pro pretio absoluto irrevocabiliter dato: unde nec in eo emitur pecunia, sed jus ad pecuniam, nec pecunia data potest unquam repeti. At in mutuo datur pecunia præsens pro pecunia futura, æquali, tota simul solvenda, quæ potest a mutuante post certum tempus exigi.

Obj. 2. S. Pius V. in Bulla *Cum onus*, statuit *censum constitui nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, sed de sua natura fruigera.*

Resp. In hoc non explicat jus naturale nec divinum, sed solum sancit jus humanum, quod in Gallia & in multis aliis locis non viget.

Nota.

Nota. Non licet pensiones debitas conjungere sorti, & per illas eam augere, & posteà exitere majorem pensionem. Nam ideo prohibetur jure Cæsareo, & Gallico, & a Pio V. Ferre quando redimitur census, non potest cogi emptor ad recipiendum pretium per partes, sed totum simul reddi debet, nisi aliter juste conventum sit: nam in eo omnis & damnum sentiret.

Ech Anch opinio propugnatur a Soto, Covarruvia, Lessio, aliisque gravissimis auctoribus, qui recensentur in laudato Opere de Synodo Diœcesana lib. 7. c. 14. ubi 88. N. D. indicatis nonnullis contrariæ opinionis momentis num. 4. ita num. 5. rem perfequitur. *Sed interim non censum personalem movere quitur. Sed interim non censum personalem movere argumentis infe a t, quem jam proscripsit S. Pius V. in laudata Constit.* Cum tamen, *ubi ad census hæreditarios inter cæteras conditiones, hanc quoque hæreditarios inter cæteras conditiones, hanc quoque requiri, ut census constituatur in re fructifera, non qualicumque, sed immobili, certa, ac nominatim designata. Quapropter etiam Auctores qui censum personalem, ejus natura insectæ, ab usuræ suspicione vindicant, interdum tamen fatentur, eum licite fieri non posse, ubi præfata Pii V. Constitutio est recepta; quod tamen in Gallia, vulgo, & Germania non contingere affirmant Lessius cit. c. 21. n. 20. Hannoldus de just. tract. 10. n. 119. Pirrhing. ad Hannoldus de just. tract. 10. n. 119. Pirrhing. ad tit. de usur. n. 85. Wiestner ibid. n. 81. Verum quamquam nos sciamus, eumdem Summum Pontificem, supplicante Catholico Rege Philippo II. indulsisse Hispanis, ne ad suæ Constitutionis, quoad eas conditiones, quæ juris naturalis, aut Divini non sunt, exactam observationem astringerentur; sicuti narrant Guttierez cit. q. 19. in fin. & Felicianus de Salis l. 1. de censib. c. 6. n. 1. nec dubitemus, eadem obligatione potuisse contrario usu, seu ipsa eadem obligatione potuisse contrario usu, seu ipsa legitime præscripta consuetudine, cæteras exinde nationes; vehementer tamen suspicamur, incensumere personale, præsertim utrinque redimibili, eas deperdari conditiones, quæ non solum Pontificia Constitutio, verum etiam ipsum jus naturale, & Divinum exposcunt, ne fortasse contractus mutui, & propterea coram Deo usurarius.*

Sed quoniam nulla hactenus hac de re ab Apostolica Sede prolata fit sententia, non decet, ut Episcopus in sua Synodo censum personalem declaret ex natura sua usurarium: sed Episcopi Diœcesi, ubi prædicta viget S. Pii V. Constitutio, urgebit ejusdem observationem, curabitque pro veribus, ne personæ ejus census in tam ridiculum inducantur: si vero Diœcesim gubernet, in qua Piana Constitutio non est moribus recepta, sicut Fidelis monebit, atque hortabitur, ut a censibus personalibus abstineant, ea quod, etiam sola spectata eorumdem indole, usuræ periculo, & suspicione non vacent. ✠

Quæst. III. *An licitus est census utrinque redimibilis?*

Resp. Nec. Quia census præsertim personalis utrinque redimibilis, seu factus cum conditione, ut venditor teneatur illum redimere, sicut potest cogere emptorem ad illum redimendum, videtur mutuum implicitum ac virtuale, ex quo aliquid ultra sortem exigitur; in eo enim emptor dat pecuniam ea lege, ut totum ad certum tempus recipiat cum lucro, quod est mutuare ad usuram sub emptionis larva. Et vero si talis contractus liceret, usura saltem cum rpereaeribus posset per illum excusari, modo minus lucrum exigatur, quam sit pensio annua census irredimibilis ad nutum emptoris. Quare Toletus l. 5. c. 47. docet, in censu personali non posse venditorem cogi ad redimendum censum, *quia tunc videtur mutuum virtuale.*

Quæst. IV. *Quid sunt Emphyteusis, & Feudum, & ad quid obligant?*

Resp. Emphyteusis est contractus, quo res immobilis conceditur quoad dominium utile, sub onere annuæ pensionis, solvendæ proprietario retinenti dominium directum: idque vel in perpetuum, vel ad unius aut plurium vitam, vel ad certum tempus, quod decennio non sit minus. Differt a locatione: quod emphyteusis constituì solum possit in re immobili, & ad tempus non minus decennio; & quod per eam transferatur dominium utile.

Emphyteuta tenetur, 1. Certam pensionem, vel in pecunia, vel in fructibus domino directo solvere statis temporibus; alioqui amittit rem emphyteuticam cum omnibus impensis in ejus meliorationem factis, si non solverit per biennium pro ecclesiastica, per triennium pro sæculari. 2. Rem concessam fructuosiorem facere, aut saltem non deteriorem; nam ad hunc finem præcipue conceditur.

Resp. 2. Feudum pro contractu est concessio rei immobilis, vel æquipollentis, quoad dominium utile, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis domino directo præstandi. Differt ab emphyteusi præsertim quod in puro feudo non debeatur pensio, sed solum obsequium personale, ad quod datur.

Feudatarius tenetur, 1. Præstare juramentum fidelitatis. 2. Suo tempore requisitus obsequia debita præstare. 3. Non debet disponere de feudo sine consensu infeudatoris. Amittit autem feudum neglectu obsequiorum, & ob crimen felonicæ, id est, belli contra dominum directum gesti.

CAPUT VIII.

De Contractu societatis.

Quæst. I. *Quid est Contractus Societatis?*

Resp. Est duorum vel plurium conventio contribuendi aliquid ad communem quæstum vel usum. Sunt qui addunt, & sustinendi commune damnum. Esse licitum constat, 1. Ex jure civili, §. & Cod. *Pro socio*, & jure canonico c. 7. *de donat. inter viv. &c.* Ubi mandatur dotem uxoris ad lucrum dari mercatori, nimirum in societatem. 2. Quia licet convenire ad lucrum ex pecunia & industria captandum, servata æqualitate: quamvis enim pecunia de se sterilis sit, non est tamen sterilis, ut subest industriæ tamquam instrumentum negotiationis quæstuosæ. Et hæc societas valde differt a mutuo: nam in ea, qui confert pecuniam, retinet illius dominium, & subit ejus periculum ac damnum, quod non fiat in mutuo. Unde ultra sortem potest accipere aliquid tamquam fructum suæ pecuniæ, negotiationi & periculo expositæ, vel animalium de se fructuosorum.

Quæst. II. *Quænam ad justitiam societatis requiruntur?*

Resp. Ex communi sententia, sequentia, 1. Ut negotiatio sit licita, alioqui societas esset mala, & nulla, l. 57. §. *Pro socio.* 2. Ut singuli socii aliquid aptum ad lucrum faciendum conferant in commune, sive pecuniam, sive operam ac industriam, sive animalia, vel instrumenta, ut navem, equos &c. Qui enim in ea nihil confert utile, non habet jus ex ea emolumentum percipiendi. 3. Ut lucrum dividatur inter socios, pro rata portione eorum, quæ quisque contulit, l. 26. §. *Pro socio*; alioqui non servaretur æqualitas. 4. Ut impensæ, damnum, ac periculum sint communia, l. 67. §. *Pro socio*, ibi: *Cum societas contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur.* Et vero societas est quædam fraternitas, ex l. *Verum* §. *Pro socio*. Jus autem fraternitatis exigit, ut lucra & damna sint communia. Præterea æquitas postulat, ut qui sentit commodum, sentit & onus, juxta reg. jur. 5. Ut si res vel pecunia collata pereat citra culpam latam & levem socii, pereat ei, qui contulit, quia hic retinet illius dominium: res autem domino suo perit. Quod si pereat ex culpa lata & levi socii, hic tenetur eam restituere domino, lib. 72. §. *Pro socio*. Nam qui rem alterius accipit, tenetur ex culpa lata & levi, quando contractus cedit in utilitatem utriusque. Tamen juxta Doujat in Gallia socii non tenentur, nisi de culpa lata & dolo. 6. Ut ad certum tempus ineatur societas, ante quod repetere non liceat, quod in eam collatum est: nam hoc exigit finis societatis.

Ex his patet, finita societate sortem reddi debere domino, & lucrum quod ea dempta supereset, dividi inter socios, pro rata contributionis ad societatem. Nam alter remanet dominus pecuniæ collatæ, nisi tamen pecunia communicata fuerit sorcio, aut aliter juste conventum sit. Ita declaravit Sixtus V. constit. *Detestabilis.*

Qu. III. *An licitus est contractus societatis triplex?*

Nota 1. Contractus triplex est ille, quo pecuniam in societatem conferens pacisci tur cum altero socio, ut quicquid contigerit, sibi sua sors integra redditur, cum certo lucro, sed minore eo, quod probabiliter sperare potuisset. Dicitur triplex, quia in eo tres contractus sive formaliter, sive virtualiter contineri dicuntur. Primus & principalis est contractus societatis, quo confers pecuniam in societatem. Secundus est contractus assecurationis sortis, pro qua cedis socio magnam partem lucri sperati, v. gr. si sit spes ex centum aureis lucrandi triginta, quorum media pars ad te pertineret, ex iis cedis quinque pro assecuratione sortis, retentis tibi decem. Tertius est venditio lucri majoris sperati incerti pro certo sed minori; v. gr. hanc spem decem aureorum vendis pro quinque certo solvendis. Unde conferens in societate centum aureos, per alios contractus hanc summam servas indemnem, & certum ex ea lucrum facis, scilicet quinque aureorum.

Nota 2. Consentiunt omnes, non licere hos contractus celebrare cum eo, qui non putetur ex ea negotiaturus, v. gr. cum paupere, qui indigeat illa pecunia ad suam sustentationem, vel ad solvenda debita. Quia tunc non esset nisi ficta societas, quæ usuram velaret, nec verus esset titulus aliquid supra sortem exigendi.

Resp. Contractus triplex videtur jure naturali illicitus. Ita S. Antonin. S. Bernardin. Panormit. Azor. Rebell. &c.

Prob. Quia 1. in illis aliquid exigitur ultra sortem absque titulo, quod est injustum. Nam si quis est titulus, maxime societas: sed hæc destruitur per assecurationem sortis; societas enim essentialiter exigit, ut damnum ac periculum, sicut lucrum, sit inter socios communia: nam *cum societas contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur*, l. 67. §. *Pro socio*. 2. Totum jus lucrandi in societate per solam pecuniam sine opera & labore fundatur in periculo, cui quis pecuniam suam committit in negotiatione. Nam pecunia otioli domini non potest ei esse instrumentum quæstuosum, nisi quatenus ejus periculo negotiationi subjicitur, ex S. Th. 2.2. q. 78. a. 2. ad 5. ibi; *Ille qui committit pecuniam suam, vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus; ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur. Et ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis expetere tamquam de re sua.* Enimvero pecunia de se sterilis est, nec alia ratione fructuosa, nisi vel per industriam utentis, vel per hoc quod periculo exponatur in negotiatione. Sed posita assecuratione, solum conceditur usus pecuniæ ut pecuniæ nulli periculo expositæ, ideoque prorsus sterilis; & quæ nullum domino fructum parere potest. 3. Violatur æqualitas in societate servanda, si qui nihil confert nisi quod est de se sterile, participet de lucro, & nihil de damno nec periculo, sitque certus de sorte & lucro; alter vero non sit certus de ullo lucro, & subeat omne periculum operæ propriæ ac pecuniæ alienæ. Hinc l. 52. §. *Pro socio* dicitur: *Sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet quod non culpa socii contingit.* 4. Sixtus V. tres contractus in Bulla *Detestabilis*, damnavit, ut per se illicitos his verbis: *Irrepsit enim versutæ & callide antiquus humani generis hostis per varios dolos & fallacias & incautos homines ... ut seipsos in usurarum voragine, Deo hominibusque odiosam, sacris canonibus damnatam, & Christianæ caritati contrariam, fœde immergant; & dum vanas & terrenas divitias quærunt, veras ac cœlestes amittant, sicut nuper cum magno dolore audivimus, hoc malum quasdam provincias pervasisse ... Proinde nos ... ut gregem dominicum ... ab offensione, & vitæ æternæ discrimine tutum in viam salutis dirigere nitamur, hujusmodi morbi contagionem, antequam in communem fidelium perniciem latius serpat ... tollere cupientes .... Damnamus & reprobamus omnes, & quascumque contractus, conventiones & pactiones posthac ineundos seu ineundas, per quas seu quæ cavebitur personis pecuniis, animalia, aut quantibet alias res societatis nomine tradentibus, ut, etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, & interetum a socio recipiente restituatur, sive ut de certo quantitate, vel summa in singulos annos aut menses, durante societate, respondeatur. Statuimusque ejusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarias ac illicitas posthac censeri debere ... ac ne de cetero societates ineantur sub hujusmodi pactis & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus, & prohibemus.* Porro ideo dicit hos contractus usurarios, illicitos posthac censeri debere, non quod antea tales non fuerint in se, sed quia ante ejus constitutionem ignorantia invincibilis, quæ poterat esse in multis, illos excusabat ab usura formali, seu imputabili.

Nec obstat, cap. 2. *de donat.* Quia Innoc. ill. ibi solum permittit uxoris dotem dari mercatori, ut de parte honesti lucri vir onera matrimonii possit sustinere: nulla facta mentione affectionis. Nec refert, quod alias exponeretur dos periculo; quia dos erat fecurior apud mercatorem, quam apud ejus prætium dilapidatorem, nec cautionem dare valentem.

✠ *Nota.* Vide S. M. Benedict. XIV. tractatum de synodo Dioecesana, ubi, expendens lib. 10. c. 7. hanc de contractu trino quæstionem, recensitis præcipuis rationum momentis, quæ in utramque partem adducuntur, ita concludit: *Approbata Sedes contrariæ opinioni*, (ei scilicet, quam Auct. refellit) *est minus conjungere videatur Sixtinæ Constitutioni, nullam habenti censuram invalidi, a qua proinde eidem infligenda debet Episcopus abhorrere: ad usum vero quod attinet, tuto posse contractum trinum, quem etiam ejusdem Patroni perniciosum fatentur, pro vitibus impedire, atque ab eo inundo suos subditos debuerant, quod a plerisque Episcopis in suis Dioecesanis Synodis sapientissime factum, referunt Gennet Tom. 1. tract. 6. c. 24. & Natal. Alex. epist. 94. in Append. ad Tom. 2. suæ Theolog. Moralis.* ✠

Obs. 1. Licet sit de natura societatis ejus æ, ut commune sit periculum ac damnum inter socios, perinde ac lucrum; potest tamen vi alterius pacti redimi hoc periculum per compensationem. Nec magis per assecurationem destruitur societas quam contractus depositi, & commodati, vel locati; nam etsi periculum rei depositæ, commodatæ, locatæ saepe naturæ pertineat ad rei dominum, pacifci tamen sub justa mercede licet, ut aliter totum periculum habeat. 2. l. 25. § *Pro socio* dicitur: *Ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit, Cassius putat &c.* 3. Sors itas & lucrum certum non præstantur ex vi contractus societatis, sed ob remissionem majoris lucri sperati, & vi alterius contractus. 4. Ad æqualitatem contractus satis est, quod commoda æquivaleant incommodis: periculum autem sortis, quod subit socius, satis compensatur per majus lucrum sperandum, & sic non est societas leonina, qua totum periculum rejicitur in socium, nec id omne aliunde compensatur. 5. Tres contractus seorsum, & cum diversis personis liciti sunt, ergo & simul cum socio: nam quæ facta cum diversis & seorsim justa sunt, etiam simul cum eodem facta justa sunt; justitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, non vero in habitudine ad diversas personas & tempora. 6. In triplici contractu non intervenit mutuum, quia non transfertur dominium pecuniæ in socium. Nam hic non potest de pecunia sibi in societatem data disponere pro libito, etiamsi eam assecuraverit; sed hanc tenetur vi contractus societatis in negotiationem ad lucrum impendere; alias faceret injuriam conferenti, qui ideo posset contractum rescindere, cum pecunia solum data sit ad negotiationem. Quare si pecunia illa furrepta fuisset, hanc posset collator vindicare actione in rem.

Resp. ad 1. Periculi & damni ac lucri communicationem esse essentialem societati, ideoque ab ea inseparabilem per aliud pactum, sicut obligatio servandi rem depositam est essentialis depositio. Unde l. *Verum*, 5. *pro socio*, societas dicitur *jus quodam modo fraternitatis in se habere*; quod jus exigit lucri & damni communionem. Aliud est de deposito & aliis, in quibus assecuratio est præter, sed non contra naturam illorum: nam natura depositi est, ut res deposita servetur; natura commodati, ut usus rei gratis concedatur &c. At natura societatis est, ut fit communio contributionis, & lucri, ac damni, ex l. 52. & l. 67. cit. *Ad* 2. Legem intelligendam esse ratione socii duntaxat, qui operam ponit, ita ut si ejus opera ac industria tanti valeat, quanti pecunia ab allo socio collata, non debeat ille pecuniæ alterius sibi communicatæ periculum ac damnum subire: nam alias plus de damno quam de lucro participaret, & sic inter illos non esset æqualitas: subiret enim damnum propriæ industriæ, & partis pecuniæ communicatæ. *Ad* 3. & 4. Lucrum majus speratum fundari in societate, quæ destruitur per assecurationem sortis, ideoque tunc nihil posse ob remissionem lucri majoris sperati exigi. *Ad* 5. Disparitas est, quia alia facta cum alio facta non impedimt, quominus fiet vera societas cum mercatore, qui in eo statu constituitur, quem postulat societas: per accidens enim respectu illius est, quod alii pecuniam collatam assecurent. At pacta illa cum socio inita evertunt societatem & æqualitatem; cum hic totum periculum ac damnum subire debeat, ille vero solum lucrum certum ultra sortem recipiat. *Ad* 6. pactum illud est injustum, nam eo ipso quod mercator tenetur sortem in omni eventu restituere, ea potestate in negotiatione, sive extra pro libito. Quid enim ad damtem attinet, quos in usus alius impendat, modo sors ipsi cum lucro certo restituatur? Unde obligatio imposita socio peeuniam datam non impendendi nisi in negotiationem, est majus onus additum, quod ad nihil aliud sibi, quam pro pallio usurario prodest.

CAPUT IX.

De Cambio.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est?*

Resp. Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro. Hinc differt, 1. A quamvis alia permutatione, qua non pecunia, sed aliæ res permutantur. 2. A mutuo, quod non est permutatio, quodque perficitur sola rei mutuatæ traditione, & essentialiter exigit, ut res alia similis non reddatur, nisi post lapsum temporis. At cambium non perficitur, nisi pecunia sit ex utraque parte data & accepta, saltem æquivalenter; permutatio enim omnis utrinque dationem requirit.

Cambium duplex distinguitur, scilicet reale, & siccum. Reale seu verum est vera pecuniarum permutatio, æquivalente inter datum & acceptum servata. Siccum est cambium fictum, & verum mutuum speciosio nomine cambii velatum, ut cum habetur sola ratio temporis ad lucrum exigendum, aut quando fingitur solutio alibi facienda, & fit in eodem loco cum lucro. Dicitur siccum, quia caret humore, seu justo titulo ad lucrum pariendum. Unde a Pio V. Bulla, *In eam*, omne cambium siccum declaratur usurarium. Hinc patet, lucrum ex eo perceptum esse injustum, & restituendum.

Cambium reale dividitur in manuale, & locale. Manuale seu minutum, est permutatio monetæ diversæ speciei & rationis, ut aureæ cum argentea, minoris cum majore, patriæ cum externa &c. & vicissim. Locale seu per literas, est permutatio pecuniæ præsentis cum absente, ut si dos hic Titio pecuniam, & Titius tradat tibi literas cambii, quarum ope eandem summam recipias Romæ.

Quæst. II. *An in cambio reali licitum sit lucrum?*

Resp. Affirm. Modo fit moderatum, & secundum leges aut consuetudinem locorum, vel communem peritorum æstimationem. Nam tale lucrum in cambio manuali percipitur non solum ratione lucri cessantis, aut damni emergentis ex cambio, sed etiam ratione laboris & operæ in contegendis, conservandis, custodiendis variis speciebus monetarum, & in numeranda pecunia &c. In cambio vero locali ratione trajectionis realis vel virtualis pecuniæ de loco in locum, cui trajectioni faciendæ cambitor operam suam locat, suscepto in se omni labore & periculo: quæ quidem opera, labor & periculum in gratiam alterius suscepta, sunt pretio æstimabilia.

Nec obstat, quod interdum cambitor id faciat sine labore & incommodo, immo cum suo commodo. Nam hoc est per accidens, & provenit ex ejus cura, industria, & officio, pro quo sustinendo multæ aliunde impensæ, & operæ præstandæ sunt; cum reipsa suscipiat obligationem ex se laboriosam, & periculosam.

Quæst. III. *An licitum sit cambium ad terminum solutionis, seu, ut aiunt, ad nundinas? Sic fit: cambitor vel mercator dat hic pecuniam ex lege, ut illam cum lucro recipiat Francofurti, vel alibi ad proximas nundinas: ita ut plus vel minus exigatur pro cambio, quo magis vel minus remotæ sunt nundinæ?*

Resp. Seclusio alio titulo justo excusante ab usura, cambium hoc est usurarium. Nam est verum mutuum, ratione cujus lucrum exigitur: nihil enim aliud est, quam contractus, quo traditur pecunia, ut reddatur cum lucro infra terminum, seu in quo exitur aliquid ob dilatam solutionem.

✠ *Nota.* Tutam solidamque doctrinam de Cambio doctrinam perfectos confirmat & explicat SS. D. N. in præclarato opere de Synodo lib. 10. c. 5. a §. 7. ad finem usque. Ut autem omnibus nota fit Romani Pontificis hac de re sententia, & quæ circa hujusmodi contractus esse debeat cura Episcoporum, omnia ferme huic capiti adjecimus: *Necesse est*, inquit, *ut in cambio locali vera fiat pecuniæ translatio, aut saltem, ut qui pecuniam accipit, firmum habeat animum, illam alibi restituendi: si enim fecerit, eo ipso in loco, ubi accepta est, fore restituendam, quamvis cambii littera alio directa fingeretur, sub cambii specie vera lateret usura, quæ hominum quidem judicium effugere, Deum autem eludere non posset. Et de hoc cambio, quod fictum & siccum appellant, ea sunt intelligenda, quæ adversus cambia pianæ clar. mem. Cardinalis Lanfredinus in sua Dioecesana Synodo Cinguiana, habita die 6. Augusti 1692. capit 14.*

Hæc manifesta sunt, & vix ulli obnoxiæ difficultati. Alia captiosa adinventa est species cambii, quod vocant obliquum: Titius indigens mille aureis, mutuos eos petit a Cajo, qui cum consuluerit negotiari, & negotiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, a quo ratione mutui nihil potest exigere: quia vero Titius Cajum urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit a Cajo pradictos mille aureos, neque mutui causa, quidquam se Cajo, ultra sortem, soluturum promittit; ut tamen Cajo damnum reprendat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ sumtuum, sive a semetipso, sive ab alio per cambii contractum, accipiendi, eamque ad negotiationem destinandi, similque Titius se obligat ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere debuerit, si prædictos mille aureos a Campsore accepisset. Quandoque etiam ipsemet Titius mutuatarius assumit sibi onus, cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam mutuam accepit a Cajo, in commodum tamen, & utilitatem ejusdem Cajî, cui quotannis solvit quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Si primo modo res peragatur, pertinet ad Cajum mutuantem probare, cambii literas revera a se transmissas, seu mille aureos se fuisse per cambium ab alio confectum. Sed si Titius mutuatarius onus in se suscepit, summam ei æquivalentem, quam a Cajo mutuam accepit, cambiis activis negotiandi; tunc aut stetit promisso, aut non: Si primum, Cajus creditor juste percipit fructus, seu pecuniæ accessiones a cambiis productas: Si secundum, quamvis tunc nihil ex cambiis consequatur, eosdem tamen fructus a Titio requirit, titulo ejus quod interest, seu damni quod subit, ex eo, quod Titius suscepta obligationi non satisfecerit, juxta decr. 829. Romanæ Rotæ coram Dunozetto tom. 8. Et quia hic poterior modus securiorem reddit mutuantem, cui duplicem aperit viam ad consequendum auctarium mutuatæ pecuniæ, hac de causa frequentius adhibetur.

Præmissa hac cambii obligai ratione, quam præbet Cardinalis de Luca lib. 5. tit. de cambiis in Summ. part. 2. n. 12. facile ab subscriptis prædictis involutas ambages, ese unice excogitatas ad palliandam usuram, quæ nihilominus non satis occultatur: quid enim absurdius, quid incredibilius sinqi potest, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuo accipit a Cajo, totidem statim habeat paratos ad nundinas transmittendos, atque in aditiva cambia erogandos, in mutuantis Cajî utilitatem? Et nihilominus non desunt Auctores, qui pro eiusmodi cambiorum tuenda justitia decertant, inter quos Cardinalis de Luca de cambiis disc. 5. n. 5. disc. 5. n. 3. disc. 13. num. 5. Ansaldo de commerc. & mercat. disc. 65. n. 49. & seq. Rota Busun. apud Ureol. de transact. q. 40. a num. 23. usq. ad fin. & Rota Romana, decr. 1. lib. 8. ad Ornat. Cardinal. de Luca, & decis. 323. & 691. coram Molines.

Verum quidquid sit de foro externo, in quo fortasse ita res gesta præsumitur, sicuti in contractus fictis simulatis describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepto mutuo respondens, neque a mutuatario juxta prædictas diversas pactiones fuerit ad nundinas transmissa, seu in cambia activa erogata, nec unquam in alterutrius animo fuit, eam ad nundinas transmittere, seu in cambia erogare, minime dubitandum est, cambium esse illicitum, turpe, & usurarium,

ac propterea e Christiana republica prorsus eliminandum. Non enim vero negamus, posse mutuantem, qui solet pecuniam suam negotiatione augere, aliquid percipere a mutuatario, titulo ejus quod interest, hoc est lucri cessantis, aut damni emergentis: sed cum hic legitimus adest titulus aliquid ultra mutuatam sortem exigendi, is erit ingenue adducendus, neque recurrendum ad praedictos cambii obliqui anfractus, qui vehementem ingerunt suspicionem fraudis, & doli; quamobrem clar. memor. Cardinalis Marcellus de Afte Episcopus Anconitanus, in suo Pastorali monito, edito post Constitutiones Synodales Cardinalis Bartholomei Massei, ejusdem urbis Episcopi, evulgatas anno 1735. pag. 165. & seq. suas ives serio ab debortatus a cambiis obliquis, quae mera esse deprehendit tegumenta usurae. Nec inopportunum existimamus, ut quilibet Episcopus, ad tradicandum e sua diocesi eorumdem cambiorum abusum, simile monitum formet, suisque inferat Synodalibus Constitutionibus.

CAPUT X.

De Transactione, Assecuratione, Fidejussione, Pignore, & Hypotheca.

Quaest. *Quid est transactio?*

Resp. Est pactio utrinque onerosa de re dubia, & lite incerta, sive mota, sive movenda. Hinc ad ejus justitiam tria requiruntur. 1. Ut res super qua transigitur, sit dubia saltem probabili existimatione utrinque partis: alioqui fieret injuria parti clare habenti jus, quae non componere tranigendo, sed vexationem injustam redimere censeretur. 2. Ut conventio sit cum aliquo onere utriusque partis: alioqui donatio esset, non transactio. 3. Ut per eam lis componatur vel dirimatur; nam ad hoc instituta est.

Quaest. II. *Quid est assecuratio?*

Resp. Est contractus, quo quis rei alienae periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel certo pretio ad solvendum ejus pretium, si periret. Quando haec obligatio pretio suscipitur, est contractus similis venditioni: nam venditur obligatio praestandi damnum rem indemnem, quae est pretio aestimabilis.

Ex communi sententia, ad ejus justitiam requiritur, 1. Ut periculum subsit saltem probabiliter, vel ab utroque judicetur subesse, ita ut rei eventus sit utrique incertus. Si enim ante contractum constaret assecuranti, res vel merces alterius esse extra omnem aleam positas, v. gr. jam pervenisse ad portum, peccaret, & teneretur restituere pretium acceptum. Nam nullus est titulus accipiendi pretii, cum assecuratio non sit in hoc casu digna pretio. Praeterea assecurans sua deceptione dedisset causam contractui. Idem dic de eo, qui sciens rem suam periisse, pacisceretur cum altero de illius assecuratione: quia impossibilis est rei, quae periit, assecuratio; haec enim potest esse dumtaxat de re, cujus periculum caveri potest: ergo tunc nullus est contractus, cum debeat ejus materia. Deinde tunc dolus daret causam contractui. 2. Requiritur, ut pretium sit proportionatum periculo, spectata aestimabilitate rei, quae assecuratur, alioqui non servaretur aequalitas.

Quaest. III. *Quid est Fidejussio?*

Resp. Est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis eam non impleverit. Circa quod observa.

1. Si obligatio debitoris principalis sit invalida, aut extinguatur, cessat etiam obligatio fidejussoris defectu materiae; quia haec semper supponit obligationem principalem, cujus illius accessoria.

2. *Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur; nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione debet esse, quam in principali re*, instit. de fidejussor.

3. Fidejussor non potest conveniri ad solvendum, nisi prius a principali debitore repetitum fuerit debitum, & constiterit, eum non esse parem solvendo. Haec enim est veluti conditio hujus contractus, nisi aliter conventum sit.

4. Fidejussoris obligatio transit ad haeredes.

5. Peccat graviter qui certus de sua impotentia ad solvendum pro alio, ejus se fidejussorem constituit, putans fieri posse, ut debitor non sit solvendo par. Nam creditorem injuste decipit, falsam rei securitatem offerendo, & dat ei occasionem periculi ac damni.

6. Principalis debitor tenetur non solum res pendere, quae fidejussor pro eo solvit, sed etiam resarcire omnia damna, orta ex eo quod ipse tempore debito non solverit; nam vi contractus tenetur fidejussorem indemnem servare, ea quippe lege fidejubet.

Sed an licet pro fidejussione exigere pretium a debitore?

Resp. Multi affirmant licere de eo pacisci pro ratione quantitatis debiti & periculi. Quia obligatio civilis solvendi debitum alterius est onus justitiae pretio aestimabile, nec fidejussor tenetur eam gratis suscipere. Neque id exigitur pro solutione pecuniae alterius loco datae vel dandae; nam hoc esset usurarium, sed pro subeunda obligatione solvendi debitum alterius. Neque est mutuum virtuale, nam fidejussio non consistit in traditione rei, sicut mutuum; sed praecise in susceptione obligationis alienae. Si tamen fidejussor sciat, nullum subesse periculum nec molestiam, alii, quibus assentior, docent, eum nihil posse exigere: quia tunc obligatio quam suscipit, nullum affert onus pretio compensabile.

Quaest. IV. *Quid est pignus, & Hypotheca?*

Resp. Pignus est contractus, quo debitor rem aliquam nobilem tradit creditori ad securitatem debiti, pro quo se obligata est, ut possit ex ea solutio peti, si debitor non solverit.

Hypotheca vero est contractus, quo res immobilis obligatur creditori ad securitatem debiti, ita ut jus habeat ex ea solutionem petendi. Differunt inter se. 1. Quod in pignore res tradatur creditori; in hypotheca vero res sola conventione obligetur sine traditione: interdum tamen nobilia bona sine traditione hypothecantur. 2. Quod pignus sit rei mobilis, hypotheca vero rei immobilis. Haec tamen nomina passim in jure idem sonant; & sumuntur etiam pro ipsa re alteri obligata ad securitatem debiti, & pro jure petendi solutionem ex re sic obligata.

Hypotheca alia est conditionalis seu expressa, quae mutuo consentu expresso constituitur. Alia tacita seu legalis, quam lex vel consuetudo attribuit, et-

iamsi de hac nulla facta sit in contractu mentio. Sic bona tutoris & curatoris sunt hypothecata pupillo & minori pro administratione bonorum, bona mariti pro dote uxori &c. Item alia est universalis, per quam omnia bona tum praesentia, tum futura obligantur: alia particularis, ita est, unius vel plurium rerum in specie, & haec semper afficit rem ad quemcumque perveniat, donec debitum solvatur.

Quaest. V. *Quaenam sunt obligationes damni, & accipientis pignus & hypothecam?*

Resp. 1. Ex parte damnis seu debitoris hae sunt, 1. Non licet eamdem rem dare pluribus in pignus seu hypothecam, nisi sit sufficiens pro omnibus debitis. Nam ideo res subjicitur hypothecae, ut creditor ex ea solutionem capiat, si debitor non solvat. Sed plures creditores non possunt solutionem accipere ex re insufficiente pro pluribus debitis. Excipe nisi posteriores creditores moneantur de priori hypotheca; nam tunc his non fiet injuria, cum scienti & volenti non fiat. 2. Debitor tenetur creditori impensas factas in pignoris conservationem, & ne deterius fiat, restituere, l. 25. §. *de pignor. act.* nec potest pignus repetere, donec debitum integre solverit, l. 6. Cod. *de distract. pignor.* 3. Ei non licet vendere rem hypothecatam, nisi emptore monito de hypotheca, quia illum deciperet. Nam emptor putaret emere rem ab omni onere liberam; cum tamen teneatur ex ea debita solvere, res enim transit ad emptorem cum suo onere reali, nec emptor plus juris acquirere potest, quam haberet venditor; hic autem non habebat ejus dominium liberum a debitis, cum res sit ad debita obligata.

Resp. 2. Ex communi tenetur creditor teneatur, 1. Diligenter servare pignus, & curare ne pereat, aut deterius fiat: alioqui tenebitur de damno secuto ex culpa lata & levi, l. 13. §. *de pign. act.* non tamen levissima, quia contractus cedit in utriusque partis utilitatem. Potest autem pignus acceptum, vel hypothecam alteri obligare, sed non pro majore summa, l. 2. Cod. *si pignus &c.* 2. Non potest uti re oppignorata sine consensu debitoris: alioquin furti actione tenetur, l. 66. §. *de furtis*, nisi utatur in gratiam debitoris, ne sufficer alioqui deberet fieret. Quia est res aliena ad securitatem tantum, non ad usum concessa: sed injustum est uti re aliena sine consensu domini. Quod si debitor concedat illius usum, valor talis usus debet in sortem computari, alioqui committeretur usura; nam ob concessam dilationem solutionis acciperetur aliquid ultra sortem, cum usus pignoris sit quid pretio aestimabile, & voluti ejus fructus ad dominum pertineus. 3. Tenetur fructus ex pignore vel hypotheca perceptos & consumptos in sortem computare, deductis sumptibus factis ac laboribus, & extantes restituere vel deducere; quia res illa est debitoris, ad quem proinde pertinent fructus ex ea nati, res enim domino suo fructificat. 4. Non potest vendere pignus, nisi debitore tempore debito non solvente, & eo prius monito. Quod si pluris vendat, quam sit debitum, tenetur excessum restituere debitori, cum nullo justo titulo possit eum retinere. 5. Non potest pacisci cum debitore, ut si non solvat statuto tempore pignus fit creditoris: sed hic semper tenetur pignus totum restituere, cum ei postea debitum solutum fuerit: nam talis conventio utroque jure prohibetur, leg. ult. Cod. *de pact. pign.* & cap. 7. *de pign.* 6. Tenetur soluto integre debito statim restituere pignus, nam tunc cessat titulus & jus illud retinendi, l. 9. §. *Quibus modis pignus &c.*

CAPUT XI.

De Ludo & Sponsionibus.

Quaest. I. *Quid est ludus, & quaenam requiruntur ut sit licitus?*

Resp. 1. Ludus generatim est jucundum aliquod dictum vel factum ad animi relaxationem ordinatum. Ejus finis proximus est, ut animus oblectatione relaxetur, hanque aptior ad applicationem ac attentionem necessariam, eo modo quo vires corporis per somnum reficiuntur: quies enim animae est delectatio, inquit S. Th. 1. 2. qu. 168. art. 2. Hinc ludus tam potest esse honestus quam dormitio, si cum debitis circumstantiis ob finem honestum exerceatur, pertinenque ad virtutem quam Aristoteles, & S. Th. Eutrapeliam vocant, quae est species temperantiae, per quam homo dirigitur ac inclinatur ad modum in ludo tenendum.

Ut autem ludus sit licitus, haec ex communi sententia requiruntur. 1. Ut ludi genus nullo jure sit prohibitum. 2. Ut non sit occasio peccandi, nec scandalum aut damnum ipsum cuiquam pariat. 3. Ut modus debitus, & omnes circumstantiae debitae serventur, ita ut congruat personae, tempori & loco &c. nam bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu. Hinc Conc. Senonense prohibet Clericis, ne in publico ludant pila, aut aliis ludis, maxime cum laicis, ob indecentiam. 4. Ut nec fastus, nec diutius ludatur quam exigit necessitas reficiendi vires animi, & cum expeditionem reddendi ad debita officia. Necessitas enim est mensura ludi, sicut cibi & potus. *Parum autem ad delectationem sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo*, ait Aristoteles a S. Th. q. cit. art. 4. relatus. His adde, ut ludus necessario referatur ad finem honestum; nam homo semper propter finem honestum agere tenetur.

Resp. 2. Ludus pro contractu sumptus, est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur ut victori cedant id quod expositum est. Jure naturae licitus est, servatis debitis conditionibus: sicut enim licet rem suam alteri absolute donare, ita & dare sub conditione licita, pura si victor ludendo exiterit.

Conditiones autem requisitae in contractu ludi sunt, 1. Ut omnes conditiones ad ludum honestum necessarie mododuce serventur: nam hic contractus continet ac supponit ludum, cui est accessorius. 2. Ut summa, quae ludo exponitur, sit modica secundum cujusque facultatem ac conditionem, & non major quam opus sit ad excitandum cum oblectatione animum, & impediendum ne ludus languescat. 3. Ut ludentes habeant dominium ac liberam dispositionem eorum quae exponunt, & aliunde habeant unde familiam alant, debita solvant, eleemosynas erogent, & ceteris officiis plene satisfaciant. 4. Ut non ludatur principaliter ob lucrum: nam finis proximus ludi est animi levamen & oblectatio, ut animus sit vegetior & aptior ad exercitia debita propter Deum recte obeunda. Deinde lucrum non potest esse finis honestus. 5. Ut absit omnis fraus & injuria. 6. Ut sit aequalitas moralis quoad omnes in spe lucrandi & per-

& periculo perdendi. Nam hæc requiritur ad justitiam hujus contractus, qui est utrinque onerosus: in eo quippe emitur spes lucrandi periculo perdendi.

Quæst. II. *Quinam ludi sint prohibiti?*

Resp. Jure divino & naturali prohibiti sunt ludi ex se mali ac turpes, indecori, & ad luxuriam provocantes; vel qui sunt occasio proxima peccati, aut aliis scandalum. Jure autem humano tam civili, quam canonico prohibita est omnibus etiam laicis ludus saltem frequens aleæ, lib. 7. & 2. Cod. *de aleator.* & c. *Episcopos*, dist. 35. ex can. Apostolorum, ibi: *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Similiter etiam laicus.* Ratio prohibitionis est periculum & occasio multorum peccatorum & malorum, ut iræ, risarum, litium, blasphemiæ, perjurii, jactura temporis, neglectus officium debitorum, eversionis formularum &c. Ludus autem aleæ est ille, cujus successus nobis, vel magis ex fortuna seu casu, quam ex industria pendet, ut ludus taxillorum & chartarum. Nomine autem fortunæ ac casus intelligi debet dispositio providentiæ divinæ præter certam aliquam spem & opinionem humanam a sola Dei voluntate pendens.

Hinc ut patet ex prima gravi appetita, peccat mortaliter qui aleæ deservit, hoc est, qui tali ludo crebro & per longum tempus lucri causa lusit. *Ludus aleæ est peccatum mortale secundum Raymundum, quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum: nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem & moderate, non videtur mortale*, ait S. Antonin. 2. part. tit. 1. c. 23. §. 8.

Immo secluso jure positivo, sæpe est mortalis aleæ ludus ratione multarum circumstantiarum, ut docet Toletus; post S. Chrysost. qui hom. 13. ad pop. ait: *Aleas tractare non videtur minus peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre ... Circa aleas ludum, blasphemiæ, juramenta, iræ, convitia, infinitaque alia his graviora sæpe produxit.* Hinc etiam graviter peccant, qui aleatoribus domum suam ad ludendum commodant: quia occasionem & commoditatem graviter peccandi aliis præbent, idque jure Cæsareo & Francico prohibetur. His ergo deneganda est absolutio, nisi restituerint, ut monet S. Carolus.

Quæst. III. *Quandonam committitur peccatum mortale in ludo?*

Resp. Ex communi sententia his casibus, 1. Si ludus sit per se graviter illicitus ac turpis, vel solo jure positivo graviter vetitus. 2. Si ludenti vel aliis sit occasio proxima peccati mortalis, ut blasphemiæ, perjurii, fraudum, iræ, libidinis &c. 3. Si idcirco negligantur officia sui status, vel muneris, aut omittantur opera graviter præcepta. 4. Si immodica summa ludo exponatur, ita ut reliqua bona non sufficiant ad sustentandam familiam, alendos filios, ad locandas filias decenter secundum suum statum, ad solvenda debita, ad dandas eleemosynas &c. 5. Si injuria vel damnum grave alteri inferatur fraudibus, violentiis, attractionibus ad ludum &c. 6. Affectu ad ludum graviter immoderato. *Nam potest esse peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra præceptum Dei vel Ecclesiæ talibus ludis uti non refugiat*, ait S. Th. 2. 2. q. 186. art. 2. Denique si quis lucrat cum eo qui non potest alienare: nam vult sine titulo justo alienum obtinere, quod est injustum, & cooperatur injustitiæ alterius.

Quæst. IV. *Quibus casibus ludus ante omnem sententiam tenetur ad restitutionem?*

Resp. Ex communi sententia, victor restituere tenetur, 1. Si victus non habeat rei dominium, & liberam dispositionem. 2. Si victor vi, minis, dolo, conviciis vel simulatione imperitiæ induxit alterum ad ludendum. Nam fecit ei injuriam, cique occasionem damni injustè dedit. Si tamen coactus lucretur, non tenetur restituere lucrum, quia ludus ex parte ipsius est justus, & omnem inæqualitatem circa spem lucri sustulit injuria coactionis, & victus sponte in hoc periculum se conjecit. 3. Si fraude aliqua contra ludi leges usus sit, v. gr. si chartas signo aliquo notaverit, aut per nutus circumstantium, vel ex industria agnoscat, vel artificiose ita componat, ut meliores sibi obveniant &c. Et tunc tenetur restituere, tum id quod lucratus est, cum illud acquisierit per injuriam, tum etiam id quod alter juste lucratus fuisset; nam hæc spes lucri erat pretio æstimabilis, & ei per injuriam subtracta fuit. Ludi autem leges sunt, quæ vel communi ludentium consensu constituæ sunt, vel loci consuetudine receptæ. Quidam tamen fraudes seu potius astutiæ, quæ ex communi consuetudine adhibentur, & nolentur adhiberi, non censentur contra ludi leges, nec injustæ; ut si quis sciens se meliores chartas habere, timorem simulet, quo alter adaugendam sponsionem impellatur. 4. Si victor ante ludum habuerit animum non solvendi, vel si non possit alienare rem ludo expetitam, aut quidquam amittere, vel si arte ludendi sit notabiliter alteri superior, ita ut moraliter certus sit de victoria. Quia tunc error dedit causam contractui: alter enim non voluit ludere, nisi quia contrarium putavit. Præterea hæc sunt contra justitiam ludi, exigentem, ut inter ludentes sit æqualitas moralis in spe lucrandi, & in periculo perdendi: nam hic contractus est utrinque onerosus, non donatio; nec ad remunerandum digniorem & petitiorem luditur, sed in eo emitur spes lucrandi periculo perdendi: ideoque requirit æqualitatem inter spem & periculum. Idque verum est, etiamsi excessus peritiæ sit notus alteri; nisi præterea ex circumstantia censeatur donatio spontanea lucri ex parte minus periti. Nam sicut non sufficit ad justitiam venditionis, si emptor vilium rei norit, & rei cupiditate solvat pretium justo majus, quia aliter eam habere nequit, nec donare excessum censetur; ita in ludo &c. nisi inæqualitas peritiæ aliunde compensetur. Quamdiu tamen uterque ignorat excessum notabilem peritiæ alterius, lucrum est justum etiam in peritiore: quia uterque tunc se exponit periculo perdendi, & sicut lucranti occurrit imperitior, ita poterat occurrere peritior, & sic contractus fuit fortunæ, & ex utraque parte æqualis. Præterea ludentis hoc animo ludunt, ut lucrum retineri possit, dum neutri constat de notabili excessu. 5. Juxta varios, si victor luserit ex animo repetendi solutum; quia non habebat jus lucrandi, & decepit alterum, qui non voluit ludere nisi supposita spe lucrandi. Qui tamen lusit animo solvendi, potest mutare animum peracto ludo, & solutum repetere in judicio.

Quæst. V. *An qui ludo vetito, seu aleæ aliquid lucratus est, teneatur lucrum restituere, vel qui perdidit solvere?*

Nota. Agitur hic de magna summa, nam qui modicum perdidit, tenetur solvere. Quia contractus ludi fuit justus, obligaque naturaliter, nec leges, quæ vigent, prohibent modicum quid ludo per se illicite exponere, ac proinde lucrum modicum solutum retineri potest, nec conceditur jus illud repetendi.

Resp. 1. Juxta communem sententiam, secluso lege speciali loci irritante contractum ludi, magna pecuniæ summa jam acquisita ludo vetito, seu aleæ, servata aliunde justitia, potest retineri in conscientia, donec per sententiam judicis exigatur restitutio. Quia contractus ludi jure naturæ habet vim transferendi dominii ex libero consensu ludentium, & jure positivo communi, vel saltem ex consuetudine non est ipso facto irritus: nec ludentes redduntur inhabiles ad transferendum dominium, neque obligantur ad restitutionem nisi post sententiam judicis. Ex eo autem quod contractus sit prohibitus, non ideo hoc ipso est irritus, *quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, cap. 16. *de reg. jur.* ut patet in matrimonio post votum simplex castitatis contracto, in negotiatione Clericis interdicta &c.

Resp. 2. Qui aleæ ludit, & notabilem pecuniæ summam perdidit, sistendo in jure naturali, tenetur solvere. Quia contractus fuit validus, ac proinde ex illo victor comparavit jus ad id, quod lucratus est. Præterea qui perdidit, debuit ludendo consentire in solutionem, si perderet: alioqui mala fide lusisset, ideoque lucrari non potuisset.

Sed controvertitur, an jure civili communi seu Cæsareo, lusor teneatur in conscientia solvere debita ludo contracta? Alii negant, quia, l. 1. Cod. *de aleator.* conceditur victo & ejus hæredibus jus repetendi in judicio quod solvit. Ergo victus potest jure retinere id, quod solutum repetere statim post: cui enim lex dat actionem repetendi, ei etiam dat exceptionem, ut non solvat, juxta reg. jur. 72. in 6. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multo magis admittendus.* Et l. 189. §. *de reg. jur.* Præterea leges Cæsareæ statuunt, ut victus non cogatur solvere. Unde cum retinere meam rem, & datam recipere æquivaleant; injustum non est eummodiorem modum absque inutili circulo eligere. Hinc l. 3. §. *de compensat.* dicitur; *Interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere.*

Alii vero contendunt, debitorem teneri solvere, nisi judicem requirat pro debiti sui absolutione. Quia 1. Qui lusit, valide lusit; ergo contraxit obligationem standi contractui valido, donec irritetur; & sic victor habet jus ad solutionem, donec eo privetur per judicem. 2. Sicut qui valide lusit & perdidit, non potest ante sententiam judicis solutum repetere, aut occulte recipere; ita nec potest ante sententiam non solvere. 3. Leges non concedunt jus repetendi solutum nisi in judicio: ergo jus non solvendi acquiritur solum per sententiam judicis; & cum dicunt, victus non cogatur solvere, subintelligitur *a judice*, unde significant solum actionem victori non dari ad repetendum. Porro certum est victum teneri solvere, si juravit se soluturum: quia juramentum de re licita præstanda servari debet ex religione & reverentia erga Deum.

Dixi *jure communi*. Nam potest esse alia consuetudo patriæ, vel lex specialis annullans obligationem naturalem solvendi debita ludo contracta, prout est in Gallia ex dicto Ludovici XIII. quoad hoc recepto. Sed videtur in his rebus standum esse consuetudini receptæ, nec lege abrogatæ.

Quæst. VI. *Quid est sponsio, & quid ad ejus justitiam requiritur?*

Resp. Sponsio est contractus, quo duo vel plures de veritate aut eventu rei alicujus contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut id sit ejus, qui veritatem fuerit adsecutus.

Ut hic contractus sit justus, necesse est: 1. Ut res de qua agitur, in eodem sensu ab utroque accipiatur: nam aliquo nullus esset contractus sponsionis, siquidem spondentes non consentirent in idem, si diversimode rem intelligerent. 2. Ut res de qua contenditur, sit incerta utrique contrahenti. Alioqui jam non esset æqualitas in spe & periculo, quæ ad justitiam sponsionis requiritur: nam sponsio est contractus onerosus, quo emitur spes lucrandi periculo perdendi.

Hinc si quis certus de rei veritate, vel eventu, aliquid sponsione lucratus est, tenetur id restituere, etiamsi de sua certitudine alterum monuisset, qui nihilominus vellet contendere. Quia hic non vult donare, aut se punire, sed spondere, eo quod putet rem esse semper incertam, & falli ab alio: & ideo diligenter postea veritatem inquirit. Cum autem in sponsione ematur, & vendatur spes lucri periculo amittendi, veluti merx pretio; si nullum sit periculum perdendi, nihil emitur, nec venditur; ac proinde invalidus est contractus, sicut invalida est emptio gemmæ falsæ pro vera, etiamsi emens monitus fuisset fallax esse, sed credere noluisset. *Deluge.*

CAPUT XII.

De ultimis voluntatibus.

Quæst. I. *Quid est testamentum?*

Resp. Est legitima dispositio de iis, quæ quis vult fieri post mortem cum institutione hæredis, vel legatarii universalis. Quod addo, quia in Gallia ad testamentum non requiritur hæredis institutio, immo si fieret, dicitur testamentum a judicibus declarandum esse irritum: quia lex consuetudinaria permittit solum institutionem legatarii universalis, quando non institutur hæres is, qui ab intestato foret.

Dividitur in sollemne, in quo servantur omnes sollemnitates a jure præscriptæ; & in privilegiatum, quod valet, etiamsi non omnes illæ sollemnitates serventur: tale est testamentum militare. Sollemne subdividitur in scriptum, seu clausum, quod fit scripto coram testibus requisitis; & in nuncupativum, seu apertum, quod fit viva voce coram testibus requisitis, licet postea possit scripto mandari.

Circa sollemnitates a jure in testamentis requisitas consuli debent leges ac locorum consuetudines.

Jure autem Cæsareo ad testamentum scriptum hæc requi-

requiruntur. 1. Ut hæres claris & expressis verbis instituatur, illiusque nomen propria manu testatoris scribatur, vel si aliena, ipse testator scribat, & subscriptum ac involutum ostendat testibus: dicatque in eo suam ultimam voluntatem contineri. 2. Ut adhibeantur septem testes rogati, masculi, puberes, idonei, hoc est, qui non excludantur a jure, quales sunt hæres, filiusfamilias, furiosi, damnati ob crimen &c. 3. Ut omnes & singuli testes nomen suum subscribant propria manu, & annulo seu sigillo obsignent. 4. Demum ut id totum in uno eodemque loco & tempore, unoque contextu peragatur, l. 21. Cod. *de testam.*

Ad nuncupativum requiritur solum, ut testator suam ultimam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quam circa legata coram septem testibus, masculis, liberis, puberibus, & ad id vocatis, declaret distincta voce, ut possit audiri.

Quæst. II. *An testamentum destituum solemnitate requisita a jure civili, validum eſt in conscientia?*

Resp. Circa hoc multiplex est sententia. Prima docet, tale testamentum esse invalidum in utroque foro, ita ut hæres per illud institutus, & legatarius teneatur ante sententiam judicis restituere hæredibus ab intestato. Secunda asserit, valere in conscientia, ita ut hæredes ab intestato non possint licite repetere hæreditatem vel legatum; & si adjudicetur ipsis a judice, teneri ad restitutionem, si ipsis constet de voluntate testatoris. Tertia, inter hasmedia, docet illud nullam parere obligationem civilem, sed solum naturalem, & quidem infimam, quæ per judicem tolli possit, atque ita non esse omnino invalidum in foro conscientiæ, sed valere ad hoc, ut hæreditas vel legatum possit retineri in conscientia, donec a judice adjudicetur hæredibus ab intestato: neque etiam omnino firmum, quia post sententiam judicis relicta per illud restitui debent hæredibus ab intestato. *Ita Sanchez, Layman, & alii*, qui sic putant conciliari posse leges in speciem contrarias. Unde leges, quæ dicunt testamentum destitutum sollemnitate pro infecto habendum, nullum esse, scilicet, inquiunt, per sententiam judicis, qui ob defectum sollemnitatis efficaciam ejus elidit.

Ego assentior iis, qui docent, hac in re confundendam esse locorum consuetudinem, & praxim judiciorum, atque servandum id quod æquus judex perspecta penitus veritate judicaret. Nam idem in utroque foro servandum est, ubi forum externum non nititur falsa præsumptione, nec damnat in pœnam quæ judicis sententiam requirit. Quare si judex quamvis certo norit voluntatem testatoris, rescindat testamentum ob defectum sollemnitatis, & hæreditatem ac legata prophana adjudicet hæredi ab intestato, ea ipsi debentur in conscientia ante sententiam. Quia sicut privati possunt apponere contractibus suis conditiones, quibus omissis nolunt valere contractum; ita princeps, vel respubl. cui subditorum persona ac bona subjiciuntur in ordine ad bonum commune, potuit propter fraudis periculum, & majorem dispositionis cautionem facere, ut consensus contrahentium ac disponentium sine certa sollemnitate esset de facto irritus; seclusa autem constat ex verbis legis, vel consuetudine & prasi judiciorum, quæ est legum interpres.

Nota. Testator tenetur hæredes instituere in portionem legitimam descendentes, & his deficientibus ascendentes, nisi justam exhæredandi causſam habeat: unde hi dicuntur hæredes necessarii.

Quæst. III. *Quinam testari non possunt?*

Resp. 1. Qui carent usu rationis, ut infantes, & perpetuo amentes. 2. Filiusfamilias. Si tamen puberes sit, potest testari de bonis castrensibus & quasi castrensibus ad quaslibet causſas, & de adventitiis ad pias causſas; sed cum patris consensu, ex c. 4. *de sepultur.* in 6. 3. Servus. 4. Religiosi sollemniter professi. 5. Prodigi post interdictam administrationem. 6. Qui commiserunt aliquod crimen, cui jure annexa est talis pœna, & morte damnati. 7. Clerici de bonis ecclesiasticis, c. 9. *de testam.* in multis tamen locis consuetudo est contraria; sed semper tenentur de iis in pias causſas disponere: nam juxta communem sententiam tenentur jure divino naturali ea bona toto vitæ tempore sic impendere. Quare nulla consuetudo, nec potestas humana potest eos excusare vel dispensare.

Quæst. IV. *Quid eſt Codicillus?*

Resp. Est scriptura continens ultimæ voluntatis dispositionem circa ea, quæ quis vult fieri post mortem circa hæredis, seu legatarii universalis institutionem. Adhibetur ad legata, ac fideicommissa relinquenda, vel ad aliquid explicandum, aut mutandum circa testamentum. Ad ejus valorem sufficiunt quinque testes licet non rogati, nec requiritur, ut testator manu propria subscribat.

Quæst. V. *Quænam notanda sunt circa legata?*

Resp. Sequentia. 1. Legatum est ultima voluntatis dispositio, qua testator particulare donum ab hæreditate selectum directis verbis alicui relinquit. Sumitur etiam pro ipso dono sic relicto.

2. Legata solvi debent ex justitia statim post aditam hæreditatem; & ex hoc legatarius acquirit eorum dominium. Quare si executor testamenti negligat ea solvere, tenetur de damno inde secuto, nam peccat contra proprium officium in damnum alterius; executor enim constituitur ad præstandum id omne, quod testator fieri voluit: qui autem peccat contra proprium officium ad alterius commodum spectans, peccat contra justitiam. Si nullus sit constitutus executor, tenetur hæres: nam hæreditatem acceptando se obligavit implicite ad præstanda onera ei annexa.

3. Legatum transmittitur ad hæredes legatarii.

4. Legatum sub modo factum obligat ad modum illum observandum, si modus sit in utilitatem tertii, vel legantis. Quia tunc testator præsumitur voluisse ad eum obligare: secus dicunt, si modus sit in solam utilitatem legatarii, quia non præsumitur obligatio inducta, nisi aliunde colligatur, sed solum testator explicuisse motivum legandi. Quando autem testator obligat ad modum implendum, aliquando obligare vult, non ita tamen, ut si non impleatur, legatum revocetur, & restitui debeat, sed ut peccet legatarius contra justitiam, si non observet. Aliquando vult, ut modo non observato res legata restituatur, vel cum fructibus perceptis, vel sine illis. Quæ omnia pendent ex intentione testatoris, quæ arbitrio prudentis ex ejus verbis, & aliis conjecturis ac circumstantiis colligenda est. Quando legatum relictum est Ecclesiæ, vel piæ causſæ sub modo obligante, nisi aliud testator expresserit, non censetur voluisse, quod revocetur legatum, si modus non servetur, c. *Verum*, de condition. appos.

5. Si

5. Si legatum ad certam piam causſam factum nequeat ei applicari, debet ab hærede dari in alteram piam causſam impendendum judicio Episcopi. Nam defunctus censetur in tali casu voluisse, ut alteri piæ causſæ applicaretur, cum id æque sit gratum Deo, & utile ejus animæ. Episcopus vero ut interpres voluntatis defuncti, tunc habet jus legata pia ad alium pium usum destinandi, ex c. 3. & 17. *de testam.* Legatum vero relictum ad causſam prophanam, si impleri nequit, redit ad hæredem.

6. Quamvis testamentum ad causſam non piam defectu solemnitatis esset invalidum in utroque foro, tamen legata pia in eo contenta valida sunt, & ea statim solvere tenetur hæres ab intestato, si constet quoad illa de voluntate defuncti, ex c. 11. *de testam.* Tum quia ipsa pia legata sunt remedia vulgo ad testatoris salutem necessaria, & semper utilia, imo sæpe restitutiones ex justitia debitæ, & a confessario præscriptæ; Tum quia juxta leges Cæsareas legata etiam prophana relicta sine solemnitate requisita solvi debent, si constet de voluntate defuncti, ex instit. *De fideicom.* & ex c. 4. *de testam.* In Gallia vero jure consuetudinario secundum communem Doctorum Gallorum sententiam hæres tenetur in conscientia solvere legata ad pias causſas, quamvis in iis, vel in testamento præscriptæ solemnitates omissæ fuerint: secus si sint ad causſas prophanas: Hinc quando hæredi constat voluntatem testatoris esse, ut aliquid in causſam piam distribuatur, licet id in foro externo probari nequeat, tenetur in conscientia solvere. Tunc enim probatione opus non est, dum de veritate constat.

Quæst. VI. *Quid eſt fideicommissum?*

Resp. Est ultima voluntatis dispositio, qua testator fidei hæredis committit aliquid alteri tradendum. Duplex est, aliud universale, in quo tota hæreditas committitur danda alteri. Sed jus Cæsareum concedit fideicommissario quartam partem hæreditatis, quæ Trebellianica dicitur a jureconsulto Trebellio; ne inutiliter hæreditatem adierit.

Aliud particulare, in quo tantum pars hæreditatis committatur danda alteri.

Quæst. VII. *An valeat in foro conscientiæ fideicommissum in favorem ejus, qui per leges non potest hæres vel legatarius institui?*

Resp. 1. Testator peccat mortaliter ita disponendo, & etiam is, qui talis dispositionis executionem promittit: quia violat legem justam, quæ id graviter prohibet. Hinc S. Hier. epist. ad Nepotian. alt: *Per fidei commissa legibus illudimus.*

Resp 2. Is qui per fideicommissum etiam occultum, hæreditatem aut legatum accipit tradendum personæ, quæ per leges excluditur ab hæreditate, vel legato ieu dono, puta alio spurio, vel uxori defuncti, ita ut non acceperit, nisi sub hac conditione sibi significata: non potest licite tale fideicommissum exequi, sed tenetur accepta restituere legitimis hæredibus ab intestato. Quia 1. alioqui ageret contra intentionem & finem legis, & ipsam legem prohibentem, ne hæreditas vel legatum & donum talibus personis tradatur simpliciter, ideoque sive directe, sive indirecte. *Nam certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complettens, contra legis mentem voluntatem*, reg. 88. jur. in 6. *Et eum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*, reg. 84. jure in 6. Jam vero *quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*, reg. 64. jur. in 6. & leges justæ obligant in conscientia.

2. Tale fideicommissum est in fraudem legis, ejusque efficaciam prorsus eliderent, si liceret aut valeret. *At fraus & dolus alicui patrocinari non debent:* ait Concil. gener. Lateran. IV. can. 46. Item persona, quæ per legem excluditur ab hæreditate vel legato, reipsa bona acciperet a principali testatore per alium tamquam instrumentum: at lex id vetat, hoc ipso quod illam excludit a bonis defuncti. *Ita Covar. Azor. asserens esse communem sententiam.*

Igitur tale fideicommissum debet censeri tamquam si factum non fuisset, ac proinde bona defuncti per illud accepta pertinent ad hæredes legitimos ab intestato. Nam qui accepit aliquid tradendum alteri, non potest illud sibi retinere, quia revera non est donatum fuit; neque potest tradere illis, qui per leges sunt incapaces illud accipiendi. Hinc Covar. & Azor. ex communi (ut ipse ait) sententia, docent, filium spurium qui accepisset bona parti fideicommissum, vel alio modo, teneri ante omnem sententiam ea restituere legitimis hæredibus ab intestato venientibus, vel testamento institutis, cum justa lege eorum bonorum capax non sit.

Porro in Gallia id omnino certum est: nam ibi, & forte etiam in multis aliis locis, quodvis fideicommissum jure saltem consuetudinario vim legis habente, & obligante in conscientia, reprobatum est, nullumque jus tribuit.

TRACTATUS

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Quæst. I. *Quid eſt beneficium Ecclesiasticum?*

Resp. Est jus perpetuum auctoritate Ecclesiæ constitutum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale.

Dicitur 1. *Jus perpetuum:* quia beneficium institutum est, ut semper duret, adeo ut si uni auferatur, debeat tribui alteri. Hinc Vicaria amovibilis non est proprie Beneficium.

2. *Auctoritate Ecclesiæ*, hoc est, Papæ, vel Episcopi, nam ad eos solos pertinet officia spiritualia instituere, eisque proventus annectere. Hinc Cappellaniæ non collativæ, sed a privatis licet in perpetuum dotatæ, pro Missarum celebratione, non sunt Beneficia.

3. *Ex bonis Ecclesiasticis*, id est Ecclesiæ ad Dei cultum donatis, ex quibus erecta sunt Beneficia, & ex quibus soli fructus cedunt beneficiariis: non autem fundus, qui semper remanet Ecclesiæ cujus bona immobilia alienari non possunt sine justa causſa, & licentia Papæ; alioqui alienatio ipso jure irrita est.

4. *Propter officium spirituale*, hoc est, ad functiones seu actiones aliquas spirituales obeundas, quales sunt recitare Horas canonicas, facere sacrum, administrare Sacramenta, prædicare verbum Dei &c. Nam beneficium propter officium institutum est, & ad aliquam functionem spiritualem obligat, ex Con-

cil. Trid. seff. 21. c. 3. &ult. de reform. in 6. ibi: *Officium propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur.*

Quæst. II. *Quotuplex est Beneficium?*

Resp. Dividitur 1. In Beneficium sæculare, quod Clericis sæcularibus; & in regulare, quod Regularibus addictum est, & conferri debet.

2. In simplex, & duplex. Simplex est illud, quod nullam habet adnexam curam animarum, jurisdictionem, præeminentiam, dignitatem, administrationem, sed solum obligationem recitandi officium divinum, & Missas celebrandi; ut Cappellania, simplex Canonicatus, item Præstimonium, quod est portio ex ecclesiasticis proventibus detracta, quæ adolescentibus studiorum causa confertur in titulum perpetuum, habetque annexum officium spirituale. Duplex est illud, quod annexam habet curam animarum, vel jurisdictionem in foro externo, vel præeminentiam, vel administrationem Ecclesiasticam, ut Episcopatus, Parochiale Beneficium, Abbatia, Præpositura, Canonria &c.

3. In manuale, quod potest ad collatoris nutum auferri, ideoque deficit a proprietate Beneficii defectus perpetuitatis; & in non manuale, quod adimi nequit, nisi ob crimen, vel irregularitatem.

4. In collativum, quod confertur per voluntatem absolutam ac liberam Prælati; in patronatum, quod confertur a Prælato ad præsentationem vel nominationem factam per patronum: & electivum, quod per suffragia electorum, accedente postea confirmatione, confertur.

5. In titulare, quod feilicet ad vitam, & cum plenitudine Juris confertur; & in commendatum, quod solius administrationis, aut custodiæ causa datur. Quod si detur in vitam commendatarii, tunc omnia fere jura eis competunt, quæ titularibus. Unde commenda perpetua æquivalet Beneficio in titulum dato.

6. In incompatibilia, & compatibilia. Incompatibilia sunt ea, quæ annexam habent curam animarum, vel quæ personalem residentiam postulant, ut sunt duo Episcopatus, duo curata Beneficia, duæ dignitates &c. vel quæ in eadem Ecclesia instituta sunt ad eumdem finem, habentque idem onus ac officium eodem tempore persolvendum; qualia sunt duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, ut duo Canonicatus in eadem Ecclesia. Compatibilia vero sunt ea, quæ personalem residentiam non exigunt, nec idem onus ac officium eodem tempore persolvendum.

Quæst. III. *Quot modis acquiruntur Beneficia?*

Resp. Prima regula juris in 6. sic habet: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite* (subintelligetur etiam, nec valide) *sine institutione canonica obtineri.* Institutionis autem canonicæ diversi sunt modi, nempe sex, quibus beneficia acquiruntur, nimirum. 1. Collatione libera. 2. Præsentatione, & subsequuta institutione. 3. Electione, & subsequuta consequuta confirmatione. 4. Postulatione, & subsequuta admissione. 5. Resignatione accepta in favorem. 6. Permutatione approbata. Sex illis modis addi potest interdum, sola electione jus habentium absque alia confirmatione, & nunc dicuntur Beneficia electiva collativa, alia autem confirmativa.

Observanda est hic regula Cancellariæ de triennali possessore, quæ sic habet. *Voluit & ordinavit idem Dominus noster, ut si quis quæcunque Beneficia ecclesiastica, qualiacunque sint, absque simoniaco ingressu, ex Apostolica, aut ordinaria collatione, aut electione per triennium pacifice possederit, si se non intruserit, super hujusmodi beneficiis molestari nequeat; necnon impetrationes de Beneficiis sic possessis factas, irritas & inanes censeri decrevit.* Valet autem in utroque foro ex *Clement. de sequest.* quia Papa supplet id, quod deest ex justo titulo, censeturque, illud interea conferre. Sed ad hoc requiritur titulus saltem coloratus, & capacitas possessoris, alioqui haberetur pro intruso. Quod si provisus habuerit impedimentum sibi cognitum, cum ei collatum est Beneficium, v. gr. defectum ætatis, censuram &c. tum non ei prodest illius regulæ præsidium, nisi titulum coloratum habuerit, quia non possedit bona fide.

§. I. *De libera collatione.*

1. Collatio libera est concessio juris realis in Beneficio, procedens ex mero arbitrio conferentis. Dicitur libera, ut distinguatur ab institutione & confirmatione, quæ sunt quidem collationes, seu concessiones juris, sed non liberæ: nam tenetur Prælatus præsentatum a patrono, & electum suffragiis electorum instituere, nisi obstet indignitas Præsentati, vel electi, quæ probetur juridice.

2. Jure communi Episcopus habet potestatem conferendi Beneficia in Diœcesi sua vacantia, cum in ea sit princeps & moderator sacrorum. Hanc habere possunt etiam alii inferiores, ut Capitulum, Abbates. Si collator Beneficii illud conferre neglexerit intra sex menses a die, quo notitiam vacationis habuit, vel si intra illud tempus indigno contulerit, collatio jure devolutionis pertinet ad proximum superiorem, & sic gradatim ad Papam, a quo non regreditur ad Ordinarios.

3. Licet debeat conferri Beneficium sine pacto, vel conditione, Episcopus tamen post exigere conditiones, quæ ex natura rei insunt: cum enim exigantur tacite, possunt quoque exigi expresse.

§. II. *De Præsentatione, & Jure Patronatus.*

Præsentatio ex exhibitio personæ cujusdam ad Beneficium, legitime facta per patronum superiori, ad quem pertinet institutio, quæ est concessio juris realis in Beneficio facta ad præsentationem patroni. Præsentatio vero potest fieri etiam per laicos, si jus patronatus habeant: nam præsentatio non dat jus in re, sed solum ex dispositione canonum dat jus ad rem, ita ut præsentatus institui debeat a prælato, nisi probetur indignus.

Jus Patronatus est potestas præsentandi Clericum ad Beneficium vacans. Dico, *vacans*: nam si non vacet, irrita est præsentatio, eo quod sit contra bonos mores utpote præbeas desiderandæ mortis occasionem. Et ob hanc causam prohibita est promissio Beneficii antequam vacet, cap. 2. *de concess. præbend.* ex Concil. gener. Lat. III. Quod si fiat, nulla est promissio, sicut provisio inde obtenta, ex reg. 22. Cancell.

Pluribus modis hoc jus acquiritur. 1. Fundatione, hoc est donatione soli, seu aræ ad superædificandam Ecclesiam. 2. Ipsa Ecclesiæ ædificatione. 3. Dotatione Ecclesiæ, assignatis sufficientibus redditibus. Unde possunt esse plures ejusdem Ecclesiæ patroni.

4. Præ-

Præscriptione, scilicet multiplicatis præsentationibus per tempus immemoriale. 5. Concessione Papæ.

Jus Patronatus dividitur, in Ecclesiasticum, quod alicui competit ratione beneficii a se possessi, aut ex eo quod de bonis Ecclesiasticis Beneficium fundarit, vel dotarit: & in Laicum, quod alicui competit ex eo quod ipse vel aliqui e suis prædecessoris Ecclesiam fundavit, vel exstruxit; vel dotavit.

Patrono Laico conceduntur ad præsentationem quatuor menses a notitia vacationis Beneficii; sex vero Ecclesiastico. Si intra id tempus patronus non præsentaverit, tunc potest Episcopus Beneficium, cui voluerit, conferre, c. 3. *de Jure Patron.* Quod si duo pluresve patroni diversas personas nominent, & sint æqualia horum suffragia, potest superior quam illarum maluerit præferre, sed tenetur semper in conscientia digniorem præferre. Si vero plures patroni in unum consentiant, aliis dissentientibus, præfertur sententia majoris partis, c. 3. *de Jur. Patron.* Quod si absque scandalo fieri nequit, Episcopus pro suo arbitrio alium, etiam a nullo præsentatum, substituere potest. Item si patronatus laicus duos successive præsentet ante institutionem, tunc potest Episcopus alterutrum pro arbitrio instituere, sed debet digniorem. Secus, de patrono ecclesiastico: nam prior ab ipso præsentatus debet institui, c. 24. *de Jure Patron.* si fuerit dignus; alias neuter, quia jure suo pro hac vice excidit. Ratio disparitatis est, quia patronus ecclesiasticus præsumitur nosse digniorem, quem proinde statim nominare debet, ideoque variare non debet quod permittitur laico, qui præsumitur non satis nosse digniorem, ideoque plures cumulative præsentare potest.

✠ Circa præsentationem a Patrano Ecclesiastico faciendam ad Parochiales Ecclesias, S. M. Benedictus XIV. Constitutione, quæ incipit *Reddita nobis*, quæ tria ab Archiepiscopo Florentino proposita dubia resolvuntur, statuit: Primo, Patronum Ecclesiasticum ad Beneficium curatum præsentare debere eum, qui magis idoneus, magisque dignus est inter approbatos ab Examinatoribus. Secundo: Si inter examinatos nullus sit, qui de judicio queratur, debere Episcopum præsentato beneficium conferre, nec in Patroni judicium inquirere; si vero aliquis ex concurrentibus judicio illi minime acquiescat, posse Episcopum, antequam institutionem concedat, in Patroni judicium inquirere. Tertio: Si is, qui se digniore n existimat, & posthabitus est, appellationem interponat, admittendum esse tantum in devolutivo, at non retardare possessionem præsenturi, si judicium Episcopi cum Patroni judicio, conveniat; si vero in ferendo judicio de magis digno, sententia Episcopi, & Patroni Ecclesiastici minime concordant, tum si quis ex approbatis ab Examinatoribus, & tamquam magis dignus prælectus est a Patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo, neque ejus judicio acquiescere vult, & ideo provocat: ejus appellationem ad suspensionis effectum operari debere, & Ecclesiam Parochialem sub Œconomo remanere, donec lis finiatur. ✠

Patronatus non potest seipsum præsentare, c. 25. *de Jure Patron.* sed potest filium suum, si idoneus sit. Episcopus tamen potest patrono Beneficium motu proprio conferre. Si patronus laicus præsentet indignum, jubetur alium dignum præsentare: si Ecclesiasticus, privatur hac vice jure præsentandi.

§. III. *De Electione, Postulatione, & Confirmatione.*

Electio est designatio personæ capacis ad præferaturam vel Beneficium vacans, facta per suffragia. Per eam acquiritur jus ad Beneficium: nam jus in Beneficio, sola confirmatione obtinetur; quare si quis absque confirmatione immiscat se administrationi Beneficii, censetur intrusus, & amittit jus, quod erat per electionem confectus, cap. 3. *de elect.* in 6.

Electio ex Concil. gener. Later. IV. c. 24. triplici modo fieri potest, vel per scrutinium, cum quilibet eligentium suffragium suum secreto tradit: vel per compromissum, cum eligendi potestas in unum, vel plures communi eligentium consensu transfertur: vel per inspirationem, cum eligentes subito quodam motu in unum communiter consentiunt.

Ut electio valeat, hæc requiruntur. 1. Ut omnes eligentes sint saltem Subdiaconi, si agatur de electione virorum: nam ex Clement. 2. *de ætat.* & Concil. Trid. seff. 24. c. 4. nemo ferendi suffragium jus habet, nisi sit saltem Subdiaconus. 2. Ut vocentur omnes, qui eligendi jus habent. Non obstat tamen, si aliquis de capitulo vocatus venire noluerit, vel nequiverit, c. 28. *de elect.* 3. Ut eligatur is, in quem omnes, vel major, vel sanior Capituli pars consentit, ex Conc. Later. IV. c. 24. Pars autem sanior sic intelligitur, quæ in electione omnes regulas canonum servat: minus sana, quæ non servat.

Postulatio est facta ab electoribus Superiori obtestato, ut ad vacans Beneficium vel dignitatem admittere velit aliquem, qui eligi non poterat ob impedimentum canonicum, quod non est vitium corporis, aut animæ.

Confirmatio est concessio juris in Beneficio facta a Superiore ei, qui electus vel postulatus est. Unde non differt ab institutione, nisi quod hæc connoter præsentatum, illa vero electum, vel postulatum. Porro electus debet, seclusio impedimento, intra tres menses a notitia electionis acceptatæ petere confirmationem, alioqui electio est irrita, c. 6. *de elect. in 6.*

§. IV. *De Resignatione.*

Resignatio est spontanea dimissio sui Beneficii facta coram legitimo Superiore eam acceptante, scilicet Papa vel Episcopo. Duplex est, altera simplex, seu sine ulla apposita conditione, & hæc fieri potest coram eo, cujus est conferre Beneficium, & instituere; altera conditionalis, quæ fit cum aliqua conditione, & hæc iterum duplex est: nam fiat ex conditione, ut Beneficium alteri designato conferatur, dicitur resignatio in favorem: si fiat ea lege, ut resignans a resignatario aliud Beneficium accipiat, est permutatio. Sed operæ pretium est scire quæ requirantur, ut resignatio sit valida, & licita. Quare.

Dico 1. Ut resignatio in favorem, vel sub onere pensionis sit valida, requiritur, 1. Ut Beneficium sit Resignantis; nam Resignatio est sui juris cessio. Quod si resignans commiserit delictum, ob quod certo privabitur beneficio, modo non teneatur illud dimittere ante sententiam judicis, Resignatio ante illam

illam facta valebit, sed potest irritari. 2. Ut sit spontanea, hoc est, nec metu injusto, nec vi, nec dolo extorta; alioqui est nulla, vel certe annullanda, c. 4. *de iis quæ vi, metusve causa fiunt*, &c. 5. *de renunt. & Clem. 1. de Pœnit.* 3. Ut in manus Papæ fiat, nam in jure prohibetur Resignatio in favorem, can. *Pierique*. 8. q. 1. & omnis pactio in Beneficiis jure communi prohibetur, ne scilicet jus hæreditariæ successionis in Ecclesiam introducatur, ne fit locus acceptioni personarum, & ne libertas conferendi collatoribus adimatur. 4. Requiritur consensus patroni laici, si Beneficium fuerit patronatum. 5. Debet acceptari a Papa, alioqui resignans non perdit jus suum, ei ult. *de renunt.* 6. Debet conferri Beneficium ei, in cujus favorem resignatum est, non alteri, nec aliter, alioqui provisio non valebit, quia fieret sine Beneficii vacatione; non enim tunc vacat per resignationem, cum hæc habeat hanc conditionem, sine qua possessor non intendit resignare. 7. Debet acceptari ab eo, in cujus favorem resignatur; alioqui resignans non amittit jus suum, cum non resignet nisi sub hac conditione. Porro resignans etiam post acceptationem Superioris manet sui Beneficii possessor, donec Resignatarius possessionem acceperit. 8. Si Resignans sit infirmus, debet supervivere viginti dies post Resignationem: aliàs censebitur Beneficium vacare per obitum, non per Resignationem, ac proinde omnis collatio vi illius facta irrita est. Ita Regula Cancellariæ de infirmis. 9. Resignatio facta in Curia Romana debet intra sex menses, a die supplicationis oblatæ computandos, publicari in loco Beneficii. Si autem fiat causa permutationis extra Curiam, debet publicari intra mensem; alioqui si resignans moriatur antequam resignatarius ceperit possessionem, Beneficium censebitur vacare per obitum, & collatio facta resolvetur. Ita Regula Cancellariæ. In Gallia tempus sex mensium, aut unius mensis computatur a die admissæ Resignationis; & hoc tempus potest a Papa prorogari ad partis petitionem.

Dico 2. Ut Resignatio etiam simplex sit licita, debet fieri ex justa causa bonum Ecclesiæ, vel spirituale Resignantis utilitatem spectante. Nam Clerici præsertim beneficiarii ratione sui status debent gloriæ Dei, & utilitati Ecclesiæ inservire; & proinde non eis licet sine causa justa deponere curas spectantes ad Beneficia, quæ susceperunt. Unde S. Pius V. Constit. 32. prohibet Episcopis & aliis, ne admittant Resignationes, nisi eorum, *qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut civicini obnoxii, censuris ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ vel Beneficio inservire; seu qui unum aliud vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri*. Hinc addere juvat vulgarem versum resignandi causas complectentem.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis.
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Dico 3. Ut Resignatio in favorem sit licita, debet insuper fieri ob utilitatem Ecclesiæ, quia scilicet alter judicatur aptior. Nam si Resignatio vel permutatio fiat ob consanguinitatem, vel ex alio affectu carnali, est illicita; si vero fiat pro aliquo commodo temporali utriusque vel alterius, est simoniaca.

Porro jure communi non licet in periculo mortis resignare Beneficium sub conditione tacita reassumi, si convaluerit æger, ex Concil. Trid. sess. 25. c. 7. ibi: *Cum in Beneficiis ecclesiasticis ea, quæ hereditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria, nemini imposterum accedat, aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur*. Et ex Bulla 134. Pii V. In Gallia tamen ei, qui in morbo gravi constitutus resignaverit coram Ordinario, permittitur regressus recuperata valetudine.

Dico 4. Ut Resignatio, vel permutatio cum reservatione pensionis sit licita, præter consensum Papæ & resignatarii requiritur causa justa, quæ est indigentia resignantis. Nam non est alia justa causa dispensandi a lege generali hanc reservationem vetante ob rationem allatam a Congregatione Cardinalium ad reformationem Ecclesiæ deputatorum a Paulo II. scilicet, quia *reditus sunt annexi Beneficiis ut corpus animæ, idcoque natura sua pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut possit ex eis vivere honeste pro suo ordine: simulque queat sustinere impensas pro divino cultu, & templi sacrarumque ædium reparatione, ut quod reliquum est, impendat in pios usus. Hæc est enim natura horum reddituum*. Et vero ipsa Resignatio Beneficii non est causa justa pensionis exigendæ, cum jus percipiendi fructus fundetur in officio, quod resignans dimittit, & transfert in alium. Ratione autem officii præteriti nil potest exigere, cum propter illud jam reditus perceperit.

✠ *Nota*. Vid. Const. Benedicti XIV. incipien. *In sublimi beati Petri Cathedra* &c. editam 4. Kal. Septemb. 1742. tom. 1. p. 71. in qua Resignationes Beneficiorum cum reservatione pensionis, & pacto eam cassandi per anticipatas, vel anticipandas solutiones, damnantur, & annullantur, adjecta pœna privationis beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, & restitutionis pecuniæ pro cessatione pensionis perceptæ, & irritantur cessationes, & extinctiones pensionum intra sex menses a capta possessione beneficii, ac etiam cessiones commodi exigendi pensiones intra sex menses a capta possessione. ✠

§. V. *De Permutatione*.

Permutatio hic est a beneficiatis facta beneficii sui in manibus ordinarii mutua resignatio ea lege, quod alterius Beneficium alteri conferatur, & vicissim. Si permutanda Beneficia in diversis Dioecesibus sita sint, requiritur auctoritas utriusque Episcopi. Si autem permutatio fiat cum adjectione oneris, vel pensionis, requiritur auctoritas Papæ; quia Beneficia conferri debent sine diminutione, & onere, quod iis jure non inest. Quod si Beneficia sint inæqualia quoad dignitatem, vel jurisdictionem, est simonia juris divini hanc inæqualitatem compensare per aliquid temporale: quia hæc dignitas & jurisdictio est quid spirituale; & res spiritualis æstimaretur & compensaretur re temporali. Si vero sint inæqualia quoad fructus, Papa potest ad inæqualitatem compensandam imponere pensionem Beneficio pinguiori, tamquam conditionem, ut alter indemnis serveretur.

Ad

Ad permutationem eadem requiruntur, quæ supra de resignatione dicta sunt. Quare Beneficia nequeunt aliis quam permutantibus conferri: alioqui invalida erit eorum collatio; quia permutantes non intendunt resignare mutuo Beneficia, nisi ut sibi conferantur. Quod si permutatione facta beneficium deprehendatur subjectum litî; qui illud resignavit, debet litem prosequi, si evictum fuerit, alter redibit ad suum sine nova provisione, & sine nova in possessionem immissione, ex c. 10. *de præbend. in 6.*

Ut permutatio licite fiat, requiritur justa causa, scilicet utilitas Ecclesiæ, seu major Dei cultus, & majus animarum bonum, vel utilitas spiritualis permutantium, quatenus hic in illo Beneficio, & alter in alio melius potest Deo servire, ex c. 3. *de rerum permut.* Ita S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. ar. 3. ad 8. ibi; *In permutatione est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat. Si autem pro aliqua spirituali, scilicet quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia*.

Quæst. IV. *Quænam conditiones seu dotes requiruntur, ut quis sit capax Beneficii possidendi?*

Resp. Ex communi sententia, sunt sequentes. 1. Torus legitimus: nam illegitime nati, sive naturales, sive spurii, sunt incapaces Beneficii ob irregularitatem, a qua solus Papa dispensare potest ad omnes ordines & omnia Beneficia: Episcopus vero nonnisi ad tonsuram, minores ordines, & Beneficium simplex, c. 1. *de filiis presbyt.* in 6. c. 10. *de electione*.

2. Clericatus seu prima tonsura: sine qua irrita est cujusvis Beneficii collatio, ex c. 6. *de transact.* & c. 2. *de in integr.* Ratio est; quia Beneficium fundatur in officio spirituali, & propter illud constituitur: cujus quidem officii incapax est laicus. Si Beneficium ex sua institutione vel lege aut consuetudine requirat certum Ordinem sacrum, carens illo Ordine est ad illud inhabilis, c. 22. *de elect.* ex consuetudine tamen satis est, si intra annum suscipiatur is ordo: sed non debet ultra differri: *ex Clement. de etat. de elect.* & Conc. Trid. sess. 22. c. 4.

3. Ætas idonea, c. 6. *de elect.* alioqui collatio est nulla. Hæc autem varia requiritur pro varietate Beneficiorum. Ad Episcopatum requiruntur triginta anni completi, ex cap. citato. In Gallia sufficit inchoatus annus 27. ex Concordat. Ad Abbatias, dignitates, & parochialia Beneficia annus 23. inchoatus exigitur, ibid. & a Conc. Trid. sess. 24. cap. 13. Tamen ad dignitates non habentes animarum curam animarum sufficit annus 22. completus ex Conc. Trid. ib. Ad Beneficia simplicia, ut sunt Cappellaniæ, annus 14. inchoatus requiritur a Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. Ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis jure novo requiritur annus 22. quia antea non habet subdiaconatum. Ex consuetudine tamen datur habenti tantum annos 24.

4. Calliatus, ita ut si clericus minorum ordinum intrat matrimonium, ipso jure amittat Beneficium, si quod habet. Ita communiter ex c. 2. 3. 5. & 8. *de cleric. conjug.* Et conjugatus ad Beneficia admitti non debet, *nisi forte castitatem voveret perpetuam. & qui unicam & virginem habuisset uxorem*, ut dicitur c. 2. *de cleric. conjug.*

5. Immunitas a censura & irregularitate etiam occulta; ita ut nulla sit non solum collatio Beneficii facta excommunicato, suspenso, vel irregulari; sed etiam ejusdem electio, præsentatio, & resignatio in ejus favorem, ex c. 7. *de cler. excomm.* c. 8. *de etat. & qual.* cap. ult. *de cler. pugnant.* & c. 18. *de sent. excomm. in 6.*

6. Morum probitas, c. 7. *de elect.* & Con. Trid. sess. 23. c. 12. Et ratio ipsa dictat Dei & Ecclesiæ ministros maxime debere esse virtutibus ornatos; cum alios exemplis; monitis & precibus debeant in pietate promovere. Improbo tamen facta collatio non est ipso jure irrita, sed irritanda, nisi crimen annexam habeat censuram, vel irregularitatem, c. 22. *de excess. prælat.*

7. Scientia, ea scilicet quæ ad omnia munia Beneficio annexa recte obeunda requiritur, c. 8. *de elect.* ex Conc. Gener. Later. III. & ex Conc. Trid. Et per se patet, cum propter illa recte persolvenda institutum & datum sit Beneficium.

8. Corporis aptitudo, ea nempe quæ ad officium decenter præstandum necessaria est. Hinc cæcus, mutus, sunt incapaces Beneficii, cum horas recitare nequeant. Cæcitas tamen supervenions non privat Beneficio prius acquisito.

9. Vocatio divina, ex Hebr. 5. Nam ad Deum pertinet ministros suos eligere per vocationem; alioquin quis se exponit periculo damnationis æternæ, cum hic status gravissimis multisque obligationibus sit obnoxius.

10. Intentio perseverandi in statu ecclesiastico, & suscipiendi ordinem muneri suo necessarium, nisi occurrat postea justa causa, quæ alium statum suadeat. Nam ecclesiastica Beneficia instituta sunt pro iis dumtaxat, qui statuerint se ministerio Ecclesiæ manciparе: & Ecclesiam in re gravi decipiunt, qui sine prædicta intentione Beneficia suscipiunt. Quare qui Beneficium accipit animo ejus fructibus fruendi, donec uxorem convenientem invenerit, vel studia absolverit, vel aliis resignandi, secundum communem sententiam, teste Lessio, peccat mortaliter; quia Ecclesiam decipit in re gravi: Beneficia quippe instituta sunt pro iis solis, qui divino servitio se penitus dicarunt. *Nec est absolvendus donec animum mutet, aut Beneficium dimittat*, ait Toletus. Multi tamen docent, hunc non teneri ad restituendos fructus perceptos, si muneri suo satisfecerit; quia jus id usuquam statuerit, nisi de Beneficio parochiali suscepto sine animo recipiendi sacerdotium intra annum; & aliunde eos percepit cum justo titulo, & persoluto officio propter quod dantur.

Adeptus autem Beneficium curatum debet intra annum sacerdotium suscipere: aliàsquin nisi justa causa impeditus fuerit, Beneficio illo privatur ipso facto, c. 35. *de elect. in 6.* Qui vero acceptat parochiam sine animo recipiendi sacerdotium intra annum, peccat mortaliter, & tenetur restituere fructus etiam ante omnem sententiam, nisi mutata voluntate illud recipiat, *ibid.* quia Ecclesia Beneficiura curatum confert cum tali onere, & sub tali conditione. Item qui Beneficium simplex requirens ordinem sacrum admittit sine animo certo illum recipiendi, peccat mortaliter; quia quisque tenetur de jure naturali velle esse idoneus ad munus, quod suscipit, & reipsa se idoneum ad illud rite & cum onere annexo exercendum præbere.

Præterea Dei gloria, animarum salus, & propria perfe-

perfectio procuranda debet esse solum motivum suscipiendi Beneficii ob hunc finem instituti, semota omni cupiditate prava divitiarum, honorum, ac commodorum temporalium.

✠ *Nota.* His, quæ ab Auct. exposita sunt, duo accedunt, quæ sunt a SS. D. N. definita: scilicet.

Beneficia curata, aut residentialia conferri non posse Presbyteris, aut Clericis Congregationis Missionis, Constit. quæ incipit: *Quo magis ubertas &c.* die 18. Decembr. 1742. Et Beneficia Ecclesiastica secularia conferri non posse Canonicis Regularibus Lateranensibus, aut Sanctissimi Salvatoris, absque indulto Apostolico, Constit. cujus initium est *Quod infatigabile &c.* die 9. Julii 1743. ✠

Quæst. V. *An liceat habere plura Beneficia?* (1)

Resp. Non licet sub mortali accipere ac retinere plura Beneficia etiam simplicia, & cum dispensatione Papæ, quando unum sufficit ad honestam sustentationem; nisi aliud postulet Ecclesiæ necessitas, vel utilitas, vel alia justa causa in statu definitionis Ecclesiæ reducendam: *Ita S. Thomas, quodlib. 8. Toletus, Bellarminus, in admonitione ad suum Nepot. Azor, Reginaldus, Layman, Lessius, dicens esse fere communem Theologorum sententiam. Immo videtur nunc communis.*

Prob. Quia 1. Papa non est dominus Beneficiorum sed dispensator. Præterea prohibita est pluralitas beneficiorum a Conc. Gen. Lat. III. Lat. IV. Nic. II. & a Conc. Trid. (sess. 24. c. 17. ubi statuitur, *ut unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, etiam conferri.* At usus dispensationis sine justa causa datæ est illicitus, ut dixi in tract. de Legibus. 2. Hæc pluralitas, nisi necessitas vel utilitas Ecclesiæ interveniat, est vetita jure divino naturali, ideoque prorsus indispensabilis. Nam secluså tali causa, pluralitas, illa est intrinsece mala, cum contineat multas inordinationes, (ut docet S. Thom. sup.) Nimirum, 1. Minuitur cultus divinus; Deus enim magis per plures ministros, quam per unum colitur. 2. Ecclesia destituitur suis operariis: nam unus nequit in pluribus locis residere, nec plurium ministeria obire. 3. Fundatores frustrantur sua pia intentione, nam Beneficiorum fundatio eo tendit, ut plures ministri Ecclesiæ constituantur. 4. Nisi Ecclesiæ necessitas, vel utilitas aliud postulet, iniquum est ut unus stipendia pluribus Ecclesiæ ministris destinata accipiat. 5. Subsidio privantur alii pauperes clerici, & fortasse magis idonei & Ecclesiæ utiliores futuri. 6. Inde prosluunt scandalorum occasiones, & suppeditatur avaritiæ, luxus & ambitionis materia. Quare Conc. Gener. Later. III. ait, c. 14. pluralitatem beneficiorum *certum continere periculum animarum*; & Conc. Trid. cap. cit. addit, hac pluralitate perverti ordinem Ecclesiasticum. Porro Beneficiorum pluralitas non est intrinsece mala, nisi in circumstantiis ubi non adest necessitas vel utilitas Ecclesiæ (2).

Dixi.

(1) *De pluralitate Beneficiorum, quam præsentes in Ecclesia Viri scopulum pene ubi plenum semper arnovare a tempore novatæ Disciplinæ circa dispensationem Ecclesiasticorum redituum, fuse olim disputavit Turnacensis Archidiaconus, & Magister Henricus a Gandavo (Quod. 2. q. 37. & 38.) ubi hæc expendit:* Utrum licitum sit tenere plura beneficia Ecclesiastica, & an hoc sit malum secundum se? Utrum licitum sit per se petere dispensationem ad tenendum plura beneficia? *Angelicus quoque Doctor binas huc pertinentes quæstiones discussit (Quodl. 8. ar. 13. & Quodl. 9. ar. 15.)* Num. scilicet ille, qui habet plures Præbendas, peccet ex hoc ipso, quod opiniones Magistrorum sunt in contrarium? Num habere plures Præbendas sine cura animarum, sine dispensatione, sit in casum mortale? *Posteriori ætate eumdem lapidem cerastim volverunt tum Canonistæ (in Cons. ad tit. 3. de Præbend. & dignit. lib. 3. Decret.) tum Theologi in præsenti Tractatu. Sint exempli loco scripta Francisci Sylvius (qu. 3. ad 2. 2. qu. 63. ar. 2.) & Natalis Alexander in Theol. Dogm. & Mor. (lib. de Benef. c. 3. reg. 24. usque ad 33.) ex illis vero Anacletus Reinfestuel in Jure Canonico (§. 8. & 9. ad Tit. cit.) & Franciscus Schmier in Jurisprud. Can. Civ. (Tract. 2. par. 2. c. 3. sect. 9. qu. 1. & seq.) Historiam accuratam Ecclesiasticæ Disciplinæ, ad pertractandam hanc controversiam scitu necessariæ, suppeditat Ludovicus Thomassinus in Opere Veteri, & nova Ecclesiæ disciplina circa Beneficia (par. 2. lib. 3. c. 2. & seq. plurib.)* adversus pravam Beneficiorum polygamiam, hoc est, plurium in unum idemque caput Sacrorum Ministeriorum coacervationem, *inter alios fulum exacuit Claudius de La Place Presbyter Parisiensis, Universitatis Rector, edito peculiari volumine*, de Clericorum Sanctimonia, *anno 1670.*

(2) *Cum Quodlibetales Quæstiones Angelici non omnibus præsto sint, ubi re non erit hoc loco partem præcipuam transcribere supracitati ar. 15. hinc namque tuæ majori accedat præsenti doctrinæ Auctoris. Ita verba S. Doctoris*; Dicendum, quod actionum humanarum multiplex est differentia. Quædam enim sunt, quæ habent deformitatem inseparabiliter adnexam; ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quæ nullo modo bene fieri possunt. De numero talium non est habere plures Præbendas: aliter in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit. Quædam vero sunt actiones, quæ de se indifferentes sunt ad bonum, vel malum, ut levare festucam de terra, vel aliquid hujusmodi; in quarum numero quidam computant habere plures Præbendas, dicentes, sta licitum esse plures Præbendas, sicut plures poma habere. Sed hoc non videtur esse verum; cum hoc, quod est habere plures Præbendas, plurimas in se inordinationes contineat. . . . Sunt vero quædam actiones, quæ absolute considerate deformitatem vel inordinationem quamdam important; quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur. Sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quamdam importat; sed si adsit autoritas, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum viderur esse habere plures Præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circ-

Dixi, *nisi id postulet &c.* Nam, ut ait Toletus, *plura Beneficia habere est de eorum numero quæ mala sunt; tamen possunt bona fieri, si aliquibus bonis circumstantiis copulentur.* Addit quod perinde sit habere unum Beneficium cum una commenda perpetua seu ad vitam, vel plures commendas, ac habere plura Beneficia in titulum. Nam commenda perpetua æquiparatur Beneficio in emolumento & onere; & Conc. Trid. sess. 24. cap. 17. expresse declarat quod non licet plura Beneficia etiam commendata habere.

Obj. Si pluralitas Beneficiorum esset intrinsece mala, nunquam licita esset.

Resp. Ita est, si esset intrinsece mala in omnibus circumstantiis. Sed non est ex se mala nisi in circumstantiis, ubi non adest necessitas vel utilitas Ecclesiæ.

Quæst. VI. *An est culpa mortalis Beneficium conferre indigno vel minus digno?* (1)

Nota: Indignus dicitur, qui ad officium debite præstandum est ineptus ratione pravæ vitæ, vel ignorantiæ, vel morbi, aut similis impedimenti, vel dubitatur non futurus utilis Ecclesiæ, nec satisfacturus officio: Hinc qui versatur in habitu alicujus peccati mortalis, est indignus: *Quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum*, ait S. Th. quodl. 8. q. 4. art. 6. Dignior censetur non absolute qui doctior est, vel sanctior, sed qui omnibus spectatis putatur melius officio satisfacturus, & futurus utilior Ecclesiæ, ac bono animarum in illo beneficio. (2) S. Th. 2. 2. q. 63. art. 6.

Resp. 1. Mortale est quodvis Beneficium, etiam simplex, conferre indigno, cumve præsentare, eligere &c. dum habeat potestdignus. Ita omnes. Prob. 1. Ex Conc. Gener. Later. IV. cap. *Grave*, de Præbend. *Præcipimus, ut præterquam indignis, idoneis assumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum.* Qui contra fecerit, libertur suspendi a conferendis Beneficiis. Ex Conc. Trid. sess. 7. c. 5. *Inferiora Beneficia ecclesiastica, præter in curam animarum habentia, personis dignis & habilibus &c. conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio omnino irritetur.* 2. Quia cum Beneficium sit institutum propter officium in Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem præstandum; recta-

circumstantiæ possunt supervenire ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur. Ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & non possit plus servire Ecclesiæ vel tantumdem ablens, quam alius præsens; & si quæ alia sunt hujusmodi. Tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantum solum jus naturale; quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed solum ad positivum. Si vero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcoparum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est Præbendarius, tunc non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur quia cum tali intentione & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundum jus naturale, etiam nullo jure positivo intervenente. *Hæc Angelicus Doctor, cujus verba probe observenti ei, quorum interest.*

(1) *Peccatum, quod patrant confertutes Ecclesiastica beneficia vel indigniis, vel minus dignis, opponitur virtuti cardinali justitiæ, dicitursque proprio nomine acceptio personarum, cujus propterea claram distinctamque ideam in hoc ipso quæstionis vestibulo efformare expediet magnopere. Eam describunt Angelic. (lect. 2. in c. 2. ad Galat. & 2. 2. qu. 63. art. 1.) atque Seraph. (Spec. Anim. c. 3.) ad quos Lectorem remitto. Vid. etiam Auctorem in prob. 4. sequentis Resp. 1.*

(2) *Accurata idea vitiosæ acceptionis personarum comparata: quisnam proprie dignus vel indignus, seu magis minusve dignus Ecclesiastico beneficio censeatur, oportet exploratum habere. Hoc vero distincte patefacit Angelicus duplici in loco, prout jam ab Auctore notatum. Verba Quodlibet, quibus & notionem ejusmodi, & totius disquisitionis præsentis nucleum complectitur, sunt ista*: Dicendum, quod aliquis homo dici potest bonus vel melior alter dupliciter. Uno modo simpliciter, & sic melior est, qui in caritate est perfectior. Alio modo secundum quid; & sic aliquis dicitur melior altero vel ad militiam, vel ad magisterium, vel ad prælationem, vel aliquid hujusmodi, qui non est melior simpliciter, eo quod in singulis officiis, tam spiritualibus, quam corporalibus, requiruntur aliqua præter moralem bonitatem ad hoc, quod aliquis sit idoneus ad illud officium exequendum. Dicendum est ergo, quod oportet eligere ad prælationem, vel ad Ecclesiasticum officium aliquem, qui sit bonus simpliciter: quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum. Unde dicit Dionysius loquens de Sacerdote, qui non est gratia illuminatus: non est iste Sacerdos, sed inimicus, dolosus, delusor sui ipsius, & lupus super dominicum populum pelle armatus ovina. Non tamen oportet, quod semper eligatur ille, qui est melior simpliciter. Possibile enim est, quod illi, qui est in caritate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quod aliquis sit Prælatus idoneus, quæ in alio, qui est minoris caritatis, inveniuntur; ut sunt scientia, industria, potentia, & alia hujusmodi. Unde non oportet semper eligere meliorem simpliciter, sed eum, qui sit melior ad hoc officium. Si autem eligat quis eum, quem reputat minus idoneum ad tale officium, peccat. *Sane genuinam hanc esse dignioris notionem, ubi de Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione agitur, satis elucet Bened. XIV. (lib. 4. de Synod c. 8. n. 3.) ubi juxta Concilii Tridentini, ac iteratas responsiones Sac. Congreg. interpretis ejusdem Concilii mentem, se in Litteris Encyclicis diei 24. Decem. 1742. edixisse, Synodales Examinatores ioo deesse munerii, si doctrinæ tantum judices sint; nec inquirant, qui præ aliis probitate morum, laboribus, præstito antea Ecclesiæ obsequio, certisque dotibus ad officium Parochi cumulate obeundum necessariis, sint idonei, & commendabiles.*

cta ratio dictat non posse conferri ei, qui dotibus ad omnes ejus functiones digne obeundas requisitis carer, vel non putatur prudenter ibi officio satisfacturus. 3. Talis promotio cedit in grave damnum injustum Ecclesiæ: quod proinde secundum omnes con pentari debet ab ipso indigno, qui procuravit sibi & accepit Beneficium, & post hunc ab eo qui providit, deinde a cooperatoribus: nam Ecclesiæ ex justitia debetur minister dignus.

Hinc collator, electior, vel patronus debet positive scire, eum cui Beneficium datur esse dignum; nec sufficit, si nesciat esse indignum. Quia ex officio tenetur eligere vel præsentare dignum, ideoque nisse eum, quem præsentat vel eligit, talem esse, unde tenetur diligenter inquirere num sit idoneus: alioqui se exponit periculo præsentandi vel eligendi indignum, & proinde peccandi mortaliter.

Nota. Juxta omnes, teste Deluge, eligere indignum seu ineptum ad officia sacularia, est semper mortale, tum contra caritatem, cum ecclesiæ immortale, tum contra castitatem, cum ecclesiæ immortale, tum contra justitiam; nam resp. rector tenetur ex officio reip. mala præcavere & avertere, & proinde multo magis non ponere illorum causam, & occasionem: alioqui tenetur ad restitutionem. Quod verum est etiam de aliis, qui potestatem a principe accipiunt eligendi vel vendendi illa officia: nam non accipiunt potestatem eligendi, nisi eo modo, quo princeps eligere debet.

Resp. 2. Ad Beneficium annexam habens curam animarum, vel jurisdictionem, vel functionem magni momenti, ut concionandi, docendi &c. item ad superioritatem religiosorum eligere, postulare, proponere, aut præsentare dignum, omisso digniore, ex communi sententia est mortale (1). *Prob.* 1. Ex Concil. Later. III. c. 17. ubi præcipit, *ne ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis*, & ex Conc. Trid. sess. 24. c. 1. ubi declarat, *omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, aut aliquin operam suam præstant . . . mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipse judicaverint eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint*. Et quamvis ibi loquatur de Episcopatibus, tamen idem sentire de Parœciis patet, ex cap. 18. ubi præcipit, ut Parœciæ dentur dignioribus, & dicit patronum teneri digniorem ad eas præsentare. Unde S. Pius V. constit. 33. ait: *Ut non solum dignis, sed etiam magis idoneis repertis juxta Conc. Trid. decretum parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus & eadem auctoritate decernimus*. Et Innoc. XI. damnavit hanc propositionem. *Cum dixit Conc. Trid. eos alienis peccatis communicantes peccare mortaliter, qui nisi quos dignioret, vel Ecclesiæ magis utiles ipse judicaverint ad Ecclesias promovent: Concilium vel ut videtur per bos dignieres, non aliud significare velit nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel* 2. *locutione minus propria ponit dignieres, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur* 3. *quando sit concursus*. 2. Ex S. August. epist. 29. *Nec sane putandum est leve esse peccatum in personarum acceptione*.

(1) *Secunda hæc thesis passim a DD. asserta ut legitimo sumatur sensu, sex sunt animadvertenda. Primo complectitur nationem* dignioris *explicatam in Nova præced. ejus scilicet, qui non simpliciter, sed respectu alicujus particularis beneficii, aut officii dignior est. Secundo desiderandi reputatur magis idoneus. Tertio significat* notabiliter dignieres. *Ubi namque permodicus est excessus dignitatis in eo, qui præterinittitur, tunc ob materiæ parvitatem gravis culpa non videtur adesse. Tertio ad curata beneficia tum superiora, tum inferiora pensque extenditur, puta ad Episcopale, & Parochiale munus, atque ad religiosa utriusque generis. Quod facile constabit legenti, simulque conferenti duplex cap.* 1. *& 28. sess.* 24. *Trid. Synodi Tridentinæ. Quarto casum omnem comprehendit, in quo solitet eadem beneficia conferantur seu per concursum, seu extra concursum. Hoc enim plane consectarium ex mox dictis, nec non ex damnatione propositionis* 47. Cum dixit Concilium Trident. &c. *inter eas, quas Innoc. XI. proscripsit*. Quinto *non respicit* validam, *sed tantummodo* licitam *beneficiorum collationem, ut proinde hic locum habeat communis Jurisperitorum adagium* nulla facta tenent, quæ fieri prohibentur. *Rationem assignat Angelicus* (1. 2. qu. 63. *artic.* 1.) Quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam. *Hinc disparitas elicitur inter superiorem, ac præsentem thesim. Auctoris. Etenim electio* indigni *est irrita ipso jure. electio autem minus digni relicto digniore valor habet in utroque Foro. Sexto demum ob identitatem rationum intelligendam etiam de* Prælaturis Regularibus *animarum regimen adnexum habentibus. Esto namque aut perpetuæ non sint, aut ad ipsas promoti possint removari, merito tamen Ecclesiasticis Beneficiis accensentur, cum amplitudine saltem perpetuæ sint, uti Barbosa* (*par.* 2. *Jur. Eccles. lib.* 3. *c.* 40.) *inter ceteros notavit. Quod & hic obiter quæras, quinam in Regularium Prælaturis electionis reputari debeat dignior, Cl. P. Franciscus Hennus* (*tr.* 3. *de Statu Religioso disp. unic. qu.* 23.) *talem esse dicit illum*, in quo sequentia reperiuntur. 1. Major humilitas, & minor ad prælaturas ambitio. 2. Major erga Fratres caritas, minor ad amicitias particulares propensio. 3. Major Deo, & bono communi adhæsio, minor ibi suisque commoditatibus additio. 4. Pro conservanda Religione, ejusque institutis in viridi observantia fovendis zelus ferventior, ab exercitiis communibus Officii divini, Meditationis, Capituli, Refectorii &c. relaxatio minor: 5. Majus in tractandis Provinciæ, aut Conventus negotiis scientia, prudentia, dexteritas, minor in frequentandis sæcularibus inclinatio, & voluntas. 6. Major in fovendis & promovendis honestioribus subditis integritas, minor in sustinendis imperfectorum adulationibus, & vitiis correptela. Hæc omnia si in uno eodemque reperiris, Prælaturæ dignioremeredito: sin minus illum quem ad hæc magis appropinquare existimaveris; idque secluso passione, affectu, patria, præventione, interesse propria &c. ita ut non te, sed Deum, non bonum particulare, sed commune respicias.

ne . . . quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, atque sanctiore? 3. Quia electores, patroni, collatores tenentur graviter ex officio & fide debita Ecclesiæ distribuere officia & beneficia, sicut bonum Ecclesiæ & animarum, ad quod instituta sunt, exigit; & utilitatem Ecclesiæ ac cultum divinum, quantum possunt, pro munere suo promovere, quod non præstant eligendo minus dignos: nam notabili fructu, per digniores præstando, Ecclesias defraudant; imo causam dant gravi detrimento spirituali, quod semper sequitur ex prælatione minus digni, & quod impediretur a digniore. 4. Quia est peccatum acceptionis personarum in re gravi, de quo, Jac. 2. *Si personas accipitis, peccatum operamini*. Nam hoc peccatum consistit in eo quod in jure dicendo, aut bonorum communium distributione, id quod debitum est uni propter aliquam causam, v. gr. æquitatem, virtutem, meritum, doctrinam &c. datur alteri intuitu alicujus causæ, v. gr. amicitiæ, consanguinitatis, muneram &c. ob quam non debetur. Sive acceptio personarum est peccatum, quo in distributione aliquorum bonorum & onerum, non causæ ad rem pertinentis, sed personæ aliarumve causarum ad rem non pertinentium ratio habetur. Unde tunc violatur justitia distributiva Beneficiorum, cum non attendatur qualitas spectans ad causam, ob quam dari debent: quæ causa est dare Ecclesiæ optimos ministros. Hinc Vasq. ait, nullum dubitare esse mortale eligere minus dignum in Beneficio annexam habente curam animarum.

Ob eadem rationes, ex communi sententia, officia sæcularia magni momenti conferre debent sub mortali magis idoneis; nam id exigit bonum commune: & si omittantur digniores, magnum detrimentum patitur respublica.

Resp. 3. Electores, patroni, collatores renentur graviter curare, ut dignioribus Beneficia etiam simplicia conferant. *Eo communis* (1) *sententia*. Prob. Ex cap. unic. *Ut Eccles. benef.* ubi Innoc. III. de Beneficio non curato loquens ait; *Non ex affectu carnali; sed discreto judicio debuisti ecclesiasticum officium & Beneficium in persona magis idonea dispensare*. 2. Ex SS. Patribus, & ex S. Tho. qui 2. 2. qu. 63. art. 2. generaliter & indistincte docet committi acceptionem personarum in Beneficiis, si non dentur dignioribus. Et ad 3. ait: *Ut electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio haberet possit calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune*. 3. Quia Beneficia primario instituta sunt ad majorem Dei cultum & Ecclesiæ utilitatem: secundario autem ut sunt præmia virtutum, quibus digniores in Ecclesia honorentur, & juventur. Atuterque finis impeditur, si minus digni præferantur. 4. Omittens digniores agit in re gravi contra fidelitatem ex officio debitam Ecclesiæ. nam Ecclesia talibus committit facultatem providendi de Beneficio ea lege, ut tantur tamquam fideles dispensatores secundum fines ab Ecclesia in Beneficiorum institutione intentos: quod est aliquid grave: Et vero ad bonum Ecclesiæ multum interesti, ut divina officia quam decentissime & devotissime celebrentur. At viciare in re gravi finem ex officio debitam est mortale. 5. Vio-

(1) *Dum Auctor tertiam istam thesim de gravi obligatione* digniorem, *etiam ad simplicia beneficia, asserit* communi sententia munitam, *non nisi magis communem voluisse pro more suo designare ex progressu sermonis colligitur, atque aliunde etiam constat. Nam ex Sylvio* (*qu.* 4. *concl.* 5. *ad* 2. 2. *qu.* 63. *art.* 2.) In promotione ad Beneficia vel Officia Ecclesiastica, quæ simplicia sunt, ita ut neque animarum curam habeant adnexam, neque ad gubernationem aliquam spiritualem, bonis Auctoribus non videtur mortale peccatum prætermisso digniore promovere dignum: *cujusmodi sane sunt B. Angelus de Clavasio, Gabriel Biel, Petrus Navarra, Guittieres, Vega, Garzias, ut plures alios recentiores referam. Judicium vero eruditum Sylvii de hac controversia valide libratum videtur; sic enim statuit*. 1. *Negari non posse, esse peccatum promovere dignum relicto digniore*. Quia quamvis per ejusmodi promotiones non inferatur notabilis injuria vel Ecclesiæ, quæ non potest inde pati magnum damnum; vel digniori, cui talia beneficia non sunt strictojure debita; inordinatum tamen est, minus dignos præferre digerioribus: unde & violatur justitia distributiva, etsi non in re magni momenti. 2. *Admitti posse prædictam opinionem in Beneficiis minoribus, ut Capellaniis, ac forte in Canonicatibus illis, qui & exigui sunt momenti, & parvorum reditum*. 3. *In aliis sive Canonicatibus, sive majoribus Beneficiis, (quæ licet curam animarum non habeant, nec specialem in spiritualibus gubernationem, majoris tamen sunt momenti, utpote quia suffragium habent in electionibus ad dignitates aut officia curam animarum habentia, vel in regimine bonorum Ecclesiasticorum) difficile fore a mortali excusare illos, qui prætermittunt digniores concurrentes cum minus dignis: præsertim si possint promovere minus idoneos, & possint habere alios*. Multum enim Ecclesiæ interest, qui & quales ejusmodi beneficia possideant, ne divina officia perfunctorie celebrentur, ne Clericorum vitia foveantur, ne bona Ecclesiastica male dispensentur, ne electiones ad beneficia curata fiant sine defectu. Ideoque magnum ex talibus promotionibus damnum nasci potest partim Ecclesiæ, partim digneribus se offerentibus ad beneficia vacantia. *Si qui porro sunt, quibus eadem sententia sic modificata arridet, ii hanc aliam exceptionem apponant cum Garzia, Tract. de benef. par.* 7. *c.* 16. *n.* 17. Videlicet nisi aliqua lege vel constitutione particulari, aut juramento aliud cautum sit in beneficiis simplicibus. *Non videtur autem prætereanecessarium expresse excipere casum* scandali, *quod concipitur facile jubenti posse ob electionem minus dignorum, relictis digerioribus. Etenim extraneus, & vaga ista circumstantia, præterquam quod in quavis morali controversia censetur semper excludi, tacita saltem conjenione T T. litigantium, in præsenti casu jam removetur eo ipso, quod memorati DD. admonent graviter illicitas esse hujusmodi electiones, si sapius aut passim fiant.*

Violatio justitiæ distributivæ per acceptionem personarum mortalis est ex genere suo, adeoque in re gravi, ut in canonicatu, vel quando notabilis & evidens est excessus inter promotum, & eligendum. Ita S. Antonin. Vasquez, Molina, Rebell. & alii contra alios, qui docent esse solum veniale, modo vere digni eligantur. Lessius vero concedit esse mortale, si id passim fiat. Idem docet Delugo.

Hinc (1) resignans & permutans tenetur minus digno digniorem, qui est in promptu, præferre, tum ex caritate boni communis, tum ex justitia distributiva. Quia Beneficia sunt instituta pro dignioribus, nec ab Ecclesia facultatem resignandi vel permutandi accipiunt, nisi cum eodem onere, quo obligantur prælati & patroni. Porro si aliquod Beneficium ex dotatione dandum sit alicui ex tali capitulo vel familia, dignior est eligendus. Si tamen nullus esset dignus, alius alibi quærendus esset: quia hæc fuit intentio fundatorum & Ecclesiæ, nec alia potuit esse.

Nota. Nulla esset culpa dare minus digno Beneficium simplex, cum id postulat caritas, vel alia justa caussa ad majus bonum Ecclesiæ spectans aut redundans: ut si clericus, præsertim sacerdos, non possit inopia levari, nisi per Beneficium simplex; vel si digniores reservandi sint pro beneficiis curatis, vel ut Pastor minus idoneus a cura animarum amoveatur.

Quæst. VII. *Quibus modis Beneficia amittuntur?*

Resp. Quatuor, 1. Per mortem Beneficiati. 2. Libera resignatione coram superiore eam acceptante. 3. Per sententiam judicis, ob crimen juxta canones hac privatione puniendum, ut homicidium, simplex sacrilegium, adulterium, perjurium &c. 4. Dispositione juris, idque quadrupliciter. 1. Per allatius Beneficii incompatibilis consecutionem. 2. Per matrimonium. 3. Per professionem religiosam. 4. Per aliquod crimen, cui privatio Beneficii ipso jure annexa est: qualia sunt hæresis, fehisma, simonia, falsificatio litterarum Apostolicarum, sodomia, homicidium per sicarium pretio conductum &c. Tamen juxta communem sententiam reus non tenetur statim ante sententiam declaratoriam criminis Beneficium suum dimittere, nisi hoc expresse habeatur in jure. Sed tunc sententia judicis declaratoria retrotrahitur ad diem commissi criminis: ita ut non solum omnes fructus Beneficii ab illo die percepti amittantur, sed etiam resignatio vel permutatio illius post crimen facta rescindi possit.

Quæst. VIII. *Quanam observanda de Pensionibus?*

Resp. Sequentia. I. Pensio est jus percipiendi fructus ex alterius Beneficio. Alia est laica, quæ propter temporale aliquod obsequium datur, nec exigit clericatum, adeoque laicis competere potest, ut procuratori, advocato &c. Alia clericalis seu Ecclesiastica, quæ solis clericis conceditur. Et hæc duplex est, scilicet mere spiritualis, quæ datur clerico ob ministerium spirituale, v. gr. concionatori, vicario parochi; & mixta, quæ quidem statum clericalem requirit, & in eo fundatur non tamen ob ministerium spirituale, sed ad honestam sustentationem datur.

II. Ut pensio clericalis valide & licite obtineatur, quatuor requiruntur. 1. Ut impetrans sit clericus, seu habeat primam tonsuram; non sit conjugatus, nec illegitimus, nec irregularis, nec ulla censura irretitus. Quod si pensio sit mixta, requiritur insuper ut non habeat aliunde necessaria ad honestam sustentationem: si vero sit mere spiritualis, ut ministerium spirituale possit & velit recte præstare. 2. Requiritur dispensatio Papæ: nam lex est generalis, & titulus juris canonici, *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*: & constat ex usu Ecclesiæ. Quare Episcopi pensionem constituere nequeunt, nisi in quibusdam casibus, in quibus facultas hæc eis a Concil. Trid. sess. 21. cap. 6. & sess. 25. cap. 18. conceditur. 3. Requiritur justa caussa, sine qua ex communi sententia graviter peccarent & Papa, & impetrans, sicut male res domini sui dispensans œconomus, & qui recipit pecuniam ab œconomo male res domini sui dispensante. Unde non licet eam retinere. *Sine caussa enim* (inquit Toletus l. 3. c. 83.) *non habet locum in foro interiori & coram Deo dispensatio, sed tantum in foro exteriori. Unde qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest caussa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit: nam Papa non est dominus bonorum Ecclesiæ: sed solum universalis dispensator. Unde sicut cum dispensat in voto, non facit bonitatem securum in conscientia, nisi caussa adsit, ita in pensionum & Beneficiorum distributione. Caussa autem hæc debet esse in utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona: si enim nulla via in Ecclesia hujus, vel universalis utilitatem tendat, non est caussa legitima.* 4. Debet esse moderata, ita ut beneficiario relinquatur quantum satis est ad honestam sustentationem. Ex consuetudine non debet excedere tertiam partem fructuum, quamvis Papa ob justam caussam possit majorem constituere.

III. Sicut non licet habere plura Beneficia, ita nec plures pensiones, quando una sufficit; quia cum pensio detur in vitæ subsidium, si una sufficiat ad honestam sustentationem, cessat caussa aliam obtinendi. *Axor, & alii.*

IV. Pensio extinguitur, 1. Morte naturali, vel civili, aut degradatione pensionarii. 2. Per matrimonium, vel professionem religiosam. 3. Per variam delictam, qualia sunt hæresis, læsæ Majestatis, aut Sedis Apostolicæ, item percussionis Cardinalis, vel Episcopi, in cujus diœcesi percipitur pensio.

V. Pensionarius clericus, qui non est aliunde obligatus ad Horas canonicas, tenetur sub mortali recitare quotidie parvum Beatæ Virg. officium, & si omiserit, non facit fructus suos, sed tenetur perceptos restituere fabricæ vel pauperibus, eo modo quo beneficiatus omittens tenetur. Ita statuit Pius V. in Bulla *Ex proximo*, quæ viget etiam in

(1) *Corollarium istud, quod ceu undequaque verum, certumque ab Auctore ponitur, haud paucos habet Adversarios, maxime quatenus ad simplicia beneficia refertur; uti pronum erit intelligere ex superiore Nota.*

in Gallis. Nec jam conceditur pensio nisi sub hoc onere. Tenetur etiam tonsuram & habitum clericalem gerere, ut statuit Sixtus V. constitutione 32. (1).

DE MATUTINO PRIVATO,

Sive de tempore inchoandi Matutinum pro die sequenti

TABULA

Omnibus Breviarium Romanum recitantibus proposita. Romæ edita Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Ad usum Horologii Italici.	*Ad usum Horologii Gallici.*
2 Januarii hora 21. cum quadrante.	20 Januarii hora secunda cum quadr.
1 Februarii hora 20.	23 Februari hora sesquisecunda.
25 Februarii hora 20. cum trib. quadr.	7 Martii hora secunda cum trib. quadr.
19 Martii hora 20. cum dimidio.	28 Martii hora tertia.
21 Aprilis hora 20. cum quadr.	4 Aprilis hora tertia cum quadr.
1 Maji hora 20.	20 Aprilis hora sesquitertia.
2 Junii hora 19. cum trib. quadr.	20 Maji hora tertia cum trib. quadr.
25 Julii hora 20.	8 Junii hora quarta.
25 Augusti hora 20. cum quadr.	30 Julii hora tertia cum trib. quadr.
6 Septembris hora 20. cum dimid.	28 Augusti hora sesquitertia.
28 Septembris hora 20. cum trib. quadr.	7 Septembris hora tertia cum quadr.
21 Octobris hora 21.	24 Septembris hora tertia.
26 Novembris hora 21. cum quadr.	23 Octobris hora secunda cum quadr.
8 Decembris hora 21. cum quadr.	29 Octobris hora sesquisecunda.
	20 Novembris hora secunda cum quadr.
	23 Decembris hora secunda.

† APPENDIX COMPENDIARIA

EX OPERIBUS BENEDICTI XIV.

Quoad Doctrinam de Beneficiis.

BEneficium si quis fundaverit de suis bonis cum pacto, ut ipse tamquam beneficiatus illis fruatur, tunc post obitum suum jus patronatus transeat ad hæredes, quanquam simoniacum id audiat apud multos: attamen ab ea labe immune censeri potest; neque enim satis discriminis apparet inter eum qui fundat beneficium cum pacto, ut conferatur filio suo &c. & illum, qui vult sibi conferri; utrinque enim pactum adest, ita ex Pirhing. *Instit. Eccles.* 95. §. 7.

Si quis vero offerat bona in augmentum Beneficii jam erecti, nec tamen Patronatus ejus acquirat, tunc patisci non potest, ut Beneficium illud sibi conferatur, ut ex Cap. *Tua nos de Simonia. Ibid.* §. 12.

Patronus non potest se præsentare ad Beneficium, ut ex Cap. *Per vestras de jure Patronatus*, sed potest rogare Episcopum ut si inveniatur dignus sibi illud conferat; sive debet jus Patronatus suum alteri donare donatione sincera, ex qua ipse perpetuo expolietur jure Patroni, quando donationem approbaverit Episcopus, vel saltem Episcopus conferat eidem absque prævia præsentatione Beneficium, & beneficiatus illud acceptet, tum post collationem ipse præstet consensum suum. *Inst. Eccl.* 95. §. 5.

Be-

(1) *Quæ in hoc Tractatu forent deinceps tradenda de Beneficiatorum obligationibus, præsertimque de recitatione seu choreali, seu privata Divini Officii, ea legantur partim in seq. Tract. (c. 1. qu. 3. usq. ad finem ejusd. c.) partim in alio Tr. de Religione (cap. 1.) Exinde porro innotescet, etiamnum usui inserviat subsequens Schema, seu Tabula horarum, quæ quidem a prædicta tractatione de Divino Officio sejuncta cur hic e vestigio posita fuerit, haud satis perspicio.*

Beneficia resignantes sub pensione, si etiam pactum inierint cum resignatario de cedenda illi pensione, seu commodo exigendi fructus ejusdem pensionis, solura anticipata pecunia, pactum istud irritum, & inane declaratur. Item resignatarii, & resignantes decidunt ab omni jure Beneficii ipso facto absque ulla Judicis declaratione, & pecunia soluta restitui debet sub peccato gravi, quæ ab Ordinario applicanda est locis piis. Eisdem pœnis subjacent hæc eadem pacta inita intra sex menses a die receptæ per resignatarium Beneficii possessionis. *Bull. Tom. I.* in sublimi.

In Bulla *Ecclesiastica Administeria*. Bullar. Tom. II. num. X. mandat Pontifex in resignationibus beneficiorum, ut resignatis in manu Pontificis beneficiis, & ab illo admissis; atque vicissim admissis super eo provisionibus, dispositionibus &c. literæ gratia signatæ intra sex menses ita perficiantur, ut intra eosdem menses a novo provisio possessio beneficii capiatur; si vero beneficia illa sunt ultra montes, prorogat terminum istum usque ad novem menses a data concessionis gratia numerandos. Ubi vero justis de causis prorogatio aliqua postulerur, permittit, ut dicto prius officio subdatarii de Apostolicis literis expeditis, fiat prorogatio prima, & secunda vice, ulteriores omnes nullit. Et si legitimum impedimentum perseverare concludenter apud Datarium probatum sit, facultas sit Datario tot ulteriores prorogationes concedere ad exequendas literas Apostolicas, quot necessariæ sunt ad impedimenti remotionem. Sublato vero impedimento, si nihilominus perseveretur in differenda executione literarum, Apostolica tunc gratia nulla, & irrita censetur.

Si beneficium obtinens Religionem ingrediatur, beneficium tamen non vacat nisi per professionem; tempore vero illo intermedio inter ingressum, & professionem quoad beneficia curata debet Episcopus ipsum agere, quod præstaret, cum Parochus impedimento aliquo detineretur. Quoad beneficia vero choralia relictis tyroni religioso ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt. Si forte beneficiatus religionem ingressurus, beneficium dimitteret, quæ renuntiatio admitti ab Episcopo posset ex const. 38. S. Pii V. sive eam renuntiationem faceret ad tramites Capitis XVI. sess. 25. Conc. Trid. de Regul. nihilominus in suspenso remanere debent ea beneficia, nec posset illa alteri conferre Episcopus, nisi post factam a renuntiante solemnem professionem. Ita in literis ad Card. Quitium, Bull. Tom. II. n. XXV.

Vetitum est etiam Beneficiariis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ & nullitatis actus, vendere, ac distrahere reditus suorum Beneficiorum ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per spatium ejusdem temporis, vel totius vitæ probabiliter consequi potuissent. Bulla *UNIVERSALIS ECCLESIÆ*. *Bullar. Tom. I. num.* 29.

Titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, vel etiam in Concursu male obtaturum convalidare fas est majori Pœnitentiario, Bulla *PASTOR BONUS. Bullar. Tom. I. num.* 95. §. 20. sed in convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abstinendum est illi cum Episcopis, qui de Ecclesiis Cathedralibus provisi, munus confirmationis intra præfinitum tempus non susceperint. *Ibid.* §. 21.

Neque enim condonat fructus Beneficialium, & Episcopalium Ecclesiarum quovis modo male perceptos in casibus non occultis. In occultis vero cum Italis, Hispanis, Lusitanis & Insulis adjacentibus compositionem facere potest, cum aliis reliquis non potest. Hæc tamen omnia debent esse sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere debent. *Ibid.* §. 24.

Si quis jam obtineat beneficium, & injuste vexetur ab alio, potest pecunia injustam vexationem redimere, ut ex Canonistis omnibus firmatur. *Instit. Eccles.* 94. §. 4.

Si vero quis habeat jus ad Beneficium, & ab alio illi lis moveatur, non potest litiganti dare pecuniam ut acquiescat; neque etiam tiulo solvendi expensas in lite hucusque factas, nam tunc pararet sibi viam ab Beneficium per pecuniam. *Ibid.* §. 7.

Beneficium obtinens jure certo, & manifesto, ut nullus sit quæstioni locus, permittitur redimere injustam vexationem, ut *ex Cap. dilectus* 27. *de simonia*; idque fieri potest nulla interposita Episcopi auctoritate; fas est tamen Episcopo percipere in Synodo ne id fiat absque suo assensu ob periculum Simoniæ. *De Synod. Diœc. lib.* 7. *Cap.* 69. §. 8.

Si Patronorum Beneficii scissa suffragia fuerint in partes, ille est præficiendus, qui a pluribus eligitur, uti definitum est in Cap. *Quoniam de jure Patronatus*. Si tamen ille, quem præsentat pars major, non reperiatur, idoneus poterit alter præsentari a paucioribus, ut ex Lambertino tradit. de *Syn. Diœc. Lib.* 7. *cap.* 70. §. 6. Valere tamen judicata est constitutio Synodalis Episcopi Pampilonensis; quæ vetuit admitti præsentatum a minori parte, ob rationes in *Tract. de Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 70. §. 6. ponderatas.

Beneficium simplex si quis obtineat, nec sufficiat ad honestam sui sustentationem, potest ab Episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Si vero nec istud secundum sufficiat, ut tertium obtineat debet a Sede Apostolica dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberæ collationis, sive de jure Patronatus etiam laici; nam Conc. Trid. permisit, ut habens *beneficium insufficiens* possit unum aliud simplex obtinere, & nihil dicit de tertio. Atque ita in praxi tenare. Sac. Congreg. consitat. *Instit. Eccles.* 91. §. 7.

Hæc tamen non valent in Capellaniis de jure Patronatus Laicorum, neque in Legatis piis, ut ex alio Decr. Sac. Congreg. *ibid.* §. 8.

Ex alio Decreto Sacræ Congreg. de quo *ibid.* erui tur non esse inquietandos illos, qui bona fide tria, vuel quatuor beneficia insufficientia ex Episcopi auctoritate obtinuissent. *Ibid.*

Cum beneficium resignatum fuerit in manu Episcopi, vel Collatoris, non possunt isti providere de iisdem beneficiis, consanguineos, affines, vel familiares suos ut ex Bulla 68. S. Pii V. *ibid.* §. 9.

Quin neque affines, consanguinei, & familiares resignantis admitti debent, etiam cum beneficium conferendum est in Concursu; primo quia bulla S. Pii, quæ legit *admittentium a consanguineos*, mendose excusa est, cum legendum fuerit *dimittentium consanguineos*, ut monet Fagnanus in *Cap. Non sine, de Arbitrit.* Secundo quia Sac. Congreg. disposuit, ut in eo casu neque familiares Episcopi, neque consanguinei resignantis admitterentur. *Ibid.* §. 11. & *de Syn. Diœc. lib.* 13. *cap.* 24. §. 2. *Novæ Edit.*

Bene tamen omnes isti admitti ad beneficium possunt, quando illud cecidit in manus Episcopi per obitum prioris beneficiati; neque enim tantum mali timeri potest, cum beneficium conferendum est ex obitu beneficiati, quantum sibesse potest cum dandum est ex resignatione prioris beneficiati. Ita de *Syn. Diœc. ibid.* §. 6. *ex Decr. Sac. Congr.*

Consuetudines Ecclesiarum reservandi hæredibus beneficiati jam functi fructus primi anni obtenti beneficii valet; nihil enim derogat juri illius qui in beneficium recens invectus est, cum & ipse post mortem jure isto potiatur. Quare in favorem hujus consuetudinis sæpius a Sac. Congreg. decisum est. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 70. §. 3.

Beneficiorum Parochialium, & Vicariarum tam Sæcularium, quam Regularium capaces esse Canonicos Regulares Præmonstratenses, etiam cum intercedente Apostolica dispensatione, definit Pontifex in Bulla *Onerosa &c. Bull. Dom. III. num.* 33.

De filiis illegitimis Clericorum circa beneficia Parentum in eadem Ecclesia qui possint, & non possint *Vide Auctorem supra & sequentia*.

Filius legitimus consequi prohibetur beneficium a Patre præhabitum, esset enim species successionis. Nihil tamen vetat quominus Pater possit obtinere beneficium a filio præhabitum. Quod verum est etiam de Patre respectu beneficii a filio illegitimo obtenti, ut ex responsione Sac. Congreg. *De Syn. Diœc. lib.* 13. *cap.* 24. §. 15. *nov. Edit.*

Illegitimi autem filii quoad hoc illi etiam censentur, qui postmodum legitimati sunt, non vero qui post subsequens matrimonium legitimati habentur, ut partim ex Decr. Sac. Congreg. partim ex Fagnano. *Ibid.* §. 16.

Num vero filio obtinere beneficium fas sit, quod Pater quidem habuit, sed ab eo transivit, in tertium, & ab isto in eundem filium; respondetur filio legitimo id quidem non prohiberi, ex Cap. *ad extirpanda de fil. Presb.* illegitimis vero non licet, ut ex Bulla Clem. VII. & responsis Sac. Congr. *Ibid.* §. 18.

Nepos vero legitimus ex patre illegitimo natus obtinere avi beneficium non veratur, ipso scilicet avo vivente, ut ex responsis Sac. Congr. & Rotali decisione. *Ibid.* §. 19.

Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse, & omnes ad patronatus jus illud amittunt, ex Cap. *In quibusdam de pœnis, ibid.* §. 21.

Beneficii permutatio, quæ fit coram Ordinariis, interdum potest esse prohibita a Constit. S. Pii V. incipiente *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istæ, sed quæ fiut canonicis sanctionibus consonæ, ex quo fit ut cum vetitæ fiut provisiones beneficii resignati factæ in favorem affinium, & familiarium Episcopi, sicut etiam resignantis; ita etiam consentur veritæ permutationes beneficiorum, cum aliquis permuter beneficium suum pingue, & est jam effætæ ætatis cum altero, quod est tenue, & obtinetur, sive a laïs, sive ab Episcopi consanguineis, vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque non est justa canonicas sanctiones. *De Syn. Diœc. Lib. XIII. cap.* 24. §. 10. *nov. Edit.*

Beneficia obtinentes a S. R. E. Cardinalibus ordinariis collatoribus in mensibus S. Sedi reservatis valorem 24. Ducatorum Cameræ excedentia tenentes intra præfixum in Reg. Cancellariæ tempus novam eorundem provisionem a Sede Apost. obtinere, Ordinariis taxis solutis, non obstante in contrarium quocunque exemptionis privilegio. *Motus proper.* Benedicti XIV. Bullar. Tom. I. p. 12.

Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. I. Cor. 4.

TRACTATUS (a)

DE OBLIGATIONIBUS SPECIALIBUS

Certorum statuum & Officiorum. (1)

CAPUT PRIMUM.

De Obligationibus Clericorum.

Nota. CLerici sunt, qui aliquo ordine, vel saltem tonsura, sunt insigniti. Præter mandata omnibus Christianis communia, sunt quædam ipsis specialiter prohibita, & quædam præcepta. (2)

Quæst. I. *Quænam sunt specialiter prohibita Clericis, præsertim sacro ordine initiatis, vel beneficiatis?*

Resp. Ex communi sententia, Sequentia, 1. Armorum gestatio, nisi necessitas urgeat ad defensionem vitæ, cap. 2. de vita & honestate: *Clerici arma portantes, & usurarii excommunicentur.*

2. Venatio, quæ fit clamore & armis, præsertim cane, vel accipitre vel falcone; ita ut mortaliter peccent, si frequenter sic venentur, c. 1. de clerico venante. *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus a communione; si Presbyter, duobus, si Diaconus, ab omni officio suspendatur.* Et. c. 2. *Omnibus servis Dei, venationes, & silvaticas vagationes cum canibus, & accipitres aut falcones interdicimus.* Et ex Conc. Gener. Later. IV. c. 15. *Venationem & aucupationem, universis Clericis interdicimus, unde nec canes, nec aves habere præsumant.* His adde plura Concilia provincialia, quæ quamlibet venationem armis factam vetant. Ratio est, quia venatio a gravioribus occupationibus, a studio, oratione, & spiritualibus exercitiis, vel caritatis operibus avocat, men-

(a) Specialibus quorumdam statuum obligationibus præmittere in hac annotatione visum est ea officia quæ Homini, qua Christiano, competunt. Æquissimum enim est, ut sciamus nos qui præ cæteris hominibus, a Christo Domino nomen sortiti sumus Christianique vocamur: Redemptori nostro & Domino per baptismum addictos esse, & consecratos. In quo observandum est, quod tam benigna, & propensa fuit Christi Domini in nos voluntas, ut, tametsi nos in potestate sua, & dominatu veluti feros sanguine suo redemptos habeat, ea tamen nos charitate complectitur, ut non servos vocet, sed amicos, sed fratres. Sic itaque filii Dei adoptivi per Christum effecti, oportet, ut fratris nostri amantissimi spiritum sequamur, ut ait Paulus, Gal. 3. v. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Induere autem Christum, est spiritum mortificationis induere, *expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis*, reprimentes concupiscentiam: & motus ejus; & spiritum sanctitatis assequi, *induentes novum*, ut ait Paulus ad Coloss. c. 3. v. 9. & 10. scilicet virtutes, quas Jesus Christus tum verbo, tum exemplo nos edocuit, excolentes.

Concupiscentia ab Apostolo Joanne, ep. 1. c. 2. v. 16. trifariam dividitur, nimirum in concupiscentiam carnis, in concupiscentiam oculorum, & in superbiam vitæ. Contra has itaque pugnandum pro virili parte est, atque animi facultates, & affectus summo studio moderandi, cum enim nemo sine vitiis nascatur, quibus non tantum retardatur ab operibus bonis, sed etiam in mala propellitur, ad ea si non prorsus evellenda, saltem coercenda & subigenda perquam diligentius debet incumbere.

Illud profecto maxime curandum est, ut corpus necessariis, non superfluis alimentis alatur, ne vel in labore deficiat, vel in rectorem suum, nempe animum, insolentius efferatur. Vino præsertim parcendum; nam *cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande: sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Prov. 23. v. 32. Itaque non quid gula suggerat, sed quid natura requirat, attendendum. Quod si soli necessitati subvenire studuerimus, modum nunquam excedemus, sed intra præstitutos fami, & siti a natura fines permanebimus.

Nec molliter curandum corpus, nec otio frangendum; sed labore, & exercitatione ipsius vires fovendæ, & corroborandæ sunt. Nulla enim fadior pestis mollitie, atque desidia, quæ non tantum corpus inficit, atque corrumpit; sed ipsam quoque mentem veluti contagio polluit, & in omne vitiorum genus præcipitat. Equidem nuto pronunciare licet, hominem nihil agendo id addiscere, ut male agat; & desidiosum & inertem in vetita quæque, maxime vero in ciborum libidinem, quadam veluti necessitate prolabi, qua quidem fit emollitur, & enervatur, ut animum virilem postea resumere vix possit. Hinc & rebus gerendis, & disciplinis ediscendis, & bello, aut negotiationi ineptus redactus, vitam infamem cum impurissimorum hominum colluvie sub tecto transigere cogitur, donec eam cum obscura, aut ignominiosa morte tandem commutet.

Sentibus quoque omnibus quæ dam, ut cum Scriptura loquamur, veluti *custodia Ponenda*; nam quæ per aures, & oculos species subeunt, eæ alta sæpius in imaginationis sede vestigia relinquunt, quibus animi affectus mirum in modum excitantur, quos postea pro libito compescere naturæ viribus non est concessum. Unde affectus animi non male militum turmis in obsessam civitatem, qua patet aditus, irruentibus æquiparantur: nam ea, nisi in vallo, & aggere sustineantur, ac repellantur, vix deinceps ab arce, si eam occupaverint, expelli poterunt. Quam ob rem juvenibus præcipue hæc incumbit cura, ut se ab omnibus pravis congressibus servent immunes; eam enim in ipsis vigeant affectus, ac sanguis fortius ebulliat, repente ex visis & auditis sanguis inflammatur, & ad medullas usque morbus penetrat.

Quoniam autem his munimentis reste adhibitis fatigamus inimicum nostrum, oportet etiam ut iis armis nos instruamus, quibus triumphemus. Ut cetera omittamus, Oratio est illud præstantissimum, ut ita dicam, instrumentum, quo carnem affligimus, & debellamus. Vigilandum in oratione esse passim in Scripturis admonemur; per eam quippe necessarium a Deo auxilium obtinetur ad fugandas libidines non solum, sed etiam per assiduitatem enervandas.

Quoad spiritum sanctitatis, ad quem specialiter tenetur homo, qui Christianæ militiæ se vovit, ita loquitur Apostolus Paulus, Ep. ad Eph. cap. 5. v. 25. & seq. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam non habentem maculam, aut rugam, &c.* Quamplures autem sanctitatis christianæ sunt proprietates, at una saltem maxima omnium constantia est. Sanctitas quippe Christiani hominis non per diem, non per mensem, non per annum &c. extenditur, sed per totam vitam, donec perveniat ad beatam æternitatem. Hæc proprietas ab ipso Apostolo desumitur ex baptismo; ait enim in epistola ad Romanos c. 6. baptismum figuram esse mortis, & resurrectionis Jesu Christi; sicuti enim ipse semel mortuus est, & postea resurrexit non amplius moriturus, ita homo Christianus dum semel peccato mortuus fit per baptismum, & per eum resurrexerit ad gratiam, debet in gratia ipsa constantem esse, adeo ut non amplius moriatur. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Luc. cap. 9. v. ult. Atque hæc breviter dicta sint de officiis quæ competunt homini, qua Christiano.

(1) *Quemadmodum Ethicæ Jurisque Naturalis Interpretes, quatquot genuina utuntur methodo, solent prima de Humanis Actionibus agere, quatenus universo hominum cœtui concipiuntur communes, subinde vero de Officiis accurate pertractant, hoc est de iis actionibus, quæ peculiares sunt cuilibet homini certo quodam statu considerato (quæ quidem in re ingentem promerentur laudem plures eruditi nuperrimi Scriptores veterum Peripateticorum defectum supplentes, qui sola de virtutibus, ac vitiis tractatione Ethicam Facultatem fere totam absolvebant) ita plane exactiores Theologi Morales, ubi generatim Humanos Actus, eorumque diversa Principia exposuere, hæc ipsa Officia edisserunt, quo scilicet Practica Disciplina, peculiaribus hominum statibus, muniisque accommodata, nomen suum vere tueri valeat. Ab quamvis utriusque ordinis Professores una conspirent in eodem argumento volutando, longe dispari tamen ratione illud proponere consueverè. Siquidem (N. 19. 11.) Morales Philosophi sola naturali ratione duce, quamquam pluribus hominis partes sint, ostendunt; Theologi vero cum rationi, cum revelatæ doctrinæ inhærentes hominis simul, & Christiani officia cumulate declarant. Ex quo satis intelligitur, quanta sint præsentis ipsius Tractatus utilitas, atque necessitas. Sed animadvertere oportet, non unica prorsus methodo Theologos omnes munus istud explere. Nam multi specialia ejusmodi officia disjunctim, & seorsim in variis Tractatibus indigitant subnata occasione, uti ex. gr. D. Thomas, qui diversis in locis attingit, spectantia ad Principes, Judices, Advocatos, Clericos, Religiosos &c. Quidam vero, ut*

Cl-

mentem a Deo plurimum distrahit, populo scandalum parit, nec decet statum clericalem. Præterea variis periculis obnoxia est. Quare Religiosos adhuc magis venatio dedecet, cùique specialiter prohibetur, *Clement. 1. de statu Monach.* in Conc. Generali Viennensi. Item ne venatricos canes intra suas domos retineant. Tamen juxta S. Raymundum & alios, licita est interdum Clericis venatio quieta, quæ fit laqueo, & retibus causa necessitatis vel recreationis moderatè. (1)

3. Militia, c. 4. *Quicumque Clericus*, & seq. allis, can. 3. qu. 28. item ex Apostolo 2. ad Tim. 2. Rationem affignat follidam S. Thom. 2. 2. qu. 40. art. 2. ita scribens: *Bellica exercitia maxime repugnant illis officiis, quibus Episcopi & Clerici deputantur propter duo: 1. Quidem, generali ratione; quia bellica exercitia maximas inquietudines habent. Unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum, & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorum. 2. Propter specialem rationem: nam omnes Clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub Sacramento representatur Passio Christi ... Et ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem; sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere quod gerunt ministerio. Et propter hoc est institutum, ut effundentes sanguinem, etiam sine peccato, sint irregulares.* (2)

4. Negotiatio (3), quæ est emptio rei cum intentione eam integram & non mutatam vendendi, vel permutandi cum lucro.

§. DIS-

§ DISSERTATIO

De negotiatione.

§. 1. Quandoquidem (1) juxta communem definitionem hic ab Auctore productam *Negotio propriè dicta* præficiatur, quotiescumque animo lucrandi venditur *prorsus immutata* eadem res, quæ prius eum in finem fuerat empta; hinc dubium ingens exoritur, num quæstuosæ negotiationis a Sacris Canonibus graviter reprobatæ infimulandi sint ii seu Clerici Seculares, seu Monachi, qui frequenter res alternas emunt, v. g. uvas, olivas, lanas &c. ut inde per operarios suos confectum vinum, oleum, pannum divendant, non absolutè quidem necessitatis, sed potius lucri causa.

§. 2. *Resp.* Inter recentiores Theologos non desunt, qui spectata ea ipsa *mercium mutatione*, quod ita geritur, merum *artificium* virile Ecclesiasticis minime indignum censeant, appellitentque. Ex adverso contendunt alii, esse reipsa puriſsimam *mercationem* Clericis omnino interdictam. Litem hanc finire meum non est; prudens tamen nullus mihi succensebit, si quod animo sentio, nunc edisseram gratia veritatis, cui soli hactenus pro viribus litare adnisus sum. Posteriorem sententiam & *theorice* & *practice* a canonicis tenendam existimo, quos Dominus in sortem suam vocavit, atque idcirco Ecclesia vult esse alienos a terrena negotiatione. Momenta, quibus permoveor quam maxime, patebunt ex sequenti doctrinarum serie, quæ ad alia quoque in præsenti materia ponitus cognoscenda lumen, ut spero, affundent. Sic igitur a primis principiis illum demonstrationis duco.

§. 3. Cum *negotiationis* nomen sit valde commune & æquivocum, oportet juxta Dialecticorum regulam illud prius dividere, hoc est, indicare sensus varios, quibus solet usurpari. Omissis nonnullis divisionibus minus necessariis, quas legere quilibet poterit apud veteres Decretalistas & Summistas, negotiatio præsertim sumpta, prout scilicet in terrenis hominum commerciis actus illos designat, quibus facta conventione utrinque aliquid datur, & accipitur quacumque permutationis specie, primario dispescitur ex Conrado Summenhart (de Contract. tract. 3. qu. 32.) in *non lucrativam*, & *lucrativam*: quippe temporalia emuntur, vel ut serventur ad necessarios vitæ usus, vel ut distrahantur, & aliis vendantur cum quæstu seu justo, seu injusto. Utraque porro negotiatio duplex est. Non lucrativa aut *œconomica*, aut *politica* dicitur; quatenus nempe exercetur ob necessitatem & commodum vel Familiæ, vel Civitatis. Similiter lucrativa aut *late & improprie*, aut *stricte & proprie* negotiatio vocatur: sive, ut multi loqui amant, aut *artificium* est, aut *mercatio*. Adnotante Prof. Fagnano (Num. 23. Com. in c. 1. *Multa*: tit. 50. Ne Cler. vel Monach. l. 3. Decr.) postremas hasce duas species non obscure distinxerunt tum Gratianus (par. 1. Decr. dist. 88. & 92.) cum Angelicus 2. 2. q. 187. ar. 2. & 3.) easque potissimum oportet attendere in resolvenda proposita difficultate. Sic autem illas olim descripsit apud eit. Gratian. (Dist. 88. c. 12. *Ejiciens*) incertus Auctor Oper. imperf. in Matth. (inter opera D. Chrysostomi) quem postea secuti sunt quotquot de præsenti argumento scripsere. *Ostendam, quis non est negotiator, ut qui talis non fuerit, eum intelligas esse negotiatorem. Quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram & immutatam vendat, sed ut materia sibi fit inde aliquid operandi, ille non est negotiator. Qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur.*

§. 4. Hæ sunt præcipuæ negotiationis divisiones, quas recentes DD. etsi non eadem prorsus methodo proponant, reapse tamen probant universi. Ut vero oculis etiam cernatur, quam apprime ipsorum sensibus cohæreant, quæ nunc a nobis fuerunt præfata, placet referre textum unius Cl. Ludov. Molinæ, tum quia in peculiari ista materia de *Justitia & Jure* vere scriptor est, qui nec majorem, nec parem videtur habere: tum quia ejusdem auctoritate & doctrinis sepius nos subinde utemur. In negotiationem aptans primario, maximeque usitato commutationum generi, quod scilicet emptionibus & venditionibus fieri solet, ita scribit in Opere cit. (Tract. 2. disp. 339. n. 2.) *Triplex emptionis & venditionis genus distingui consuevit: idem intelligo de commutatione late sumpta. Quædam emptio & venditio est, qua ab unoquoque emuntur, quæ ad suam familiæque sustentationem necessaria sunt, superflua vero venduntur. Atque hæc quasi naturalis est, de se bona ac licita, ut D. Thomas 1. 2. qu. 77. ar. 4. & DD. communiter cum Aristotele 1. Polit. affirmant. Ordinatur quippe non ad lucrum, sed ad congruam sustentationem, atque ad Œconomos & Politicos, non vero ad Negotiatores prefle sumptos, spectat. Alia est qua emitur aliquid, ut per illud in pecuniam commutatum vendatur. Hæc autem, ut Chrysostomus C. Ejiciens ait, non est mera negotiatio: eo quod res sic empta per industriam ac artem melior reddatur. Quare cum artefactorum venditione, quæ a propriis ipsorum artificibus*

do

Cl. Auctor, intra peculiarem Tractatum universa concludunt, ac nexu concatenato singula explanant. Nec desunt, qui integram illorum seriem ceu in brevi tabella delineatam ob oculos ponant, ubi vel de variis peccandi modis, vel de interrogationibus a Confessario faciendis loquuntur. Ita ex gr. B. Angelus a Clavasio in Summa (voce interrogationes) *Doctor Navarrus in Manuali Confessar.* (cap. 25.) *P. Martinus Vvigandt in Tribunali Confess.* (*Tract. 6. Exam. 4.*) *& alii, quos legere præstabit. Hanc ipsam ad rem magno erit adjumento integer lib. 1. Pharetræ D. Bonaventuræ, in qua non minus studiose collectæ, quam apte dispositæ, reperiuntur plurimæ SS. Patrum sententiæ, ad personas cujuslibet fere ordinis, ac status pertinentes.*

(2) *Caveant solertissimæ Vener. Clerici, ne unquam adoptent, atque in vitæ serie veluti morali principii loco habeant illorum sententiam, qui in tanta Ecclesiasticorum Statutorum copia arbitrantur nullum per se se obligare sub mortali peccato. Ejusmodi quippe doctrinam, esto infernibus etiam Theologis olim insederit, nunc probabilitate omnis jam excidisse, monuimus. Sed neque, qui severioris sunt indolis & instituti, sibi unquam persuadeant, omnes promiscue Ecclesiasticos Canones hactenus editos primævum suum robur obtinere præsenti ætate. Persuasionem enim istam eliduntvel sola regula ex ipso Pontificio Jure* (*N. 21.*) *allata, & quæ itidem de mutatione circa eosdem Canones facta, nos de Consuetudine differentes* (*Nota 1. ad qu. 2. & Nota penult. ad qu. 6. c. 9. Tract. de Legib.*) *sibiter observavimus. Verum hæc de re prodibit, ut spero, intra triennium peculiare opus multigenæ eruditionis, & maximæ utilitatis, cui elaborando naviter nunc insudat Romanus Clericus Regularis Schol. Piar. Ubaldus Giraldi a S. Cajetano: Vir sane doctissimus, & ob præclaras lucubrationes Literato Orbi summe acceptas satis celebris. Quæ porro Clericalis vitæ sanctimoniam spectant, patebunt legentibus aureum Epistolam S. Hieronymi ad Nepotianum: grave opus S. Joan. Chrysostomi de Sacerdotio, libros elegantes S. Ambrosii de Officiis; nec non plures seu Litteras, seu Tractatus, seu Constitutiones, quas a tempore præsertim D. Caroli Borromæi, Secularis Cleri vere restauratoris, ad hanc usque diem edidere Viri ac præsules sanctitate, religione, scientia meritis ornatissimi.*

(1) *Bened. XIV. de legibus Episcopalibus differens* (*lib. 11. de Syn. c. 10. n. 6.*) *advertit*, nullam fortasse Episcoporum sanctionem fuisse unquam majori conatu impetitam, & tamquam nimium severam per omnium ora traductam, quam eam, quæ Ecclesiasticis prohibet venationis exercitium, quod nedum honestum, sed ad animum relaxandum interdum necessarium plerique existimant. *Subditque*: Et tamen, si vera fateri oportet, non facile aliam invenimus Constitutionem, quæ sit Juri communi conformior, & qua versus Ecclesiæ spiritus magis eluceat. *Tum commemorata* (*n. 8.*) *duplicis generis venatione*, clamorosa *nimirum*, & quieta, *censet, quod* licet opinio, solum clamorosam Clericis vetitam affirmant, communior sit magisque inter Doctores recepta, opposita tamen videatur certe Juri conformior: *quia nempe Canones, qui* (*n. 6.*) *recensuit*, a venatione Clericos arcent, quas non armis, sed solis avibus venatoriis, puta falcone aut accipitre, ac propterea fine ullo tumultu & strepitu exercetur, ut illos legenti est manifestum. *Unde* & S. Carolus Borromæus (*ut refert n. 9.*) in suo Concilio I. Provinciali de Clericis loquens absolute ait: a venatione abstinebunt. *Nihilominus Consultissimus Pontifex finit in prædicta* opinionum varietate controversiam remanere indecisam. *Ut ut sit, illud haud temere affirmari posse videtur, Clericos qui nimis affectu, nimiaque frequentia vel soli venationi quietæ sese dedunt, perspue eo tandem devenire, ut a præstituto sua vocationis scopo procul aberrate detegantur, unde & ipsi merito timere debeant, quod olim ajebat Petrus Blesensis, scilicet eodem Pontifice* (*n. 7.*) Ne in ultimo ultricis ira die inter hædos, non inter Christi oves sint numerandi. *Et hujus quidem execrationis luculento argumento suppeditant manifesta plurium præsertim agrestium Clericorum exempla. Porro sanctioni Concilii Viennensis, quam Auctor indicat, subjunxit Monachos* a venationibus, & aucupationibus item per abstinere, *jungatur alter canon*, Multa sunt (*Ioh. 3. Decret. cit. 30. Ne Cler. vel Monach.*) *quo interdicitur universim* Ministris Altaris Domini, nec non & Monachis, canes, & aves sequi ad venandum.

(2) *Vid. Inst. Eccl. 102. Bened. XIV.*

(3) *In præsenti materia de* Negotiatione *Clericis vetita consulenda, quæ apud Bened. XIV. occurrunt: nimirum & Constitutio*, Apostolicæ servituti

C offi-

Officium, *sub die 25. Febr. ann. 1741. quam summatim descriptam legere est in fine tomi 4. partis 1. & quæ in Opere de Syn. Diœces.* (*lib. 10. c. 6.*) *habentur, ubi ostendit*, per synodalem sanctionem cohibendos Clericos a cambiis localibus activis, omnique alia quæstuosa negotiatione, quantumvis in se licita, & Laicis permissa. *Ut autem omnium oculis subjiciantur, ac menti hæreant, quæ novissime edixit decrevitque SS. D. N. Clemens XIII. in Encyclica Epistola*, Cum primum incomprehensibili, *sub die 17. Septembris an. 1759. eam mox integram dabimus absolutis Notis ad præsentem paragraphum pertinentibus.*

(1) *Occasio hic enascitur prolixe & accurate differendi de proposita materia gravissima. Claritatis caussa dissertationem paragraphis distinguam, in eaque tum ad præcavendas propriis sensibus deceptiones, tum ad invidiam omnem declinandam, non tam meis, quam aliorum verbis, loquar.*

tibus primo venditionis genere distrahuntur, computari potest; eamque D. Th. sub primo emptionis ac venditionis genere comprehendisse videtur. Atqua denique emptio & venditio est, qua emitur aliquid, ut immutatum carius vendatur ad lucrum comparandum. Atque hac dicitur propriissime negotiativa.

§. 3. Circa negotiationem, ita stricte acceptam, Doctores duce Angelico (2. 2. q. 77. ar. 4.) singula hæc statuunt & demonstrant, quæ nunc loco fundamenti nobis erunt. Videlicet 1. illam præseferre quamdam turpitudinis speciem: quatenus ex se non importat finem honestum, aut prorsus necessarium, deservitque cupiditati lucri, quæ terminum nescit. 2. Non esse tamen intrinsece malam, sed posse licitam & moraliter bonam evadere, quoties lucrum ad honestos ac laudabiles fines dirigatur, puta ad proprium aut familiæ sustentationem, ad levamen indigentium, ad publicam utilitatem; atque aliunde reliquæ omnes circumstantiæ confingant ad ipsiusmet obeundam necessitatem. 3. Viceversa vitiosam & illicitam reddi dupliciter generatim ex causa, nempe *tum* ob varia extranea peccata, quæ negotiationi ad tertiam luera ordinatæ facile immiscentur, spectata hominum fragilitate, pravaque inclinatione; qualia sunt fraudes, doli, mendacia, perjuria, blasphemiæ &c. *tum* ob defectum cujusvis ex septem vulgo enumeratis circumstantiis humanorum actuum (N. 286.) uti supra latius Summes hast accurate (Quæst. 51. concl. 2.) declarat.

§. 6. Est porro apud DD. in confesso, spectata ea circumstantia, quæ dicitur *persona*, negotiationem maxime vitiari in Clericis, & Religiosis, utpote quia est ipsis graviter interdicta Sacris Ecclesiæ Sanctionibus; ut patet cum ex integra Dist. 88. apud Gratian. (part. 1. Decr.) *Episcopi & Ecclesiastici Secularia negotia non curent*; tum ex peculiari Tit. 50. (l. 3. Decr.) *Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant*. Rationes autem quibus permota fuit Ecclesia ad vetanda Clericis Secularia negotia; præsertimque lucrativam mercationem, ipsimet Canones indicant, atque eorum interpretes præcipue Emanuel Gonzalez (N. 3. Com. ad c. 6. *Secundum statuta*, cit. Tit. 50.) pluribus exponunt. Ab Angelico brevibus hæ quatuor assignantur (2. 2. q. 77. ar. 4. ad 3.) *Clerici non solum debent abstinere ab his, quæ sunt secundum se mala; sed etiam ab his, quæ habent speciem mali. Quod quidem in negotiatione contingit, tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia, quia difficulter exuitur negotiator a peccatis laborum, ut dicitur Eccl. c. 26. Et & alia causa, quia negotiatio nimis implicat animum secularibus curis, & per consequens a spiritualibus retrahit. Unde Apostolus dicit 2. ad Tim. 2. nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*. Nullum vero dubium, quin S. Doctor eadem etiam pro Religiosis atque valere crediderit, quandoquidem alibi (2. 2. q. 187. art. 2. in Corp.) inquit: *Eadem ratio est de Religiosis, & Clericis, quia utrisque similiter negotia secularia interdicuntur*. Nec mirum; nam ut ibidem advertit: *Status Religionis est ordinatus ad perfectionem caritatis consequendam. Ad quam quidem principaliter pertinet Dei dilectio; secundario autem dilectio Proximi. Et ideo Religiosi præcipue, & propter se debent intendere ad hoc, quod Deo vacent*.

§. 7. Sed numquidnam memoratis Canonibus omnes prorsus Monachi, & Clerici negotiationem exercentes perstringuntur? De Monachis vix ulla controversia. *De Religiosis censent Angelus, Conradus, Sylvester, lethaliter peccare, etiamsi in Sacris non sint constituti; nec displicet eorum sententia*, ait jam laudatus Molina (disp. 342. n. 2.) *Inhibitio negotiandi facta per Summos Pontifices extenditur ad Monachos, etiamsi non sint sactis initiati*, inquit Franciscus Sylvius (Concl. 4. com. in 2. 2. q. 77. ar. 4.) Atque ex recentioribus Constantinus Roncaglia (Tract. *de Contract.* q. 1. c. 2. q. 5.) *Certum est omnibus Religiosis vetitam esse negotiationem*. De Clericis Sæcularibus grave aliquid deprehendisse inter DD. difficile. Cum enim ad unum omnes certo afferant de Clericis *Sacrum* ordinem habentibus, ac plenique similiter affirment de aliis Sacris Ordine quidem haud initiatis, sed tamen Ecclesiastico *beneficio* præditis: postmodum valde discrepant circa reliquos *in minoribus* duntaxat ordinibus constitutos, minimeque beneficiatos. Opinio nunc forte communior sustinet juxta mentem Hostiensis, Panormitani, & Navari posteriores istos Clericos nequaquam comprehendi Canonicis legibus vetantibus Clero negotiationem alias licitam. *Verum*, reponit ex adverso cum multis aliis Eurieus Pirrhingius (§. 2. n. 8. Com. ad tit. 50. l. 3. Decr.) *oppositum probabilius est quod docet Antonius de Butrio apud Fagnan. tum quia Canones generaliter & indistincte prohibent negotiationem Clericis omnibus, sive sint beneficiati, sive non: nam ratio prohibitionis etiam procedit in Clericis minorum Ordinum, non Beneficiatis; quia scilicet nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus &c.* Et hanc quidem sententiam Fagnanus (N. 87. & seq. Com. superius a nobis cit.) pluribus conatur ostendere *veram esse in terminis Juris communis; reddi forme indubitabilem in nonnullis Constitutionibus Summorum Pontificum, & servari de consuetudine*. Fulgentius Cauillatus, veluti sequester inter discordes Auctores, rem ita temperat (Tr. 20. in VII. Decal. Præcept. §. 3. n. 4.) *Si Clericus in Sacris non constitutus mercationes exerceat, videtur non peccare lethaliter, cum Canones loqui credantur de Clericis statui Clericali immobiliter addictis. Nihilominus cum dedecens sit, quemvis Clericorum mercaturam agere, etiam non constitutum in Sacris, deberet Episcopus monere, ut desistat, & si nolit, a Clericatu deponere*.

§. 8. Doctrinæ tribus super. §. allatæ solum spectant negotiationem, quam cum Molina diximus (§. 4.) tertii generis, seu *propriissime*. Nunc reliquas producere oportet, quæ ad negotiationem utriusque alterius generis referuntur, hoc est, tum ad *naturalem*, tum ad intermediam, quam licet *artificialem* sive *industrialem* vocare, quo facilius fecerniatur a duabus aliis. In primis de naturali & latissime sumpta hæc animadvertenda, quæ ab eodem Molina (disp. 342. n. 14.) sic proponuntur: *Fas est Clericis emere necessaria ad proprium, suorumque usum, & vendere superflua, vel in fructibus suorum agrorum, vel ex reditibus proprii beneficii, aut undecumque illa habuerint. Immo est aliquid vilius*

vilius emerint, non animo revendendi carius, sed ubi illis est, accrescente postea pretio, vendere illud carius, & lucrari, neque inde tributum ullum debent. Ita communis omnium sententia, neque in eo ulla est difficultas, esto pretii magnitudine attrahatur Ecclesiasticus ad vendendum, intelligens se postea vilius posse emere res similes. Quia hac ad œconomicam gubernationem spectant, quæ in Clericis atque Episcopis elucere debet, juxta Paulum 1. ad Timoth. 3. & 5. Concordat Gonzalez num. 6. Commentarii jam citati (§. 6.) ubi præter ipsum Molinam recenset & alios Auctores. Interim tamen caveant Clerici, ne ob ejusmodi bonorum administrationem, aut distractionem, laicali specie nundinas frequentent, vel aliud quidpiam Sacra Dignitate indignum peragant. Quæ de re Sum. Pont. Clemens XIII. in novissima sua Epistola interius exhibenda, §. *Verum non uni tantum negotiationi* &c.

§. 9. In vindicanda Clericis facultate libera emendi necessaria, ac superflua vendendi, consulto addidit Molina, *ad proprium suorumque usum*, hac enim limitatione tacite firmat, quod nunc apertius edicere videtur operæ pretium. Nec ipsa naturalis negotiatio, *ordinarie* loquendo, est Clericis consona ac licita; quotiescumque ab ipsis exerceatur gratia *extraneorum*, sive œconomica sive politica (§. 3.) sit hoc est, sive privatis aliorum Familiis, sive integræ Communitati iidem inserviant: Non, inquam, licita *œconomice*: ut patet legenti eamdem Pontificiam Epistolam, paragr. *Et parum quidem, vel etiam majorem Pastoralis zeli* &c. In quo SS. Patres Clericos illos redarguit, quos appellare solemus vernacula lingua *Economi*, ovvero *Maestri di casa*. Neque *politica*, quemadmodum contra alios Clericos, quos dicimus *Provveditori*, evincit prælaudatus Molina n. 11. scribens: *Politica negotiatio emendo necessaria exercitui, & civibus, non decet Clericos; quia a quietantione, & negotiis secularibus esse debent alieni, juxta illud 2. ad Tim. 2. nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus* Conc. cit. cap. *Episcopus*, 28. dist. *quod ex Canonibus Apostolorum est desumptum, in quo præcipitur, ut neque Episcopi, neque Sacerdotes aut Diaconi, seculares suscipiant curas, alioquin deticiantur. Continuat præterea 1. 2. & sequentia 21. q. 2.*

§. 10. Ideo vero quæ mox explicata sunt, diximus *ordinarie* loquendo dedicere Clericos, quia nempe ingruente necessitas potest excusabilia reddere, quæ ceteroqui forent illicita. Quod quidem Angelicus examinans, utrum Religiosis liceat secularia negotia tractare, sic confirmat (2. 2. qu. 187. art. 3.) *Religiosi præcipue & propter se debent intendere ad hoc, quod Deo vacent. Si autem necessitas proximi imminet; eorum negotia ex caritate agere debent, secundum illud ad Gal. 2. alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi; quia & in hoc ipso, quod proximis serviunt propter Deum, dilectioni divinæ obsequuntur. Unde dicitur Jac. 1. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Glossa 1. cap. succurrere eis, qui carent præsidio, in tempore necessitatis. Est ergo dicendum, quod causa cupiditatis secularia negotia gerere, nec Monachis, nec Clericis licet. Causa vero caritatis negotiis secularibus cum debita moderatione se ingerere possunt secundum Superioris licentiam in*

ministrando & dirigendo. Hinc cit. Molina post superiora illa verba statim subdit: *Aliquando tamen interesse tantum posset republicæ ac communi bono Ecclesiasticum aliquem similibus rebus vacare, ut caritas exigeret, ea in re cum illo esse dispensandum*. Nota, utrumque Scriptorem *licentiæ, & dispensationis* meminisse: qua de re speciatim disserit SS. Clemens XIII. in nominata Epistola, §. *Si autem Ecclesiasticum quispiam ad se excusandum* &c. pergit Molina: *Curare vero, ut famis tempore misérabilibus subveniatur personis, eaque in re Clericum, aut Religiosum navare operam curando, ut aliunde res emantur, aliorumque necessaria, & jura permittunt, & caritas postulat: præsertim, quando hac per solos laicos sufficienter non ferunt*. Quam opportune, ac laudabiliter hoc ipso tempore, quo talia scribo, Viri Ecclesiastici, si revera possent, ejusmodi beneficentiæ eximiæ officium impenderent huic Romanæ Urbi, quæ propter annonæ caritatem pene ad extrema incitas fensim fine sensu jam redacta, utique quoniam (Psal. 105.) *irattus est furore Dominus in populum suum*; quamvis, quia aliunde *pius est, miserebitur nostri, indignationem suam abscindet & dabit gloriam nomini suo* (Judith. c. 7.) ut firmissime speramus omnes. Et quidem (ut hic unum quid attingam, quod silentio minime prætereundum existimo) ad conciliandum nobis præsentissimum istud Divinæ Misericordiæ auxilium quam belle facit vere sapiens, pium, Summoque Principe Ecclesiastico dignum consilium SS. D. N. Clementis XIII. qui vel in tantis augustiis nihil minus, quam peregrinus rurie alas egenos, quamrumvis undecumque tutmatim hæc adventantes, noluit Urbe arcendos, aut communibus civium subsidiis privandos. Quod sane quanti pendendum sit, intelliget peritus quisque D. Ambrosium (Lib. 2. de Offic. c. 7. per tor.) legere ac relegere voluerit.

§. 11. Reliquum jam est, ut in viam reduntes de industriali & late sumpta (§. 8.) negotiatione, quæ alias *artificium* (§. 3.) dicitur, verba faciamus. Hanc Clericis, Monachisque jure omni permissam fatentur DD. universi, dummodo serventur conditiones duæ mox explicandæ. Totum id pluribus Canonibus (præsertim Diss. 91. par. 1. Decr. & Tit. 50. *Ne Cleric. vel Monac.* lib. 3. Decr.) nec non rationibus reperitur demonstratum apud Fagnan. (Num. 25. & seq. Com. ad c. 1. *Multa*, cit. Tit. 50.) Molinam (Disp. 342. n. 11.) Gonzalez (in Not. ad c. 2. n. 9. in Com. ad c. 6. p. 3. ejusd. Tit.) & alios passim Scriptores, ut plane supervacaneum videatur quidpiam hic addere: maxime cum explorata sint cunctis exempla & Apostoli Pauli, & veterum Monachorum potissime Ægyptiorum, qui artificioforum operum labore se exercebant. De quibus legendus S. Hieronymus ad Rusticum Monachum scribens de vivendi forma.

§. 12. Conditiones geminæ ad licitum & laudabile Clericorum, & Monachorum artificium requisitæ, atque in Canonibus indicatis expressæ, sunt istæ: Prima, ne ea de causa præstare omittant illa, ad quæ seu ex officio Clericali, seu ex lege Monastica tenentur. Secunda, ne maximum turpe sit ac sordidum, ipsorumque dignitati ac statui indecens. Apposite Gonzalez supra laudatus. *Retinenda est pietatis, & prudentiæ justissima distinctio, quam S. Basilius c. 4. Constit. Monast. his verbis adhibet.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ceterum in his se operibus exercere Monachus debet, quæ Ordini ipsius decori conveniant: cujusmodi videlicet ea sunt omnia: a quibus camponariæ artis, & impostura omnis abhorret suspicio: quæque nullæ (majores animi distractiones, aut improbi quæstus sequantur, sintque ejusmodi, ut mentibus intra vellum magna ex parte a nobis conjici possint, ne operam laboribus contentius quam par sit consectandis, animi in virtutis commemoratione nervos, industriamque elidamus: in quo illud spectandum est, ut opus absolvatur, & a quiete tantum non discedatur .... Distinctius ad reg. 38. fusiorem id exponit.

§. 13. Igitur Clerici, & Monachi minime poterunt obire officia tabernarii, lanii, coriarii pelles in corium aptantis &c. neque confícere chartas lusorias, taxillos, arma bellica &c. Quandoquidem hæc, & similia partim sordida ac villa, partim indecentia omnino sunt. Bene vero vacare poterunt artibus texendi, pingendi, fuendi, sarciendi, rei librariæ, agrariæ &c. modo tamen, ac decore propriis status caute semper servato. Notentur obiter, quæ de agrorum cultu moner Roncaglia (de Contract. q. 2. cap. 1. reg. 3.) *Quamvis permittant SS. Canones Ecclesiasticis propria bona colere, nihilominus suaderem Confessario, ne permittat Ecclesiasticis ita exercere agriculturam, seu per se etiam villica facere, ut populo despicabiles reddantur, ac desiderio diffendi ingemmari videantur. Cui, quæso, nostris temporibus non vilis appareret Rector ille animarum, qui vel per totam diem, vel majorem ipsius partem ligone terram foderet, ipsamque stercorante; ac dein terra, stercoreque fodidis atque sacra facere Misteria? Ego utique illi concederem per se ipsum hortum colere, vites, aliasque arbores amputare: at obtestarer, ne alia villica populo videnti præstaret: ne ipsorum exponatur lubrico, & ne possim dicitrett, velle per se ipsum rusticum agere, ne aliquid cogatur solvere Operariis.*

§. 14. Animadversione dignum est, Clericale artificium honestum non solo restringi officio propriarum manuum, de quo hactenus fumus locuti, sed extendi præterea ad varias species industriæ laboriosæ, quem Clerici opera & ministerio etiam aliorum exerceant. Quales vero eædem erunt? Ex resolutionibus Sac. Congreg. Conc. Trid. Interpretis illas adprehende, apud citat. Fagnanum (Num. 34. & seq.) configuratas. Nimirum Sac. Congreg. declaravit 1. *Licere Clericis agros beneficiorum, & patrimoniorum suorum colere absque vestu illicitæ negotiationis.* 2. *Posse pro ejusdem culturæ usu boves, & alia animalia necessaria coemere, illorumque facias justo pretio, atque honesta ratione vendere.* 3. *Posse pro sua & familiæ sustentatione ejus, qui in proprüs terris habent quercus & castaneas, fuci emere, cofque alere & vendere; dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendis fuibus nihil fordidum aut indecens Ordini Clericali exerceant.* 4. *Licere Clerico arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut fructum quod ex bombicibus proveniet, inter utrumque dividatur; ac pariter eidem licere earumdem arborum foliis utendo per feipfum, absque officii sui damnaxat detrimento, ac pro sua & familiæ sustentatione, arti ferice operam dare, dum tamen in artificio hujusmodi persona non suspectas adhibeat, & quod hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtinear.* 4. *Clericos pauperes ob suam suorumque familiæ necessitatem posse serras Ecclesiasticorum conducere absque vestu illicitæ negotiationis bona vero Laicorum non posse, nisi ex mera præcise necessitate.* 6. *Posse vetinere, & locare boves, oves, & alia animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, nec non fructus illorum vendere.* 7. *Posse Clericos in casalibus tamen propriis, & non conductis artem agriculturæ per se se, vel per alios exercere, nec iis, vel eorum hæredibus per Camerar. Apostolicæ ministros objici & imputari posse, quod illicitam negotiationem fecerint, aut foliis subjaceant.*

§. 15. Porro ex integra prædictorum serie satis perspicuum est, Clericos & Monachos causa *necessariæ subsistentationis* licite incumbere posse negotiationi illi, quæ propriæ *artificium* nominari consuevit, modo conditiones geminæ serventur (§. 12.) explicatæ. Ceterum sunt, præter necessitatem, & aliæ causæ eumdem laborem industriamque honestantes. Angelicus (2. 2. qu. 186. art. 3.) illas sic enumerat. *Dicendum, quod labor manualis ad quatuor ordinatur. Primo quidem & principaliter ad victum quærendum. Unde & primo homini dictum est: in sudore vultus tui vescaris pane tuo. Secundo ordinatur ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur. Unde dicitur Eccles. 33. mitte servum tuum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas. Tertio ordinatur ad concupiscentiæ refrenationem, in quantum per hoc maceratur corpus: Unde 1. ad Cor. 6. dicitur, in laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in castitate. Quarto ordinatur ad eleemosynas faciendas. Unde dicitur ad Ephes. 4. Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.* Additque Sanctus Doctor: *sub opere manuali intelligi omnia humana officia: ex quibus homines licite victum lucrantur, sive manibus, sive pedibus, sive lingua fiat.* Perpensis quatuor hisce honestis operandi finibus, exinde colligit idem Fagnanus (Num. 51.) *laborem manualem non esse permissum Clericis, vel Monachis, si ordinetur ad lucrum tantum, ita ut ultimus finis sit lucrum; & ita intelligendum cap. multa* (tit. 50. Ne Cleric. vel Mon.) *dum permittit eis justum negotium, scilicet artificium, propter diversas necessitates*; Rationem assignat ex Angelico (2. 2. q. 77. nu. 4.) quia nimirum si negotiatio eatenus rectificatur in Laicis, quatenus lucrum, quod est negotiationis finis, & de lui ratione quid indifferens inter honestum & vitiosum, ordinatur ad fines honestos, puta ad domus suæ sustentationem, ad subveniendam indigentibus, ad publicam utilitatem procurandam (§. 5.) ita quidem ut in tali hypothesi lucrum expetatur non quasi finis, sed qua stipendium laboris: quomodo rectum, honestumque censeri poterit in Clericis aut Monachis artificium, si eidem vacent ducti sola fine temporarii lucri, quod inter fines honestos & laudabiles minime computatur ab Angelico?

§. 16. Jam vero, ut hinc sensim deveniamus ad solutionem propositi casus (§. 1.) duo adhuc ad ejusmodi scopum valde conducentia ex Molina (Disp. 341.) probe notari cupio. Primo ait Doctis. Auctor (n. 4.) *Quamvis, quando aliquid emitur, ut commutatum vendatur, non ad tertium genus emptionis & venditionis* (quod fusius verbis jam descriptimus §. 4.) *pertinat, sed ad secundum, quod Ecclesiasticis regulariter non est prohibitum, neque presse dicitur negotiatio: nihilominus quadam ad secundum illud genus spectantia sunt, quæ multum ad tertium genus accedunt, quæque ea de causa minime Ecclesiasticos decent: ac proinde per epikejam censenda sunt eis, tamquam negotiationes, prohibitæ.* Addit postea (num. 11.) *Sicut per epikejam quædam ex secundo genere emptionis & venditionis jam explicato, computantur inter negotiationes Ecclesiasticis prohibitas, sic etiam quædam, quæ alioquin ad negotiationes istiusmodi Ecclesiasticis prohibitas spectarent, a numero earum negotiationum excipiuntur, propter circumstantiam aliquam supervenientem, ex qua eisdem Ecclesiasticis licent.*

§. 17. Exemplum posterioris hiæ animadversionis tale dat. *Si sit aliquis Clericus tam pauper, ut aliter commode non possit sustentari, quam conducendo alienum agrum, de cujus fructibus, partim vescendo, partim vendendo, sustentetur, ejusmodi conductio non computatur inter negotiationes Ecclesiasticis illicitas* (14. n. 5.) *quoniam ex circumstantia illa, quod Clericus iste aliter non possit sustentari, id ei non est illicitum.* Cap. dilecti, & duæ Glossæ, *de Monasterio loquuntur, quod idirco habeat conductos agros alienos, quoniam alioqui commode sustentari non poterat. In quo eventu velle ait Lassarte, non deperi tributum ex fructibus venditis: quoniam contusio, quod negotiatio aliqua canonibus sacris prohibita non est Ecclesiastico, ex illa non debet tributum.*

§. 18. Exempla animadversionis hiæ prioris duo hæc subjungit. *Ejusmodi sunt, si Ecclesiasticus vinea emat, ut per famulos aut ministros ad id conductos, vinum ex illis conficiat, quod postea vendat. Si item lanam emat, ut per operarios atque artifices conductos, pannos ex illis conficiat, quos vendat .... Quo fit, ut ex iis rebus, quando venduntur, gabella debeatur, non secus ac si Laici illas venderent, ut Lassarte cum Sylvestro, Navarro, & multis aliis, quos refert, affirmat: tametsi negotiationes hæ simpliciter ad secundum emptionis & venditionis genus explicatum* (§. 4) *pertinent, & solum per epikejam censendæ sint Ecclesiasticis prohibitæ: quod ipse non satis attendit.*

§. 19. Ecce jam habes hic, quod difficultati initio expositæ præcise respondendum arbitror: scilicet mercationem tum Clericis, tum Monachis graviter ab Ecclesia vetitam olere, quidquid ibidem narratum fuit: Ad quod quidem sentiendum non sola me compellit Molinæ auctoritas, quamquam scriptor ille sit vere gravis, multisque nominib. suscipiendus: sed & plurium aliorum tum Canonistarum, tum Theologorum consensus, uti & rationes variæ, quas ex prajactis hucusque communibus principiis ad præsentem materiam pertinentibus jusonum est colligere. Referam confestim Auctorum hujusmodi & nomina, & testimonia: eumque ipsos majori ex parte probabilistas esse, hoc est, in moralibus valde benignos, perspexerint Lectores, non erit idcirco qui cauffari audeat, me ad nimiam severitatem declinasse, & Rigoristarum judiciis rem confecisse.

§. 20. Enricus Pirrhinglius (ad tit. 30. Ne Cler. vel Mon. §. 1. num. 4.) *Negotiatio etiam impropria*

dicta, quando aliquid emitur, ut mutatum postea vendatur, prohibita censeri debet Clericis, & Religiosis: tamquam minus decens eorum statui. Veluti si Clericus vinea emat, ut vinum ex iis per famulos, ad id conductos, exprimat, & postea vendat: vel si lanam emat, ut per artifices, ad id conductos, pannos ex illis conficiat, quos postea vendat. Tales enim negotiationes proxime accedunt ad negotiationes propriæ dictas, seu mercaturas: ideoque per epikejam quamdam censendæ sunt etiam esse prohibitæ. Anacletus Reinffestuel (ad tit. 1. de vit. & honest. Cler. §. 5. n. 131.) *Negotiatio dicitur, quando res empta, non mutata materia, alteri venditur . . . Addit Bellettus in Disquis. Clerical. p. 2. §. 11. de pœnis Cler. n. 2. etiam tum intervenire negotiationem Clericis, interdictam, quando quis eorum rem quampiam v. gr. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum, & opificum industriam, laborumque (non autem per semetipsum) aliquid efficiat; puta ex lana empta pannum conficiat, postea revenditurus, ut inde aliquid lucrari possit.* Joan. Bapt. Carmen Fatrollius Protonot. Apostol. (Tom. 1. de Immunit. Eccles. par. 3. tract. 3. sect. 2. n. 2.) *Regulariter loquendo, quoties Clericus rem emat, ut eam immutatam vendat, lucrumque exinde intendit, citra dubium negotiatur, & tributum solvere tenetur: v. gr. si emat uvas, vel lanam, aut ferri venam, & per ministros conductos vinum ex uvis, pannos ex lana, ferrum ex vena ferri conficiat, & postea vendat. Nam in hujusmodi casibus nihil aliud vendit, nisi quod prius emerat. & fructus dicitur emptionis, non naturæ, vel industriæ suæ: quia ejus res vendita in aliam formam mutata sit; tamen illa mutatio facta est a ministris conductis, ac propterea fructus dicitur emptionis & laboris ministrorum conductorum, & sic etiam emptionis: ideoque semper negotiatio est, & consequenter a tributi immunis non est.* Ita DD.

§. 21. Fulgentius Conilianus (Tract. 10. in v. 11. Decal. Præcept. §. 3. num. 6.) *Mercaturam exercere non dicitur Clericus, qui peritus in aliqua arte, non vili, nec dedecente, emit materiam suæ opificii idoneam; puta colores, telas ad pingendum, argentum, aurum, chalybem ad horologia elaborandæ &c. ut artefacta justo pretio vendat. Similiter si animalia emat pascua fucrum prædiorum saginata vendenda; quæ id est vendere pascua propria, proprierum agrorum fructus. Non tamen licitum est agros ad locationem conducere, ut fructus eorundem vendat: neque uvas emere, ut vinum per alios vendendum conficiat &c.* Constantinus Roncaglia (Tract. de Contr. q. 2. cap. 3. q. 4.) *Licita est negotiatio industrialis, si non multum accedat ad negotiationem lucrativam. Pro negotiatione industriali omnino licita illam intelligo, qua res emptæ propria arte & industria vel mutantur, vel valde meliorantur, atque ita venduntur . . . Hinc licite Clericus faceret ex auro opera artefacta ad vendendum, ex serico opera acu picta &c. Dixi, si non multum accedat ad lucrativam a SS. Canonibus prohibitam. Hujusmodi reputatur negotiatio, qua emuntur uvæ, ut per famulos postea vinum vendatur; lanæ, ut per operarios conficiatur pannus ad vendendum.* Demum, ut reliquos mittam, Ferdinandus de Castro-Palao (Tract. 16. de Stat. Religios. disp. 4. punct. 13. §. 3. n.) *Affinis negotiationi prohibi-*

ta

tur est conductio, quæ Clericis & religiosis interdicitur. Sed non quælibet conductio hac prohibitione continetur. Nam si conducat agros, ut per se tuosque colat ad sui sustentationem, non peccat. Illa conductio est prohibita, quæ supponit empitionem eo fine conductionis factam, ut si emeres prædia, vel animalia ad conducendum: vel est conductio speciem venditionem subsequendam, ut si conduceres agros colendos, non sui in sustentationem, sed ad vendendos fructus, & inde lucrum comparandum. Quocirca infert Molina cum Lafaxte, esse Ecclesiasticis & Religiosis interdictum uvas emere, ut vinum pro conductis ministris reddant. Idem est, si lanam emas, ut pannos artificii conductis confectos vendas. Consensit Guttier lib. 7. pract. q. 83. n. 42.

§. 22. Rationes autem, quæ allatis auctoritatibus superaddi queunt, sunt istæ. *Prima.* Verissime juxta varios Juris textus observavit Gonzalez (n. 14. Com. ad cap. 2. *Cognoscentes*, tit. 1. de Const. lib. 1. Decret.) *Quod sicut in omnibus actibus mens agentis primum locum obtinet: ita legislatorum mens in legibus seu constitutionibus est inspicienda. Unde fieri non est verba earum tenere, sed vim & mentem: mens enim legislatoris est anima legis, & lex essentialiter in suo esse pendet ab intentione legislatoris. Unde dicitur in legem peccare, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.* Hoc posito, esto emptio & venditio rerum in casu nostro descripta, non appareat in corpore Juris Canonici, aut in aliis Ecclesiasticis monumentis exerte prohibita, nec undequaque ei conveniat vulgaris definitio negotiationis propriissime accepæ; nihilominus, ut per se se patet, atque laudati Doctores constanter asseverant, ad genus negotiationis Canonibus Sacris universo Clero vetitæ multum accedit. Iquit quia & ipsa inter *sordida negotationis auspicia* (sicut D. Ambros. loquitur lib. 2. Off. cap. 22.) vere numeranda sit, introspecta mente Ecclesiæ, exploratoque fine Canonum, sinceras veritatis, & honestatis amator nullus negabit. Perspecte propterea Hemus (Tract. de Jur. & just. disp. 7. qu. 2. concl. 3.) communem de Negotiatione doctrinam sic proponit, ac firmat: *Interdicta est Religiosis, & Clericis negotiatio propriè dicta, seu illa qua aliquid emitur, ut idem immutatum carius vendatur: vel quæ sit ipsi affinis. Patet ex variis canonibus, & præsertim ex cap. 6. Ne Cler. vel Mon. ubi legitur ... Secundum institutæ Prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici caussa lucri negotientur ... &c.* In quo quidem Alexandri III. gravissimo decreto, simul cum reliquis priscis sanctionibus a Trid. Synodo (Sess. 22. de Reform. cap. 1.) nuper innovato, per voces *negotiari caussa lucri* solam designari negotiationem, quam juxta incertum Auctorem (§. 3.) presse describere solent Scholastici, nullus authentjcus Ecclesiæ canon declarat. Immo aliam quoque negotiationem prioris affinem peræque reprobatum ibi certo dignoscimus potissime ex iis canonibus (Cap. 1. *Decrevit.* dist. 88. cap. 1. *providendum*. Titul. Ne Cler. vel Mon.) quibus sancitum, nullum Clericum posse *conductorem* esse secularium rerum. Conducere quippe alienos agros, vineas, prata &c. ut fructus inde provenientes vendantur cum quæstu, non est negotiatio rigorose sumpta, ut quisque videt, sed tantummodo negotiatio ei affinis. Porro argumentum hactenus promotum adversus emptiones & venditiones per epikejam computandas inter negotiationes Ecclesiasticis prohibitas (18. 19. 20.) haud inepte, meo judicio, illustrari posset exemplo *simoniæ* a DD. distributæ in eam, quæ Juris *Divini*, & quæ Juris *Ecclesiastici* nuncupatur; modo mente recolatur generalis regula hac de re tradita a Bened. XIV. (lib. 11. *de Syn.* cap. 6. n. 4.) *Quando lex Ecclesiæ fieri aliquid vetat ob præsumptionem simoniæ Juris Divini, simul effecit, ut ejusdem legis transgressor fiat reus simoniæ Juris Ecclesiastici: quemadmodum explicat, atque exemplo Beneficii Ecclesiastici illustrat Suarez.* (tom. 2. de Relig. 4. de Simon. cap. 27.) Si enim multa in præsentationibus, collationibus, permutationibus Beneficiorum forte per sese licita, & reapse non adversa Divinæ Legi propriæ dictam Simoniam vetanti, Ecclesia sapienti consilio damnat ceu mala & simoniaca ob speciem nefariæ simoniæ, quam præseferunt: quidni licebit a pari inferre, emptiones & venditiones in casu nostro indicatas plane illicitis negotiis sæcularibus accensendas esse juxta mentem Ecclesiæ: eo quod speciem gerant valde similem negotiationis quæstuosæ ab ipsamet Ecclesia palam Clericis interdictæ: ac præterea conveniant cum conductione lucrativa temporalium rerum ab eadem Ecclesia speciatim prohibita?

§. 23. *Secunda* ratio. Si quo titulo emptiones, ac venditiones hujusmodi licerent Clericis aut Monachis, non ob aliud sane, nisi quia ob mercium *mutationem* videntur esse purum purumque *artificium*, pontificio jure Ecclesiasticis permissum, immo & commendatum. At nisi alhucinor turpissime, nihil minus in iisdem deprehenditur, quam honestum artificium Ecclesiasticum, ac vereor valde, ne si verbis utendum sit SS. D. N. Clementis XIII. (Epist. jam cit.) subsint potius *fabulosæ artes, cavillationes, excusationes nihil apud Deum profuturæ*. Sed Codicem ipsum, ad quem adeo fidenter provocatur, inspicianmus. Sacri Canones artificium Clericis indulgent laudemque, quod aliter dici solet opificium manuum propriarum, seu labor manualis (§. 12. & 21.) illudque fieri supponunt caussa necessariæ sustentationis exemplo Apostolorum, ac veterum Patrum & Monachorum: ut patet legenti integram dist. 19. apud Gratian. (part. 1. Decr.) *Clericus villum, & vestimentum sibi artificio, vel agricultura, absque officii sui damnosa detrimento, paret*, cap. 3. necnon Tit. 10. Ne Cler. vel Mon. (lib. 3. Decr.) *Non tamen jusum negotium*, scilicet artificium & labor manualis, ut exponit ibidem Fagnan. (n. 52. Comment.) *Clericis ob interdictum propter necessitates diversas, quia legimus Sanctos Apostolos negotiatos esse* (hoc est, *laborasse operantes manibus suis*, ut legitur 1. ad Cor. 4.) *In regula S. Benedicti præcipitur providere, per quorum manus negotium monasterii transeat*, cap. 1. Quod si interdum Ecclesiasticis sanctionibus facultas præterea Clericis conceditur alia præstandi, quæ a solo ipsorum manuali labore minime pendent (§. 14.) tunc ea vel non indulgentur, nisi præcise ob gravem necessitatem, puta ob necessariam sustentationem propriæ personæ ac familiæ; quia scilicet juxta vetus proloquium *multa necessitas facit licita, quæ alibi illicita forent* (§. 17.) vel ideo indulgentur, eo quod revera nec rationem, nec speciem habent turpis negotiationis per Canones vetitæ, utpote complectentia meram

ram venditionem illarum rerum, quæ vel fructus sunt, vel quasi fructus reputantur propriorum agrorum. Hinc supradict. Pirrhing. scribit (n. 4. & 5.) juxta communem DD. sensum: *A negotiationibus impropriè dictis, quæ tamen per epikejam censenda sunt etiam esse prohibitæ, excipi debet, si Clericus pecora emant, eaque in suis prædiis nutriant, & postea vendant: vel si fœtus, lac, lanam talium animalium vendant: id enim licitum est. Vel si cervisiam ex hordeo, aut tritico propriorum agrorum conficiunt, vel ex propriis vineis vinum exprimant, & postea cervisiam vel vinum cum lucro vendant. Hæc enim sunt Clericis, & Religiosis licita, cum sint fructus, vel quasi fructus proprio rum fundorum, quamvis non decrat, ut in ipso Monasterio, vel domo propria forum frumentarium, vel tabernam vrigant.* De quo quidem abusu cauponas in propriis ædibus erigendi supracit. Roncaglia (reg. 1.) erit legendus. Jam vero quod in casu nostro a Clericis vel Monachis fieri effingitur, est prorsus longe aliud seu ab opificio, seu ab artificio hactenus descripto. Nam juxta eumdem casum, 1. Non fuorum prædiorum fructus distrahunt, sed *alienorum agrorum* uvas, olivas, lanas coemunt, vendunique. 2. Non per se, aut per suos domesticos, sed per *ministros & famulos* eum in finem conductos, vinum, oleum, pannum exinde conficiunt. 3. Non arctæ necessitatis caussa hæc agunt, sed amore *lucri*; quo scilicet thesaurizent filii thesauros in terra, possintque commodius & lautius vivere. Palam igitur est, talium Ecclesiasticorum industriam non esse, nec vocari posse *artificium honestum a Sacris Canonibus permissum*; sed magis negotiationem inhonestam ab iisdem graviter interdictam. Sane qui possunt Canones negotia hujusmodi permittere, cum Gelasius I. R. P. (dist. 88. c. 2. *Consequens*) edixerit; *Clericis ab indignis quæstibus noverint abstinendum & ab omni cuilibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum: aut in quocumque gradu sint positi, mox a Clericalibus officiis abstinere cogantur?*

§. 24. *Tertia* ratio. Semel ac Clerici, aut Monachi merces alienas sibi comparant eo animo, ut eas deinde a conductis ministris tranfmutatas vendendo lucrentur, haud non semel aut obiter, sed frequenter & professa opera; ecquis quæso negabit, ipsos sæcularibus negotiis curisque intendere, lucris temporalis inhiare, animum a cælestibus avocare, quæ species mali habent peragere, ac multiplicis flagitii, terrenas negotiationes plerumque comitantis, pericula subire? Ergo rationes universæ, ob quas teste Angelico (§. 6.) negotiationem Clero prohibendam duxit Ecclesia, huic quoque mercationis genere suo modo obstant; proinde ipsum Clericis, & Monachis plane indignum, & spectata Ecclesiæ mente graviter veritum esse, oporter concludere. Rationi isti vis major accedet, si mox dicta conferantur cum iis, quæ in sequenti alia Nota ex Bened. XIV. recitabimus agentes de negotiatione, quam Clerici *per alios* exercent.

§. 25. *Quarta* ratio. Hæc cum ita se habeant, fatendum equidem, Ecclesiasticos, qui sic cælum terris miscent, & mare cælo, illi calumniæ nequaquam subjacere, quam olim cuncto Christianorum generi Gentiles imponebant, ipsis ad terrena negotia inceptos compellendo, teste Tertull. (lib. de Præscript.) *alio quoque interiorum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur*. Addendum tamen pariter est, vix posse evenire, ut iidem penes Ecclesiam immunes existant a reatu gravis scandali, vitioque suo non arment linguas oblocutorum ad injuriam seu Clericalis, seu Monastici Ordinis: tum quia tali agendi ratione produnt se Sacrorum Canonum, & Pontificiarum Sanctionum vel ignaros, vel contemptores: tum quia in eo ipso indecenti negotio utuntur multiplici opera sæcularium hominum quibus prælucere magis deberent mundanarum rerum despectione, & cælestium amore: tum quia forsitan haud levia damna interdum inferunt mercatoribus, institutoribus, conductoribus vectigalium, & aliis terrenæ Reipublicæ ministris operarisque, qui cum earumdem mercium negotiationi publicæ incumbant, debent idcireo magna onera sustinere. Neque exstat factio legitima peti potest ex vulgatis illis Jurisperitorum effatis: *Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere jus non habet.* (leg. *Nemo damnum*, ff. de reg. jur.) *Non est ad injuriam referendum, quod quisque jure suo sibi consulat.* (leg. *injuriam*. §. 1. ff. de injur. & cap. Eccles. 31. de elect.) Nam si empriones & venditiones jam descriptæ, minime Ecclesiasticos decent, & ideo per epikejam comparandæ inter negotiationes Ecclesiasticis prohibitas, uti (§. 16. & seq.) ad oculum demonstratum est; quale, quæso, jus illarum exercendarum jactare possunt Clerici ac Monachi?

§. 26. En jam universa accurate, ac simul sine cujuspiam vel pulpo, vel offuscatione expedita, quæ ad extricandam funditus difficultatem initio hujusce Dissertationis inficatam mihi succurrerunt; quæque, ut spero, majorem veri speciem obtinebunt penes illos saltem studiosos Clericos, qui dum hæc nostra percurrunt animo a præjudiciis vacuo, curam sibi assument attente perlegendi quidquid de hac speciatim negotiationis materia reperitur consignatum in Ecclesiasticis monumentis tum Gratianei Decreti, cum Decretalium Pontificum, tum noviffimarum Constitutionum, & Litterarum Apostolicarum, præsertim Bened. XIV. & Clem. XIII. His enim omnibus informata mens, & quæ solida nituntur auctoritate, fidentius tuebitur, & quæ rationibus mere humanis adstruunt, facile dissipabit. Interim præstat disputationem claudere graviffimis verbis celeberrimi Petri Blesensis, quibus negotiatorem Clericum sui temporis (Epist. 17.) acriter perstringit.

§. 27. *Si tua professionis ordinem, & gratiam divinæ vocationis attendares, te potius lectione quam negotiatione, artibus quam mercibus occupares. Periculosum siquidem est in laico, sed pernitiosum in Clerico negotiationibus augeri pecuniam, atque rerum ambitiosa venalitate sepsum diabolo venalem exponere. Clericus, qui leviore comparat pretio, ut vendat carius, filius est avaritiæ, idololatra pecuniæ, servus mammonæ, & venundatus sub peccato ... Congregabis divitias, & in noviffimo non gaudebis; & evenict tibi, quod Dominus per Jeremiam figuraliter dicit: Perdix fovit, quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio: in media dierum derelinquent eum: & in noviffimis suis reperietur insipiens ... Porro negotiationis crimen attenuas, & ad excusandas excusationes in peccatis proponis tui laboris, & providentiæ fructum esse, quod plus recipis, qui rem, dum vilius vendebatur, emisti.*

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

Dicit omnino non esse absurdum, si laborem in quæstum, & in lucrum periculum convertisti. Quidquid proponas, unum decuntio tibi, quia negotiationem in tuæ salutis periculum convertisti. Negotiatorem Clericum Sacri Canones execrantur. Hæc, & alia Archidiaconus Anglicanus. §

Quamvis Negotiatio fit per se licita, (nam per se licet lucrum via justa intendere, & comparare ad finem honestum,) tamen Clericis ac Religiosis graviter prohibita est, c. 15. *de vita & honest.* ex Concil. gener. Later. IV. Et Clem. 1. eod. tit. & c. 6. *Ne Clerici vel Monachi*, ubi Alexander III. ait: *Secundum institutá prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negotientur.* Tum quia valde indecorum est Clericos, & Religiosos lucris terrenis, quæ contemnere debent, incumbere: tum quia negotiatio exponit periculo peccati, nempe injustitiæ, fraudum &c. & nimis animum sæcularibus curis implicat, & a spiritualibus evertit. Item a Conc. Chalced. can. 3. eis prohibetur conductio prædiorum alienorum, ut ex eorum fructibus lucrentur. Possunt tamen proprios agros colere, ut fructus vendant; & greges in suis prædiis alere, ut ex foetu, & lacte pecuniam conficiant, aut ipsa animalia saginata vendant. Eis quoque licet, res, quas ad suos usus emerunt, non ut vendant, postea data occasione carius vendere; nam hoc non est negotiatio. At non videtur iis licere negotiari (1) per alios, qui totam præstent industriam; ut pecuniam in societate mercatorum deponere, nisi id fiat ex necessitate, & ex consensu Papæ expresso vel tacito. Tum quia hoc illorum statui indecorum est, & in illis avaritiam redolet: tum quia ita fert consuetudo vim legis habens; nam reprehenderentur qui hoc facerent.

✠ Vide Constit. quæ incipit *Apostolicæ servitutis*, in qua S. M. Bened. XIV. non solum confirmat pœnas in Clericos negotiatores a Sacris Canonibus, & ab aliis Summis Pontificibus stabilitas, sed illas quoque ad illos expresse extendit, qui *illicite sub alieno nomine negotiantur, perinde ac si per seipsos, ac proprio eorum nomine, negotia illa exercerent.* Atque decernit. Primo: *ut omnia & singula bona ac ab eis alieno nomine illicite acquisita sub invitabili spolii pœna subjaceantur.*

Secundo: Ut negotia a Laicis inchoata, & ad Clericos delata, statim dimittantur, nec nisi necessitate urgente continuari possint; de licentia tamen Congreg. Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italiam; idque ad tempus duntaxat, ac per interpositam Laici personam.

Ter-

(1) *Præsens quæstio incidens perficitatis gratia sic exponi potest... Utrum sint sic Clerici, & Religiosi negotiationem lucrativam propriæ dictam exercere per alios, quando reditum pecuniam habent ex suis reditibus & bonis: ita scilicet ut tradita consanguineis, cognatis, amicis, aliisve Laicis pecunia, hi vel ipsorum loco solummodo negotientur, vel habilita societate totam operam & industriam impendant, percipiunt subinde lucrum cum ipsis partituri... Proferri possunt innumeri propemodum Auctores etiam magni nominis, qui nullam culpam saltem lethalem agnovere in Clericis, aut Monachis ita per alios negotiantibus; tum quia juxta Canonico videtur ipsidem esse prohibitum solum negotiari per se ipsos: tum quia, cum negotiatio per alios facta non disturbat animum, cessat etiam ratio prohibitionis. Ita Tabiena, Valentia, Rebellus, Arragonia, Salas, Barbosa, Medina, Raynaudus, Leffius, Sylvius, Gonzalez, Molina, Wigandt, Laymanus, Pirrhingius, Roncaglia, Sasserat, Miglioreticus, Card. de Luca, & Altovitus olim Secretarius Sac. Cong. Concilii. Non defuerunt tamen seu ex Theologis seu ex Canonistis, qui adversus tantam turbam nubem tuerentur contrarium. Unde idem Pirrhingius (§. 1. n. 3. ad tit. 50. lib. 3. Decr.) subdit:* Alii absolute negant, Clericos per alios negotiari posse; quia prohibitum est ipsis, ne lucri causâ negotientur; quod habet locum sive per se, sive per alios negotientur. Quod enim quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum, reg. 17. in 6. Pariter Henuus (Tract. de Just. & jur. disp. 7. q. 1. concl. 3.) Resol. 1. peccare Clericos, & Monachos, qui dant pecuniam ad societatem, ut inde lucrum cum aliis sociis reportent. Quandoquidem omnes ad contractum societatis concurrentes dicuntur negotiari, sive pecuniam mini strent, sive operam, sive industriam, sive aliud. *Et quidem in hac Urbe, teste Bened. XIV.* (lib. 10 de Syn. c. 6. n. 4.) prædictam opinionem, quam Cardinalis de Luca, & Altovitus sectati fuerant, iterum postea in trutina positam, validissimis argumentis refutarunt Fatinellus Romanæ Curiæ Prælatus, & Cardinalis Acciajuolus in quodam suo suffragio. Et similiter Romanæ Rotæ Auditorium, eadem rejecta, contrariam sententiam est amplexatum. *Pergit autem:* Nec verum est, Clericos, per interpositam personam cambiis, alteriusve generis negotiationi vacantes, a curis liberari, quibus negotiationes implicantur. Scimus quippe, experientia edocente, eos continue anxios & sollicitos esse de lucro, quod ex data alteri pecunia sint reportaturi, plenosque timoris, ne a socio decipiantur. *At nunc exire omnem dubitationis aleam jam posita res est, post editam ab eodem Pontifice Summo Constitutionem*, Apostolicæ servitutis commissum, *cujus summam habes hic e vestigio expressam in Textu. Itaque propter in præland. Oper.* (n. 5.) *ita concludit:* Sed supervacaneum est pluribus de hac quæstione differere, quam Nos, statim ac ad supremum Ecclesiæ Pontificatum evecti sumus, definivimus: necessarium quippe reputantes novæ legis freno cohibere insatiabilem Clericorum cupiditatem divitias accumulandi, nostris Apostolicis Litteris, datis die 25. Febr. 1741. Const. 13. declaravimus, & ediximus, nullam negotiationem alias Clericis prohibitam posse ab iisdem sub alieni nominis velamine exerceri; eique etiam per alios operam dantes obnoxios fecimus pœnis, quæ a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis statutæ sunt contra Clericos negotiatores. Quocirca cum controversia Apostolicæ Sedis judicio dirempta jam sit, tuto poterunt Episcopi id ipsum in suis Synodis iterum decernere, & clericos, per interpositam personam cambia activa contrahere præsumentes, ad Sacrorum Canonum normam punire.

Tertio: Ut exempti a spolio ad effectum testandi aut transmittendi, non intelligantur exempti quoad bona per interdictam negotiationem acquisita. ✠

§ *Sanctissimi Domini Nostri*

CLEMENTIS XIII. EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos super Observantia Canonicarum Sanctionum adversus Clericos negotiatores, & Sæcularibus negotiis se immiscentes edita.

CUm primum incomprehensibili Pastoris æterni judicio in B. Petri Cathedra constituti, Dominici Gregis curam suscepimus, complures audivimus Ecclesiastico zelo ferventes Viros, præsertim Animarum Pastores, & verbi Dei præcones, qui Civitates, atque Provincias peragrant pœnitentiam Populis, & morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus, & corruptelas, quas pro Ministerii sui officio notarunt, & pro viribus reformare studuerunt, reprehendendam sibi frequenter occurrisse quorumdam Ecclesiasticorum avaritiam, habendique cupiditatem. Quæ quoniam malorum omnium radix a Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbuit, utut in atrociora crimina non abripiat, (saltem in Dei cultu, propriisque vocationis muneribus obeundis socordes reddit, & ad sæcularia desideria conversos, mundanis addicat curis, & occupationibus, quibus abeunciare se publice edixerunt, quum inter sacræ initiationis mysteria, solum Deum hæreditatis suæ partem agnoscere professi sint. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt, atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum, five sperarum, five jam partum amittant. Hinc se ad abjecta quælibet officia, & ministeria, in gradus, & Ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit, ut Laicorum plerique non eos ipsos duntaxat, qui talia agunt, sed sæpe etiam universum Ecclesiasticorum cœtum contemnant: quia & amaro, averloque animo sunt erga illud hominum genus, quocum lites, & contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel a quibus præcepta sibi videbant honesta media, per quæ suæ, suorumque sustentationi consulere potuissent.

Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari censemus Regulares Viros, qui aliquando ab impotita sibi sollicitudine de temporalibus Communitatum suarum emolumentis, ultra Ecclesiasticæ moderationis fines ferri se sinunt, excitari nos quidem intelleximus, ut Apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate, hujusmodi corruptelam, unde Fidelis Populus scandalum, aliique noxii consequuntur effectus, e medio tollere satageremus.

Verum quum ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usque ad hæc nostra tempora, nihil apertius, nihil districtius, aut Conciliorum Decretis, aut Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus statutum legatur, nihil a Sanctis Patribus, Ecclesiarumque Pastoribus frequentius, aut impensius inculcatum appareat, quam, ut Ecclesiæ Ministri, tum Clerici, tum Monachi, a temporalium lucrorum cupiditate abstinere, & a sæcularium negotiorum sollicitudinibus arcere se debeant: Cumque non solum spirituales censuræ, sed etiam gravissimæ temporales pœnæ in eos decretæ fuerint, qui Canonicas Regulas hac in re infringere, aut violare præsumpserint, omnibus mature perpensis, nihil nobis reliquum esse judicavimus, nisi ut vos Venerabiles Fratres, de constanti, enixaque voluntate nostra, prædecessorum nostrorum menti, Ecclesiæque spiritui per omnia inhærentes, commonefactos, Paternis, Fraterniisque hortationibus excitaremus, ut debitam Sacrarum legum observationem ab omnibus Ecclesiasticis, tam Ordinariæ vestræ, quam Delegatæ vobis Jurisdictioni subjectis, ad formam Sacrorum Canonum, & Decretorum Apostolicæ Sedis, ac respective synodalium undiquesuisque Diœcesis statutorum, exigere studeatis, ac reipsa obtinere curetis.

Ut igitur clarius innotescat perpetuum nostrum, & Apostolicæ Sedis studium pro religiosa prædictarum legum custodia, simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stylo, aut consuetudini (quæ corruptelæ potius, & abusus, servata legitima vocabulorum proprietate, appellari debent) quibus Ecclesiastici quicumque criminosam suam in negotiis, curisque sæcularibus immixtionem obtegere, aut excusare comenderent, nos, omnes & singulas canonicas leges, & Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutiones, adversus clericos negotiatores, & sæcularibus negotiis sese immiscentes, præsertim a Pio IV. Urb. VIII. & Clem. IV. latas atque editas, usque ad novissimam, quam S. M. Decessor Noster Benedictus Papa XIV. sub Dat. Kal. Martii 1741. Pontificatus sui anno 1. evulgavit, cum omnibus item, & singulis pœnis, atque censuris per eos respective indictis, perinde ac si Decreto omnia in præmissis contenta, eorumque pœnales sanctiones, præsentibus nostris Litteris de verbo ad verbum insertæ forent, per easdem præsentes approbamus, confirmamus, & innovamus, decernentes, ac declarantes, prædictis omnibus legibus, ac pœnis subjici, ac subjectas esse debere omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, non solum e Sæculari clero, sed etiam e Regulari, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, amplissimis licet, & singularibus Indultis, Privilegiis, & Exemptionibus munita, & cujus etiam expressam, & individuam mentionem fieri oporteret: itaut quicumque adversus hujusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis pœnas incurrant, ac respective ab iis, ad quos pertinet, juxta casuum distinctionem & procedendi methodum alias a Tridentina Synodo, seu ab Apostolica Sede præscriptam, cum effectu mulctari, & puniri debeant; non obstante contrario quolibet usu, seu stylo, aut consuetudine, etiam immemorabili, quæ aliquo in loco, Diœcesi, aut Religione inoleviisse dici posset: quam quidem nos, veluti damnabilem abusum, & imperceptibilem corruptelam, earumdem præsentium tenore, damnamus, proscribimus, viribus omnibus vacuamus.

Deinde vos omnes, Venerabiles Fratres, hortamur, & in Domino obtestamur, ut pro Ecclesiasticæ Disciplinæ integritate & animarum salute advigilantes, in Clericorum omnium, Vobis tam Ordinario, quam Delegato jure subjectorum, agendi rationem sedulo inquiratis, ac, si quos forte hujusmodi avaritiæ labe infectos, adversus Canones, & Apostolicas constitutiones peccasse comperietis: in eos, ad

formam eorumdem Canonum, & constitutionum, cum omni severitate, etiam ex officio, procedere non omittatis.

In quo sane duo vobis magnopere cavenda erunt: Primum videlicet, ne subdolis delinquentum artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Sæpe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudulenter componant, ut quatenus crimen in judicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi, suæque cupiditati inservientis, persona aut alieno nomine tabulis, & rationum libris inscripto, negotiationem, aut conductionem, de qua quæritur, ad se nequaquam pertinere contendere: Modo scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quæstibus a Superiore arguantur, defendere possint, non se turpi cupiditati adductos ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua, sed suorum, aut sanguinis, aut alio necessitudinis vinculo sibi conjunctiorum, bona, negotiationibus implicita, ad eorum sustentationem, ex caritatis officio, & directionis titulo, procurare se prædicabunt.

Quamvis autem, propria etiam experientia in Episcopalis officii muneribus obeundis, satis edocti simus, quam difficile sit judicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona, vel mala fides illius, qui de illicita negotiatione accusatur; non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem Ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super hujus gravissimi Ecclesiasticæ Disciplinæ capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod vestram, Ecclesiæque mentem ab obscurioribus etiam eorum prævaricationibus abhorrentem, sæpius testatam facietis, iisdemque, oblata opportunitate, graviter denunciabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes, & corda scrutatur, nihilque apud Supremum illius Tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Ecclesiæ Præsulem decipere, indignisque legibus pœnas declinare satagunt. Ceterum non omnino impossibile erit latentem rei veritatem plerumque agnoscere, occultumque crimen revincere, si debita cura, atque sollertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitæ tenore se produnt, resumque, & casuum adjunctis, quæ allatas excusationes probabilius admittendas, rejiciendasve suadent. Hi quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de Fraternitatum vestrarum sapientia, & rerum usu, quantum par est, in Domino confideremus.

Alterum vero quod æque revera cavere debetis illud est, ne pravæ Canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur, aut indulgentia præter jus extenditur, præter mentem, & spiritum Ecclesiæ, & privatis opinionibus adinventas, & sine legitimi Superioris assensu ad proprii cujusque casus opportunitatem accommodatas, apud vos ullo modo valere finatis, ubi Clericorum Sæcularium, aut Regularium negotiationem, vobis judicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quæstio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in Diœcesi ab Ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus, vel potius interdictus censeri debeat; haud æquum erit pro judicandi norma accipere, vel frequentiam ipsorum actuum, de quorum natura quæritur, vel ipsam contrahentium opinionem; sed ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam, & audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc Apostolicam Sedem; quæ sicuti alias complures hujus generis quæstiones, per organum præsertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum definivit, etiam in posterum quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet: idoneis editis responsis, ex quibus agendi, judicandique regula desumi valeat.

Quo in genere, quum acceperimus perspicuam nostram, & Apostolicæ Sedis declarationem desiderari super eo, an clericis liceat cambium activum contrahere? quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subjectam putemus, nihilominus, ad omnem cauſſandi occasionem amputandam, præsentium Litterarum tenore declaramus, ac definimus, cambium activum, natura sua, esse actum veræ & propriæ negotiationis; ideoque Ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam illud contrahere; quicumque vero e Sæculari, vel Regulari clero cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri pœnis, atque censuris, quæ in clericos negotiatores constitutæ noscuntur.

Si autem Ecclesiasticorum quispiam, ad se excusandum, quod Sæcularibus negotiis se immisceat, necessitatem proferat indigentiæ, non quidem suæ (quandoquidem unicuique clerico Canonicus Ordinationis Titulus vel saltem congruus sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet, iisque forsan deficientibus, debet ipse honestioribus artibus, suæque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere) sed aut Parentum, aut Sororum, aliarumque Personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre tenentur: primum volumus, atque decernimus, hujusmodi excusationem a Superiore Ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque clerico minime suffragari posse, quominus ad canonicæ legis præscriptum pro modo culpæ puniatur, nisi doceat se antea præfatas necessitates Apostolicæ Sedi, si intra Italiam, & insulas adjacentes exisitat: si vero in remotioribus Regionibus versetur, saltem Ordinario loci expositisse, earumque initio, opportunam dispensationem, & facultatem prædictas personas industria sua juvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario impetrasse.

Deinde, pro eo quod pertinet ad hujus Curiæ nostræ Officia, rerum facimes, nostram mentem, & voluntatem esse, ut hujusmodi dispensationes, & facultates nunquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductæ caussæ veritati nitantur, & nisi simul constet prædictas indigentias nulla alia ratione levari posse, eoque etiam casu nunquam Ecclesiasticis permittatur ejusmodi negotiationis genus assumere, cujus administratrix clericalem statum, & characterem dedeceat; quinimmo in ipsis Indultorum Rescriptis, & Litteris, indicentur, ac præscribantur honestiores modi, quibus clericus, justa moderatione servata, & intra veram indigentiæ mensuram parentibus consanguineis opera præstare valeat. Quæ omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinet, in hujusmodi dispensationibus, & facultatibus concedendis observare debebunt: Hoc insuper advertentes, ne ea, quæ, vel ab ipsis, vel ab Apostolica Sede, peculiaribus quibusdam clericis hoc in genere aliquando permissa, & justis concurrentibus caussis, frequentius forsan indulta dignoscuntur, (ex. gr. ut Ecclesiarum fundos, certa annua pensione conventa, colendos, exercendosque conducerent) eadem a reliquis Ecclesiasticis, tamquam generaliter omnibus concessa, absque justa caussa, sine speciali Indulto usurpentur.

Cererum facultates ipsas, etiam ut supra dictum est obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro invitis, & revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatæ conjunctorum indigentiæ cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum executione, tum observantia, Ordinariorum localium vigilantiam, atque conscientiam onerari volumus, & re ipsa oneratam fore denunciamus.

Verum non uni dumtaxat negotiationi tribuenda est, quæ nunc temporis cernitur Ecclesiasticæ dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus Ecclesiastici Viri proprium decorem, totiusque cœtus, & ordinis existimationem eo frequentius, atque securius abjicere dignoscuntur, quod eos volunt non tam aperte adversari Litteræ Sacrorum Canonum, & Constitutionum ab Apostolica Sede editarum; proindeque se censuris, & pœnis ibidem statutis nequaquam subjiciendos fore confidant. Plurimi enim, ut ex prædictorum relatione cognovimus, in ipsa bonorum suorum administratione, eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium, & ceterorum, quæ in propriis Ecclesiæ fundis enascuntur, seu alimtur, necnon in comparandis rebus, quæ, vel ad proprios usus, vel ad fundos prædictos instruendos sunt necessariæ, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis, & sollicitudinibus hujus Sæculi deditos, ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut qui sacræ dignitatis præstantia supra humanæ conditionis sortem evecti merito reputantur, infra ipsos abjectissimi status homines sese demittant, & qui filii lucis esse deberent, sæculi filios terrenæ aviditatis anxietate, superare videantur. Hos ajebant omnibus Nundinis, atque mercatibus, laicali propemodum apparatu, ac specie se sistere, nec quicquam minus, quam clericalis moderationis, atque modestiæ vel Ecclesiastici decoris, & gravitatis speciem præseferre.

Quibus non quidem palam edictis, nihil per nos intenditur ini, quod ipsis, pro recta, & provida Ecclesiastici patrimonii administratione, quoad ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a Sanctis Patribus, & Ecclesiasticarum legum conditoribus eorum diligentiæ commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quæ clericis, quoad rei substantiam, non prohibeantur, & tamen eorum usus, sub certis dumtaxat modo, & forma, iisdem permittitur; iis autem, qui præscriptum modum excesserint, statutamque Ecclesiasticæ Disciplinæ formam violaverint, tum temporales pœnæ, tum etiam spirituales censuræ, a Sacris Canonibus infliguntur, cujus rei innumera extant exempla in generalibus Canonici Juris legibus, ac etiam in peculiaribus Diœcesum statutis, & plura de vita, & honestate, de habitu, & tonsura Clericorum, sive observanda,

sive vitanda, præscribunt. Ita vos, Venerabiles Fratres, oportet, Ecclesiasticorum omnium, qui in Diœcesibus vestris versantur, agendi rationem circa præmissa circumspectantes, si quid vobis constiterit frequentius ab iis admitti quod clericorum statum deceat, non solum eos idoneis instructionibus docere, ut collatæ sibi dignitatis celsitudinem cogitantes, non sibi licere putent indecoris actibus eam deturpare, debitamque Ecclesiastico ordini existimationem, & reverentiam, quæ etiam spiritualibus Populorum utilitatibus plurimum prodest, ex laicorum animis abolere: utque memores se in sortem Domini vocatos esse, non tam, quæ sua sunt, quam quæ Jesu Christi, quærant, & curent: Sed præterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis Decretis conditis, ac severioribus Edictis propositis, ejusmodi clericorum turpitudini, & cupiditati obviam ire; ac delinquentium culpas, habita minoris, majorisque scandali ratione, tunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus pœnitentiis emendare, nunc demum districto prosarum, ac etiam censurarum gladio, ad ceterorum exemplum, & coercere, & punire.

Et parem quidem, vel etiam majorem Pastoralis zeli vestri sollicitudinem, atque constantiam requirit aliud corruptelæ genus, quod plures Ecclesiasticos viros inficere, & ab Ecclesiæ servitiis abductos, ad sæculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui indistriam, operamque suam, quam totam Divino cultui, & proximorum utilitatibus, ex caritatis lege, impendere deberent, laicorum obsequiis, abjectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negotiis administrandis, curandisque, pro temporali, eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est judicare, an magis detesta fit eorum cæcitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit laicorum præsumptio, qui Sanctuarii Ministros, a quibus Christianæ vitæ documenta, æternæque salutis subsidia petere deberent, tam parvipendant, ut eos in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

Verum quod altius animum nostrum sollicitat, illud est, ne forte hujusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat: quod nempe aliquibus ad Clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat, fallacibus corrupti sque documentis Ordinarium suum decipere, conficiosque sibi patrimonio, cujus fructus aut nulli sint, aut ad ipsos non vere pertingant, ad Sacros Ordines, absque reditibus ad honestam vitæ sustentationem sufficientibus, promoveri. Quare ne quis vestrum miretur, Venerabiles Fratres, si hac occasione arrepta, vos omnes, & singulos enixe hortamur, atque monemus, ut cautiores hac in re, oculatioresque vos præbeatis, ne cui subditorum vestrorum detur ad Sacram Ordinationem obrepere, qui ex Beneficio Ecclesiastico, vel Ecclesiastica pensione, aut ex Patrimonio sibi constituto, in casibus a jure permissis, omni fubmota collusione, ac fraude, eam reipsa non percipiat annui reditus summam, quæ Synodalibus cujusque Diœcesis statutis, aut legitima consuetudine definita dignoscitur.

Clericos autem, & Sacerdotes, in Laicorum Domibus ejusmodi Ministeriis addictos, quæ eorum gradum, & professionem dedeceant, quæque eos a

Divinis obsequiis, & propriæ perfectionis cultura, ad illiberalium occupationum, & sæcularium negotiorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere, aut forte obfirmatos de sua ab Ecclesiæ castris defectione impune gloriari; sed omni Pastoralis sollicitudinis studio, & quatenus opus sit, tota ordinariæ, ac Delegatæ Jurisdictionis auctoritate, servatis servandis, eosdem ad Ecclesiasticæ vitæ instituta, & ad clericalis militiæ munera revocare.

Hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæ pro Apostolici ministerii nostri officio, ad Ecclesiasticæ ordinis honestatem, dignitatemque tuendam, & vindicandam, sollicitudini vestræ suggerenda, enixeque commendanda judicavimus: hæc enim in re, quæ ex peculiaribus officium circumstantiis maxime pendet, vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui subditorum vestrorum facta, eorumque adjuncta, regionum necessitates, & personarum mores, quidquæ apud prudentes, & probos viros honesti, aut indecori speciem habeat, in singulis locis præsentes constituti, & melius agnoscere, & securius æstimare possitis. Ut autem liberum vobis sit in hoc rerum genere inordinata quæque corrigere, & reformare, quodcumque dispensationis, aut facultatis Indultum circa præmissa a quolibet Romanæ Curiæ officio hactenus concessum, prudenti arbitrio vestro moderandum permittimus, nullum vero in posterum concedi volumus, nisi additis prius Fraternitatum Vestrarum relationibus, & votis; adjectisque eidem Indulto ejusmodi formulis & conditionibus, per quas integrum vobis relinquatur arbitrium de illius executione, & effectu ita cognoscendi, ut nemini Ecclesiasticorum liceat, illius prætextu, negotium ullum, aut ministerium minus honestum, contra interdictum vestrum assumere, aut susceptum retinere, & protrahere. Interim in Pastorali zelo vestro acquiescentes, Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 17. Sept. 1759. Pontificatus Nostri Anno II. § ✠

5. Cohabitatio cum femina, de qua suspicio esse potest: ex Conc. Nic. I. can. 3. ibi: *Vetuit omnino magna Synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec ulli penitus eorum, qui sunt in clero, introductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt*, c. 1. & 9. *de cohabit.* & ex Conc. Gener. Later. I. cap. 3. ob periculum proprium, & scandalum aliorum. (1)

6. Ludus alearum, aut charrarum, taxillorum ex c. 1. dist. 35. ex c. 11. *de excessib. prælat.* ex variis Conciliis, præsertim ex Conc. Gener. Later. IV. cap. *Clerici*; de vita & honest. ibi: *Clerici ... ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Quare Deluzo ait: *Propter hos Canones obligationem aliquam peculiarem in Clericis agnoscunt Doctores communiter* (2). Ratio est, quia talis

(1) *Bened. XIV. triplici in loco* (Instit. Eccl. 81. & 83. *Lib.* 11. de Syn. *cap.* 4. *n.* 5. & *seq.*) *ex professo differit de Sacerdotum, maxime Parochorum, ac mulierum conturbernio, confederata tum veterè, tum recentiori Ecclesiastica disciplina. Quod spectat extraneam conversationem quorumvis promiscue Clericorum cum eodem sequiore sexu, audiendus S. Ambrosius Mediolanensem suum Clerum sic instruens* (*lib.* 1. *Offic. c.* 20.) Viduarum, ac virginum domos, nisi visitandi gratia, juniores adire non est opus: & hoc cum senioribus, hoc est, vel cum Episcopo, vel si gravior est causa, cum Presbyteris. Quid necesse est, ut domus sæcularibus obtrectandi locum? Quid opus est, ut, ille quoque visitationes crebræ accipiant auctoritatem? Quid si aliqua illarum forte labatur? Cur alieni lapsus subeas invitiam? Quam multos etiam fortes illecebra deëcepit? Quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus: illum audimus, cum Divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Una est domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi non obsequium hominibus deferendum recipimus. *Consultatur etiam duplex Seraphici Doctoris textus a nobis* (*in Nota* 2. *ad n.* 4. *Resp.* 2. *ad q.* 8. *c.* 2. *Tract.* de Peccat. *& in Nota* 1. *ad n.* 23. *art.* 4. *c.* 7. *ejusd. Tract.*) *jam produxit.*

(2) *Confœderato fœdo* naturali *juxta quemlibet pro*

miscue ludum seu industriosum, seu fortuitum, seu mixtum posse licite exerceri exploratum est, modo conditiones omnes ferventur, quas passim enumerant DD. in Tract. de Contract. *agentes de Ludo, & Sponsionibus. Inter conditiones ipsas impræsentiarum alcatoridæ tres sequentes. Prima est, ut ludus lege aliqua positiva non sit prohibitus. Secunda, ut ludentes habeant liberam dispositionem, & administrationem pecuniarum, aliarumve rerum, quas ludo exponunt. Tertia, ut ludo inordinatio nulla accedat ex circumstantiis temporum, locorum, & similium. Jam vero cum variis Ecclesiæ sanctionibus severe Clericis interdictus esse constet ludos omnes, qui fortunæ magis, quam industriæ innituntur (quales ex. c. modo sunt quos italice vocamus* giuochi della bassetta, del faraone *&c.*) *exinde duo universim inferre licebit. Videlicet, 1. ludos hosce ob defectum primæ conditionis illicitos evadere Clericis Sæcularibus, & multo magis Religiosis ob defectum etiam secundæ conditionis. 2. Ludos præterea industriosos, aut mixtos nedum Clericis & Religiosis, sed ipsis quoque Laicis vitio vertendos ob defectum tertiæ conditionis, quoties nempe vel immoderato affectu, vel modo incongruo, vel cum nimia temporis jactura, vel cum scandalo perficiantur. Atque in hunc certe reatum incurrunt, qui potiorem ditium partem, aut integras fere noctes ludendo traducunt: nec ante ludo desistunt, quam alii alios expilarint: non intelligentes quod ait Angelicus* (2. 2. *q.* 178. *art.* 4.) parum de delectatione sufficere ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo; *quandoquidem*

talis ludus eorum statui indecorus est, & multis malis ac peccatis obnoxius. Unde mortaliter peccant, qui sæpe tali ludo ludunt cum jactura notabili temporis, vel etiam semel cum scandalo, vel magna pecuniæ summa. Religiosis vero ludus aleæ & chartarum adhuc strictius vetitus est: nam *Religiosis*, inquit Molina, *longe magis indecens est, & scandalosus aliis, quam Clericis sæcularibus: eoque magis ipsis indecens, & scandalosus aliis, quo arctiorem vitam profitentur, & magis in ea religione regularis disciplina viget*, Quare Busembaus docet, Religiosos, apud quos disciplina regularis viget, a gravi peccato vix posse excusari si ludant chartis vel aleis. Et Deluzo, disp. 31. sect. 2. n. 12. hæc ait: *Perdoctus P. M. Bannes indubitanter aliquando asseruisse fertur, si hominem nostræ Societatis vidisset charris semel ludentem, judicaturum eum peccati mortalis reum. Quod ego etiam de Patribus Capuccinis, Carmelitis Discalceatis, & similibus dico.* (1)

7. Sæcularia negotia, ex 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Et ex multis Conciliis, & ex toto tit. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.* (2) Hinc non possunt exercere officium Advocati coram Judice sæculari, nisi in propria causa, qui Ecclesiæ, aut miserabilium personarum, quæ suas causas administrare nequeunt, c. 2. *de postul.* item nec officium Procuratoris, Tabellionis seu Notarii in placitis sæcularibus, & alia negotia, quæ multum distrahunt & implicant: nam per illa a rebus spiritualibus, & prorsus eorum officiis nimium abstrahuntur. In Gallia tamen ex consuetudine recepta, & ob bonum Ecclesiæ licite funguntur officio Consiliarii, & Judicis in causis civilibus.

8. Chirurgiæ exercitium, quo adustio vel incisio infertur, prohibetur Clericis sacro ordine initiatis: item sententiam sanguinis dictare aut proferre, sanguinis vindictam exercere, aut ubi exercetur, interesse; & quidquam dictare aut scribere ad hunc finem, c. 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, ex Concil. Gener. Later. IV. Ex Communi sententia tamen licet Clericis medicinam secundum artis regulas exercere ex caritate sine ullo periculo & scandalo, modo ipsi incisionem vel ustionem non inferant. (3)

9. Popinarum ingressus, nisi necessitatis causa in itinere, ex multis canonibus, dist. 33. & ex Conc. Gener. Later. IV. c. 16. ibi: *Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.* Et ex multis Conciliis provincialibus. (4)

10. Omnis luxus, can. 7. & 8. dist. 42. & ex Conc.

dosque apud eumdem (*ar.* 2.) *advertit Tullius, non ira generatos a natura nos esse, ut ad ludum & jocum facti esse videamur; sed ad severitatem potius, & ad quædam studia graviora atque majora. Reponent fortasse aliqui, Ecclesiasticos Canones ludos Clericis, Monachisque vetantes jam abrogatos contrario usu, sicuti civiles Imperatorum leges interdicentes Laicis ludos alearum, & taxillorum, jamdiu in desuetudinem abiere, judice Subtili Doctore* (*in* 4. *Sent. dist.* 15. *q.* 2. *ar.* 3.) Ista lex *ff. de alea tudoria* leg. ult. non ligat nisi illos, qui vivendo politice subsunt legi Imperiali; qui forte nulli sunt hodie, quia ubi præcipue illa lex locum habere consuevit, Municipalia præjudicant Imperialibus, ut patet in Italia. *At quotusquisque est, qui nesciat, veterum Canonum instaurationem olim ab Innoc. III. in Conc. Lateran. IV. factam* (*lib.* 3. *Decr. tit.* 5. *cap.* 13.) *fuisse deinceps firmatam tum gravissimo Tridentinæ Synodi decreto* (*Sess.* 22. *de Reform. c.* 1.) *tum innumeris pene Statutis recentiorum Conciliorum, seu Provincialium seu Diœcesanorum, ab hanc usque diem deveniendo? Ex quo utique fit, præsertim contrariam consuetudinem nullatenus censeri posse* legitime præscriptam, *adeoque juxta communia principia in Tract. de Leg. explanata amandandam ad perniciosas corruptelas, qualescumque demum egerit radices, & quibuscumque advocatis potiatur.*

(1) *Discrimen, quod Auctor conatur est huc usque stabilire inter Religiosum a, & Religionem b, &c. non adeo subsistantiale, ac stricte theologicum videtur. Nam licet particulares Religiones, præsidiis militantis Ecclesiæ Divina Providentia destinatæ, invicem differant, secundum diversitatem operum seu exercitiorum; attamen omnes conveniunt in tribus essentialibus votis, & in supremo fine, qui est caritas; aliunde vero juxta Apostolum* (1. *ad Tim.* 2.) *in quavis* magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea: sed etiam lignea & fictilia.

(2) *Ecclesiasticis, eodice Juris Canonici forsan carentibus, sat erit habere oculis subjectum integrum c.* 1. *Tituli ab Auctore indicati, ut hinc intelligant, quidnam negotiorum sæcularium vetibus speciatim ipsis prohibeatur: est porro hujusmodi.* Multa sunt negotia sæcularia, de quibus pauca perstringamus, ad quæ pertinet omnis carnalis concupiscientia. Quidquid plus justo appetit homo, turpe luerum est. Munera injusta accipere, vel etiam dare pro aliquo sæculari quæstu: pretio aliquem conducere: contentiones, vel lites, vel rixas amare: in plateis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum, & viduarum: conductores sæcularium rerum, aut procuratores esse: turpis verbi, vel facti esse joculatorem, vel jocum sæcularem diligere: aleas amare: ornamentum inconveniens proposito tuo quærere: in deliciis vivere velle: gulam & ebrietatem sequi: pondera injusta, vel mensuras habere: negotium injustum exercere: (nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas; quia legimus Sanctos Apostolos negotiatos fuisse, & in regula B. Benedicti præcipitur providere, per quorum manus negotia Monasterii procurentur) canes, & aves sequi ad venandum: & omnibus quibuslibet cauſſis superfluis interesse. Ecce alia, & his similia Ministris altaris Domini, nec non & Monachis omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus, Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.

(3) *Bened. XIV.* (*lib.* 13. de Syn. *cap.* 10. *n.* 3. *& seq.*) *fuse explanat, quando, & quonam pacto sat sit Clericis, & Monachis exercere artem Medicinæ & Chirurgiæ, quæ ceteroquin est ipsis vetita communi jure Pontificio.*

(4) *Bened. XIV.* (Inst. Eccl. 27. init.) pravam con-

Conc. Nicæno II. c. 16. Sæculi voluptates & spectacula, can. 3. dist. 23. Comessationes & ebrietates, c. 14. de vita & honest. ex Concil. Gener. Later. IV. Choreæ, (1) Concil. Trid. sess. 24. c. 12.

Porro Conc. Trid. sess. 22. c. 1. hæc omnia innovat & confirmat. Nam ibi statuit, ut quæ alias à Summis Pontificibus, & a sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, sive non sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel maioribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. Lege tot.

✠ Bened. XIV. lib. 11. de Synod. Diœc. cap. 9. ait, 1. Comæ suppositiliæ, seu parrucchæ usum plures Synodos Diœcesanas Clericis interdixisse approbante Sac. Congr. Conc. adjectis contumacibus pœna. 2. Nefas olim fuisse Clericis iis uti. Immo comis nutrientes etiam invitos tonderi potuisse. 3. Majorem præseferre vanitatem comam fictitiam; quamobrem pluribus de caussis Clerico summopere dedecere. 4. Posse Episcopos has interdicere, nisi causa prius ipsi cognita aliter suaserit. 5. Ita permittendam, ut modesta sit, & prius ab Episcopo spectata. 6. Non posse Episcopos facultatem facere Sacerdotibus celebrandi Missam cum coma fictitia, cum id solus Romanus Pontifex, cujus lege prohibetur, concedere valeat. Et c. 52. docet, comessationes, choreas, spectacula, & similia Clericis non licere; ac si comœdiæ sint inhonestæ, nec Laicis interdicte licere. ✠

Nota. Eadem omnia prohibita sunt Religiosis non solum Clericis, sed etiam Laicis: quia nomine Clericorum comprehenduntur Religiosi, quando prohibitio specfat decentiam status, ut notat Suarez.

Quæst. II. *Quænam specialiter Clericis præcipiuntur?*

Resp. Tenentur 1. Clerici præsertim sacro ordine initiati vel beneficiati, *habere coronam vel tonsuram congruentem*, c. 25. de vita & honest. ex Conc. Gener. Later. IV. & c. 4. eod. tit. *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit.* Item gestare habitum clericalem, & suo ordini conveniente, can. 22. dist. 23. Clem. 2. de vita & honest. & ex Conc. Trid. sess. 14. c. 9. & ex Const. 91. Sixti V. ubi gravi pœna præcipit, ut omnes isti Clerici jugiter deferant *tonsuram & habitum clericalem, vestes scilicet talares.* Et vero eos, qui a mundo separati se divino ministerio dedicarunt, laicalem vitam exteriore habitu profiteri dedecet. Hinc peccat mortaliter, qui notabili tempore non gestat tonsuram vel habitum clericalem, saltem quo discernatur a laicis, cum id præcipiatur sub gravibus pœnis, & res sit gravis pertinens ad decentiam status, & bonum ac decus Ecclesiæ. *Ita Navarrus, Sanchez, & alii.* Nec excusat consuetudo, cum sit irrationabilis, & corrupteia. Unde S. Carolus in Synod. II. Eccles. Mediol. inter alios casus hunc sibi reservat: *Qui quævis beneficia obtinentes habitum clericalem non induant.* Permittit tamen Clericis iter facientibus, ut vestitu contractiore utantur. *Decentem tamen illum*, inquit, *atque hujusmodi esse oportet, quo eos esse ecclesiastici ordinis homi-*

consuetudinem *vehementer improbavit illorum Concionatorum, qui in Quadragesimali tempore* ad tabernas diverterent, ibique subsistere permitterentur *ea ipsa scilicet in Jure Canonico* hoc omnibus Ecclesiasticis, nisi itineris causa, interdicitur, *can. 4. dist. 40.* Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. *Quare S. Carolo Borromæi decretum approbat, ac regerit:* In proprio Monasterio, qui Regularis est, habitet: aut in ædibus Parochialis Collegiatæve Ecclesiæ, ubi concionatur; aut saltem in aliis Ecclesiasticis domicilliis, si ullo modo possit, ac distinctis omnino a laicali habitatione. *Ceterum, ne Concionatores aliunde cogantur molestias fuscere obtrectatorum inhospitalitatem illorum Ministrorum in quorum Ecclesiis verbum Dei annuntiant, & quorum loco laborant defadantque; præscribit idem Pontifex summe providus,* ut statim ac ad Ecclesiam sibi constitutam pervenient, qua par est humanitate, ac officio, ab ipsis Parochis excipiantur; *atque aliis subinde subjiciatis, pro locorum consuetudine aut lege, minime destituantur. Quisquis porro hac occasione parnoscere cupit seriem eorum, quæ Divini verbi Præconibus vel agenda, vel fugienda sunt, dum tam sublimi vacant ministerio, is pergat legere cit. Instr. Eccl. ad finem usque, quæ certo plane digna est.*

(1) *De choreis, larvis, comœdiis, aliisque profanis spectaculis, legendus Bened. XIV.* (lib. 11. de Syn. cap. 10. n. 11. 12. *item* Inst. Eccl. 37. & 76.) *qui verissime observat, in hisce rebus* contrariæ consuetudinis excusationem prorsus inanem esse, & contumacem prorsus, ac corruptelam nuncupandam. *Universo consuetudo nequit humanæ juri derogare, nisi sit firmul & legitimæ præscripta, & rationabilis.* (N. 140.) *Ubi autem constanter a Jure Canonico reprobata deprehenditur, rationabili, seu bonesta censeri (Nota 1. ad Resp. 1. quæst. 5. cap. 9. Tract. de Legib.) nullatenus potest.*

Petet quis, num inter negotia sæcularia *hactenus declarata computandum sit etiam officium Executoris Testamentarii?*

Resp. Fagnanus (N. 11. *Com. in cap.* 19. Joannis, *tit. 19. de Test. l. 3. Decr.*) *saxta Hostiensis, aliorumque opinionem sat probata consuetudine nixum, Clericos tum Sæculares tum Regulares posse deputari executores ultimarum voluntatum etiam ad non causas pias, dummodo per hoc non retrahantur a Divinis Officiis, atque loquendo de Regularibus, id fiat de licentia suarum Prælatorum petita, & obtenta. Excipit tum Regulares Ord. Min. S. Francisci, quibus munus illud a Clem. V. in Conc. Vien. (lib. 5. Clementin. tit. 12. de verb. sign. cap. 1. Excivi. §. Verum etiam cum dicti ordinis frat es &c.) expresse prohibitum. Vid. Gonzalez* (Num. 19. *Com. in c.* 3. Nos quidem, *tit. cit.*) *qui etiam ostendit, prædictæ opinioni non obesse decretum Synodale Africanorum PP. ac præsertim D. Cypriani* (*lib. 1. epist. 9.*) De Clericis in testamento non nominandis tutoribus, ac curatoribus.

hominem agnosci facile possit. Cum vero eo venerint quo pervenire contendunt, talarem togam induant. (1)

Porro Religiosis prohibetur sub excommunicatione ipso facto contracta, Papæ reservata, ne habitum sui ordinis temere, hoc est, sine justa causa dimittant, c. 2. *Ne Clerici, vel Monachi*, in 6. (2).

2. Tenentur Clerici sacro ordine insigniti servare castitatem perpetuam, ex voto (3) sollemni, quod Ecclesia ob reverentiam sacri ministerii annexuit ordini sacro, ita ut illi per voluntariam ordinis susceptionem facto ipso tacite profiteantur ac voveant castitatem. Constat ex variis juribus, ex Conc. Gener. Later. I. can. 11. ibi: *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam debere redigi, juxta sacrorum canonum definitionem judicamus.* Ex Conc. Gener. Later. II. c. 7. ibi: *Nullus Missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis & sacris ordinibus dilatetur, statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, regulares Canonici, & Monachi atque Conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant.* Et ex Conc. Trid. sess. 24. c. 9. Hæc lex castitatis & continentiæ omnibus Episcopis, Sacerdotibus & Diaconis ab ipsis Apostolis auctoritate Ecclesiastica constituta fuit, ut docet Conc. Carthaginiense II. can. 2. Et vero Patres veteres non solum Latini, sed etiam Græci, hanc obligationem commemorant, cujus quidem initium cum ignoretur, ab ipsis Apostolis fumendum est. Postea eadem lex ad Subdiaconos extensa fuit jam a primis Ecclesiæ sæculis, nam Conc. Eliberitanum an. 305. habitum, can. 33. Subdiaconos hac continentiæ lege comprehendit. Hoc etiam constat ex sensu ac praxi Ecclesiæ. (3)

Item tenentur quotidie recitare Breviarium ex variis juribus, & præsertim ex universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente; ut conitat ex confessu Doctorum, qui se habent in hac re ut multitudo testium omni exceptione majorum.

3. Clerici ratione sui status & juramenti, obedientiam (5) specialiter debent Episcopo in iis, quæ

(1) *De habitu Clericorum, & cum in publicum prodeunt privata sua negotia expeditura, sive cum ad Ecclesiam accedunt Sacris operaturi, Bened. XIV.* (Inst. Eccl. 34. & 71. item lib. 11. de Syn. cap. 8.) *verba facit: qua posteriori loco ab impacta simiæ severitatis calumnia vindicat Synodales Constitutiones illorum Episcoporum, qui Clericis obligationem imponunt deferendi vestem talarem.*

(2) *Ex Fagnano* (Num. 55. *Com. in cap. 1.* Si quis, *tit. 2. de For. Compet. lib. 2. Decr.*) *quamquam regularis habitus sit ita adnexus officio Monachorum, ut eum semper & ubique retinere debeant, ac temere illum dimittentes subjiciantur statutæ a Bonif. VIII. censuræ* (c. 2. ut periculosa, *tit. 24. lib. 3.*) nihilominus Religiosus, qui jocosa levitate ad horam dimittit habitum, in excommunicationem non incidit, nec tamquam Apostata amittit privilegium ordinis secundum Petrum de Palude, cujus sententiam dicit rationabilem Sylvester, ver. Excommunicatio 5. n. 5. subdens non censeri Religiosum dimittere habitum, si illum dimittat non dolore: & cum assumptione alterius, ad utendum eo: sed ad horam voluptuose, nullo alio assumpto, vel assumpto, quidem sed ad solatium ex levitate jocosa.

(3) *Qui sacris Ordinibus initiantur, continentiam jugiter servare tenentur, non ob solam legem Ecclesiasticam, ut videntur nonnulli sentire; verum etiam ob votum sollemne, quod Ecclesia junctum voluit susceptioni Sacri Ordinis. Ita expresse Bened. XIV.* (*loc. cit.* de Syn. c. 11. n. 13.) Castitatis votum Sacris Ordinibus adnexum sollemne est, & habetur juxta Decretalem in cap. unic. de Voto in 6. cujus hæc sunt verba; illud solum votum debere dici sollemne, quod sollemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *Hoc ipsum pridem docuere præcipui Scholarum Magistri, S. Thomas* (2. 2. q. 88. ar. 7.) *Scotus* (in 4. *Sent. dist. 38. q. unic.*) *S. Bonaventura* (in 4. *Sent. dist. 37. ar. 1. q. 1.*) Ordo apud Latinos, *inquit*, ex Ecclesiastica constitutione habet inseparabiliter continentiam annexam, & ideo, qui illum suscipit, spontanee se obligat: ita quod illa obligatio procedit ex statuto pariter, & ex voto.

(4) *Quæstiones varias, scitu jucundas utilesque, tum ad historiam Clericalis celibatus, tum ad ætatis tatem Ecclesiastici Statuti perperam a Lockio, ceterisque Novatoribus impetiti, pertinentes legere potes apud Honoratum Tournely* (*Prælect.* de Sacr. Ord. *q. ult.*) *Renatum Drouven* (de re Sacram. *lib. 1. p. 2. sect. 3. Append.*) *aliosque eruditos hujus ævi Scriptores. Vid. etiam Bened. XIV. Constitutionem*, Eo quamvis (§. 34. & *seq.*) *datam sub die 4. Maii an. 1745. D. Bonaventura tandem legem de perpetua Sacrorum Ministrorum continentia diserte olim explicavit, ac strenue vindicavit* (in 5. *Sent. dist. 37. ar. 1. q. 1. & 2.*) *adversus Græcos, quibus erudiendis, atque ad concordiam cum Ecclesia Latina revocandis, egregiam navavit operam in Œcum. Concil. Lugdunensi II. Est autem animadversione dignum judicium S. Doctoris de iisdem Græcis.* Quia non consenserunt in nobile statutum (quod super se Latini libenter receperunt) ut vasa sua servarent munda, ablatum est ab ipsis regnum, & intelligentia Scripturarum, & datum est generi farinæ fructus ejus.

(5) *Vid. Bened. XIV. l. 13. de Syn. c. 1. n. 2. & seq.) loquentem de dominatu Episcoporum in Presbyteros. Hujus obedientiæ Clericalis radicem prodit Scotus, dum sollemne votum continentiæ Sacris Ordini adjunctum adfruit.* (in 4. *Sent. dist. 38. q. un.*) Si prædictum Ordinem suscipiens non faciat votum, quia scilicet in eius

quæ spectant ad honestatem vitæ, & reformationem morum ad correctionem & pœnas pro peccatis impositas, ad divinum cultum, officium, & sacramenta, ad jura Episcopalia, & ad jurisdictionem Ecclesiasticam, cap. *Quia frater*, 7. qu. 2. & c. 16. *de offic. judic. ordin.*

4. Tenentur servare honestatem & modestiam in omni compositione & gestu (1) corporis, temperantiam & moderationem in cibo & potu, ex dist. 41. & dist. 44.

5. Ratione sui status debent morum sanctitate & virtutibus omnibus laicis prælucere, *quorum forma, & exemplum esse debent*, ait Conc. Gener. Lateran. c. 4. (2)

Quæst. III. *Quænam sunt obligationes speciales Beneficiatorum?*

Resp. Beneficiati, etsi carentes ordine sacro, tenentur ex justitia horas canonicas recitare quotidie, ita ut si eas culpabiliter omiserint, peccent mortaliter, nec faciant fructus suos, & ad eorum restitutionem teneantur, saltem post sex menses pacifice possessionis. *Ita omnes*. Prob. 1. Ex Conc. Lateran. V. sess. 9. ibi: *Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii & temporis: sed eos tantumquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogari teneatur.* Quod decretum confirmat & explicat Pius V. Constit. *Ex proximo*, vigente etiam in Gallia. *Statuimus*, inquit, *ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum, tantum dimidium; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittant* (3). 2. Quia sub hoc onere ab Ecclesia Beneficium

eum eis collatum est, & ab eis acceptatum: nam *Beneficia propter officia conceduntur*, ait Conc. Constantiense sess. 34. Idem docet Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.

Obj. 1. Hæc restitutio fructuum debetur in conscientia ante omnem sententiam: nam omittens non habet jus ad illos fructus defectu conditionis, quam Ecclesia exigit ut illud acquirat. Concil. Later. dicit, *non facere fructus suos pro rata omissionis officii*, sed teneri restituere *tanquam in usu perceptos*. At ut quis teneatur restituere injuste acceptum, & quod suum non est, non requiritur sententia Judicis. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: *Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna*. Excultur tamen a restitutione, qui sine sua culpa omisit, v. gr. ob morbum, inde Con. Later. addit: *Cessante legitimo impedimento*.

1. Non liberatur a restitutione, qui aliis diebus recitat quod omisit, quia obligatio restituendi est imposita omissioni graviter culpabili officii quotidiani, quod cum suo die affixum sit, non potest impleri alio die.

2. Non satisfit adesse Horis quando recitantur in choro, quia recitari debent ab ipso beneficiato, ex eadem Bulla.

4. Alexander VII. damnavit has propositiones: 22. *Habens cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, beneficium ecclesiasticum, si officium per alium reciterit.* 33. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque elemosynas, quæ antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.*

5. Commendatarii perpetui obligantur ad Horas; quia subrituuntur beneficiatis titularibus cum tota obligatione: immo nunc habentur pro veris titularibus, & commenda perpetua æquiparatur beneficio, ex Conc. Trid. sess. 7. c. 1. & sess. 24. c. 17. nam habet vim

& effectum tituli, datque jus perpetuum percipiendi fructus. Coadjutor vero non obligatur præcise ratione coadjutoriæ, licet instituatur cum futura successione, quia nondum est beneficiatus. Excipe, nisi habeat jus plenum administrandi ob beneficiati amentiam, aut similem infirmitatem, vel assumatur ad totum onus beneficii in defectum beneficiati; nam tenetur ad omne onus, ad quod assumitur.

6. Impuberes ratione studiorum non excusantur: nam comprehenduntur voce, *Quilibet*. Conc. Later. & Beneficium non datur nisi propter officium. Item ad Horas obligantur præsumptio habentes, ex Bulla Pii V. cit.

7. Ex communiori sententia, nulla est obligatio recitandi ante partam (1) possessionem, quia ante illam non censetur provisus beneficium perfecte consecutus, nec potest fructus percipere, nec beneficii jura exercere. Excipe, nisi dilatio possessionis capiendæ proveniat ex culpa, vel negligentia beneficiati: nam *mora sua cuilibet est nociva*, reg. jur. 23. in 6. & nemini sua fraus vel negligentia prodesse debet. Tenetur autem statim sub mortali, accepta possessione, ex Bulla cit. Qui autem sex primis mensibus omisit, juxta alios (2) tenetur ad restitutionem; quia ex natura rei tenetur, non solum ex jure ecclesiastico; nam datum ob causam obligantem retineri non potest, causa non secuta; juxta alios non tenetur, quia Papa remittit obligationem restituendi ob omissum sex primis mensibus officium, licet talis graviter peccaverit, cum violaverit præceptum in re gravi.

8. Tenuitas beneficii non excusat ab hac obligatione. *Ita S. Antoninus, Navarrus, Suarez, Toletus, Azor, Reginaldus, & alii communiter.* Quia jura ad officium obligant omnes beneficiatos sine exceptione, ut patet ex his verbis Concil. Later. *Quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura.* Et ex his Bullæ Pii V. *Qualitacumque beneficia obtinentes*. At ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et lex generalis est, dari beneficium pro-

(1) *Nec refert, quod tempore collationis, & acceptationis beneficii incipiam Beneficiarii habere jus in re, atque fructus debeantur. Nam ex Martino Becano* (q. 11. de Orat. concl. 2.) *persæpe ante captam possessionem incertum est illud jus & nonnisi idem impediri multis modis, qui primum se produnt, quando capienda est possessio. Porro præter casum fraudulentæ dilationis hic & passim ab Auctore expressum, alterum adde, si nempe beneficiatus ante partam possessionem beneficii jam actu percipere notabilem partem fructuum, sicuti quandoque evenit. Tunc enim, utpote habens dominium etiam utile, omnino teneretur recitare Officium.*

(2) *Haud pauci, iique graves TT. docent, Beneficiarium naturali jure constringi ad restituendos fructus sex priorum mensium, qui a possessione beneficii effluxerint: quoniam mittendo tunc culpabiliter Officium, violavit, ut ipse videtur, justitiam commutativam, unde radix restitutionis oritur. Hujusmodi autem violationem ex eo deducunt, quod Beneficiarius instar stipendiarii beneficium a Fundatoribus nactus sit, ut obiret munia beneficio adnexa, inter quæ numeratur præcipue recitatio Divini Officii. Atque hac ipsa ratione quidam illorum TT. solent asserere, quod olim plures Decretalistæ, ac Summistæ tradiderit: solitos beneficiatos non jure tantum Ecclesiastico, sed etiam naturali obligari ad recitandum Officium. Subdunt vero (quo contrariæ opinionis palmare momentum evertant) a prædicto restitutionis onere, priores sex menses respicienc, Beneficiarios nequaquam fuisse sublevatos aut per Lateranense Decretum, aut per Pianam Constitutionem, quia in ipsis, res jam diuturna & acri DD. dissidio connexia toste Covarruvia* (lib. 3. var. resol. c. 13. num. 10.) *relinquitur prorsus intacta, quoad primum semestre attinet: sollumque determinatur, ob accedentem illum omissionem non posse conveniri, & multari in Ecclesiastico foro Beneficiarios defides. bened. XIV.* (Instit. Eccles. 107. §. 1.) *scribit*: In controversia, qua disceptatur, an jure Divino, vel Ecclesiastico Officium recitare debeat, opinionem veritati magis consentaneam probamus, quod nempe ex jure Ecclesiastico illud dimanaverit. Hinc forte conjecturam capere licebit, quidnam sentiendum sit in superiore altera controversia, quæ ad ipsam confectaria videtur-

propter officium. Immo cap. *Clericus*, dist. 92. jubetur Clerico pauperi, ut agricultura vel artificio sibi victum comparet sine officii detrimento. Præterea beneficium acceptans, sponte acceptat omne onus illi annexum, & in illud consentit. (1) Nec ex tali onere patitur injuriam, cum hæc scienti & sponte consentienti non fiat. Sic vir tenetur ad onera matrimonii & alendam uxorem, quamvis ab ea non receperit dotem sufficientem. Saltem in hoc consuli debet cujusque Ecclesiæ consuetudo, & in dubio Episcopus loci.

Sed an beneficiarius privatur omnibus beneficii fructibus respondentibus iis diebus, quibus non recitavit, si obtririt alia ministeria beneficio annexa? (2).

Resp. Suarez, Reginaldus, Azor, Navarrus, & alii docent, omnibus privari; quia Conc. Later. dicit generaliter, omittentem Horas non facere fructus suos; & Pius V. sine ulla exceptione & distinctione statuit, ut omnes beneficiorum suorum fructus amittat, ubi eodem modo de beneficiis sive curatis, sive simplicibus loquitur.

Non pauci tamen docent, teneri tantum ad partem fructuum respondentem officio omisso, spectata quantitate redituum & onerum. Quia beneficium, cui alia onera annexa sunt, ut prædicatio, ministratio sacramentorum, celebratio Missæ &c. non solum propter Horas, sed etiam propter illa alia onera & ministeria institutum est, & datur. Ergo æquitas postulat, ut qui alia munera rite obiit, non privetur stipendio iis debito. Cum enim imponatur obligatio restituendi, quia beneficium datur propter officium; quando aliquis præstat plura officia, & omittit unum illorum, ut recitationem Horarum, satis est si restituat partem stipendii respondentem officio omisso. Dicunt autem Conc. Lateran. & Pius V. loqui de omnibus fructibus respondentibus Horis canonicis, non vero de aliis datis ob alia ministeria, & intelligi debere pro materia subjecta; vel saltem ea decreta non fuisse recepta cum tanto rigore, sed cum hac moderatione, ut qui alia onera habent, quibus satisfecerint, possint fructus iis respondentes lucrari.

Respondet Suarez, licet beneficium detur propter plura officia, nihilominus legem potuisse punire omissionem unius officii privatione omnium fructuum etiam respondentium aliis servitiis; privasse autem ex verbis citatis constare. Alii docent ad securitatem conscientiæ petendam esse compositionem cum sacra Pœnitentiaria.

Quid si beneficium possidens nullos ex eo fructus percipiat?

Resp. 1. Tenetur Horas recitare in his casibus, 1. Si omnes fructus loco pœnionis impendat ei, qui sibi resignavit: vel Sacerdoti substituto ad peragenda beneficii onera. Quia habet titulum & possessionem beneficii, cui annexa est obligatio personalis recitandi Horas; quod si non fruatur fructibus, hoc est per accidens, & quia sic ipse sponte consentit. 2. Si iis privetur juste, v. gr. quia non residet, vel nondum sacris initiatus est, vel ob aliquam culpam. Nam Ecclesia non debet privari suo debito servitio ob culpam, aut aliquem defectum ministri, qui hanc fructuum privationem sibi imputare debet. 3. Si illi fructus aliquo casu perierint, v. gr. incendio, sterilitate, hostium spoliatione &c. vel si hominum injuria pro aliquo tempore auferantur sine spe recuperandi. Quia cum beneficia instituta sunt, simul im-

(1) *Communiorem hanc sententiam, ab Auctore propugnatam, tali confirmat argumento Pagnanus (N. 7. & 8. Comm. in cap. 6.* Cenquerente, *tit. 4. de Cler. non resid. lib. 3. Decr.*) *Arctior est obligatio dicendi Officium, quam residendi; sed exiguitas beneficii non excusat Beneficiarium a residentia, juxta cit. Decretal. Alexand. III. ergo multo minus ab Horis dicendis. Exinde autem manet, allegationem tenuitatis beneficii juvare quidem posse tempore collationis, sed post collationem non censeri juridicam; ideoque Beneficiarium ejusmodi deberet sibi alimenta parare congrium victum, juxta modum a Sacris Canonibus (2. p. 1. Decret. dist. 92.) præmonstratum. A præfata sententia aliquatenus discedunt quidamque cum Scoto asserunt, immunem esse ab obligatione saltem quotidie recitandi Officii Beneficiarium illum, qui ex beneficio reportat quidem minus tertia parte sustentationis: Homus in tali usu vult, standum esse locorum consuetudini legitime introductæ. Porro iis, quæ de tenuitate beneficii nunc Auctor protulit, potuisse Lectores exemplo conjungere reliqua, quæ ab eodem in fine præsentis qu. 3. traduntur de Beneficiario multos ex beneficio fructus percipiente.*

(2) *Quæstio instituitur de beneficio, quod secundum se, non per accidens, completitur plura diversa onera; cujusmodi est beneficium Curatum, a quo indivulsæ obligationes recitandi Officium, concionandi, administrandi Sacramenta &c. Tum supponit ex. ca. Parochum aliquo die festo strenue functum singulis mundis, dempta sola recitatione Horarum Canonicarum, quas potuisset absolute persolvere, si voluisset. His præmonitis dubium in eo versatur, utrum idem Parochus, cui quotidie ex proprio beneficio proveniunt, v. gr. tria scutata in restitutione fructuum perceptorum faciendæ ob unicam illam omissionem Officii debeat dependere integrum stipendium illius diei, vel partem duntaxat stipendii, hoc est, tria scutata, vel unum tantummodo. Qui in tali eventu portionem integram Parochi admittunt, sunt certe & multi, & graves qua Canonistæ, qua Theologi: ut, præter nominatos ab Auctore, Valentia, Navarrus, Garzias, Moldenus, Habertus, Coletus &c. eorumque sententia videtur Ecclesiastici sui conformior, eis contraria aliorum DD. sit magis consona naturali æquitati, & usu recepta. Dissidium tamen, quoad praxim, ferme evanescit. Siquidem recentiores saltem sententiæ priori patroni haud gravate dant, Constitutionem S. Pii V. si ejus mens fuit præscribere restitutionem omnium fructuum in præsitto casu usque ad hunc apicem non amplius vim obtinere. Itaque concludendum videtur, restituendorum fructuum portionem pro omisso culpabiliter officio esse mensurandam arbitrio prudentum, secundum quantitatem, & qualitatem reliquorum diversorum onerum Beneficiario incumbentium.*

imposita est perpetua obligatio officii, licet fieri nequeat, quin aliqui ejusmodi casus decursu temporis accidant. Qui autem beneficium semel acceptat, sicut omnia jura & emolumenta percipit, ita suscipit in se pericula, & cum periculis se obligat ad ejus onera, idque ex pacto tacito inter ipsum & Ecclesiam. Adde quod superiorum vel sequentium annorum proventus talem jacturam satis compensare possunt. 4. Quando reditus primi vel secundi anni subtrahuntur beneficiato, ut cedant fabricæ, vel antiquis canonicis: tum quia talis consuetudo non fuit inducta, ut minueretur officium: tum quia cum his conditionibus sponte suscepit beneficium: tum quia per applicationem fructuum fabricæ, ipse liberatur in posterum onere solvendi pro fabrica, & si applicentur canonicis, ipse tunc obtinet jus & spem idem percipiendi ab aliis, & suo tempore eadem commoda percepturus est. Nec refert quod prius mori posset aut cedere beneficio, quia hoc se habet per accidens.

Resp. 2. Si absque sua culpa nullos fructus percipiat, nec sit spes eos postea percipiendi, ut cum fundus beneficii ab hæreticis occupatur, juxta multos non obligatur ad Horas ratione hujus beneficii. Quia non est mens Ecclesiæ ut teneatur ad hoc onus, cum stipendium non habeat, & censeatur amisisse facultatem unquam percipiendi. Quod si partem fructuum, aut distributiones recipiat, ad officium totum tenetur non minus, quam qui beneficium insufficiens ad integram sustentationem habet. At si sit spes percipiendi aliquando fructus, teneretur: tum quia hæc spes est pretio æstimabilis, & beneficium pacifice possessum cum tali spe est sufficiens ratio obligandi, & interim gaudet honore & privilegiis: tum quia reneretur si casu fortuito, ut propter sterilitatem, furtum, bellum, & similia, aliquibus annis non reciperet fructus.

Quæst. IV. *Ad quid insoper tenentur Beneficiati chori additi?* (1)

Resp. 1. Tenentur choro interesse tempore divini officii, ita ut si sine legitima causa ab eo absint ultra tempus sibi a jure concessum, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem. *Prob.* 1. Ex can. 3. dist. 92. *Clericus, qui absque corpusculi sui infirmitate vigiliis deest, stipendio privatur excommunicetur.* Et ex tit. *de Cler. non residant.* Et ex Conc. Trid. sess. 24. c. 2. ibi: *Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, prebendas aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. Salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt &c.* Et ex multis Concilii provincialibus. 2. Quia ex officio tenentur in choro horas omnes reciare, & propter hanc recitationem publicam in choro stipendium accipiunt, ad hoc enim instituta sunt illa beneficia. Quare sacra Cardinal. Congreg. die 20. Aprilis 1702. declaravit, Canonicos qui non recitant in choro, non satisfacere obligationi suæ. Tenentur autem omnibus & singulis Horis interesse: nam tenentur officium integrum sollemniter persolvere, & non tantum partem officii. Unde Concil. Gener. Later. IV. c. 17. præcipit clericis, choro præfertim adstrictis, & Canonicis *in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote.*

Quanta autem ad mortale requiratur absentia a choro ultra duos aut tres menses juxta cujusque Ecclesiæ consuetudinem, sive ex consuetudine, sive ex continuis, sive ex interruptis diebus componatur, controvertitur. Suarez excusat solum a mortali absentiam unius diei. (2)

Excusantur tamen a præsentia chori & residentia, absentesque jure percipient fructus beneficiorum Canonici studentes Theologiæ per annos 5. vel decentes Theologiam toto tempore quo docent cap. ult. *de Magist.* Item duo Canonici qui sunt in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem, c. 15. *de cler. non resid.* & qui sunt in obsequio Papæ ad eumdem finem, c. 14. *eod. tit.*

Nota. (1) Qui etiam ex legitima causa a choro ab-

(1) *De choreali recitatione Officii sapius disseruit Bened. XIV. nimirum in Prælata Instit. Eccl. 107. quæ distributa conspicitur in 17. paragraphos, in l. 13. de Syn. c. 9. n. 11. & seq. in Litteris, sub die 19. Jan. an. 1747.* Præclara decora, *5. 9. & seq. demum in* Constitutione, *posteri ex parte jam transcripta versus finem præsentis q. 4.*

(2) *Habertus, Coletus, & alii casigrati T T. non audent reum pronuntiare lethalis peccati Beneficiarium una & altera etiam die a choro absentem: quia scilicet talis omissio non videtur esse gravis, si conferatur cum diligentia, quæ reliquis integri anni diebus chorum frequentat. Ceterum fatentur cordati omnes, in quavis hypothesi increscere reatum, ubi de Beneficiario agitur, ex cujus absentia grave damnum subit Ecclesia, ita scilicet, ut ipso deficiente, Officium Divinum vel penitus omittatur, vel minus apte persolvatur.*

(3) *De hac materia legendus Bened. XIV.* (Inst. ecc. 107. *5. 7. usq. ad 11. item de* Syn. *lib. 4. c. 9. n. 1. & lib. 3. c. 6. n. 2.*) *necnon Covarruvias, qui peculiatim disquisivit* (*var. resol. lib. 3. c. 13.*) *Quidnam consuetudo possit circa fructus beneficiorum absentibus conferendos. Ea hic potissime attendenda vulgata distinctio fructuum beneficiorum. Quidam nimirum constituti sunt, ut ex titulo canonico ac legitimo beneficium habenti competant: alii vero distributione quadam veluti diurnum & horarium stipendium distribuuntur iis, qui quotidiano ministerio in celebrandis Officiis Divinis subserviunt Ecclesiæ. Illi plerumque vocantur simpliciter fructus, isti distributiones. Origo distributionum cœpit ab Ioane Carnotensi Episcopo, qui initio sæculi XII. extremum diem clausit; sic enim ipse scribit (Ep. 129.) Cum in quamplurimis Canonicorum Carnotensium defuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas Canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi: ut quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret, quamvis eorum anima pœbenda ad hoc sufficiens esse deberet. Quod quidem institutum paullatim ad aliar*

absunt, non luerantur distributiones quotidianas, & receptas teneantur restituere, non obstante remissione, ex c. 32. *de prabend.* & ex Concil. Trid. sess. 24. c. 12. ibi: *Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit: Consuetudinem &c.* in quo excipiuntur *solum ii, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.* Hinc punctator, cui ex officio incumbit notare absentes a choro, tenetur ad restitutionem, si eos non notet, quia causa est quod sol-

Ecclesiæ deinceps permeavit, ita ut tandem Pontificia jure constituta, & confirmata fuerint distributiones, quales juxta decretum præsertim Tridentinæ Synodi (sess. 22. de reform. cap. 3.) nunc obtinent.

Siquidem vero ex dictis quotidianæ distributiones sunt reditus veluti casuales & incerti, nec attinent ad corpus Præbendæ, ideo juxta Sacros Canones venire non solent appellatione fructuum beneficii, teste Pignatello (Com. in c. 32. Licet vobis, tit. 5. de Præbend. l. 3. Decr.) Unde privilegium absenti Beneficiario concessum de fructibus integris percipiendis ordinarie non extenditur ad quotidianas distributiones. Et ideo ex Bened. XIV. (Inst. Eccl. 60. & de Syn. l. 5. c. 11. nu. 5.) *quoties juxta decretum Trid. Conc. jure percipiendi fructus privantur, qui Parochiæ, Canonicatui, aliave dignitate præditi non eniserunt statuto tempore professionem fidei, ii non censentur amittere distributiones chorales pro Horis, quibus interfuerunt. Observat tamen Fagn. (Com. in c. 7. De cetero, tit. 3. de Cler. non resid. l. 4. Decr.) Canonicos, aliosque Beneficiarios, absentes a propriis Ecclesiis pro servitio Episcopi, percipere posse distributiones quotidianas, si in iisdem Ecclesiis non sint Præbendæ distinctæ, nec fructus ut ajunt grossi; sed omnes reditus consistant in distributionibus. Etenim in tali casu distributiones succedunt in locum Præbendarum, & fructuum, ut ipse ibidem probat variis Sac. Congreg. declarationibus. Immo etiam extra prædictum casum, ipse Bened. XIV.* (l. 13. de Syn. c. 6. n. 2.) *juxta celebrem Sixti V. Const.* Romanus, *si quis de gremio Capituli, seu alia dignitate aut beneficio præditus, loco proprii Episcopi visitet limina SS. Apost. Petri, & Pauli, donec hujusce rei gratia absuerit, Canonicatus seu Beneficii fructus, & distributiones lucratur, perinde ac si Divinis Officiis, & Choro interesset. Similiter ex cod. Bened. XIV.* (Inst. Eccl. 102. n. 9.) *Sac. Congreg. sapius edixit, deberi præter fructus Præbendæ distributiones quotidianas Canonicis, aliisque Choro addictis, pro eo tempore, quod vere pro negotiis Capituli absunt. Pauci, juxta Franciscum Gasparum* (par. 1. disp. Can. tit. 9. cap. unic.) *quinque universim sunt causæ, ratione quarum etiam non interessentes distributiones quotidianas lucrantur. 1. Infirmitas. 2. Justa corporalis necessitas. 3. Evidens Ecclesiæ utilitas vel propria, vel universalis. 4. Quando in aliqua Ecclesia fructus integri Præbendarum constituunt in distributionibus. 5. Privilegium a Pontifice concessum. Jam dubitabit quis animo perpendens, quæ de origine distributionum choralium initio attulimus ex Joane Carnoten. Nimirum, si Canonici aliique beneficiarii panis corporei refectione provocantur ad frequentanda, & obeunda Divina officia, omne simoniaca labe fordantur? Responsionem ex Hostiens. ita dat Fagnanus (n. 42. & seq. Com. in c. 16. O-*

lim tibi, tit. ult. Decr.) Interessentes pro donario, qui non interessent pro Deo, non committere quidem simoniam veram, cum nulla pactio, nulla conditio expressa intercedat: sed tamen graviter peccare, & committere simoniam mentalem, pro qua sufficit sine dispensatione aliqua, per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori; ut legitur in cap. Tua nos, & cap. fin. de Simonia. *De istis Clericis, qui scilicet distributiones respiciunt tamquam finem unicum, seu principalem operis, intelligendus D. Bonavo* (*Expos. in Lam. Jerem. c. 1.*) *ubi ait:* Vita Clericorum dissipatur quasi hortus, dum in rebus spiritualibus sola carnalia quærunntur, sicut in illis patet, qui nunquam veniunt ad Ecclesiam, nisi quando distributiones dantur, sicut bubo non venit ad Ecclesiam, nisi propter oleum. *Ceterum distributiones recipi posse citra mentalis etiam simoniæ reatum, colligitur ex hac alia doctrina Seraphici* (*in 2. Sent. dist. 38. art. 2. q. 3.*) Cum quis vadit ad Ecclesiam ad percipiendas distributiones, hoc potest facere tripliciter. Aut ita, quod principaliter intendit gloriam Dei; & simul intendit obtinere pecuniam, ut pauperibus distribuat, vel in aliosufus licites ad honorem Dei convertat. Alio modo potest aliquis ire ad Ecclesiam intendens Deo placere, & simul cum hoc pecuniam acquirere: ita tamen, quod ejus acquisitionem ad Deum non refert: nec tamen ipsam pecuniam statuit finem principalem, pro eo quod ipsam non diligit propter se. Tertio modo vadit quis ad Ecclesiam duplicata intentione, ita ut quod vult Deo placere, & vult obtinere pecuniam, quam sicut avarus appetit acquirere, ut possit thesaurum suum ampliare, & in eo delectari propter se. Primo modo statuere diversos fines est bonum & meritorium, & pertinet ab bonam voluntatem. Secundo modo non est bona voluntas loquendo formaliter; attamen non sic repugnat, quin possit cum ea stare: est enim ibi peccatum veniale, non mortale. Et hoc vult dicere Augustinus, cum ait: minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Tertio modo est contra bonam voluntatem. Talis enim vult duobus dominis servire: & hoc est impossibile. Et talis est voluntas hypocritarum: quibus væ damnationis æternæ comminatus Scriptura; pro eo quod terram ingrediuntur duabus viis. *De his & similibus materiis periculo simoniæ facile obnoxiis, rursus idem Seraphicus verba facit* (*in 4. Sent. dist. 25. art. 1. q. 4. in resp. ad reg. &* de paupere Christi, *art. 2. ad obj. 17.*) *item Angelicus* (*quodl. 8. art. 11. atque 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 4.*) *Consulendum cum Bened. XIV.* (*Inst. Eccl. 107. l. 7.*) Hujus emolumenti distributionum ratio non debet potissimum ad Chorum perducere; sed pietatis studium, ut obsequium Deo præstetur, ipsaque laudes decantentur. Qui solum utilitate distributionum traheretur, simoniæ labem contraheret.

solvantur distributiones iis quibus non debentur cum damno eorum, quibus jure debentur, quibus proinde tenetur restituere de suo. Idem est de distributore, si distributiones solvat iis, quibus non debentur, hoc est, iis qui absunt non ob infirmitatem aut necessitatem corporalem, vel in evidentem utilitatem Ecclesiæ, seu ex alia causa licet justa; nam is privat alios, quibus jure debentur. Ex Decr. Conc. Trid. sess. 22. c. 3. Distributiones illæ faltem, quæ ab Episcopis post tale decretum instituæ sunt ex fructibus beneficii, applicari debent fabricæ quatenus sufficiat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii.

Porro cæcus habens præbendam tenetur choro interesse, & audire alios canentes, & recitare quantum ipse potest & recordatur; nam ad id tenetur ex vi beneficii cum præbenda. Cur enim excusaretur? *Ita Suarez. Filliuc.*

Resp. 2. Idem tenentur jure communi canere in choro, & alta voce recitare officium secundum Ecclesiæ suæ usum, ex c. 9. dist. 92. *Quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, si ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur a clero.* Et ex Concil. Trid. sess. 24. c. 12. *Omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia... atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Item ex variis Conciliis. Nam ad officium talium beneficiatorum publica canonicarum precum decantatio pertinet, cum ad eam instituta sint illa beneficia; & reipsa reditus eis specialiter dantur ut choro inserviant. Nec distributiones constituæ sunt ob nudam præsentiam, sed ut cum aliis psallant, & officium decantent. Quare non satisfaciunt privatim in choro Horas recitando, nec lucrantur distributiones quæ debentur solis choro inservientibus: nam quod datur ob causam obligantem, causa non secuta, non debetur, sed restitui debet.

✠ Extat hac de re Bened. XIV. Constit. ad Universos Italiæ Patriarchas, Archiepiscopos, ac locorum Ordinarios, cujus initium est: *Cum semper*, tom. 2. Bullarii pag. 366. in qua §. 24. sequentia leguntur.

„ Equidem fcimus in aliquibus Metropolitanis, & „ Cathedralibus Ecclesiis, inter Canonicos eam opi„ nionem invaluisse, ut se munus suum satis imple„ re contendant, dum choro præsentes affistant, licet „ ipsi sibi silentium imponent, neque psallentibus „ Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adjun„ gant. In hujusce vero opinionis confirmationem „ adduci ab illidem solent inveterata consuetudines, „ statuta peculiaria, aut etiam prætensa Ecclesiarum „ suarum privilegia. At quum Synod. Trid. sess. 24. „ c. 12. loquens de Dignitatibus, & Canonicis, qui „ choro interesse debent, eum ex eorum officiis „ esse dicat, *in Choro ad psallendum instituto, Hym-*

nis, & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare, quamque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in choro „ assistitur, ideoque receptæ in universali Ecclesia „ disciplinæ paucos illos "adversari" dignoscantur; „ quum insuper opinio illa nunquam in Cong. Conc. „ Trid. interpretationi præposita, examinata sit, „ quin statim explosa fuerit, & improbata: quam„ vis præsumptis consuetudinibus, altisque funda„ mentis, & rationibus innixa perhiberetur, cano„ nicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium hujus ur„ bis super hoc instantibus; quum denique „ idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Con„ ciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Se„ de approbatis, & confirmatis: nihil jam reliquum „ esse videtur, quominus pauciores universorum legi „ se accommodent. Equidem minime nobis com„ pertum est, quo peculiari titulo sustulti perfuasum „ habeant unus, vel alterius Ecclesiæ canonici, se „ muneri suo satisfacere per simplicem in choro as„ sistentiam, absque Divinæ Psalmodiæ cantu. Ve„ rum, nisi illis præsto sit Apostolicum non præsump„ tum vel abrogatum, sed legitimum, ac vigens „ Privilegium, sive Indultum, jure ac merito va„ rendum est, ne isti, dum ita se gerunt, Præben„ darum, ac distributionum fructus minime suos „ faciant; & consequenter ne ad eorum restitutio„ nem teneantur."

Porro pars chori, quæ tacet, tenetur attendere ad ea quæ canit altera; nam tenetur ad totum officium moraliter concurrere; & totum facere suum. Alias non censeretur moraliter præsens toti officio; nam is non dicitur præsens alicui rei, qui ad aliud attendit, ex l. *Coram 9. de verb. signif.* Nec satisfacit qui prævenit, & privatim recitat partem alterius chori, & postea voluntarie distrahitur; nam non satisfacit toti officio publico chori, non enim communicat in parte officii quam non recitat, nisi ad eam attendendo. Unde in solemni Missa omnes tenentur audire attente Evangelium, Epistolam, & alia quæ ab uno decantantur.

Controvertitur an legitima sit consuetudo, qua in quibusdam locis Canonici totum onus psallendi seu canendi imponant vicariis vel cantoribus conductitiis, ipsi vero certis temporibus adsint. Certum est tales saltem teneri privatim horas recitare; nam generalis est lex recitandi horas, cui non satisfacit, qui tantum alios recitantes audit; item teneri choro interesse, tempore officii cum devotione & attentione: quod si domi horas persolverint, attendere more orantium, alioqui vana nec religiosa esset illorum præsentia.

Quæst. V. *An Beneficiarii omnes teneantur partem fructuum beneficii, honestæ sustentationi superfluam, impendere in pauperes vel alios pios usus?* (1).

Resp.

(1) *Hic jam Auctor ingreditur ampissimam, & simulque implicatam dissertationem de peculio Clericorum, quæ multas ac variasquæstiones sinu suo complexa dit. Deinceps plura fusius profert, quibus nec pauci, nec ignobiles DD. acriter refragantur. Non ii ego sum, qui possim, veritate certo commonstrata, gliscens dissidium compescere. Silebo pervitus, quousque Lectores attente lustraverint integram Auctoris textum, qui duabus ipsi q. 5. & 6. continetur. Postea calci q. 6. nonnulla adiciam, quæ conferent ad pleniorem, & nitidiorem disputationis gravissimæ intelligentiam: ac præterea inservient ad temperandum rigorem recentiorum Scriptorum, qui in hac materia interpretanda ultra metam excurrisse videntur.*

Resp. Secundum omnes ad id sub morali teneatur. Et quidem, paucis exceptis, etiam jure naturali, ita ut consuetudo in contrarium excusare non possit, sed omnes pene Canonistæ (ut ostendit Navarrus) & plurimi, ne dicam plerique Theologi veteres cum Richard. S. Bonav. S. Raymund. S. Antonino, multisque recentiores Turrian. Comitol. Laym. Gormaz &c. docent, ad id teneri non solum ex caritate & religione, sed etiam ex justitia, ita ut si superflua omnia non impenderint in usus pios, teneantur ad restituendum pauperibus, vel aliis piis causis: ideoque non habere dominium omnium fructuum beneficii absolutum & liberum, sed gravatum onere justitiæ superflue impendendi in pios usus.

Prob. 1. Ex Patribus, & Conciliis. S. Ambr. ep. 31. ad Valent. *Nihil Ecclesiæ sibi nisi eadem possideri. Hoc reditus præbet, hoc fructus. Possessio Ecclesiæ sumptus est egentium.* S. Hieron. in can. *Quoniam* 16. q. 1. *Quidquid habent Clerici, pauperum est.* S. Augustin. in can. *Si privatum*, 12. q. 1. *Non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione dominatili vindicamus.* S. Greg. lib. 3. epist. 33. ait, Patrimonium Ecclesiæ Romanæ esse res pauperum. Et lib. 12. epist. 23. ad Julian. de se ut possidente bona Ecclesiæ ait: *Quem constat non res suas, sed ad dispensandum res pauperum habere .... dispensatoris locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenuisse.* S. Bernard. epist. 1. ad Faleon. *Quod præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retinet, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Ita alii Patres. Adde can. *Res Ecclesiæ*, 12. q. 1. Conc. Gener. Nic. II. c. 12. *Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopi sollicitudinem habeat, & dispenset eas tanquam Deo contemplante. Non licet autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur.*

Conc. Gener. VIII. c. 15. decernit Ecclesiasticos reditus ad ministrorum sustentationem, *& obscuram pauperum, & peregrinorum sustentationem esse.* Conc. Gener. Later. III. c. 19. dicit: *Ecclesiarum bona & clericorum, & pauperum Christi usibus deputata esse.* Gregor. IX. c. 16. de foro comper. ait: *Cum valde sit iniquum ea, quæ collata sunt pro remedio peccatorum, Ecclesiis vel relicta, aut eis justis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari.* Conc. Turon. ann. 813. c. 20. *Rebus Ecclesiæ ita utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.* Ita loquuntur multa alia Concilia. Unde Conc. Paris. 829. adductis multis canonibus, & textibus Patrum, air cap. 13. *Sicut igitur præmissa documenta declarant, non sunt res Ecclesiæ, ut propriæ, sed ut Dominicæ, & a Domino commendatæ tradendæ.* Adde S. Tho. qu. 1. c. q. 100. art. 1. ad 7. ait: *Quamvis res Ecclesiæ sint Papæ ut principalis dispensatoris, non tamen ejus ut domini & possessoris.* Et q. 129. art. 3. ad 1. *Clerici sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant prodige expendendo.*

Dices. Patres docent superflua divitum, etiam laicorum, esse pauperum, & tamen divites non tenentur ex justitia stricte dicta dare superflua sua pauperibus, ita ut si omittant, obligentur ad restitutionem. Ergo similiter cum Patres dicunt bona Ecclesiæ esse pauperum, esse dona Dei, non intendunt significare obligationem justitiæ dandi bona ecclesiastica superflua pauperibus vel piis operibus.

Resp. Neg. conseq. Quia 1. Textus Patrum intelligi debent pro subjecta materia. Bona autem Ecclesiastica, utpote bona Deo dicata, & in solos pios usus donata, diversæ sunt moraliter naturæ, & obligationis ab aliis bonis. Et vero etiamsi nulli essent pauperes, nihilominus secundum omnes bona superflua beneficiorum in alios usus pios impendi deberent, quamvis in hoc casu laici sua superflua sibi retinere, vel consanguineis donare possent; quia nempe bona superflua beneficiorum sunt bona Dei, & bona dicata, & donata in usus pios. 2. Concilia in suis canonibus proprie & accurate loqui solent, & tamen non aliter in præsenti materia loquuntur atque Patres. 3. Obligatio impendendi in usus pios bona superflua beneficiorum, quam Patres & Concilia agnoscunt & tradunt, est omnino distincta a præcepto caritatis, & ab obligatione, quam habent beneficiarii circa bona patrimonialia superflua: nam hæc obligatio est specialis beneficiariis circa bona ecclesiastica superflua, & illa sola bona spectat.

Nec dicas, Patres & canones loqui de bonis immobilibus; nam aperte loquuntur de bonis, quæ ad sustentandos ministros Ecclesiæ, & alendos pauperes impendi debent. Constat autem nunquam ministris licuisse bona immobilia consumere in suos vel pauperum usus.

Prob. 2. Quia bona Ecclesiæ sunt ei donata a fidelibus ea intentione, & cum onere ac pacto saltem implicito seu tacito, ut impenderentur in cultum divinum, & alios pios usus, scilicet in sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & pauperum, in fabricam, ornamenta Templi &c. quatenus hæc bona donata sunt in cultum divinum, ideoque in usus pios Deo gratos. Nam 1. A Patribus & Conciliis bona Ecclesiæ dicuntur vota fidelium, pretia peccatorum, bona Dei, hoc est, bona Deo conferenda, quatenus donata sunt tantum in ejus cultum, & usus pios ipsi gratos. Item Ecclesiæ Prælati dicuntur œconomi, & dispensatores, non absoluti domini bonorum Ecclesiæ. 2. Fideles bona sua donando Ecclesiæ volebant opus salutare, meritorium, & Deo gratum facere, & illa Deo consecrare: quod non fecissent quoad partem superfluam bonorum, si non dedissent cum onere & pacto, saltem implicito seu tacito, ut in usus pios & gratos omnia impenderentur: nam non est opus plum dare ministris Ecclesiæ bona illorum sustentationi superflua, ut de illis faciant quod libuerit, & possint ea in usus profanos impendere. 3. Hæc intentio fidelium satis constat ex Patribus & Conciliis. S. Ambros. lib. 2. de offic. c. 20. dicit, fideles Ecclesiæ ministris probis sua obtulisse, ut per eos ad pauperes perveniret. *Quicumque* (inquit) *bonum operarium videt, illi confert quod ille suo officio dispenset, fecerit quod ad pauperem sua perveniat misericordia. Nemo enim vult, nisi pauperi proficere suam collationem.* S. Th. in epist. 2. ad Corc. 12. lect. 5. ait, quod Principes & alii bona Ecclesiæ *non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes: & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Prælatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus.* Conc. Gener. Later. II. cap. 10. ait: *Decimar Ecclesiarum, quas in usus pietatis concessas esse canonica demonstrat auctoritas, a laicis*

eis possideri prohibemus. Conc. Aquisgran. an. 816. c. 16. *Res Ecclesiæ, sicut a SS. Patribus traditur, & in superioribus capitulis continetur, vota sunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: fideles namque Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium, cœlestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam: ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesia exornaretur, pauperes vecrearentur, & captivi redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his, qui ejus facultates administrant, ne eas in suos solummodo usus convertant, sed magis juxta possibilitatem rerum, Christo famulantium, immo eorum in quibus Christus pascitur, & vestitur, curam gerere penitus non negligant &c.* Conc. Valent. an. 855. c. 21. *Quia cum ipsæ res Ecclesiæ a piis & fidelibus Deo oblatæ, juxta antiquorum Patrum sententiam, nihil sint aliud, nisi vota fidelium, patrimonium pauperum, redemptio peccatorum: si eas fideliter & integre ecclesiastici usibus non impendimus, & in eos qui obtulerunt, & in Deum cui oblatæ sunt, gravissime nos reatu implicamur.* Conc. Tribur. c. 23. *Ideo dandæ* (sunt decimæ) *ut Deus placetur, & ministri Ecclesiæ liberiores sint ad spiritualis servitii explesionem, necnon secundum statuta canonum in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiant &c.* Omitto multa alia Concilia idem declarantia.

Neque dicas ante erectionem beneficiorum, quæ octavo vel nono seculo accidit, fuisse quidam obligationem justitiæ impendendi superflua in usus pios; sed postea Ecclesiam instituendo beneficia, dominum eorum redituum absolutum ac liberum transtulisse in beneficiarios, cum sola obligatione caritatis vel religionis impendendi superflua in usus pios.

Nam contra est, 1. Bona Ecclesiæ post erectionem beneficiorum non amiserunt naturam & conditionem boni mere ecclesiastici & Deo dicati, ideoque in usus pios impendendi. Nam bona ecclesiastica sunt bona specialiter in Dei cultum donata, & in opera Deo grata dicata, & sic ab Ecclesia acceptata. 2. Cum data sint a fidelibus solum in Dei cultum & pios usus, imposita est obligatio perpetua justitiæ ea sic impendendi. 3. Posteriora Concilia de illis bonis loquuntur sicut priora, & dicunt ea esse bona Dei impendenda in usus pios. Nam Leo X. constit. 7. approbante Conc. Later. V. statuit, *ut Cardinales Ecclesiarum bona temere non effundant, sed ea in pios & sanctos operibus expendant, quorum causa magni, & optimi reditus per sanctos Patres statuti, & ordinati fuerunt*, scilicet secundum naturam, & donationem illorum bonorum. Conc. Trid. sess. 25. c. 2. ait: *Omnino est* (Episcopis) *interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineis, familiaribus suis augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticæ, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ils ut pauperibus distribuant ... Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Beneficia ecclesiastica tam secularia, quam regularia obtinentibus observari, sed & ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.* Conc. Mediol. I. sub S. Carolo, tit. 63. *Et sacrorum canonum decretis statutum est, & SS. Patrum testimoniis celebratum, quæ bona fidelium pietate Deo consecravit, ea vel illorum necessitatibus honeste sublevandis, qui Christi ministri effecti essent: vel Ecclesiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum necessariis comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse, siquidem ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam & conditionem consecuta sunt, ut in alium quam in sacrum & pium usum eorum fructus converti nefas esset.* Conc. Rotomag. anni 1581. de Monaster. ait, *Ne existiment commendatarii sibi commendatum monasterii reditum regimen ad luxum vel prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam, sed ad pium & justum alterarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem.* Idem habet Conc. Aquisgranense ann. 1585. Et Concil. Burdigal. anno 1583. tit. 26. ait, reditus Ecclesiæ esse Dei proprios. Et tit. 26. *Peculium Christi sunt bona Ecclesiæ Episcopis, Sacerdotibus, & Clericis, cum ad honestum vitæ eorum subsidium & spiritualis sumptum ministerii, tum ad pauperum alimentum atque sustentationem erudita.* Et Conc. Rhemense ann. 1583. c. 18. ait: *Si deinceps quisquam Ecclesiæ bona, quibus pauperes alli oportuit, in eiusmodi usus profudisse convictus sit, & qui quæ sum fecit, rem pauperum male partam restituere, & qui sacrarum passus est, tamquam sacri patrimonii dilapidator graves pœnas exolvere cogantur.* His adde S. Bernard. qui serm. 28. in Cant. dicit: *Timeant Clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum quos possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant minime contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant, & in usus luxuriæ utique luxuriæ victum pauperum exsumere non vereantur; duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.* Præterea olim quarta pars reditum Ecclesiæ in illorum divisione pauperibus assignata fuit: nunc vero est permixta cum reditibus beneficiorum; nam nullibi separata reperitur.

Dixi, cum onere & pacto saltem implicito, quatenus fideles sua bona Ecclesiæ donabant ad Dei cultum & animarum salutem, ideoque cum onere ut ea in usus pios ac Deo gratos impenderentur.

Obj. 1. Conc. Trid. sess. 22. c. 3. statuit, ut beneficiarii, qui servitium debitum in Ecclesia qualiber die statuto omiserint, non acquirant dominium distributionum. Et Pius V. declarat, non recitantes officium non facere fructus suos. Ergo beneficiarii, qui recte suo officio funguntur, acquirunt dominium fructuum.

Resp. Acquirunt reditum dominium, sed restrictum & gravatum onere justitiæ impendendi superflua in pios usus, non autem absolutum & liberum. Sic si darem alteri centum aureos ad peregrinationem cum onere erogandi id quod ultra necessariam sustentationem superfuit, is acquirit dominium pecuniæ, sed gravatum: ideoque teuetur ex justitia superflua pauperibus progare: & si non eroget, tenebitur ad restitutionem. Similiter beneficiarii possunt dici habere dominium fructuum beneficii, quia habent dominium partis necessariæ ad honestam sustentationem, & dispensationem superfluorum in pios usus impendendorum; sed dominium illud est gravatum onere justitiæ impendendi superflua in pios usus:

sus: sicut hæres habet dominium hæreditatis cum onere justitiæ solvendi debita defuncti. Item qui bona fide pecuniam alienam suæ permiscet, fit dominus totius cumuli: sed cum onere justitiæ solvendi alienam suæ permixtam.

Obj. 2. Ex communi Theologorum sententia, clerici habent dominium absolutum ac liberum partis bonorum, quæ necessaria est ad suam sustentationem: ergo & bonorum superfluorum.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est quod bona ad congruam clerici sustentationem necessaria, ei data sint absolute, cum solo onere rectè fungendi officio spirituali. Largitio quippe bonorum necessariorum congruæ sustentationi ministri Dei est pia impensa jam facta: nimirum in ejus obsequium, sicut erogatio eleemosynæ necessariæ sustentationi pauperis est pia impensa & bonum opus, quamvis pauper ille postea male uteretur hoc dono. At bona superflua clerici sustentationi non sunt data absolute, sed cum onere illa in pios usus impendendi: nam datio talium bonorum facta absolute & sine hoc onere non est pius usus, cum non sit opus pium & Deo gratum, dare alicui bona superflua, de quibus possit pro libito disponere in quosvis usus, etiam vanos. Bona autem omnia Ecclesiæ sunt bona Deo consecrata, & data ea solum intentione, ut in pios usus impendenterentur.

Obj. 3. Fideles bona suæ Ecclesiæ Prælatis donarunt absolute & sine ullo onere.

Resp. Neg. Nam fideles bona sua Prælatis Ecclesiæ donarunt in cultum divinum, ideoque impendenda in solos usus pios, utpote solos Deo gratos. Fideles enim bona sua non donarunt Prælatis Ecclesiæ, ut de illis disponere possent in usus profanos: alioqui non pium & Deo gratum opus fecissent, quod tamen solum facere intendebant: pium quippe opus non est, dare Prælatis bona superflua ad quosvis usus etiam profanos. Quod si fideles hoc onus in pactum non deduxerunt, ratio est, quia probe sciebant suam illam intentionem Prælatis illis satis notam esse, & videbant bona omnia ecclesiastica in pios usus semper impendi. Hoc autem videntes, sua bona in tales usus impendenda donabant.

Obj. 4. Si ita est, Ecclesia non deberet tolerare consuetudinem in multis locis vigentem, qua beneficiarii de omnibus bonis suis restantur pro arbitrio, & qua consanguinei divites eorum bona ab intestato succedunt.

Resp. Neg. Quia 1. Ecclesia ad vitandas perturbationes, & multas lites potest hujus obligationis observationem cujusque conscientiæ relinquere; & sufficit, ut c. 12. *de testam.* declarat: *quod mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferre non possint*: cum jam id de immobilibus declaraffet. 2. Cum nullus præsumendus sit malus, nisi probetur; non est contendus beneficiarius donare consanguineis, vel impendere in usus profanos partem piis cautis ex justitia debitam, sed tantum bona patrimonialia, vel donatione aut industria acquisita, vel suæ sustentationi debita, quæ parcius vivendo sibi reservavit. 3. Etsi constet partem aliquam bonorum piis cautis esse debitam ex justitia, forum externum hoc tolerare ad impediendia multa mala, quæ ex innumeris litibus orirentur, ob facultatem discernendi superflua illa ab aliis bonis: sicut non dat actionem circa venditionem injustam, dum læsio non excedit dimidiam partem justi pretii. Et vero ex communi sententia mortaliter peccant beneficiarii, si testentur de superfluis ad usus non pios. Cur hoc Ecclesia toleret? Cur talem dispositionem non irritet?

Ex dictis sequitur laicos, qui sive testamento, sive ab intestato succedunt bonis provenientibus ex beneficio, vel quia alias dono acceperunt, nisi sint pauperes, teneri in conscientia ad illa restituenda pauperibus loci beneficii, vel aliis piis cautis. Nam testator vel donator non potuit jus in illa transferre ad usus profanos, cum ipse illud non habuerit: nam *nemo potest plus juris transferre in alium, quam ipsi competere dignoscatur*, reg. jur. 79. in 6. Nemo enim dat quod non habet. Item qui alea lucrati sunt aliquid notabile ex bonis illis superfluis, tenentur *rem pauperum male ipsarum restituere*, ut statuit Conc. Rhem. anno 1583.

Nota 1. Ex dictis satem patet, beneficiarios teneri non solum ex caritate, sed etiam ex religione impendere bona superflua in usus pios, idque jure divino naturali; cum constet bona illa esse bona Deo dicata, & ad ejus cultum data: adeoque si aliter impendant, reos esse culpæ mortalis & sacrilegii: ac proinde etiamsi non constaret peccasse contra justitiam, merito ipsis in satisfactionem imponitur obligatio tantumdem ex bonis patrimonialibus restituendi piis cautis, quantum ex ecclesiasticis in usus profanos impenderint.

Nota 2. Clerici, qui pensionem clericalem accipiunt, tenentur quoque superflua in pia opera impendere. Quia accipiunt illa ut ministri Ecclesiæ, & cum onere illis bonis affixo. Item commendatarii, cum subeant locum beneficiarii titularis in muneré, jure & commodis, subeunt quoque eadem onera. Præterea bona monasterii sunt bona Deo dicata: unde omnia ex natura sua, & ex vi donationis illorum debent impendi in pios usus. Religiosus vero habens beneficium extra monasterium non unitum monasterio, tenetur bona superflua impendere non in usum monasterii, sed in usus pios in loco sui beneficii, ut in subsidium pauperum, in fabricam, & ornamenta templi parochiæ: nam ex jure & ex institutione beneficii habet facultatem ac obligationem superflua in pauperes beneficii & alios pios usus ejus loci præ ceteris impendendi. Quare illud; *quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit*, non intelligitur de iis, quæ ex beneficio acquirit, sed ex donatione vel propria industria.

Nota 3. Per congruam sustentationem intelligitur quidquid necessarium est ad victum, vestitum, & habitationem beneficiarii ac personarum ei necessariarum, ad hospitalitatem exercendam, ad modicas aliquas donationes remuneratorias, imo verò, ad honestam ac convenientem cujusque vivendi rationem, ab omni luxu & intemperantia alienam secundum cujusque statum, officium, dignitatem, ordinem, & qualitatem beneficii. Quæ omnia æstimari debent judicio prudenti, & secundum consuetudinem piorum, ac timoratorum ejusdem conditionis, & sacros canones de vita & honestate clericorum, & regulam a Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. traditam; videlicet, *Ita mores suos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter non so-*

lum jubet, ut Episcopi mensa suppellectili & mensa ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.

Nota 4. Nomine piorum operum intelliguntur omnia opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia. Item omnia quæ ad Dei cultum & animarum salutem spectant; nam bona illa donata sunt non solum ad subveniendum necessitati corporali, sed etiam spirituali fidelium, & ad promovendum cultum divinum. Pauperes vero censentur ii, qui carent necessariis sive ad vitam, sive ad statum suum sustentandum secundum suam conditionem.

Porro locus beneficii, ceteris paribus, anteponendus est ceteris; hinc si in illo sint necessitates extremæ vel graves, illis statim subvenire debet beneficiarius. Alias potest exteris opitulari, modo communium necessitatum proprii loci non obliviscatur.

Sed an Clerici teneantur etiam sub mortali impendere in pios usus partem superfluam bonorum, quæ accipiunt ex ministerio spirituali, ut administratione Sacramentorum, concionibus, sacrificiis, fungendo vicaria temporali &c.

Resp. Non pauci asserunt cum Janoc. in cap. *Quia nos*, de testam. & Panormit. Quia 1. ex jure non possunt de illis testari sicut de patrimonialibus, c. 9. *de testam.* ibi: *De bis tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum.* At talia sunt bona illa, quæ titulo officii aut ordinis percipiuntur. 2. Ex Concilio Nannetensi, cap. 10. *Presbyteri noverint decimas & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi sua, sed quasi commendatis uti: de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, nisi eas fideliter pauperibus, & bis qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros.* Et Conc. Rhedon. an. 1274. cap. 12. *Quidquid habent Clerici* (scilicet ut Clerici) *pauperum est.* Idem habet S. Augustin. supr. cit. 3. Ex S. Hieron. l. 14. in Ezech. ad cap. 46. *Qui ditior est Sacerdos quam venit ad Sacerdotium, quidquid plus habueris, debet dare pauperibus.... Ut reddat ea, quæ Dominisunt, Domino suo.* Et ex S. Bernard. epist. 2. ad Fulcon. ubi generaliter ait: *Quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* 4. Quia ejusmodi bona sunt bona Deo consecrata, utpote imitru religionis & cultus divini, perinde ac bona beneficiorum data ad sustentationem ministri, & alios pios usus. Nec fideles dant illam pecuniam ut mercedem operis, vel pretium laboris, (nam hoc esset simoniacum, cum opus & labor sint spiritualia) sed ut necessitatis & subventionis stipendium, inquit S. Thom. qu. 100. art. 2. ut scilicet Clerici habeant unde sustententur, & si quid superfit, in pios usus impendant, & pauperes alant pro suo Officio. *Oblationes quæ a populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant; verum etiam ut eas fideliter dispensent, partim quidem expendendo eas in his, quæ pertinent ad cultum divinum; partim vero in his, quæ pertinent ad proprium victum, partim etiam in usus pauperum &c.* ait S. Th. 2. 2. q. 86. art. 2. Et vero bona Ecclesiæ, quæ a Patribus dicuntur bona Dei, & in pios usus impendenda, nihil ferre aliud erant tribus primis sæculis sub Imperatoribus ethnicis, quam pecunia & alia mobilia, quæ fidelibus dabantur Clericis titulo ministerii spiritualis.

Quæst. VI. *An Clericus, qui habet bona patrimonialia sufficientia, possit sibi sumere ex bonis ecclesiasticis partem suæ sustentationi necessariam, & disponere de patrimonialibus, perinde ac si careret beneficio?*

Resp. Longe plures affirmant cum S. Antonino 3. par. tit. 15. c. 1. §. 18. & Prob. 1. Ex c. 14. & c. 30. *de præbend.* & cap. *Caritatem* 12. q. 2. ibi: *Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare repelluntur obsequium.* Ubi nulla fit distinctio divitum & pauperum; & cap. *Clerici*, 1. q. 3. *Clerici omnes stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum consequantur.* 2. Quia qui servit altari, potest vivere de altari, ex 1. Corint. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam?.... Nescitis quoniam qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de evangelio vivere*: & Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* 3. Qui occupatus est in commodum aliorum habet jus percipiendi ab iis necessaria ad suam sustentationem, quamvis dives sit. 4. Ex c. *Episcopi* &c. *Manifesta*, & sequentibus, 52. qu. 1. colligitur Episcopos posse retinere bona patrimonialia cum portione canonica bonorum Ecclesiæ. Idque supponit Alex. III. c. *Quia*, de testam. ubi statuit Clericos posse testari de bonis patrimonialibus, non autem de ecclesiasticis reditibus.

Ad canones & textus Patrum in oppositum objici solitos respondent Ecclesiam olim, cum ejus reditus essent exigui, statuisse ut distribuerentur solum iis, qui indigerent, non autem iis, qui patrimonium haberent: postea vero hanc disciplinam mutasse. (1)

§ DISSERTATIO

De Peculio Clericorum.

§. 1. *Peculium* Clericorum, de quo in Jure Canonico peculiaris extat Titulus, (lib. 3. Decr. tit. 25.) impræsentiarum accipitur, quatenus bona quædam temporalia quæ complectitur, quæ Clerici annuente Ecclesia possident separatim a bonis ad ipsam Ecclesiam immediate spectantibus. Diminutivo autem

(1) *Quod spopondi in superiore Nota ult. me hic facturum, nunc pro viribus præsto. Sed, cum amplitudo materiæ longiorem postulet sermonem, idcirco loco Notæ conficiam Dissertationem, eamque pro more paragraphi distinguam.*

autem exprimitur vocabulo, ut indicetur, pauca & modica esse debere ejusmodi bona, cum clericorum maxime sit paupertatem Christi, & Apostolorum imitari. Quod scire valde refert, atque in controversiam maxime venit, est jus seu dominium proprietatis eorumdem Clericorum relate ad tale peculium. Sed nihil certi, ac perspicui hac de re statui potest, nisi prius accurate distinguantur singula bonorum genera, ex quibus coalescere potest tale peculium.

§. 2. Bona ejusmodi universe aut sunt *patrimonialia* quæ clericis obveniunt ex variis titulis communibus etiam ipsis Laicis; puta ex hereditate, legato, donatione, opificio, arte, aut sunt *quasi patrimonialia*, quæ acquiritur solent Clerici qua tales quidem, etsi immediate non ratione beneficii Ecclesiastici, sed potius officii ac ministerii spiritualis, quod exercent, ex. ca. celebrando, concionando, Sacramenta administrando; unde & *Industrialia* dicuntur aut sunt *Ecclesiastica*, quæ a clericis comparantur intuitu solius Ecclesiastici beneficii, qualia sunt decimæ, fructus agrorum, aliique reditus provenientes Episcopis, Canonicis, Parochis ex propriis beneficiis. Hæc positema bona vocari solent *beneficialia*, ut secernantur ab aliis bonis *mere Ecclesiasticis*, scilicet a rebus mobilibus, vel immobilibus Ecclesiarum, & Locorum Piorum, quæ clericis non tribuuntur separatim, nec appropriantur, sed dumtaxat concreduntur custodienda, & administranda. Eadem bona ecclesiastica beneficialia, cum ordinata sint ad sustentandos clericos, quibus beneficia ipsa in titulos collata fuerunt, sub triplici veluti respectu considerari queunt. Nam vel sunt *superflua* sollecitationi etiam congruæ clericorum; vel omnino *necessaria* sustentationi; vel studiosa frugalitate, atque parsimonia vivendi *subtracta* sustentationi congruæ honestaque. Quæ ultimi sunt respectus, confueverunt appellari bona *patrimonialia*, & ideo ad secundum genus supremum quasi patrimonialium seu industrialium rite revocantur, tametsi materialiter spectata referantur ad tertium genus Ecclesiasticorum seu beneficialium. Porro *Distributiones Chorales* (de quibus in super. Nota 1. ad quæst. IV.) itemque incerti proventus Parochorum, qui vulgo *Funeralia* seu *Fructus stolæ* dicuntur, pertinent ad secundum genus industrialium. Nunc distincte discutiendum, quale dominium relate ad unamquamque enumeratorum bonorum classem competere possit clericis, considerata ea dispositione quæ dicitur *inter vivos*.

§. 3. *Primo*. Clerici Sæculares pleno absolutoque jure possident bona *patrimonialia*, periude ac Filii familias bona *castrensia*. Enimvero ex una parte non fiunt incapaces temporalis dominii ob susceptum clericatum, quemadmodum contra Novatores passim propugnant Catholici Magistri: ex alia non se abdicant eo dominio per votum sollemne paupertatis, sicut Religiosi, nec ullo alio nomine tenentur dimittere patrimonium, uti Ven. & Emin. Bellarminus (Lib. 1. de cler. cap. 22.) solide demonstrat adversus peculiarem opinionem Thomæ Waldensis, gravissimi ceteroquin Scriptoris.

§. 4. *Secundo*. Quamvis clerici habeant patrimonium sufficiens, aut etiam pingue, possunt nihilominus donari Ecclesiastico beneficio; ita scilicet, ut simul & dominium absolutum retineant patrimonii, & beneficii proventibus fruantur. Bened. XIV. (lib. 7. de Synod. c. 2. n. 2.) *Quidquid sit, an juxta piorum Ecclesiæ sæculorum disciplinam Ecclesiastici Beneficiis gaudere possent, quibus opulentum supperabat patrimonium ... certum est, hac nostra tempestate etiam Clericis divitiis affluentibus Ecclesiastica Beneficia conferri: neque est qui dubitet, quin iidem verum dominium habeant redituum, quos ex proprio percipiunt patrimonio.* Hæc autem beneficiorum collatio utique facultatem etiam præfert capiendi sustentationem ex fructibus eorumdem beneficiorum: ut satis declarat præsens disciplina, & praxis ab eodem Pontifice memorata. Unde Fagnanus (num. 6. Com. in cap. 5. *Si quis*, tit. de Pecul. cler.) edenter scripsit: *Statuenda est pro indubitata præsens conclusio. Episcopi, & Clerici habentes patrimonium possunt vivere de proventibus Ecclesiæ juxta conditionem & dignitatem, ac patrimonium cum fructibus servare quibus volunt. Pro conclusione stat auctoritas Innocentii, qui inquit: Non credimus, quod qui habet beneficium, vivere debeat de patrimonio, sed de Altari. Et Hugonis, qui ait: Clericos licite posse habere propria, & percipere Ecclesiastica beneficia, dummodo propter hoc non deseratur justitia: nec peccare accipiendo beneficia sibi debita, quia sure suo untur, ex quo serviunt Ecclesiæ, & beneficia eis canonice assignata sunt. Et sequuntur Hostiensis, Archidiaconus, Abbas, qui hanc quæstionem diligenter examinat, & solvit contraria per temporum distinctionem: & affirmat opinionem Innocentii, & Hostiensis communiter teneri per omnes Doctores. Quam etiam communem esse testantur Felinus (citatus in hanc sententiam D. Thomam 2. 2. quæst. 185. art. 7. ad 3.) Covarruvias, & Navarrus.* Vesha porro D. Thom. sunt ista: *Non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo etiam vasa cultui divino dicata distrahuntur, ut Ambrosius dicit. Et in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo haberet bona patrimonialia, de quibus vivere posset.* Recensitis Doctoribus adjice S. Antoninum, B. Angelum, Sylvestrum, Armillam, aliosque Summistas, atque ex recentioribus Petrocorensem, Hermam, Habertum, & plerosque etiam illorum, qui ceteroquin clericis alimunt dominium beneficialium bonorum superficiorum. Nec desunt varia argumenta ex Sacris Canonibus, aut apta responsa ad difficultates contrarias; ut videre licet apud cit. Fagnanum, itemque apud Doctiss. Covarruviam (de Testam. cap. 1. n. 2. & seq.) qui protestatur, se objectionibus præcipuis satisfacturum, *ne tot Sacerdotum animæ in discrimen conficiantur, tutissimam assertionem anxie nimis omittentes*. Profecto Ecclesia passim beneficia confert in titulum clericis patrimonio instructis, ab eisque districte exigit officia & obsequia spectantia ad eadem beneficia. Ergo iidem jus acquirunt percipiendi ex propriis beneficiis alimoniam, ratione impensi ministerii ac laboris; quippe juxta Apostolum de Sacris Ministris loquentem (2. ad Tim. cap. 5.) *dignus est operarius mercede sua*. Quod vero alias facultates ipsi præterea habeant, quibus, si velint, possint se sustentare, non idcirco prædicto jure excidunt; quoniam illas non habent ab Ecclesia, pro qua laborant, sed a paterna domo, vel alunde. Nec sane Fidelibus, qui bonis suis locupletem fecerunt Ecclesiam, unquam in mentem venit Sacros Ministros jugi labori adjicere sine stipendio, quod jure ipso naturali constet laboribus esse rependendum. Cur igitur volunt moroti nonnulli Theologi novum onus imponere, quod plures avocabit ab Ecclesiæ ministerio haud sine gravi ipsorum Fidelium detrimento?

§. 5. *Tertio*. Sicuti Filii-familias bonorum *quasi castrensium*, ita clerici bonorum *quasi patrimonialium* sive *industrialium* omnium habent dominium liberum, quidquid contra sentiat Vanespenius cum aliis, quibus Auctor assentitur. Thesis ita etsi non adeo splendida, sicuti præcedens altera: satis tamen communi firmoque nititur sensu Doctorum, communaris quoque plurimis eorum, qui clericis nullum jus tribuunt in bona superflua beneficiorum. In primis namque dominium illud deprehenditur ex præclaro monimento, quo Bened. XIV. (lib. 5. de Syn. cap. 8. n. 5.) demonstrat, antiquum esse morem elargiendi stipem Sacerdoti celebranti, ita scribens: *Quod in fine Sæculi VIII. jam invaluisse, idem facit Chrodegangus Episcopus Metensis in Regula, quam eo sæculo labente, vel nona irrunente, suis Canonicis præscripsit, in ea quippe c. 32. de Eleemosynis, cuique Canonicorum liberam potestatem fecit accipiendi, & in quos vellent usus expendendi eleemosynam, quæ pro sua sibi Missa offerebatur. Si aliquis, inquit, uni Sacerdoti pro Missa aliquid in eleemosynam dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, & exinde, quod voluerit, faciat.* Adde, quod idem Pontifex docet (*de Beatif. Serv. Dei*, l. 3. cap. 14. n. 23.) *Reditus in duplici sunt differentia, alii, qui proveniunt ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus; alii, qui proveniunt ex bonis Ecclesiasticis. Et bonorum quidem primi, & secundi generis Ecclesiastici dominium habent, possunt eorum reditus sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri.*

§. 6. Suffragatur pariter decretoria ratio. Siquidem Fideles talia bona exhibent Sacris Administris titulo seu congruæ sustentationis, seu honesti stipendii, ob eorum ministerium, laborem, industriam; interdum etiam titulo aliqualis donationis ubi præsertim ea bona valde excedunt corporalem clericorum laborem. Hinc, quicumque ex istis titulis intercedat, palam est, eadem bona ita præstari, ut libero prorsus clericorum dominio cedant; ideoque citra ullum aut explicitum, aut implicitum onus erogandi in causas pias quidquid ex ipsis superfuerit: eo ferme modo, quo Consiliarii, Judices, Advocati, ac reliqui Officiales laici acquirunt pleno dominii jure mercedes suas. Hoc enim respectu Ecclesiasticos Ministros non esse inferiores conditionis aliis quibuscumque probat Apostolus (1. ad Cor. c. 9.) *Quis militat suis stipendiis unquam? quis planat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? .... Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos?*

§. 7. Et hic quidem Apostolicus textus invicte ostendit, posse, absolute ac per se loquendo, rependi pro spiritualibus temporalia, tamquam stipendium, aut mercedem laboris, absque ulla simoniaca labe: etsi negandum non sit (quod jam indicavimus in Nota 2. ad q. 4.) sæpe sæpius posse per accidens, atque ob effrænem hominum cupiditatem intervenire simoniam saltem mentalem, vel speciem simoniæ Ecclesiasticis Sanctis reprobatam. Ratio est, quia simoniæ malitia in hoc sita est, quod *emptione ac venditione*, vel quovis alio *non gratuito contractu* donentur, & recipiantur spiritualia, & temporalia, ita ut temporalia vere possint dici exhibita veluti *pretium* spiritualium. Audi Seraphicum (Spec. Anim. cap. 2.) *Generaliter circa materiam hanc observa, quod spirituale dare, vel accipere pro temporali, ita quod spirituale cadat sub pretio, est vitium simoniæ. Licet autem pro labore, & sustentatione secundum bonas consuetudines accipere, seu dare.* Et rursus (in 4. sent. dist. 25. art. 1. qu. 4.) ex recitato Apostoli textu infert, *quod si doctor, consiliarius, & medicus, & alii qui laborant, de consilio sive de doctrina pretium recipiant propter laborem, & suam sustentationem, nulla est culpa, nulla simonia. Si tamen quis venderet donum sibi divinitus datum, non laborem suum, judicaretur simoniacus. Similiter dicendum est de celebratione missarum, & similium.* Audi & Angelicum (2. 2. q. 100. ar. 2. in Corp. & ad 4.) *Accipere aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramentia Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum .... Si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, est manifeste simonia.* Alter vero textus Angelici, quem Auctor ex qu. 86. ar. 2. profert in favorem contrariæ sententiæ, nequidquam obest. Etenim S. Doctor ibi non spectat præcise ea bona industrialia & quasi patrimonialia, de quibus nunc controversia movetur, sed universam massam bonorum, quæ a Fideli Populo offeruntur. Et vult (quod quidem apertius declarat qu. 185. ar. 7.) non omnia penes Sacros Ministros manere debere, sed potius in varios usus Ecclesiæ, ministrorum, & pauperum impendenda. Quod utique hic minime negatur; cum exploratum sit, jamdiu ab Ecclesia fectam, & servatam hujusmodi distributionem bonorum. Ceterum, an portio clericis attributa, quatenus modo complectitur seu beneficialia, seu industrialia bona, libero subsit eorumdem dominio, Angelicus ibidem non explicat: quare ex illo textu nihil potest extundi contra superiorem nostram doctrinam. Pariter neque alia veterum testimonia ab Auctore producta ullatenus quadrant ad ipsius cauſſam, quippe præsenti Ecclesiæ disciplinæ accommodata, non ad industrialia, sed ad sola beneficialia possunt utcumque referri, de quibus fiet deinceps specialis quæstio.

§. 8. Neque juvat recurrere ad Canonem, vetantem clericis facere testamentum de his, quæ *consideratione Ecclesiæ* perceperunt. Nam primo, etsi bona industrialia possent dici in sensu canonum acquisita *intuitu Ecclesiæ*, non propterea sequeretur, clericos *intuitu eorum* agentes carere illorum dominio. Quippe indicatus canon solum facultatem adimit disponendi de talibus bonis *causa mortis*, seu testandi: quod est a priore quid longe diversum. Omnes enim ii DD. tum Theologi tum Canonistæ, qui clericos pronuntiant dominos integræ portionis beneficialis, ultro fatentur, dominium istud non posse exrendi etiam ad testandum de illa, ob expressas scilicet sacrorum canonum prohibitiones; adduntque, idcirco Eccle-

fiam voluisse tale dominium ita restringere, ut clerici (quibus ob varias, gravesque posteriorum temporum circumstantias dominium indulgere fuit expediens, ac pene necessarium) videntes nullam sibi superesse facultatem de bonis suis disponendi caussa mortis, illorum amore non illaquearentur, nec illa sibi restrenerent vita duranse, sed libentius in pauperes erogarent, vel in alias pias caussas expenderent, juxta ipsius Ecclesiæ mandatum eidem dominio patriter adjectum instar alterius restrictionis seu gravaminis.

§. 9. *Nec obstat*, inquit Doctiss. Gonzalez (num. 4. Com. in cap. 7. *Cum in Officiis*, tit. 26. de Testam. lib. 3. Decret.) *quod licet verum sit Clericos beneficiarios dominos esse fructuum beneficiorum suorum; tamen testamentum facere non possunt. Non enim novum, aut insolens, ut qui dominus est, de bonis suis disponere non possit, ut contingit in filiis familiar, qui licet dominium habeant bonorum adventitiorum, de his tamen testamentum facere non possunt*. Similiter Covarruvias (par. 3. Relect. c. *Possessor* de reg. Jur. in 6. §. 3. n. 7.) *Summe observandum, quod possessor rerum usurpatus, qui illum jure optimo vocationis obtinet, licet res alienare non possit, dominus tamen illarum rerum vere dicitur. Non ex enim de substantia dominii, quod res a domino alienari possit*. L. 2. C. de bon. mater. l. ult. §. *Filii &c.*

§. 10. Deinde haud immerito negatur, bona *industrialia* esse computanda inter ea, quæ in præsenti materia a sacris Canonibus appellantur præcepta *considerationi Ecclesiæ*, seu pure Ecclesiastica, Idque satis dignoscere licet tum ex monumento, quod ex Bened. XIV. retulimus (§. 4.) tum ex sensu, & praxi præsenti Curiæ Romanæ. Atque rem hanc erit operæ pretium enucleatius exponere, ut illis potissimum Sacerdotibus consulatur, qui in solo hærentes veterum canonum cortice, atque addicti lectioni recensium quorumdam scriptorum ad prodigium rigidorum, animo mitero anguntur, sibique quasi persuadent, sub reatu lethalis criminis in pias caussas erogandum esse, quidquid ipsi *Clericatus* ope (sive, ut vulgo dicitur, *perchè hanno il collare da prete*) quomodocumque acquirunt.

§. 11. Quemadmodum laudatus Gonzalez, aliique peritissimi Interpretes Pontificii Juris observant (Com. in tit. cit. *de Testam.*) dum Sacri Canones passim in eo Titulo verant Episcopis, & reliquis clericis testamenta condere de *bonis Ecclesiæ, acquisitis per Ecclesiam, perceptis consideratione Ecclesiæ &c.* hæ verborum formulæ, non *absoluti*, sed *relativi* sunt termini, Dialectice loquendo. Videlicet bona sic nominata opponuntur aliis diversis bonis, quæ clerici possunt acquirere intuitu *propriæ personæ*, quare ex mutua utrorumque collatione, & consideratione dispicienda est peculiaris utrorumque natura. Porro bona acquisita intuitu *personæ*, juxta Decretalem Alex. III. (Tit. cit. cap. 9. *Quia nos*) censentur ea, quæ clericis provenium *paternæ successionis*, *vel cognationis intuitu*, *aut de artificio*, *seu dono consanguineorum*, *aut amicorum fuerum*, *non habito respectu ad Ecclesiam*: uno verbo, *patrimonialia*, & *quasi patrimonialia*. Igitur ex adverso bona comparata intuitu *Ecclesiæ* Intelliguntur illa, quæ ipsi acquirunt quatenus sunt Rectores Ecclesiæ, Episcopi, Canonici, Parochi, & quomodolibet Beneficiati; quinque idcirco constituunt vel irreditibus ipsi Ecclesiæ incorporatis, vel in fructibus emanantibus a particularibus beneficiis, atque vel bona *Ecclesiastica* simpliciter, vel bona *Beneficialia* nunc appellari consuevere. Quod si ita est, jam elarescit, in censu bonorum acquisitorum *consideratione Ecclesiæ* minime venire bona clericorum *industrialia*, aut *patrimonialia*, aut ejus generis alia. Enimvero quamvis etiam illa a clericis acquiramur, radicaliter ac remote, titulo ordinis, & Beneficii Ecclesiastici (quatenus eadem minime possent obtinere, nisi clerici, & Beneficiati forent) nihilominus quasdam velati juris fictione non æstimantur Ecclesiastica aut primi, aut secundi generis; sed tantum collata, comparata, & intuitu solius personæ, ac personalis industriæ & laboris. Unde fit, ut clericis emolumibus omnia illa non secus, ac bona artificio & industria Judicum, Medicorum, & quorumvis Officialium, seu ex testamento, seu ab intestato pertineant ad ipsorum hæredes: uti præsertim tradit Navarrus (Com. de Spol. cleric. vers. init.) afferens, eadem non venire inter spolia clericorum Apostolicæ Cameræ. Hucusque dictis de integra bonorum *industrialium* & *quasi patrimonialium* serie robur addit, quod Bened. XIV. (lib. 13. *de Syn.* cap. 12. & 22.) exerte docet de una illorum specie, scilicet de *Choralibus Distributionibus*. Ait namque, quod destructa jam fere ubique vita communi Canonicorum Secularium, quæ priscis Ecclesiæ sæculis vigebat, ii *nunc constituta choro interessentibus certa emolumenta lucrantur, eadem & sua faciunt, expendumque libere in proprios usus, cum illorum domini sint pleno jure*.

§. 12. *Quarto*. Ex sententia Doctorum ferme communissima, a qua Juenius, aliique perpauci dumtaxat recedunt, est clericis dominium plenum in bona beneficialia *necessaria sustentationi congrua*. Ea namque recipiunt tamquam laboris & obsequii, quod Ecclesiæ impendunt, mercedem ac stipendium, jure ipso naturali & Divino non minus sacris, quam religiosis quibusque operariis debitum, ut demonstrat Apostolus jam laudatus in præcedentibus. Sane sicuti portio bonorum Ecclesiasticorum destinata pauperibus alendis, horum liberæ dispositioni subjacet, ubi eam acquisiverc, & pie Fidelium voluntati, a quibus talia bona primitus oblata, cumulate jam est satisfactum: eodem plane modo, immo multo magis, sacri Ministri evadent domini propriæ portionis, verzque mercedis justo sustentationis titulo comparatæ.

§. 13. *Quinto*. Æquale dominium obtinent Clerici bonorum *beneficialium parsimonialium*; uti juxta communem doctrinam jam adstruximus in super. 4. concl. atque Angelicus expresse indicat (2. 2. qu. 86 ar. 2. ad 2.) quidquid contra sentiat idem Juenius cum nonnullis aliis. Et quidem ex mox dictis ratio manifesta erutur. Nam si clerici dominium sibi vindicant integræ portionis ad honestum victum necessariæ, quidni & bonorum parsimonialium, quæ ex tali portione subtrahuntur solertia, & abstinentia spontanea ipsorum clericorum? Forsan, ut dominium istud clerici retineant, necessarium creditur, ut deputata sibi bona in stomachum trajiciant, aut quovis alio modo reipsa absumant? Vel nunquid pecuniæ cura, & sobrietatis incommodum, faciunt ipsos esse deteriores conditionis?

§. 14.

§. 14. *Sexto*. Ad bona *beneficialia superflua sustentationi* quod spectat, jam a diuturno tempore DD. tum Theologi, tum Canonistæ contrariis admodum studiis inter sese disputarunt atque ab hujusmodi controversia dirimenda, qui certequidin plura hactenus obscura & incerta eliquavit, denuoque, Bened. XIV. abhinc dum duxit, tamesi duplici in loco (*de Beatif. Servi Dei* lib. 3. c. 34. n. 25. & *de Syn.* lib. 7. c. 2. n. 6. & seq.) præsens argumentum attigerit. Easpropter non licet animos ullam determinatam thesim hic figere; esto subductis rationibus mecum ipse jam constituerim, quidnam privata opinione defendendum sit. Per me igitur quilibet clericorum Beneficiariorum in suo sensu abundet: sitque contentus iis, quæ hactenus exerto gladio propugnavi. Nonnulla quidem libenter subjicium probe animadvertenda a cunctis, qui se comparant ad judicandum de præsenti gravissima controversia.

§. 15. *Primum*. Quæcumque probanda sit sententia scholarum circa *dominium* clericorum relate ad bona *beneficialia superflua*, ex Bened. XIV. (lib. 7. *de Syn.* cap. 2. n. 4. & 5.) *Certum est, etiam posita Ecclesiasticorum bonorum divisione, & assignata jampridem pauperibus quarta parte fundorum ad Ecclesiam pertinentium, ex quibus putant Doctores erecta & dotata fuisse hospitalia, aliaque instituta opera pia ad eorumdem pauperum commodum: adhuc nihilominus teneri Clericos Beneficiatos, reditus, quos ultra sui honestam sustentationem ab Ecclesia percipiunt, distribuere in pauperes, aliaque pia opera erogare, nec posse absque gravi peccato in convivia, ludos, venationes, & similes profanos usus impendere, aut consanguineis elargiri, nisi tamquam pauperibus, si vere pauperes sint, & tunc, ut minus egeant, non ut ditescant. Hanc obligationem omnes Ecclesiæ canones aut imponunt, aut omnibus impositam agnoscunt, qui Ecclesiæ militant stipendiis... Quocirca nullus omnino Doctor, præter unicum Lorcam, ausus fuit unquam eximere Beneficiarios a gravi obligatione destinandi reditus Ecclesiasticos suæ honestæ sustentationi superfluos, in pauperes, aliaque pia opera*. Quæ tam pacto veniant nomine *caussæ piæ*, Reinffestuel (§. 3. n. 65. & seq. Com. ad tit. 25. lib. 3. Decret.) edisserit.

§. 16. *Secundum*. Lis maxima inter DD. potissime fervet circa *titulum*, seu caussam hujus gravis obligationis, ita ut alii eam derivent ex *stricta justitia*, alii ex *lege caritatis*, alii ex *virtute religionis*, alii ex *positivo præcepto Ecclesiæ*: ut bidem (n. 6. & 7.) Ben. XIV. distincte ostendit. Perpendenti *quadruplex* istud doctrinarum divortium facile patebit, *duas* dumtaxat hinc emergere contrarias sententias circa *dominium* istiusmodi superfluorum bonorum, nec non circa *restitutionem* eorumdem male expensorum. Nam qui cum Navarro, & aliis sat multis repetunt obligationem illam ex *justitia*, ii clericos universos dominio spoliant prædictorum bonorum; atque idcirco restitutionis legi obnoxios judicant tum clericos, qui talia bona in usus profanos impenderint, tum consanguineos, colludores, & alios omnes, qui eadem ab ipsis recepernnt absque legitima pietatis, caritatis, misericordiæ caussa. Qui vero ex alio quovis diverso titulo illam obligationem deducunt; hi *pleruraque* & dominium clericis attribuunt, & a restitutionis onere tum clericos, tum eorum hæredes eximunt. Dixi *pleruraque*. Siquidem reperire est intermedium nonnullorum sententiarum, qui cum superfluorum fructuum dominium clericis tribuant, contendunt nihilominus ex lege justitiæ retinendum, quidquid in malos aut profanos usus fuerit ab iisdem distractum. Quonsodo hic opinandi modus concipi, defendique possit, Paulus Laymau (l. 4. *Theol. Moral.* tr. 2. c. 3. n. 3.) conatur ostendere: cui accedunt Enghel, Pirrhing, Roncaglia, Jansen. Præmonstratensis Canonicus, & si qui sunt alii.

§. 17. *Tertium*. Conc. Trid. nullam ex controversis illis opinionibus decretorie aut probasse, aut improbasse, ex Card. Pallavicino (l. 24. Hist. c. 3. n. 4.) dissicinus. Nam cum in eo decreto (sess. 25. de reform. c. 1.) quo Episcopis moderatio, & frugalitas vivendi, & distributio reditnum Ecclesiasticorum præscribebatur, hæc ratio primitus appolita fuisset: *Quia Episcopi Ecclesiasticorum proventuum dispensatores sunt*, teste eodem Historico, *Lutharingus Cardinalis Guerrerius Archiepiscopus Granatensis, & alii admonuerunt, ut id removeretur; ne detrimentum afferret valde communi sententiæ, qua docet, verum dominium penes illos esse. Quocirca*, subdit Bened. XIV. (n. 23.) *Si Concilii Tridentini Patres voluerunt quæstionem attingere inter Catholicos exagitatam, sure meritoque Nos consulendum duximus Episcopis, ne illam in suis Synodis definiant, aut tamquam definitam assumant*.

§. 18. *Quartum*. Opinio adscribens clericis dominium integræ portionis Beneficiariæ, non modo tempore Conc. Trid. erat *valde communis*, ut prælaud. Pallavicinus ait; verum etiam longe antea plurcs, eolque illustres habuit vindices partim Canonistas, partim Summistas; siruri innuunt Molina (*de Just. & Jur.* disp. 243. n. 3.) & Fagnanus (n. 1. & seq. Com. in c. 3. *Si quis*, tit. de Pecul. cler.) ac præterea colligere licet ex Gab. Biel, qui an. 1490. Tubingæ edidit sua Com. Theol. Is enim (in 4. Sent. dist. 15. q. 1.) ubi quæstionem hanc problematice proposuit tractavitque, sequentem thesim ponit, quæ est numero quinta. *Etsi gravolter peccent Beneficiati bona Ecclesiæ ultra indistincte deputata consumendo; non tamen satis facile definitum est, eos ad restitutionem obligatos esse*. Tum secundam partem thesis ita probat; *Ea patet, quia sunt contrariæ opiniones Doctorum*. Ac relata severiore opinione, sub lit: *Alia est opinio mitior, cui videntur consentire D. Thom. & Joannes Gerson*. Quod si *D. Thom.* qui unus est pro decem millibus, ac fere innumeros habuit quavis ætate excellentis fuæ doctrinæ moralis sectatores; jam quot alii, tamesi ibidem haud nominari, simul intelliguntur, nemo non vider, Angelicum autem *constanter* (scilicet & juvenem, & virum, cum senem dicere propriæ nequeamus) vindicasse clericis dominium *rationi* portionis ipsorum usui deputatæ *seorsim* a portionibus Ecclesiæ, & Pauperum, deprehender quicumque voluerit perfunctate examinare tum integram ejus hac de re scriptorum seriem (quodl. 6. ar. 10. & 2. 2. qu. 185. art. 7.) cum accuratam præcipui ejus interpretis Sylvii (concl. 4. ad cit. art. 7.) expositionem, tum gravissimum Bened. XIV. judicium ita scribentis (n. 10. & 11.) *Duplici in loco S. Doctor hanc versavit quæstionem, in Quodlibetis nimirum, & in Summa: in Quodlibetis aperte adhæret posteriori sen-*

ti-

ri sententia, attribuenti scilicet *Clericis verum dominium etiam superfluorum redituum, quos ab Ecclesia percipiunt. In postremo opere Theologicæ Summæ sententiam retractasse, quam in Quodlibetis docuerat, contendunt plerique ex iis, qui primam opinionem propugnant. Verum ut ingenue loquamur, in hoc ipso Theologicæ Summæ loco, quem isti Doctores sibi favere ajunt, videtur Angelicus doctrinam confirmare, quam in citato Quodlibeto 6. tradiderat &c.* Hinc Fagnanus cit. (n. 2.) concluditur: *D. Thomæ opinionem ita Navarrus corrumpit, ut eum in contrarium vel deducat.* Ex his porro dilucet, quantam fidem mereatur ex adversariis Joan. Major, qui longe post Angelicum, Gersonem, aliosque vetustos Angelici affectus scribens an. 1500. inquit apud Hennum (Tr. *de Just. & Jur.* disp. 5. q. 2. concl. 2.) *nullum Doctorem ante se mortuum contrarium docuisse.*

§. 19. *Quintum.* Post Conc. Trid. multo major notari potest numerus Doctorum, qui serie non interrupta ad hæc usque tempora, eidem sententiæ patrocinati sunt, potissimum ob prælucentem facem D. Thomæ, *cujus Eximii Doctoris auctoritas multum ponderis habet in re sanè momenti de qua disputamus*, ut observat Molina (disp. 244. n. 12.) qui nonnullos etiam nominatim recenset. Certe, præter Doctiss. TT. Cajetanum, Dominicum Sotum, Bannesium, Sylvium, Beccanum, Toletum, Vasquesium, aliosque recentiores, præcipua Ecclesiasticæ Jurisprudentiæ conspirant lumina: videlicet Covarruvias, Molina, Gonzalez, Fagnanus, Barbosa, Sarmiento, Garzias, quibus accedunt Antonellus, Vallensis, Cabassutius, Smalzgrueber, Schmier, Pichler, & novissimi alii. Quare de hujusmodi sententia dicere non dubitarunt Covarruvias (*de Testam. c. 7. n. 12.*) *nostris hisce temporibus admittenda ex totius Christiani orbis consuetudine, qua plurimum adjuvatur.* Fagnanus cit. (n. 1.) *verior, eique favet consuetudo valida.* Cabassutius (*in Jur. Can. Theor. & Prax. l. 14. n. 2.*) *prævalet, usu passim recipitur.* Pirrhingius (*§. 3. n. 14. Com. ad cit. Tit.*) *hodie communi usu, & consuetudine ejt recepta, ideoque in praxi damnari non potest.* At inquies, ecce ergo S. Carolus Borromeus, strenuus Conc. Trid. vindex, sanctæque doctrinæ propagator, Synodali sanctione confirmavit oppositam sententiam? Respita quidem nonnulli decantant; sed audi. Bened. XIV. (n. 12.) *Aliud suæ opinioni præsidium comparare studuit Natalis Alexander ab auctoritate S. Caroli Borromæi, in cujus Concilio Mediol. I. definitum affirmat, Beneficiarios non esse dominos Ecclesiasticorum redituum, qui sane honestæ sustentationi superfunt, eosque in profanos usus impendentes ad restitutionem ab eodem adstrictos. Verum non, qui nullius partis studio abrepti sumus, nihil ejusmodi a S. Carolo decisum comperimus. Etenim &c.*

§. 20. *Sextum.* Præcedentium trium §. doctrina perspicue ostendit, nonnullos Scriptores, aliis ceterequin nominibus suscipiendos, prudentis moderationis limites prorsus excessisse, dum veluti censoria auctoritate sequentia judicia tam fidenter protulere, quæ apud Hennum cit. (qu. 5.) & Roncagliam (Tract. 13. *de sept. præc. Decal.* qu. unic. cap. 6. reg. 1.) aliosque consignata leguntur. Nimirum prædicta sententia vocata fuit ab Archidiacono *hæresis jure* 12 Comitolo *nova*, & *periculosa* 12 Medina *sacrilega*, *adulatoris quorumdam Sophistarum nugis in Scholas introducta*, & *Evangelicum pauperibus opitulandi ministerium excludens*; a Petro Soto *error gravissimus saltem contra bonos mores*, & *justitiam &c.* Merito propterea Fagnanus cit. (Num. 1.) præsentem quæstionem tractaturus initio prænmonuit, *laudandos non esse DD. qui ut pios causas foveant, falsam opinionem pro vera, vel dubiam pro certa obtendunt, vel probabilem pro damnata excludant. Ut enim docuit Aristoteles 19. Eth. 1. veri sermones non solum ad cognitionem, sed etiam ad vitam bene degendam sunt utiles: & sermo tunc fidem facit, cum congruit facti alias cognitæ contemnitur. Qui vero hanc justitiæ normam* (hoc est, præsentem justitiæ obligationem) *erga pauperes custodiant, ut superflua illis largiantur, vix reperiuntur etiam inter Beneficiatos Religiosos, nec expedit inducere Clericis conscientiam, contra quam salluri sint, & gratis damnentur.*

§. 21. *Septimum.* Cum sacri Canones, quibus potissime finienda præsens controversia, edili fuerint pro loco, tempore, personis, & negotiis instantibus, sicut in ipso jure Canonico (1. part. Decret. dist. 89.) expresse monetur, nosque (N. 72.) jam ostendimus; atque aliunde multiplex contigerit variatio circa distributionem Ecclesiasticorum bonorum, præsertim ubi sæculo V. Quadripartita eorum partitio invaluit, & deinceps sæculo IX. erecta fuere particularia beneficia, & clericis assignata in speciales titulos: idcirco in Sacris Canonibus successiva temporum series conditis ingens detegitur diversitas, quamvis unica communis omnium fuerit origo, idem scilicet indeficientis sapientiæ consilium, quo Ecclesia regitur. Exinde autem consequitur, quod si unquam alibi, hic certe, ad ferendum prudens rectumque judicium pernecessaria sit exacta notitia Ecclesiasticæ disciplinæ qua priorum, qua posteriorum sæculorum. Secus enim qui tali destituti subsidio fidenter eloqui, aut scribere tentabunt, sacrorum Canon. œconomiam, ac sensum minime percipient; sicque & seipsos decipient, & aliis similiter incautis imponent (N. 70.) ubi vel plaustra Ecclesiasticorum jurium producunt, ac de genuina illorum interpretatione gloriantur. Ex. ca. legantur hæc monumenta diversarum ætatum; nempe ex una parte Can. 37. inter Apostolicos: *Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat. Non licet autem ex eis aliquid sibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt, largiri.* De Bernardi sententia (epist. 2. ad Falcon.) *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retinet, tumn non ejt, sacrilegium ejt.* Ex alia vero parte Decretalis Bonif. VIII. de Canonicis, & reliquis Ecclesiarum Ministris a choro absentibus (in 6. Decr. lib. 3. tit. 3. cap. unic.) *Qui de distributionibus quicquam receperint, rerum sic receptarum dominium non acquirant, nec faciant eas suas.* Conc. Trid. statuta de Beneficiariis non residentibus in propriis Ecclesiis (de Reform. sess. 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 12.) *Pro vera temporis absentiæ fructus suos non faciunt. Privetur utusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos .... privetur fructibus, quos lucratus fuerit &c.* Porro, nisi hæc & consimilia alia monumenta, diversas decernendi, loquendique formulas continentia, invicem conferantur, & æquo libramine appendantur, nil poterit re-

to decerni, quod spectat Ecclesiasticos proventus Clericorum præsentis ætatis.

§. 22. *Octavum.* Præcedens animadversio plures eosque illustres permovit Doctores juris Pontificii consultissimos (§. 19.) ad vindicandum Clericis nostri ævi dominium integræ portionis beneficialis, quamquam veteres Canones minus favere videantur. Spectata si quidem posteriorís Ecclesiæ disciplina, quadruplicis interpretationis genere ostendunt, ejusmodi canones neutiquam obstare. Nimirum quia *vel* referendi dumtaxat ad primativa tempora, quando communis vitæ ratio servabatur a clero, *vel* intelligendi directe de bonis simpliciter Ecclesiasticis (§. 1.) hoc est, de rebus seu mobilibus; seu immobilibus ipsarum Ecclesiarum, quibus clerici serviebant: *vel* extendendi quidem ad proventus Ecclesiasticos, sed simul Clericorum, & pauperum usibus, atque Ecclesiarum cultui destinatos, ideoque in partes diversas, seu speciales titulos nondum distractos: *vel* demum exponendi de gravi obligatione, quam habent clerici, erogandi in pias causas superfluos reditus propriæ portionis, tametsi secretæ a bonis pauperum, & Ecclesiarum; ita scilicet, ut si secus fiat, grave perpetretur peccatum, sed nullum restitutionis onus ipsis incumbat. Quæ quidem obligatio potest consistere, (§. 9.) cum dominio eorumdem bonorum. Quare si reditus excedentes congruam sustentationem dicantur esse *pauperum*, non quoad dominium, & proprietatem, sed quoad præfictam obligationem, uti apud Bened. XIV. (lib. 7. *de Syn.* cap. 12. n. 9.) videre est.

§. 23. *Nonum.* Præterea illdem laudati DD. contendunt, Ecclesiam, mutata temporum conditione, potuisse graves ob causas eodem prorsus jure transferre in Clericos dominium *omnium fructuum beneficialium* ipsis tanquam piis operariis mercedis loco assignatorum, (etsi ejusmodi fructus constituerent in bonis a Fidelibus primitus oblatis & motivo *religionis*; adeoque in rebus natura & conditione sua *sacris*) quo constat, Ecclesiam constituisse dominos tum eosdem clericos *distributionum choralium*, tum cantores, Magistros grammatices, templorum custodes, organorum, & campanarum pulsatores, ac reliquo s inferiores Ministros, propriorum *stipendiorum*; ex quo item constat, tribus abhinc sæculis ob graves similiter causas Pontificis Constitutionibus ac privilegiis Sixti IV. an. 1474. Julii III. an. 1550. Pauli V. an. 1606. datam clericis in hac Urbe & in districtu ad 10. usque milliaria existentibus, facultatem de bonis beneficialibus, etiam superfluis, ad quæcumque honestas causas seu pias, seu profanas disponendi per actus tam inter vivos, quam causa mortis, perinde ac de bonis patrimonialibus. Neque enim vel distributiones chorales, vel stipendia indicatorum Ministrorum aliunde decerpta, quam ex massa reditnum beneficialium, sive illorum Ecclesiasticorum bonorum, quæ a Fidelibus donata fuere ad promovendum Dei cultum, Ecclesiæ commodum & decorem, animarum salutem; quinque idcirco juxta phrasim veterum Canonum *vota Fidelium, patrimonium Christi, dos Ecclesiæ, res pauperum, pretia peccatorum* nuncupantur ut. ex Nota 32. ad præced. qu. 4. ex Conc. Trid. (sess. 22. de Reform. cap. 3.) ex variis aliarum Synodorum statutis facile colligere licet. Cum autem ex Benedict. XIV. (lib. 7. *de Synod.* cap. 7. n. 7.) *De Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar sacrilegii sit; esse enim Christo quasi exprobare, quod non satis Ecclesiæ suæ providisset.* Idcirco palam exinde consequitur (quod sane multiplici plausibilium rationum genere ostendit Franc. Sylvius, concl. 3. in 2. 2. qu. 185. art. 4. ad 7.) Fideles bona sua temporalia largiendo Ecclesiæ intuitu religionis & caritatis, intendisse quidem ac sperasse, eadem provido Ecclesiæ consilio expendenda deinceps in causas pias, non tamen positive rigorosum onus adscisse, universim loquendo, ut ex titulo *justitiæ* restituendum foret, quidquid ex iis bonis in profanos usus quovis modo erogatum fuisset. Quamquam, ubi Ecclesia justis permota rationibus bona suæ dispositioni relicta semel assignavit instar *decentis mercedis* aut clericis sacrorum mysteriorum dispensatoribus, & humanæ salutis administris, aut inferioribus aliis sibi subveniendibus in negotio Divini cultus, jam ea constituere erogata in *pios usus*, sicque *satisfactum* primitivæ voluntati Fidelium benefactorum, quantum ad onus *justitiæ* attinet, si etiam ultro concederetur impositum (quippe inter causas pias præcipuo loco venire Sanctuarii ministros, nemo ignorat) sicuti constat præsumptam illam Fidelium voluntatem impletam iri, statim ac eadem bona instar eleemosynæ pauperibus donantur, eorumque dominio subjiciuntur. Secus enim, si respectus ille causarum piarum nimis morose urgeatur, procedendum erit usque ad materiam primam eorumdem bonorum, nec unquam Ecclesiæ dispositione, Apostolicæve Sedis privilegio potuerunt licite transmutari, ac profanis rebus accenseri: quod ex dictis falsum esse convincitur.

§. 24. *Decimum.* Ceterum, cum dictis (§. 15. & 22.) constanti Sacrorum Canonum præceptione, sensuque DD. unanimi, evidens ac firma permaneat Beneficiariis omnibus imposita gravis obligatio erogandi superfluos necessarie & decenti sustentationi reditus præhendarum Ecclesiasticarum in causas pias, quæcumque demum theoretice disputando prævaleat sententia circa titulum seu radicem hujusce obligationis: idcirco maximopere præstabit, ut Prachendarii clerici magis de ipsa praxi, & quotidiana virendi ratione solliciti probe invigilent, discutiant, apprehendant tum probatos Libros legendo, tum probiorum Virorum exempla contuendo, quænam vere sint *causæ piæ* & quidnam ferat *congrua sustentatio*. Etenim, ut ex antiquo novimus poeta, *est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Et allunde nimis frequenti experientia exploratum, in re ista summi momenti contingere enormes, & excitiales allucinationes practicas etiam illorum, quibus ceteroquin nec mentis, nec litteraturæ Ecclesiasticæ cura supellex adeo quidem, ut respectu plurium Clericorum peculiari, de quo hactenus fuit sermo, haud immerito vocari possit lapis offensionis, & petra scandali, sicuti fere & Cœnobitis religiosa paupertas, & Secularibus forensia, ac mercatoria negotia esse consueverant, non vitio ipsarum rerum, sed hominum rebus abutentium. Itaque coronidis loco audiatur, animisque imprimatur opportuna animadversio Venerab. & Eminentiss. Bellarmini Nepoti suo Theanensi Episcopo ita scribentis (Epist. ad eumdem controv. 9.) *Non disputo quæstionem illam, an Prælati sint vere domini reditnum Ecclesiasticorum, & an teneantur restituere quæ male expenderunt. Parum*

rum enim refert, verum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an quia peccavit contra caritatem, non bene distribuendo facultates suas. Solum quæro, in quos usus debeat expendere suas Ecclesiasticas facultates, ut non amittat vitam æternam. ♄

Quæst. VIII. *Ad quid tenentur Episcopi, Parochi, & ii quibus animarum cura incumbit?*

Resp. 1. Ii tenentur generatim jure divino residere, & per se officium sibi rectè præstare, oves sibi creditas verbo, exemplo, & Sacramentis pascendo, eorum salutem ac utilitatem spiritualem procurando, & peccata ac scandala, quantum possunt, impediendo. *Et communis sententia.* Prob. 1. ex Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges a Pastoribus pascuntur? ... Greges meos non pascebant &c.* Et ex 1. Petri 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei: providentes spontanee secundum Deum ... Forma facti gregi ex animo.* 2. Ex Conc. Trid. sess. 23. c. 1. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt .... S. Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant .... Declarat omnes ... obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi insuper sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse nisi ex causis infrascriptis &c. Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habent obtinentes, S. Synodus declarat & decernit &c.* 3. Quia quicumque accipit aliquod officium præsertim cum emolumento, obligat suam personam ad propriis illius functiones, taciteque promittit, se illas obiturum quantum res feret; nec aliter ei committitur officium. Neque sufficit, quod suum officium præstet per alios, nisi necessitas vel major bonum commune cogat eum ad tempus abesse; nam rectæ rationi repugnat ut quis officium, præsertim cum emolumentis, habeat, & onus illius in alium transferat. Præterea pastorale munus est per se personale; nam is constituitur pastor, cujus cura, diligentia & industria electa est ad pastoralia munera obeunda. His adde jus canonicum, tit. *de Cler. non residenti.*

Hinc Episcopi & Parochi peccant mortaliter contra jus divinum naturale, ideoque indispensabile, si notabili tempore fine gravi & justa caussa absint. Quod si justa absentiæ causa subsit, tenentur per alium idoneum gregi sufficienter providere. Circa hoc utrumque Concil. Trid. ibidem eorum conscientias onerat proposito Dei timore; & justas absentiæ caussas exponit, quæ sunt, *Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel resp. utilitas.*

Porro residentia est personalis præsentia in loco beneficii ad debitum officium ibi præstandum. Quamvis autem omnia beneficia de jure communi, & ex primæva sui institutione residentiam requirant: possunt tamen aliqua simplicia ejus non exigere, vel ex fundatione, vel consuetudine rationabili, ut cum beneficia illa non habent sufficientes reditus ad sustentandum beneficiarium, qui proinde cogitur alibi manere, ut habeat unde vivat.

Nota. Provisi de beneficio curam animarum habente vel de canonicatu, tenentur publicum fidei professionem facere, alioqui fructus suos non faciunt, ex Conc. Trid. sess. 24. c. 12.

Resp. 2. Speciatim de parochis, tenentur

1. Habere scientiam competentem, & sufficientem ad recte dirigendas oves suas in rebus ad salutem pertinentibus; ideoque scire dogmata fidei, & Theologiam moralem: item Scripturas sacras & Canones, & statuta propria suæ Diœcesis. *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina*, cap. 1. distinct. 38. ex Concil. Toler.

2. Constanter residere in sua parochia; e Conc. Trid. cit. & ex c. 2. *de Cleric. non resident.*

3. Pro ovibus orare, & Sacrificium offerre, & quidem juxta Tolet. Fagn. Gavant. & alios, iis applicare Missam diebus festis ac dominicis, quia Conc. Trid. dicit, simpliciter teneri pro ovibus suis sacrificium offerre; quod indicat specialem applicationem & obligationem diversam ab ea, quam habent singuli Sacerdotes applicandi fructum omnibus fidelibus: & Conc. Mediolan. IV. a Sede Apostolica approbatum, prohibet curatis ne diebus dominicis, & aliis, quibus pro populo celebrare tenentur, aliud suscipiant Missarum celebrandarum onus. *Ita Fagnan.* Item Sacra Congreg. Card. apud Gavant. & Barbosam declaravit non posse parochum accipere stipendium pro Missa iis diebus, quibus tenetur ex officio celebrare in sua parochia; nempe diebus festis ac dominicis. Et vero parochus accipit a suis ovibus sustentationem, ut sua munia possit obire, & Missas his diebus celebret non aliis profecto applicandas.

♱ Vide Constit. 123. S. M. Bened. XIV. tom. 1. Bullarii pag. 266. quæ incipit, *Cum semper oblatæ*, in qua Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis, commendat & inculcat, ut Concil. Trid. Apostolicæ Sedis Decreta, de applicanda ab animarum Pastoribus pro populo Missa, executioni sedulo mandari curent. At statuit 1. Etiam Vicarios amovibiles, & temporarios, ac regulares ad id teneri. 2. Decernit ac declarat; quod *licet Parochi, seu alii animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus destituantur, & quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diœcesibus, seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

3. Teneri ad Missæ applicationem diebus dumtaxat festis de præcepto, iis etiam comprehensis festis, quibus populus tenetur Missam audire licet *permissum sit operæ servilia exercere.*

4. Facultatem concedit Episcopis dispensandi Parochos pauperes ab applicatione pro populo diebus festis, ea tamen lege, ut in Ecclesia Parochiali celebrent, ac totidem Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, *quot in diebus festis, infra hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alicujus Pii Benefactoris obtulerint.*

5. Ut in Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Missa Conventualis quotidie celebranda pro Benefactoribus in genere applicetur, contraria consuetudine minime obstante.

6. In insulanis Collegiatis absolvit ab applicatione secunda, & tertia Missæ Conventualis, nisi aliud usu receptum fuerit. ♱

4. Populum frequenter, ut diebus saltem dominicis, necessaria ad salutem docere, & doctrinam Christianam explicare, eumque ad virtutes ac viram christianam adhortari per se, si possint, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint: ita ut omnes facile quæ ad salutem consequendam necessaria sunt, scire possint, ex Conc. Trid. sess. 5. c. 2. ibi: *Quicumque parœciales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* Ac eos, si huic muneri suo defuerint, cogi debere per censuras ecclesiasticas. Et sess. 24. c. 4. mandat Episcopis ut saltem dominicis & aliis diebus festis pueros in singulis parochiis doctrinam doceri curent. Hinc Bonacina ait: *Parochum mortaliter peccare, si una continue mense integro, aut etiam duobus vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur: quia hæc videtur materia gravi non solum secundum se, sed etiam respective.* (1)

5. Sacramenta suis parochianis ministrare quoties ea rationabiliter petunt, vel alium idoneum providere. Nam ex officio teneantur oves suas pascere, ordinaria media salutis a Christo institutæ præbere, horum utilitatem spiritualem procurare, & præstare ea omnia, quæ pastoris sunt, inter quæ præcipuum est sacramenta ministrare, & necessaria ad salutem docere, & sub hoc onere decipiunt stipendium sustentationis.

6. Peccata corrigere præsertim publica, scandala tollere vel per se, si possunt, vel ea deferendo Episcopo, si publica sint, & omnes peccati occasiones quantum fieri potest avertere, ideoque inquirere peccata publica. Item scire an singuli sacramenta debita in Paschate suscipiant, & sacrum diebus festis audiant &c. *Ipsi enim pervigilare* (hoc est, ex officio, seu pervigilare debent) *quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, Hebr. 13.

7. Magnam & peculiarem curam habere pauperum, & providere ne ob inopiam a justitia deflectant; eorum necessitates inquirere, iisque quantum possunt subvenire, ex Conc. Trid. sup. Nam ii sunt loco parentum, & ad hoc specialius obligantur, quam alii. Item pauperes sepelire, etiam sine ullo stipendio, & pro eorum salute orare.

8. Nullos matrimonio conjungere, nisi sufficienter peritos rerum fidei & præceptorum Dei ac Ecclesiæ; ideoque horum ignaros prius docere, quia ista liberos suos edocere tenentur.

9. Invigilare ut Ludi Magister recte fungatur officio, pueros doctrinam christianam doceat, bonisque moribus imbuat verbo & exemplo.

10. Frequenter visitare infirmos, etiamsi sacramentis fint muniti. Quia quo vicinior est mors, eo majus salutis periculum ingruit a dæmone, & major est corporis ac animi infirmitas: ergo tunc maxime suorum saluti providere debent.

11. Servare statuta Diœcesis, & curare ut a suis serventur: nam obligant in conscientia, cum sint lata a superiore habente potestatem præcipiendi & ferendi leges.

12. Tenentur ex justitia, etiam cum certo vitæ periculo, ovibus suis subvenire non solum in extrema, sed etiam in gravi earum necessitate spirituali, ex Joan. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Nam ratione officii ad amplius obligantur quam extranei Sacerdotes, qui cum periculo mortis tenentur proximo subvenire in extrema necessitate. Hinc juxta omnes, parochus tenetur suis peste laboratibus sacramenta, præsertim Pœnitentiam, ministrare per se, vel per alium idoneum; nisi Episcopus jubeat ut ipsemet ministret: quamvis enim saluti suæ absolute providere possint per actum perfectæ contritionis, tamen quia talis actus difficilis est, censentur esse in necessitate gravi. Et Sacra Congr. apud Fagn. approbante Gregorio XIII. censuit Parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis Ecclesiis, & per se vel per alium idoneum mi-

(1) *In Ecclesiis ruralibus longe distitis a Parochiali juxta Benedicti XIV. Encyclicas litteras* Bull. Tom. 1. num. 42. *decernendum erit Episcopis, ut Sacerdotes ibi sacris operantes Populum doctrinam Christianam doceant. Caveat tamen Parochus ne nimium tribuat alienæ operæ, sed cum pueri ad Sacramentum Eucharistiæ, & Confirmationis admittendi sunt, cum sponsi conjugio jungendi, per se illos tentet quid didicerint.* Ibid. §. 14.

Item in Instit. Eccles. §. 3. 20. *ait, non esse tolerandum morem in nonnullis Diœcesibus obtinentem, ut pueri unius Parœciæ in alia Parœcia doceantur doctrinam Christianam, quemadmodum rescripsit Sac. Coner. Concilii ad eundem, dum Cardinalis erat, Lovaniensi Ecclesiæ Præfectus, sed singuli Parochi studire suos debent, vel saltem curare, ut in Parœcia studiantur. Non tamen reprehendendi sunt illi, qui in Ecclesiis suis, licet non sint Parochis subjectæ, fideles ex confluentes docent, dummodo contrarii non sint Parochi nomine eorum, qui eo frequentant.* Ibid. §. 23.

Ludi magistri, tam conducti a communitate, quam non conducti, tam Clerici, quam laici hortandi sunt prius ut doceant suos Doctrinam Christianam, tum etiam cogendi ex Decreto Congreg. Concil. ad Archiep. Spalatrens. die 27. Julii 1669. Ibid. §. 24.

Parochi doceant pueros suos saltem dominicis, aliisque festis de præcepto Doctrinam Christianam omni contraria consuetudine penitus sublata Encycl. Ubi primum Bened. XIV. Tom. 1. pag. 6. Edit. Rom.

ministrare pestè infectis Baptismum & Pœnitentiam. Id tamen possunt per alium idoneum ob majorem utilitatem parochiæ, ut ipsi sani prodesse possint, & erga illos officio pastoris fungi. Idem dic de superioribus regularium.

13. Denique omnium bonorum operum ac virtutum exempla præbere, ex Conc. Trid. supr. & ex epist. ad Tit. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Et ex 1. ad Tim. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* Quo virtutis amorem & vitii odium ac fugam suis efficacius ingenerent, scientes, quod pro animabus illorum rationem sint reddituri, *ad Hebr.* 13. Igitur vitam suam ita instituant, ut quod verbis populum docent, ipsi opere confirment, ac veluti imagine ostendant *formam sacri gregis ex animo.*

Sed quantum temporis absentia sine causa justa ad mortale sufficit?

Resp. Cabassutius l. 3. jur. can. c. 1. docet ab

CA-

(*) Quanquam ex canon. *Bona* 12. q. 2. jus sit Episcopo molienti novum Monasterium in sua Ecclesia, donandi illi quinquagesimam partem reditnum Ecclesiæ suæ; cum tamen Episcopi in sua consecratione jurent se non alienaturos possessiones ad mensam suam pertinentes; hinc optime intulit Sac. Congreg. interdictam esse Episcopo hanc, & aliam quamcumque alienationem. Lambertinus *de Syn. Diœcesi. l.* 7. c. 72. *per.* 12.

(1) *Ad declarandæ & confirmandæ, quæ de* Episcoporum *officiis in hac postrema q.* 7. *ab Auctore dicta sunt, superfluum est ex opere de* Syn. *Benedict. XIV. testimonia proferre vel indigitare, cum integrum illud opus destinatum sit Episcopo cumulate instruendo, ac formando. Præclare itidem eadem officia Episcopalia profecturus est Pontifex sapientissimus in alio opere de* Servorum Dei Beatificatione (*l.* 4. *c.* 34. *per tot.*) *ubi differendo de iis, quæ in causis* Servorum Dei, *qui* Episcopi fuerunt, *advertenda sunt post adeptam* Episcopatus dignitatem, *absolutissimi Episcopi idram exhibet. Huc pertinet gravissima D. N. Clem. XIII. Epistola Encyclica.* A quo die, 14. *Sept.* 1758. *quæ legi potest simul cum aliis ejusdem SS. Patris Epistolis, & Constitutionibus in Appendice adjecta tom.* VIII. *Bibliothecæ Canonicæ P. Lucii Ferraris. De Parochorum autem officiis multa pariter adnotanda est tum in opere* de Syn. *atque* in Eccles. instit. *Bened. XIV. tum in prælaudata Clementina Epistola. Quod spectat specialim ad Clericos, & Optimates sacros hujus Romanæ Curiæ, singuli, quænam ab ipsis agenda, vel emittenda sint, deprehendent sine fuco & calamistris exposita in aureis* 5. *libris S. Bernardi* de Consideratione ad Eugenium, *qui juxta nuperrimam editionem Romanam habentur illustrati præclaris animadversionibus Joan. Sclavi de Ab. Cisterc. Atque hic D. O. M. favorit, ad finem vertum est illarum Notarum, quas gratia Clericorum promisi* (in *Nota* 1. *ad q.* 1. *tract.* de Benef. Eccles.) *ac confeci perturum.*

Porro autem, cum sæculares Clerici, & Religiosi simul eminenti conditione, ac dignitate spirituali, atque in excolenda vinea Domini mutuai sibi operæ præstare debeant, juxta doctrinam S. Bonaventuræ mox referendam, idcirco rectissime Auctor obligationibus Clericorum Sæcularium obligationes subnectit Religiosorum. De his multa sparsim Benedict. XIV. in opere de Syn. *Fagnanus, cæteræque Juris Pontificii interpretes in* Commentariis *præsertim ad varios titulos lib.* 1. *Decretal. Inter Auctores vero, qui integros tractatus de iisdem ediderè, veniunt potissimum Franciscus Suarez in eximio opere de* Virtute Religionis (*tom.* 3. *&* 4.) *Card. Joan. de Lugo in opere de* Justitia & Jure (*tom.* 1. *disput.* 3. *sect.* 4. *& seq.*) *Emanuel Rodericus* (*in op.* Quæstionum Regularium, & Canonicorum) *Joan. Bapt. de Lezana* (in Summa Quæstionum Regularium) *Franciscus Rotarius* (in Theol. Mor. Regularium) *Fulgentius Cuniliati* (*Tract.* 16. de Statu Religioso) *& alii plures. Doctrina Seraphici Magistri adversus olores Mendicantium Ordinum Religiosorum scribentis* (*in Opusc.* Determinationum QQ. circa reg. S. Franc. q. 2. *in opusc.* Quare FF. Minor. præ-dicent &c. *paullo post init.*) *hæc est*: Sedes Apostolica, quæ immediate curam Ecclesiæ habet, & a qua ceteri Ecclesiarum Pastores, tam majores quam minores, gubernandi suscipiunt auctoritatem, videns in his novissimis temporibus, juxta Apostolum instare tempora periculosa, & laxatis Evangelicæ prædicationis retibus in capturam, tantos influxisse pisces hominum de fidei professione, quod rete fidei scinditur, messem fidelium multam, & operarios idoneos paucos .... vocavit nos in adjutorium tam Cleri, quam Populi, ut per officium prædicationis, & confessionis subveniamus animabus, & onus Pastorum sublevando alleviemus; sicut Petrus, & ejus socii Luc. 5. non valentes soli rete piscium ad litus trahere præ multitudine, annuerant Jacobo, & Joanni sociis suis in alia navi, quæ figuat religionem, ut venirent, & adjuvarent eos, ne vel ipsi mergerentur, vel pisces capti perirent. *Quæ cum ita se habeant, oremus Dominum ac Patremmeum, ut ab utroque fœderato Clero Christiano procul abigat perversum illum spiritum, quo olim Joannis Præcursoris Discipuli* (*Joan. c.* 3. *v.* 26.) *agitabantur.*

CAPUT II.

De statu & obligationibus Religiosorum.

Quæst. I. *Quid est status Religiosus?*

Resp. Est stabile vitæ institutum, ab Ecclesia approbatum, & tendens ad perfectionem christianam per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ.

Ad ejus essentium tria requiruntur. 1. Tria illa vota, quæ substantialia vocantur, eaque perpetua de se & ex parte voventis. Nam Religio est stabilis quædam forma vitæ perducens ad perfectionem caritatis per primaria Christi consilia, quibus removentur præcipua impedimenta, & homo se suaque omnia consecrat Deo in perpetuum holocaustum. Non necesse est tamen, ut sint sollemnia: nam qui in Societate Jesu vota simplicia emittunt, sunt vere Religiosi, ut definit Gregor. XIII. Bulla *Ascendente Domino*: quia per vota simplicia potest fieri traditio irrevocabilis ex parte voventis in perpetuum Dei obsequium; nam sufficit ut quis constituatur in statu Religioso. Nam ad statum proprie dictum non requiritur immutabilitas omni modo, sed satis est quod Religiosus se ipsum votorum vinculis liberare nequeat, ut pateat in servo, qui recte dicitur esse in statu servitutis, quamvis possit a Domino manumitti. Hinc vota Religionis alia sunt simplicia, quæ fiunt sine sollemnitate; alia sollemnia, quæ fiunt cum certa sollemnitate ab Ecclesia instituta. Quæ sollemnitas juxta multos in eo consistit, ut vota emittantur sub certa regula a Sede Apostolica approbata, juxta ritum substantialem in eadem regula præscriptum, cum traditione & acceptatione ex utraque parte perpetuis, & via ordinaria indissolubilibus. 2. Approbatio Ecclesiæ: quia ordo religiosus est status supernaturalis distinctus a communi statu Christianorum, & sacra quædam communitas, in qua debet esse spiritualis jurisdictio in utroque foro. Hæc reservata est Papæ in Conc. Later. & Lugd. 2. Traditio facta superiori ut ministro Dei illam accepturi, qua vovens se totum Deo in Religione dedicat, & Religioni propter Deum tradit irrevocabiliter ex parte sua.

Quæst. II. *Quænam requiruntur ad valorem professionis Religiosæ?*

Resp. Sequentia. 1. Certa ætas, quæ ex Concil. Trid. sess. 25. c. 15. est annus 16. completus. 2. Ut non fiat nisi post annum integrum & continuum probationis, ibid. Dico, *continuum*, ita ut si novitius, vel die uno, Religionem deseruit, reversus debeat rursus integrum annum probationis conficere, ut valide profiteatur. Immo duarum horarum interruptione reddi novitiatum nullum relevit Sac. Congr., teste Fagnano, ad c. *Ad nostram*, de regul. Nam ex canonistis dum in aliquo decreto requiritur aliquod tempus, illud debet esse continuum. 3. Ut non fiat cum vinculo matrimonii consummati, aut sine consensu conjugis, ex c. 3. & 2. 12. *de conscr. conjug.* 4. Ut profitens nullum habeat impedimentum in illo ordine essentiale, quia per illud redditur inhabilis ad professionem hujus Religionis, nec ejus traditio vere acceptatur. 5. Emissio trium votorum substantialium spontanea, non fraude nec metu injusto extorta, quæ sui ipsius traditionem complectitur. 6. Acceptatio traditionis factæ nomine Dei & Religionis ab habente potestatem illum incorporandi tali Religioni, c. 15. *de regular.* Nam professio fit ad modum contractus onerosi utrinque obligatorii, quo professus fidem suam adstringit Deo, traditque se Religioni propter Deum, & Religio ipsa obligatur ad eum tamquam membrum suum tractandum, alendum, curandum, gubernandum, retinendum secundum Religionis institutum. Ergo requiritur ut juxta cujusque Religionis decretum, habeat potestatem & voluntatem admittendi nomine Religionis, & obligandi Religionem.

Eadem requiruntur, ut vota simplicia Societatis nostræ sint valida. Nam per illa quis verus Religiosus efficitur, & non soli Deo, sed etiam Societati obligatur tradeas se illi; & Societas quoque obligatur ad ipsum alendum, gubernandum, immo & retinendum, nisi justa causa illius dimittendi subsit, ut constat ex suis constit. & Bullis SS. Pontificum.

Obs. 1. Professio fieri potest vel expresse, vel tacite. Expresse fit, cum quis utitur formula promissionis, quæ voluntatem se Deo & Religioni obstringendi ac tradendi explicet. Tacite fit tripliciter, 1. Cum quis exacto probationis tempore defert per triduum habitum professorum, ubi is aliquo signo distinctus est, cap. 3. *de regul. in 6.* 2. Si tali habitu suscepto faciat aliquod opus professis proprium, ut si in Capitulo fuit agium deferit, c. 4. *de reg.* 3. Si ex ea Religione, ubi novitii & professi eumdem habitum habent, deferas habitum per totum annum sequentem tempus novitiorum, eo expleto censeris professus, c. 2. *de regul. in 6. & Clement* 2. *de regul.* Debent autem hæc fieri animo profitendi, & consentiente illo, cujus sui admittere ad Religionem.

2. Ex Conc. Trid. sess. 25. c. 19. qui emisit professionem nullam propter vim ac metum, vel defectum ætatis, aut quid simile, potest reclamare intra quinquennium a die professionis, causas nullitatis deducendo coram superiore & Ordinario, retento semper habitu. Sed post quinquennium non debet audiri.

3. Ut professio, quæ nulla fuit ab initio, valida fiat, necesse est ut ipse sciens esse nullam, postea ratam habeat, vel certe apud se ita statuat: Volo illam esse validam, etiamsi forte ob aliquam causam ab initio valida non fuisset. Non enim satis est eam ratificare, ex eo quod putetur ab initio fuisse valida: quia hæc ratificatio ex errore proficiscitur, unde non est voluntaria, cum incogniti nulla fit voluntas; & ignorans nullitatem votorum non censetur contraxisse novam obligationem diversam a priore.

4. Ex communi sententia, cetera vota simplicia extinguuntur per professionem, saltem si profitens velit commutare, c. 4. *de voto*, quia talis commutatio est evidenter in melius: nam (ut ait S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1.) *Omnia alia vota sunt quorumdam particularium operum; sed per religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat.* Sed controvertitur an ad hanc commutationem requiratur, ut profitens illam intendat, necne? Quare Suarez consulit, ut profitens admoneatur de hujusmodi commutatione facienda.

5. Professus obligatur ad tendendum ad perfectionem, nam ex vi suæ professionis tenetur velle statum suum servare, & secundum illum vivere. *Ille tum suum servare, & secundum illum vivere. Ille qui statum Religionis assumit non tenetur habere perfectam caritatem, sed tenetur ad hoc tendere.*

& operam dare, ut habeat caritatem perfectam, ait S. Th. 2. 2. q. 186. art. 2. & est communis sententia. Religiosus enim status est essentialiter status perfectionis acquirendæ; & quisque tenetur omnia statui suo essentialia velle servare, & secundum illam vivere.

Quæst. III. *An Papa possit dispensare in votis sollemnibus ex gravi causa?*

Resp. Affirmat. *Ita communis sententia.* Quia 1. Sollemnitas votorum est ex solo jure ecclesiastico, ut constat ex cap. unic. *de voto in 6.* & ex constit. Greg. XIII. *Ascendente Domino.* Ergo potest eadem auctoritate tolli. Ergo Papa potest in votis sollemnibus dispensare, perinde ac in simplicibus. 2. SS. Pontifices sæpe in iis votis dispensarunt, ut cum Ramiro Rege Aragoniæ, Casimiro I. Regi Poloniæ Religiosis professis, & aliis apud Cæsar. Azor. & alios. Nec obstat c. 6. *de statu Monach.* ubi Innoc. III. dicit: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Quia solum vult sine abdicatione & castitate statum religiosum non posse consistere, etiam cum licentia Papæ: ac proinde papam non posse dispensare cum Monacho manente in statu Religiosi professi. At de plenitudine potestatis potest aliquem extrahere ex illo statu, ad contrahendum matrimonium ob gravem causam, v. gr. ut religio & pax in regno firmentur.

Quæst. IV. *An Religiosi sint capaces dominii rerum temporalium?*

Resp. 1. Religiosi non sollemniter professi possunt in particulari habere dominium bonorum temporalium, licet non possint de illis pro libito disponere, nec iis uti sine licentia superioris. Constat ex constit. Greg. XIII. *Ascendente Domino*, sic statuente de iis, qui post probationis biennium vota simplicia emiserunt in Societate Jesu. Quare non est de essentia paupertatis religiosæ, ut privet dominio, sed solum ut privet potestate utendi & disponendi pro libito & sine licentia superioris, & ut illo volente obliget ad abdicandum suarum rerum dominium. Enimvero dominium, cujus usus sit impeditus est ac dependens, & alienatio sic obstricta & debita parvi momenti est: tuncque non plus habes in temporalibus rebus potestatis, quæ exerceri potest ad libitum, quam si qui caret dominio.

Resp. 2. Religiosi sollemniter professi possunt habere in communi dominium bonorum temporalium, ita ut illud sit penes communitatem, ex Conc. Trident. sess. 25. c. 3. quia neque ex ordinatione Ecclesiæ, neque ex intentione fundentium communitas Religiosa sit incapax dominii; & ab inde intentio fidelium bona Religiosis donantium est transferre illorum dominium in communitatem religiosam. Hæc tamen non habet dominium illorum absolutum ac liberum, sed ligatum ac restrictum ad congruam sustentationem Religiosorum, & pios usus; ita ut non possint in usus profanos impendi sine injustitia. Nam hæc bona sunt Deo dicata, & donata solum ad pios usus; eademque est ratio illorum ac aliorum bonorum ecclesiasticorum. Porro bona Religiosorum immobilia, & mobilia pretiosa, quæ servari possunt, alienari nequeunt, nisi in commodum Religionis, nam sic a jure statutum est; hæcque est intentio donantium, ut Religio perseverare possit.

Resp. 3. Religiosi sollemniter professi sunt in particulari incapaces omnis dominii, proprietatis, & similis juris bonorum temporalium, sive mobilium, sive immobilium. *Est communis sententia, & certa*, inquit Lessius. Nam Ecclesia hanc incapacitatem annexuit sollemni voto paupertatis, sicut & incapacitatem matrimonii sollemni voto castitatis. Item in nostra societate coadjutores formati sunt incapaces omnis dominii, nisi a societate legitime dimittantur. Quia Ecclesia hanc incapacitatem annexuit illorum votis, licet tantum publicis, non sollemnibus. At Religiosi professi retinent dominium famæ, & jura mere spiritualia; nam his non renuntiant, & Ecclesia eorum voto annexuit incapacitatem dominii rerum duntaxat temporalium.

Resp. 4. Religiosi professi beneficiarii, ut Abates, Priores, & similes habentes beneficia regularia vel secularia, habent jus administrandi, dispensandi fructus sui beneficii, tum ad congruam sustentationem, tum ad causas pias; quia id eis a jure & consuetudine concessum est. At nihil possunt impendere in usus profanos, vel consanguineis non indigentibus donare: aliquoi peccant contra justitiam, & accipientes tenentur ad restitutionem. Quia illorum bonorum non sunt domini, sed solum administratores & dispensatores, habentes tantum jus & facultatem impendendi illa bona secundum præscriptum Canonum ac Religionis, & intentionem eorum, qui ea Religioni vel Ecclesiæ donarunt. Immo etiam peccant contra votum paupertatis, disponendo de re temporali sine licentia legitima.

Quæst. V. *An quid obligatur Religiosus ex vi voti paupertatis?*

Resp. Ex communi sententia tenetur, 1. Nullam rem temporalem pretio æstimabilem sine licentia superioris accipere, retinere, abstumere, destruere, permutare, commodare, alienare, donare, aut ea uti. Nihil enim pretio æstimabile potest habere & tractare, ut proprium, id est propria voluntate ac auctoritate, seu proprio arbitratu ac nomine: & sine dependentia ac licentia superioris. Nam per votum paupertatis, etiam simplex, quod fit in Societate Jesu post biennium probationis, homo privatur potestate utendi & disponendi sine licentia superioris de quavis re temporali, & usu ullo dominii libero ac independente, quamvis retineat dominium, sed restrictum & dependens a Superiore, etiam quoad retentionem, & cum obligatione illud relinquendi ad nutum Superioris. Per sollemne vero Religiosus privatur insuper omni dominio etiam radicali, proprietate, & simili jure rerum temporalium. Constat ex sensu ac usu Ecclesiæ, & cap. *Non dicatis*, 12. q. 1. ex S. Augustino epist. 109. ubi ait: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia... Quod si aliqua* (monialis) *rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.* Ex c. 6. *de statu monachor.* ubi Innoc. III. ait: *Prohibemus districte in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat &c. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abati vel Priori assignetur .... Nec animet Abas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Et ex Concil. Trid. sess. 25. c. 1. *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia quovis modo ab eis acquisita tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur.* Immo juxta Navarrum; & Suarez, votum illud obligat ad non desiderandum habere aliquid proprium & ut suum, ex cap. *Voventibus* 27. q. 1. ibi: *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnabile est.*

Hinc ex communi sententia Religiosus, sive sollemniter professus sive non, peccat si quid seu domi, seu foris sine superioris licentia expressa, vel implicita aut tacita, aut in necessitate prudenter præsumpta accipiat, possideat, retineat, destruat, commodet, committat, abstumat, donet, alienet, aut aliqua re utatur. Nam ista omnia sunt actus proprietarii, cum sint proprio arbitratu ac auctoritate, & sine licentia superioris. Omnis autem actus professoris proprietarii est Religioso illicitus: nam per votum paupertatis abdicat se potestate possidendi aliquid ut proprium & sine dependentia ac licentia. Immo ista non solum sunt sacrilegia contra votum, sed etiam furta contra justitiam, ut notat Suarez: nam cum res sit communitatis, committitur furtum usurpando rem alienam, vel ejus usum, invito domino, seu administratore ac possessore, qui est loco domini, nempe Religione, quæ habet dominium, vel saltem administrationem & possessionem bonorum illorum. Idque etiamsi res illa Religioso ab externis donata sit; quia hoc ipso quod ab illo accepta tur, acquiritur communitati: nam ratione voti & traditionis fuit ac pacti cum Religione quidquid acquirit Religiosus, acquirit Religioni, ut constat ex variis juribus, ex contenta Doctorum, & ex praxi ac sensu Ecclesiæ. *Furtum est privata possessio... Societatis enim expellatio est rei cujuscumque & undecumque in privatum usum revocatio:* ait S. Basil. in constit. mon. c. 34. Quare omnis alienatio, donatio &c. sic facta, est irrita & restitutioni obnoxia. Unde nec licet Religioso rem acceptatam reddere donatori, quia id esset alienare quod acquisitum est Religioni. Neque enim bona Religionis dicuntur communia in eo sensu, quod Religiosus quilibet possit pro libitu ea in suum usum accipere, cum e contra sic potius essent cuilibet furanti propria; sed in hoc solo sensu dicuntur & sunt communia, quod sint communitatis, cujus superior possit ea singulis juxta cujusque necessitatem ad usum concedere.

Nostri vero, qui vota tantum simplicia emittere, peccant moraliter, si de rebus, quarum habent dominium, disponant, vel utantur in quantitate notabili sine licentia superioris. Nam licet possint retinere & acquirere dominium radicale bonorum temporalium, sunt tamen privati jure actuali de illis disponendi suo arbitratu, & sine licentia superioris. Sed controversitur, an dispositio sine licentia superioris facta sit quoque invalida.

Porro si non habent dominium, nisi bonorum quæ in seculo possidebant, vel quæ postea ex successione necessaria & ab intestato, vel forte etiam ex libera parentum dispositione obvenirunt, quæque ad eorum patrimonium pertinere videntur. Unde alia res, quas aliunde, aut ab amicis, vel industria acquirunt, hoc ipso fiunt Societatis; ideoque harum dispositio sine licentia facta, est certo invalida. Quia

intentio Societatis aut superiorum licentia acceptandi concedentium non est, ut hujusmodi rerum dominium acquirant.

Item Religiosus sæpius quid leve sine licentia recipiens, absumens, vel impendens, vel destruens ex bonis communitatis, vel aliunde datis, etsi sine animo iterandi & attingendi quantitatem notabilem, peccat tamen mortaliter, quando scienter pervenit ad quantitatem sufficientem ad mortale furtum sic factum. Nam est eadem ratio ac de furtis minutis, ut docet Sanchez, & ultima acceptione complet quantitatem notabilem furti & proprietatis. Quod verum est, licet ista sint esculenta, vel poculenta domus, nam hæc sunt pretio æstimabilia, & Superior debet esse circa illas acceptiones graviter invitus: tum quoad modum, cum repugnet disciplinæ religiosæ & subordinationi debitæ; tum etiam quoad substantiam, cum repugnent mortificationi, & foveant sensualitatem, quæ est magnum impedimentum perfectionis. In his tamen ad mortale requiritur eadem quantitas, quæ in esculentis & poculentis respectu famulorum ad furtum mortale. Idque certum omnino contendum est, saltem si ista sine rationabili necessitate sumantur.

Hinc etiam peccat contra votum paupertatis Religiosus, qui a laculari invitatus, mutuatur aut bibit sine licentia superioris. Nam comestio & potatio, ex communi hominum sensu, est usus activus facti rei temporalis in proprium commodum, & pretio æstimabilis, qui proinde per votum paupertatis illicitus est sine consensu superioris, sicut comestio & potatio rei sine consensu domini est injusta: & Religioso non licet uti ulla re temporali pretio æstimabili sine licentia superioris. Nam qui etiam rem pretio æstimabilem accipit sub arbitratu & sine licentia, jam aliquid pretio æstimabile accipit propria voluntate ac auctoritate, & sine licentia superioris, ac proinde quoad aliquid pretio æstimabile se gerit ut dominus. *Ita Suarez, & alii.* Nec obstat, inquit *la Croix*, quod Religiosus non peccat admittendo sustentum pretiosum sibi factum ab externo, nam in hoc habet se mere passive, & externus ipse hunc sustentum vere consumit in gratiam Religiosi: at Religiosus comedendo aut bibendo ipsemet consumit, & active se habet: nam cibum vel potum illum accipit in suum usum, sibi applicat, & sumit in alimentum. Illing. addit contrarium opinionem fuisse a R.P. Vitelesco Præposito Generali Societatis prohibitam tamquam non consentaneam paupertati, quam Societas profitetur, neque a Professoribus nostris docendam, neque ulli re ipsa exercendam. Porro usus rei, quæ uno usu consumitur, ut alimentum, tanti æstimatur quanti res ipsa, quia tunc tota res accipitur, ut notat Suarez.

2. Tenetur esse animo paratus exui rerum sibi permissarum possessione & usu, omni momento, quo superior voluerit. Nihil enim potest retinere, nisi cum dependentia continua a voluntate superioris: nam quod auferri non potest, habetur ut proprium. Hinc peccat contra votum, qui rem cum licentia acceptam abscondit, ne superior eam auferat, repetat, vel licentiam datam revocet. Item qui murmurat, querela superiorem impedit ne rem concessam repetat, vel dum superior aliqua ei aufert, conqueritur tamquam de injuria. Nam ista omnia sunt actus sibi usurpantis usum independentem ac irrevo-

revocabilem, cujus est incapax per votum paupertatis. Quippe non potest acquirere sibi jus ad res temporales, quod non subordinetur superiori, eique acquiratur; alii qui jam haberet aliquid proprium pretio æstimabile, nempe jus ad ralem usum irrevocabile, item talis jam rem possidet animo ac modo proprietario; & vult habere, & quantum in ipso est, facit licentiam irrevocabilem. Licentia autem irrevocabilis in hac materia est iniqua & nulla, utpote repugnans paupertati; cum per illam res jam possideatur ut propria, quippe quæ jam reperi acquirat. *Ita ex communi Suarez.*

3. Tenetur rem sibi concessam dimittere, statim atque superior revocat licentiam datam; alioqui jam eam habet sine licentia.

4. Rem quamlibet determinare concessam ad unum usum, non potest adhibere ad alium usum etiam honestum. Nam hic usus esset sine licentia, ideoque esset actus proprietarius, qui per votum paupertatis prohibetur: nam votum tollit facultatem habendi proprium, & proinde etiam actum talis facultatis; quod enim tollit facultatem, a fortiori tollit actum. Unde peccat mortaliter, si pecuniam notabilem ad unum usum concessam impendat in alium sine licentia: Idem non potest id quod ad usum sibi conceditur, alteri commodare sine facultate, quia Religiosus habet tantum jus utendi ad suam utilitatem rebus sibi concessis continuo dependens. Utuarius autem non potest usum rei sibi concessum concedere alteri, hoc enim est usufructuarii. *Sayri, de usu & habitu.* A fortiori, ut notat Layman, non licet Religioso secum auferre vel alteri dare elocutela aut poculenta, quæ in mensa fingulis apponuntur, nisi adit licentia generalis usu ipso expressa, vel inducta in rebus hujusmodi: sicut cum quis aliquos convivio excipit non facit eos dominos rerum appositarum, neque copium facit, ut eas ad alios transmittant, aut in proprias domos asportent. Nec refert quod sua patrimonia aliquid sibi reservavit; nam ita ei solum conceditur, ut ipse absumat ad suam sustentationem, & quidquid residuum est, maneat in bonis Monasterii. Estque communis & vera sententia, inquit Suarez, non licere Religioso sine ulla licentia superioris donare intra vel extra Religionem aliquid ex rebus sibi concessis ad usum suum, licet possit ipse illud consumere, ut fide quantitate cibi aliquod sibi subtrahar, vel ex quantitate pecuniæ, quam iter orendo posset expendere. Quia ei conceditur tantum talis usus facti pro se; & ideo præter illum non potest ullum aliam sua auctoritate usurpare: si ergo illum usurpet, in eo se gerit, ut dominus. Præterea quidquid sua parsimonia conservat, hoc ipso, illud conservatur Religioni: nam quidquid Religiosus acquirit, non sibi, sed Religioni acquirit. Ergo a fortiori conservat &c.

5. Tenetur adhibere eam saltem diligentiam in conservandis rebus sibi ad usum concessis, quam adhibere solent viri prudentes & diligentes in rebus suis. Nam habet obligationes usuarii, cui precario conceditur usus, salva rei substantia, estque actus dominii independentis rem negligere, vel libito deteriorem facere, aut destruere. Quod si res etiam ad consumptionem tribuatur, ut vestis, oleum &c. tribuitur ei tantum ad consumptionem necessariam vel utilem, non autem ad destructionem Monasterio damnosam, & ex negligentia accelaratam. Quare si res sua negligentia pereat, aut deterior fiat, vel si quid plus æquo consumat, peccat contra votum, & justitiam.

6. Non potest habere superflua, pretiosa & statui paupertatis non convenientia, nec quidquam etiam valide impendere in usus turpes, vel vanos, vel decedentes statum Religiosi, ita ut magis videantur convenire seculari diviti, quam Religioso pauperi. Nam, ut sit De Lugo, votum paupertatis non solum obligat ad non utendum sine licentia Prælati, sed etiam ad conservandum statum pauperis, & vitandos sumptus qui pauperes non decent secundum Religionis institutum. Et omnis superfluitas, utpote solorum sæculi divitum propria, repugnat per se statui Religioso & voto paupertatis. Idque etiam si superior consentiat: nam superior tales usus nec licite, nec valide concedere potest. *Ita Navarr. Sanch. De Lugo, Laym. & alii*, tum quia repugnant statui pauperis, & a canonibus prohibentur: tum quia superior non est dominus bonorum communitatis, nec eorum, quæ dantur Religioso, sed solum administrator secundum Canones & regulam Ordinis. Jura autem & decreta a summis Pontificibus, qui sunt supremi omnium Religionum Prælati, condita vel confirmata, ei solum concedunt administrationem ad usus necessarios, & pios, ac statum religiosorum decentes, vetantque, quidquam ad profanos & vanos usus impendi. Et Conc. Trid. sess. 25. cap. 2. ait: *Mobilium usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superfluæ in ea sit.* Ergo superior non habet potestatem concedendi hanc licentiam, quæ proinde nulla est. Unde Sac. Congr. Cardinalium, teste Fagnano in cap. *Monachi* declaravit: *Regulares præter supellectilem, quæ statui paupertatis regularis convenit, non posse de licentia suorum superiorum regularium alia bona mobilia superflua, & dependenter a voluntate eorumdem superiorum, & ad solum usum proprium possidere seu retinere, & possidentes vel tenentes mobilia superflua non excusari propter licentiam superiorum a culpa & pœna.* Quare nec Prælates cum ipso conventu potest hanc licentiam concedere: nam licet conventus sit dominus eorum bonorum, hoc tamen dominium est restrictum per votum paupertatis, Ecclesiæ decreta, & intentionem donatorum ad usus necessarios, utiles, & pios. *Ita Delugo, Less. Navar. Sanch. & alii.*

Hinc Religiosus impendens aliquid notabile, etiam cum licentia superioris, in usus vanos, superfluos & profanos, ut in ludos, convivia, vanas picturas, res sumptuosas, vestes sericeas &c. vel pretiosa aut superflua, aut statui suo indebita retinens, vel de bonis in suum usum concessis, aut de bonis monasterii laute vivens, & opipare epulans, peccat contra votum paupertatis, cum hæc licentia nulla sit. Qui vero in ludo aliquid lucratus est ex bonis Religioni, vel accepit ad usus vanos & dedecentes ejus statum, tenetur illud restituere Religioni, perinde ac si accepisset a fure. Igitur cum pecunia vel res generaliter conceditur a superiore, intelligi debet concedi solum in usus honestos, necessarios vel utiles, & statui religioso decentes, cum aliter nec licite, nec valide concedi queat.

7. Procurator, Oeconomus, & similes non possunt quidquam dare, impendere, alienare, pro libito, sed

sed solum secundum ordinis regulam, & superioris voluntatem, & quatenus ratione muneris eis commissum est. Unde Sanchez cum multis infert, procuratorem peccare mortaliter contra votum, si quid notabile in alios usus facter alignatos a superiore, quantumvis ii ex se liciti sint & communitati deserviant, expendant sine expressa vel prudenter præsumpta superioris voluntate, quia agit ut dominus. Item dispensator aliquarum rerum tenetur eas distribuere secundum regulam & voluntatem superioris, ita ut non det alia nec plura vel pauciora, nec meliora vel deteriora, quam scit superiorem velle: qua parte enim discedit a voluntate superioris, incurrit vitium proprietatis, cum expendat vel distribuat perinde ac si esset dominus, & ab alterius arbitrio non penderet. Præterea quidquid sit ultra facultatem sibi concessam, sit sine licentia, sed proprio arbitratu ac auctoritate; ideoque est actu proprietarius: actus enim proprietarius est is omnis, qui proprio arbitratu, & auctoritate fit; talis autem est is omnis, qui sit sine licentia superioris. Ita Suar. & alii: *Oportet quod ea, in quibus inferior superiori subjicitur, dispenset non aliter quam ea sit a superiore commissum*, ait S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 8. Porro in nostra Societate officiales pendent in omnibus a voluntate immediata superioris localis.

Ipsi vero Religiorum Prælati peccant contra paupertatis votum, & justitiam, si bona conventus aliter impendiant vel donent, quam Ordinis sui regula, vel approbata consuetudo, aut superiorum Prælatorum voluntas eis permittit. Et si quid notabile donent vel impendant in usus vanos, aut superfluos, peccant mortaliter, & alienatio irrita est, & restitutioni obnoxia. Quia Prælati non sunt bonorum communium domini, sed solum administratores in utilitatem Religionis & pios usus, ex c. 2. *de donat.* & voto ut alii obstringuntur. Nec id possunt etiam consensu conventus: nam etsi conventus habeat dominium istorum bonorum: tamen hoc dominium per votum paupertatis, Ecclesiæ decreta, & per intentionem donatorum est restrictum ac limitatum ad pios & necessarios usus, ut dictum est. (1)

Sed notanda sunt sequentia.

1. Licentia superioris requisita debet esse vel expressa, vel implicita, quæ scilicet contineatur virtualiter & implicite in alia expressa; vel tacita, quæ rei cognitionem in superiore supponat, & quæ ex circumstantiis prudenter adesse judicetur, ut cum Prælatus scienr subditos aliquid accipere, retinere, donare, non prohibet, cum facile possit; nam tunc tacite consentire censetur: secus si difficile impedire posset, eo quod v. gr. timeret ne domus turbaretur tuis querelis; tunc enim mere tolerat, non concedit, unde non excusaris. Licentia tamen tacita, vel generalis in Religionibus bene ordinatis non conceditur, nisi in rebus levis momenti & crebro occurrentibus.

2. Licentia præsumpta seu interpretativa non sufficit, nisi cum res & causa urget, & superior non potest tunc adiri; ita ut consentire non velle, ut ejus licentia expressa tunc requiratur, vel concedere licentiam quamvis non petatur. *Ita Lessius, & alii.* Nam non sufficit quod licentia daretur si peteretur: cum enim condirio illa non ponatur in re, non ponitur id quod ex ea sequeretur. Sic non cessat obligatio legis, quia superior in ea dispensaret, si rogaretur. Præterea alioqui inferiores semper aut fere semper pro libito sine actuali dependentia de rebus disponerent.

Hinc ad mortale vitandum non sufficit quod superior licentiam concederet, si peteretur; sed facultas expressa requiritur, si res differri, aut superior adiri possit. Quia alias superior esset rationabiliter invitus, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam: nam superior ex officio tenetur sub mortali non consentire, ut inferior de rebus disponat non petita licentia, cum peti possit; nam alioqui dissolveretur & everteretur religiosa disciplina cum gravi damno spirituali Religionis, quod ex officio tenetur impedire superior. Quare superioris dispicentia quoad talem modum parit displicentiam quoad substantiam. Secus de patrefamilias, qui spectat tantum utilitatem temporalem.

Porro qui rem ex præsumpto consensu accepit, tenetur postea ubi primum potest, petere licentiam, ut retinere possit. Quia licentia requiritur non solum ad accipiendum, sed etiam ad retinendum; ergo hæc ad retentionem peti debet, cum possit. *Delugo &c.*

3. Requitur licentia omnino voluntaria quæ non sit per vim, metum, fraudem obtenta, nec procedat ex errore. *Ita Suar. Sanch. Delugo, & alii.* Hinc si Religiosus importuna sollicitatione vel querelis aliquid impetraret a superiore, ideo solum permittente, ut hominis molesta importunitate se liberet; vel quia timet majus malum, aut ne subditus querelas & murmurationes effundat, ut ait Delugo, est paupertatis violator. Quia hæc non est licentia voluntaria, sed mera tolerantia extorta; & usus rei sic concessus est injustus, perinde ac usus equi a domino vi vel metu injusto extortus. Idem dic, si fingat causam, ob quam ei concedatur licentia, vel taceat id, quo cognito non solet dari. *Ita Suar. Sanch. & alii.* Nam tunc error, vel ignorantia facit, ut licentia non sit voluntaria, ideoque ut sit nulla.

4. Non sufficit licentia tantum debita, sed quæ probabiliter præsumatur deneganda, vel quæ irrationabi-

(1) *Alienatio rerum mobilium, & immobilium pretiosarum vetita est Regularibus, etiam speciali commemoratione dignis*, ex Decr. Urb. VIII. sub die 7. Septembris 1624. *Hæc tamen intelligenda sunt de bonis Ecclesiæ incorporatis. Quæ vero non sunt incorporata, & debent alienari, ut sunt res relictæ PP. Reformatis S. Francisci, non possunt eorum fundi procedere ad earum venditionem, nisi præsixo edicto, ut magis offerenti vendantur. Lambertinus* Inst. Eccles. 63. §. 8.

Item: *Alienationes rerum inferioris ordinis, quæ comprehenduntur in cap.* Terrulas, *debent etiam a Regularibus fieri de licentia Episcopi.* Ibid. §. 9.

Item: *Alienantes & recipientes bona alienata, præter excommunicationem Pontifici reservatam, incurrunt ipso facto pœnam privationis Officiorum*, ex Decr. Urbani VIII. Ibid.

nabiliter denegetur. *Ita Suar. & alii.* Quia tunc acceptio, usus, & dispositio essent vere, & de facto sine licentia superioris, & independens, & fieret nomine proprio; nam voluntas debita, nulla voluntas est, quamdiu contraria de facto inest. Et sicut quamvis dives teneatur pauperi dare eleemosynam in gravi necessitate, si tamen deneget, non licet accipere: ita hic. Præterea rectus ordo id postulat: nam quisque sibi facile persuaderet licentiam sibi irrationabiliter regari, cum magno detrimento spirituali.

5. Ex communi sententia, quamvis sufficiens ad furtum mortale, sufficit etiam ad peccatum mortale contra hoc votum. Nam hoc peccatum proprietatis se habet instar furti, cum sit usurpatio rei sine consensu superioris; sine quo est injusta & sacrilega. Hæc autem quantitas sufficiens est saltem ea, quæ absolute, & in se spectata censetur notabilis sine respectu ad personas.

Dico, *saltem*; nam sunt qui putant, minorem quantitatem sufficere. Hinc (ut notat Sanchez. Delugo, & Illung.) falsum est Religiosum in hoc habendum esse ut filiumfamilias, si (ut docent multi) respectu illius major quantitas ad furtum mortale bonorum paternorum requiritur, quam respectu extranei, eo quod putent plus requiri ut pater sit rationabiliter graviter invitus. Nam peccatum contra paupertatem non mensuratur præcise ex damno temporali, sicut furtum filii; sed multo magis ex damno spirituali religiosæ disciplinæ, circa unum ex fundamentis præcipuis vitæ religiosæ. Gravitas autem culpæ, qua sine licentia usurpatur usus rei, quæ hoc usu non consumitur, mensurari debet ex æstimabilitate talis usus, & temporis diuturnitate.

6. Si Religiosus inconsulto superiore recusat acceptare rem sibi ex liberalitate oblatam, Sanchez docet eum non peccare contra hoc votum. Quia vi illius non obligatur ad acquirendum Religioni, sed ad non alienandum, accipiendum, titendum sine licentia. Potest tamen peccare contra caritatem, impediendo sine justa causa bonum Religionis, cui illa res ipso acceptante acquirenda erat. At non peccabit, si donum non necessarium Religioni recuset ex justa causa, v. gr. ut liberior sit ad sua ministeria obeunda, vel ad majorem ædificationem.

7. Quoties Religiosus damnum injuste intulit sive extraneis, sive Religiosi, ejus bona usurpando vel destruendo, vel aliter noceado, tenetur restituere, quantum potest, ex iis bonis de quibus licite potest disponere in alios usus, vel imminuendo expensas, quas licite posset ex communibus bonis facere, nisi condonet prælatus, vel dominus. *Ita Delugo, & alii.* Nam injuria omnis jure naturali referiri debet, quantum fieri potest, nisi condonetur.

8. Spectandæ sunt leges ac regulæ cujusque instituti, ut monet Delugo. Quia fieri potest, ut quod non repugnat paupertati religiosæ spectatæ in genere, repugnet paupertati ut est propria talis Religionis. Sic in quibusdam Religionibus quædam permittuntur, quæ non permittuntur in nostra Societate, repugnante ejus instituto quoad hoc strictissimo.

9. Si Religiosus aliquid sine licentia valida Superioris donet vel alienet, accipiens tenetur illud restituere Religioni. *Ita omnes.* Quia Religiosus caret potestate alienandi, & sic transferendi ejus dominium.

Quæst. VI. *Ad quid obligatur Religiosus ex voto castitatis?*

Resp. Secundum omnes tenetur sub mortali non solum abstinere a conjugio, sed etiam ab omni voluntario actu luxuriæ, tum interno tum externo, ut a mutua cohabitatione, delectatione morosa, ab impudico osculatione, desiderio, aspectu, tactu, ab omni actu venereo, ab omni probabili periculo horum, & ab omnibus iis, quæ aliquo modo sunt contra castitatem. Nam votum castitatis etiam simplex, secundum significationem receptam in Ecclesia, & consensum Doctorum, & praxim fidelium hæc omnia complectitur; & voverur castitas tum corporis, tum mentis. Unde quidquid in sæculari soluto est peccatum contra castitatem, est insuper in Religioso sacrilegium contra votum; & duplicem habet malitiam in confessione exprimendam, unam luxuriæ contra virtutem castitatis, & alteram sacrilegii contra votum & religionem.

Porro gravius sacrilegium est luxuria Religiosi sacro ordine insigniti, quam sæcularis eodem ordine imitati; nam per prius flagitium violatur duplex votum sollemne, duplexque consecratio.

Quæst. VII. *Ad quid obligatur Religiosus ex voto obedientiæ?* (Vid. N. 303.)

Resp. Ex communi sententia, tenetur, 1. Ad servandam regulam secundum vim obligationis ejus in unaquaque Religione receptam. Nam per votum obedientiæ subjecit se Regulæ & potestati superiorum: hocque votum emisit secundum regulam, ideoque se obligavit generatim ad vivendum secundum regulam eo modo, quo ipsa intendit, & ad obediendum superiori præcipienti conformanea regulæ. *Ita Lessius.* Quare si regula ordinis sub culpa absolute obliget, ejus transgressio est contra votum, & sacrilega. Si vero regula ex voluntate institutoris non obliget sub culpa absolute, ejus transgressio non est contra votum, modo Religiosus sit paratus ad pœnam subeundam cum imponetur. Quod addo, quia omnis regula religiosa, sub qua comprehendantur etiam constitutiones & statuta Religionis, obligat in conscientia, etiam in nostra Societate, ad pœnam subeundam si imponatur. Nam, ut docet Suarez, regulæ, constitutiones & statuta Religiosorum habent rationem legis, nec sunt mera consilia, cum habeant auctoritatem a Papa illa confirmante, vel fiant per jurisdictionem ab eo acceptam; ideoque obligant in conscientia, vel ad culpam absolute, vel saltem ad pœnam. Præterea superior habet jus puniendi actus contra regulas ac statuta; & quidem in Societate nostra expresse hæc potestas pro cujuscumque transgressione datur superiori.

2. Tenetur ad res contentas in regula pertinentes ad vota, & ad ea quæ in sua Religione præcepta sunt, & quidem sub mortali, si res illa sit gravis: sub veniali, si levis: quia tenetur servare vota illa secundum regulam, & hæc obligant pro capacitate materiæ.

3. Tenetur ad omnia, quæ superior præcipit consentanea ordinis constitutionibus, regulis, statutis, & instituto, sive ea expresse, sive implicite vel virtualiter in instituto ac regulis continentur, vel ad illa etiam indirecte pertinent; & quidem si præcipiat in virtute obedientiæ, in nomine Christi, vel simili forma; qua indicet se velle obligare graviter, vel quantum potest, tenetur subditus sub mortali obedire in materia gravi. Nam ad hoc se obligavit per votum obedientiæ, ut constat ex sensu & usu

in Religionibus recepto: & superior habet potestatem præcipiendi & graviter obligandi secundum regulam, secundum quam Religiosus vovet obedientiam, & cui se subjecit, quamvis ipsa regula per se, & sæpe præcepto superioris non obliget absolute sub culpa. Alias votum obedientiæ inane & illusorium esset. *Transgressio horum trium* (votorum) *obligat ad mortale. Aliorum autem* (quæ continentur in regula) *transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ .... vel propter præceptum sive orctenus a Prælato, sive in regula expressum, quia hoc effet facere contra obedientiæ votum, aut S. Thom. 2. 2. qu. 186. ar. 9.* Hinc c. 17. de elect. in 6. dicitur: *Religiosa arbitrium, non ex sua (cum velle & nolle non habeat) sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum passit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependet.* In Societate Jesu const. par. 9. cap. 3. hæc habentur. *Generatim loquendo, in rebus omnibus, quæ ad propositum Societatis finem perfectionis & auxilii proximorum ad gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in obedientiæ virtute possit.*

Hinc Superiores præcipere possunt non solum omnia, quæ sunt in regula, quamvis hæc per se absolute non obliget, sed etiam quæ sunt moraliter necessaria ad præcavenda peccata, ad institutum, regulas vel vota servanda, & nova statuta ad hunc finem condere, Nam hæc virtualiter & implicite pertinent ad institutum ac vota, & sub illis continentur. Sic clausura arctissimo jure præcipitur monialibus, quæ illam non voverunt; quia experientia docuit, hanc esse moraliter necessariam ad custodiam castitatis, quam voverunt.

Item ad vitæ religiosæ reformationem & observationem strictiorem, sine qua disciplina religiosa & institutum ordinis in suo vigore conservari moraliter nequit, possunt a superioribus obligari professi. Nam hoc implicite ac virtualiter voverunt, & subjicierunt se alicui ad finem, se ei quoque subjicit in iis quæ necessaria sunt ad illum finem, *Ita Sanchez, Lessius, Laymann, & alii.* Nec consuetudo habet tantam vim, ut Religioni vel Papæ adimat potestatem reformandi & tollendi talem consuetudinem. *Ita Suarez.*

Quod si superior forma præcipiendi non uratur, non videtur obligare sub mortali, nisi aliunde constet. Videtur tamen obligare sub veniali si aliquo modo mandet, inquit Lessius, quia non intendit consulere & suadere dumtaxat, se aliquo modo præcipere & obligare, quantumvis non tantum, quantum posset. Et ipsa ratio disciplinæ religiosæ postulat, ut inferior obtemperet, etiamsi ei extremam præceptum non imponatur. Ita ille, addens superiorem non posse ratione hujus voti obligare subditum ad ea, quæ sunt vel contra regulam vel supra regulam, vel infra regulam, scilicet inutilia, nisi præcipiat ex causa quæ sit juxta regulam. Quia subditus ex voti hujus non intendit promittere, nisi vivendi ad normam & obedientiam secundum proprium institutum & regulam. Potest tamen superior majorem auctoritatem præcipere in pœnam commissi delicti, quia potest injungere pœnam dignam & consentaneam delicto, nam hoc exigit officium ac munus superioris; & ideo non est hoc supra regulam, quia ex vi illius subjicitur Religiosus condignæ pœnæ: ergo obedientia secundum regulam includit obligationem pa-

rendi in hac pœna. Ita Suarez ex communi Doctorum sententia.

4. Potest obligari a superiore cum periculo vitæ, quando aliqua actio periculosa necessaria est ad bonum commune Religionis. *Ita Suarez, & alii.* Hinc potest obligari ad opitulandum fratribus ejusdem Religionis peste infectis; quia ad conservationem & bonum regimen Religionis pertinet, quod Religiosi mutua sibi obsequia præbeant, & in necessitate sibi subveniant; ideoque hoc saltem implicite ad regulam pertinet. *Ita Cajetanus, Castropal. Sanchez &c.* Item tempore pestis Religiosi, quorum institutum est spirituali proximorum saluti incumbere, tenentur jussu superioris sæcularibus peste infectis sacramenta ministrare, si Parochi ei muneri obeundo non sufficiant, & superior tenetur id præcipere. Quia hoc est secundum eorum regulam, cum eorum munus sit esse Episcoporum & Parochorum coadjutores in salute spirituali proximi adjuvanda. *Ita Sanchez, & alii.*

Præterea notanda sunt sequentia.

1. Peccatum contra votum obedientiæ habet duplicem malitiam, unam sacrilegii ratione facti voti, & alteram injustitiæ contra hominem, ratione traditionis & promissionis factæ Religioni & ejus Prælatis. *Ita Suarez.*

2. In dubio de potestate superioris vel an res præcepta sit licita, tenetur subditus parere, ex cap. *Qui culpatur*, 23. qu. 1. quia tunc melior est conditio superioris, qui est in possessione auctoritatis & potestatis præcipiendi, & in quem inferior suam libertatem abdicavit. Idque rectus ordo & subordinatio debita postulat. Præterea superior habet jus præcipiendi id omne, quod non est certum excedere ejus potestatem.

3. Superior regularium habet etiam potestatem patrisfamilias in ordine ad politicam domus gubernationem, etiam erga novitios. Unde ex quarto præcepto Decalogi potest hos obligare in hac materia, licet in regula non contineatur. Habet quoque a Papa jurisdictionem ecclesiasticam quasi episcopalem in suos subditos & novitios, vi cujus potest illos obligare independenter a voto, sicut Episcopus suos subditos.

4. Superiori aliquid ordinanti, quamvis non sub præcepto, nec in virtute obedientiæ dicere, *Nolo parere*, vel *Nolo facere*, secundum communem Doctorum sententiam est peccatum mortale; quia hæc verba continent gravem contemptum potestatis legitimæ & irreverentiam contra superiorem, ut superior & Dei minister est, qui contemptus redundat in Deum ipsum, juxta illud, *qui vos spernit, me spernit.* Idem docet Delugo, si hoc dicatur vicario, vel superiori vel ministro: quia est superior quasi vicarius & delegatus Prælati principalis; & Prælatus seu Rector vult, ut obediatur vicario suo ministro sicut sibi jubenti sub præcepto obedientiæ, quare tunc vere contemnitur auctoritas superioris, quod semper est mortale.

5. Superiores regularium possunt præceptis, statutis ac sententiis subditos suos ubicumque terrarum existentes obligare, excommunicare, fugitivos propria auctoritate capere. Quia potestas in suos ibi competit non ratione territorii, sed ratione personalis obligationis, ex voto obedientiæ.

6. Papa est primus ac supremus omnium Religio-

num Præpositus generalis, unde Religiosi tenentur vi voti obedientiæ ei primario obedire in omnibus, in quibus tenentur suis Prælatis regularibus. Nam hoc votum per se primo ac principaliter fit summo Pontifici tamquam supremo omnium Religionum Præposito.

7. Ab Innocentio XI. damnata est hæc Michaelis de Molinos propositio: *Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo exterius pertingit. In interiori vero aliter rei se habet, quo solus Deus & Director intrant.*

Quæst. VII. *An peccat Religiosus violans regulam per se non obligantem sub culpa, nisi ad subeundam pœnam, cum imponetur, si eam subire paratus est?*

Resp. 1. In praxi raro, ac vix fieri potest, ut non peccet saltem venialiter, ob inordinatum aliquem affectum, ut sensualitatis, curiositatis, vanitatis &c. vel ob negligentiam, pusillanimitatem, acediam; vel ob defectum finis honesti, vel debitæ circumstantiæ in actu, quo violetur regula; vel ob aliquam aliam inordinationem. *Ita Suarez, Sanchez, Lessius, & alii communiter.* Et S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 2. Nam quævis inordinatio est peccatum, cum adversetur rectæ rationi ac legi divinæ, & virtuti actionem. Sic v. gr. omissio meditationis, vel examinis, vel studii ex negligentia seu torpore quodam semper est peccatum acediæ. Præterea omnis actus deliberatus, qui non est bonus, hoc ipso malus est, cum nullus sit indifferens in individuo, & lex divina naturalis præcipiat, ut homo semper honeste ac decenter naturæ suæ rationali vivat, seu agat. Ut autem actus sit honestus, necesse est ut ejus objectum sit bonum, vel saltem indifferens, sed referibile ad bonum finem ad quem conducat, ut fiat modo debito, cum concursu rationabili omnium circumstantiarum, & ex motivo honesto: cum regulæ & constitutiones Religionum ad rectitudinem morum in tali statu debitorum & virtutum actus spectent, sintque medium perfectionis respectu talis hominis, ei declarans voluntatem divinam. Idem dic de omissione vel actione contra voluntatem superioris noluntis per se obligare sub culpa.

Ob eamdem rationem vix fieri potest, ut quis sine peccato rejiciat inspirationem divinam circa bonum meri consilii. Qui enim fieri potest ut bonum, ad quod Deus hic & nunc nos impellit; & ei placet a nobis fieri, possit omitti recte, honeste, & ob bonum finem? Cum autem non detur actus moralis indifferens in individuo, omnis actus qui fit vel omittitur deliberate non ex fine honesto, est hoc ipso saltem peccatum veniale. Quare Toletus lib. 3. c. 2. inter peccata omissionis recenset, *divinis inspirationibus non respondere, nec operari aliquod bonum, cum possit quis operari, licet non obligetur ex præcepto.* Et merito viri timorati humiliter se accusant de inspirationum divinarum repulsa. Itaque in his casibus raro abest peccatum vel acediæ, vel sensualitatis, vel vanitatis, vel impatientiæ &c. Nam vel levissima inordinatio sufficit ad veniale.

Resp. 2. Mortaliter peccat Religiosus, qui regulas illas circa exercitia spiritualia abnegationem sui, actus virtutum, religiosam disciplinam, frequenter & ex consuetudine violat, teneturque graviter hanc consuetudinem vitare & emendare. *Ita Sanchez, Layman, & alii.* Quia 1. tunc intervenit contemptus saltem interpretativus vitæ regularis ac perfectionis, & se conjicit in periculum violandi vota ad quorum observationem sua regulæ sunt media saltem moraliter necessaria, ut experientia constat. 2. Scandalum aliis, & grave damnum spirituale Religioni affert, religiosamque disciplinam graviter perturbat. 3. Ex vi votorum, quibus se Religioni in perpetuum ex parte sua addixit, tenetur sub mortali ad perseverandum in Religione absque nocumento notabili Religionis, & ad ita se gerendum ut sit tolerabilis & expelli non debeat. Qui autem regulas violare solet, intolerabilem se reddit, ut expelli debeat; aut si toleretur, graviter nocet Religioni. Adde quod Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. *Præcipit ut omnes Regulares tam viri quam mulieres ad regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant & componant, atque in primis &c.* Hinc propositum non servandi communiter has regulas est mortale cum contineat virtualiter & implicite voluntatem inferendi grave damnum Religioni, & scandalum aliis, *Ita multi.*

Resp. 3. Semper peccat mortaliter, qui regulam violat ex contemptu. *Hoc fatentur omnes, inquit Sanchez.* Quia hoc est contra votum professionis, quo Religiosus promisit subjectionem erga regulam: quod est aliquid grave quod nunc violat; nam *transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulæ*, ait S. Th. Præterea hoc continet contemptum auctoritatis a Deo acceptæ, unde manat regula. Idem docet S. Bernard. lib. *de præcept. & dispens.* c. 14. ubi ait, violationem mandati levioris esse grave crimen propter contemptum: *Elatio quippe contemnentis in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, cum vertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis &c.*

Quæst. IX. *Quanam sunt obligationes Superioris Religiosorum.*

Resp. Traduntur cap. 6. de statu Monach. ubi Innocent. III. ait: *Præ ceteris potens sit in opere & sermone, ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ fratres & instruere possit in bono, & a malo revocare. Zelum Religionis habere secundum conscientiam, ut delinquentes corripiat & castiget, obedientes foveat & consortet... Vigilem curam & diligentem sollicitudinem gerens de omnibus, ut ex officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem. Quod si prævaricator ordinis fuerit, aut contemptor seu negligens, aut remissus, pro certo se noverit non solum ab officio deponendum, sed & alio modo secundum regulam castigandum; cum offensa non solum propria, verum etiam aliena de suis manibus requiratur.* Tenetur autem in primis subditos promovere ad perfectionem propriam sui instituti; quia est finis ralis Religionis, & ad hoc constitutus est superior. Unde tenetur diligenter curare, ut vota & regulæ omnes, quæ sunt media ad talem perfectionem, accurate ab omnibus serventur; & impedire, quantum potest, corrigere & punire non solum peccata etiam venialia subditorum, sed etiam violationes regularum, licet per se non obligantium absolute sub culpa. *Prælatur Regularis*, inquit Delugo, tom. 1. de just. disp. 3. sect. 2. n. 18. *graviter peccare negligendo culpas veniales in subditis, imo & observantiam circa regulas, quæ tamen ex se non obligant subditos ad peccatum etiam veniale. Quia in hac ipsa negligentia prælatus defuit graviter obligationi, qua ex munere suo tenetur consulere potissimum bono & profectui subditorum, & observantiæ regulari, quæ per ejusmodi defectus toleratos maximè labefactatur: multo enim magis & graviter obligatur ex munere suo prælatus regularis ad procuranda bona spiritualia, quam temporalia sui conventus. Quare si ob eius culpam communitas patitur grave detrimentum in spiritualibus, non poterit ipse a peccato gravi excusari, & poterit contingere quod subditi solum venialiter peccent, & prælatus peccet graviter in iis defectibus permittendis. Debet igitur prælatus vigilare, & adhibere moralem diligentiam in iis damnis præcavendis.* Ita ille.

Similiter (inquit la Croix tom. 3. *Peccat mortaliter superior, si per eius dissimulationem passim negligatur observantia alicujus regulæ, v. gr. prohibentis ingressum in alienas cubicula, regula silentii &c. licet transgressio talis regulæ ne veniale quidem esset. Ratio est, quia observatio talis regulæ multum confert ad decorem, ædificationem & utilitatem totius communitatis, sæpe etiam præcavet gravia mala in subditis. Ergo si superior negligat, infideliter fungitur munere suo, necesque graviter communitati, ac gravius peccat, quam si in administrandis temporalibus gravem committeret negligentiam.* A fortiori peccat mortaliter superior, si per ejus incuriam & dissimulationem subditi sono no vel otio vacent, exercitia spiritualia omittant seu negligant &c. Quare (ut ait S. Antonin. 2. p. tit. 9. c. 3.) *Prælatus debet esse sollicitus ad inquirenda vitia subditorum; nec sufficit quod corrigat defectus quos contingit eum scire; sed debet inquirere diligenter vitam subditorum, si forte etiam occultos defectus potest deprehendere, ut admonendo & præcavendo malis obviet.* Itaque hanc communis Theologorum sententia. Hinc etiam superiores tenentur avertere & non permittere suis subditis occasiones peccatorum, etiam venialium, & amittendi vel minuendi fervorem spiritus ac studium perfectionis, cum teneantur eorum perfectionem promovere & avertere ejus impedimenta.

Præterea diligenter perpendant mandatum illud Apost. Rom. 12. *Qui præest in sollicitudine.* Et Hebr. 13. *Ipsi pervigilant*, hoc est pervigilare ex officio debent, *quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et illud Eccli. 32. *Rectorem te posuerunt? Noli extolli: ejo in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe.* Item illud Conc. Trid. sess. 23. c. 1. *Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere... ac bonorum omnium exemplo quæcere &c.* Denique ex Conc. Trid. sess. 21. c. 1. superiores tenentur singulis subditis omnia, quæ iis necessaria sunt, suppeditare ex bonis communitatis. Nam ex officio vices parentum erga illos gerunt, & bona ad hunc finem Religioni donata sunt; & alioqui dant occasionem multis malis ac peccatis, & interdum violationi paupertatis. Bona vero suorum sustentationi superflua erogare tenentur in causas pias, ut dixi de Clericis: nam bona Religionis sunt bona Deo dicata, & in ejus cultum donata *Reginald. & alii*,

Item superiores graviter tenentur apostatas & fugitivos requirere, ex cap. 24. de Regular.

Quæst. X. *An est obligatio sub mortali eligendi, vel propondendi dignorem in Superiorem regularium, licet prælatura sit temporalis?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia, tenet Delugo.* Quia, 1. eadem est ratio de Episcopo & Parocho, cum superior Religiosorum sit animarum pastor, & habeat subditos, quos in viam salutis dirigere, imo & ad perfectionem promovere tenetur ex suo munere. 2. Alioqui grave damnum spirituale inferetur Religioni, nec efficaciter subditi ad perfectionem adducentur, ut experientia constat. Et vero (ut ait Delugo. disp. 35. sect. 5.) eadem mala oriri possunt in Religione, si non eligantur digniffimi, quæ in Ecclesia, cum facile possint eligi indigni, qui digni videbantur: & cum adeo difficile sit invenire vere & absolute dignum, qui suo exemplo & prudentia continere possit subditos in disciplina religiosa: & hanc, si (ut plerumque contingit) relaxata sit, ad pristinam & debitum rigorem reducere, subditosque ad perfectionem religiosam promovere, qui est finis gubernationis religiosæ. *Ita ille.*

Quæst. XI. *An licet feminis ingredi domos Religiosorum?*

Resp. Negat. Nec etiam licet superiori eas admittere. Nam id semper generatim prohibitum fuit, saltem ex consuetudine vim legis habente, ad amovendum scandalum, occasionem peccandi, perturbationem, & alia mala; ut constat ex S. Greg. Magno, lib. 5. epist. 40. ad Valentinum Abbatem, & refertur can. 20. caus. 18. qu. 2. ubi ait: *Pervenit ad nos, quod in monasterio tuo passim mulieres ascendant, & (quod adhuc est gravius) monachos tuos sibi communes facere, & ex hoc incautum cum eis communionem habere. Ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos (quod absit) calliditate decipiat, ideo huius te præcepti serie commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo desuper qualibet occasione permittas ascendere, neque monachos tuos eas commatres sibi facere. Nam si hoc denuo ad aures nostras quocumque modo pervenerit, se te severissime noveris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate ceteri sine dubio corrigantur.* Ubi S. Pontifex conqueritur de ingressu mulierum in monasteria Religiosorum: ergo hic ingressus jam erat mulieribus illicitus; hunoque ipse graviter prohibet, ut patet ex his verbis: *Ideo huius te præcepti serie commonemus &c.* tum ex gravi pœna intentata: *Sic te severissime noveris ultioni subdendum*: quod ad omnes Religiosorum domos & superiores spectat; *Ut ceteri sine dubio corrigantur.* Quamvis autem hæc prohibitio a S. Gregorio renovata, ad Altiorem, & in ejus persona ad omnes regularium superiores dirigatur; tamen ad mulieres etiam spectat, quæ supposita hac prohibitione non possunt Religiosorum domos ingredi sine scandalo, & cooperatione ad peccatum Religiosorum eas admittentium, vel injuria Religiosis illata, si invitis eorum Superioribus ingrediantur.

Hanc antiquam prohibitionem aperte supponunt V.

const. *Regul.* & Gregorius XIII. const. 28. revocantes quamlibet licentiam ingrediendi Religiosorum domos mulieribus prænobilibus & Ducissis concessam; nam si hic ingressus omnibus mulieribus illicitus non fuisset, minime licentia Papæ Ducissis opus fuisset. Idem votant multa Concilia particularia, & Clerus Gallicanus ann. 1645.

Imo ex constit. Pii V. *Decet Romanum Pontificem*, edita ann. 1570. omnes mulieres Religiosorum domos ingredientes extra casus permissos, ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, nisi excusentur ob ignorantiam invincibilem. Ita Navar. Suar. Sanch. Castropalao, Fagnanus, & Cabassutius Gallus, in sua juris Canonici theoria & praxi. Addens, hanc excommunicationem in Gallia Episcopis reservatam esse. Religiosi vero, qui mulieres quascumque introducere admittereve præsumant, contrahunt ipso facto pœnam privationis officiorum, inhabilitatis imposterum ad illa & alia omnia, & suspensionis a divinis latam, constit. *Regularium*, quem idem Pius V. ad casum, quo introducerentur quæcumque mulieres, extendit; constit. *Decr. Rom. Pontif.* cit. ubi ait: *Apostolica auctoritate tenore præsentium dicimus, & declaramus fuisse, & esse mentem, & intentionem nostram, quod dictæ litteræ* (Constit. Regularium) *non solum comprehenderent & comprehendant mulieres habentes aut prætendentes facultatem, & indultum ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes & quascumque mulieres eam in genere, quam in specie.*

Ex dictis intelliges, vulgus graviter errare existimans ingressum in Religiosorum & monialium domos licitum esse, cum murus dirutus est, & adinus patet. Nam hic casus nullibi excipitur in Jure, nec a Doctoribus: *Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*; & tunc valet ratio prohibitionis, nempe quies, tranquillitas Religiosorum, scandali, tentationum, & occasionum peccandi amotio. Nec tunc ingressus magis licitus est quam cum Monasterii janua casu aliquo aperta est.

Ingressus tamen in Religiosorum domos licitus est, 1. Omnibus mulieribus causa processionis, & sepulturæ, ut declaravit idem Pius V. eadem const. Non tamen eis tunc licet alia loca, no hortum quidem, ingredi. 2. Imperatricibus, & Reginis, earumque filiabus cum suo comitatu: nam in prohibitione generali non fit earum expressa & specifica mentio. Idem est de supremis Ducissis ob eamdem rationem; nam in sua ditione sunt tamquam Reginæ, & eadem auctoritate pollent; quod etiam patet ex consuetudine tacite a prælatis Ecclesiæ approbata. Sed aliæ mulieres quæ eas comitantur, non debent ab iis discedere. 3. Fundatricibus, ex declaratione a Sacra Cardinal. Congreg. facta pro Minimorum ordine: quæ etiam valet pro aliis Religiosis, saltem quorum regula eas excipit, vel qui aliorum ordinum privilegia participant.

✠ Auctoris nostri opinio communis erat dum ipse scripsit; sed S. M. Bened. XIV. Pontificatus sui anno II. die 3. Januarii 1742. Constit. quæ incipit *Regularis Disciplinæ*, inter abusus recenset, ac improbat Mullerum ingressum in Monasteria Virorum, etiam in publicis Supplicationibus, aliisque ab Auctore relatis casibus. *Quoniam*, inquit, *sicut dolenter accepimus, alii quidem Apostolicas leges, ac præcepta hujusmodi vel ausu temerario parvipendentes; vel ad eorum arbitrium interpretantes; Feminis quibuscumque aditum, ingressum tam manifestæ, ac tanta solemnitate vetitum permittunt: alii vero privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alia quocumque pacto excogitatas concessiones sibi sive a jure, sive ab hominibus factas, & impertitas, seu facta, & impartita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas, seu debita arrogantes, prætendentes, obtendentesque, feminas qualibet intra Monasteriorum Claustra, Septa, Cœnacula, Cubicula, aliasque officinas aut admitti, ac recipi sinunt, mandantque, aut una secum ducunt: alii denique sub pietatis ac religionis prætextu, cum Supplicationes, sive cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sive cum Sacris Sanctorum, Sanctarumque Reliquiis, Staurolis, & Imaginibus per Claustra, Septa, & alia Monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, & feminas supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi, & comitari licitum, quinimmo, ut indulgentias lucrari valeant, necessarium esse ostendunt.*

Itaque primo hæc omnia abolere, ac improbare constituit.

Secundo. Abolet, & revocat quascumque facultates, licentias, & quocumque alio pacto huncusque concessiones, factas sive per S. R. E. Cardinales, sive per Cardinalium Congregationes, sive per Legatos a Latere, vel Apostolicos Nuncios, *quocumque modo, ac tenore, & sub quibuscumque verborum formis expressas.*

Tertio: Censuris subjectos esse declarat, qui iis facultatibus uti velint.

Quarto: Denique præservat privilegia a S. Sede legitime concessa Patronis, Fundatoribus, insignibusque Monasteriorum Benefactoribus. *Dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas in simili forma brevis, vel sub Plumbo defuper expeditas litteras dumtaxat, & non aliter omnino factas, & impertitas fuisse prius Ordinariis locorum Antistibus, vel Præsulibus, per legitima, & authentica documenta constare fecerint, & dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, canacula, aliaque loca, & officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi, vel Missas audiendi aliaque erga Deum pietatis officia, & opera exercendi studio ingrediantur, & dummodo de earum adventu, & ingressu interdin, & opportune faciendo, Superiores pro tempore certiores fiant, ad hoc ut absque fratrum incommodo, & offensione, recto tramite ad Ecclesias pergatur, & alia de jure servanda serventur.* ✠

Quæst. XII. *An licitus sit ingressus in monasteria Monialium?*

Resp. Omnibus cum viris tum feminis sub excommunicatione ipso facto contracta prohibitus est sine licentia Episcopi, vel Superioris, ex Conc. Triden. sess. 25. c. 5. ubi ait: *Ingredi intra septa monasterii* (sanctimonialium) *nemini liceat, cujusque generis, aut conditionis sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis, neque aliis ullo modo* [illegible] *utilitate, aut honestate conspicuis, ut inducit consuetudo concessa, & imposterum concedendi.* Hoc decretum in Gallia usu receptum est; Gregorius autem XIII. const. an. 1575. edita, quæ incipit, *Ubi gratiæ*, postquam revocavit licentias omnes ingrediendi monasteria, & domos Religiosorum ac Sanctimonialum quibusvis etiam Ducissis concessas, prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda omnibus, & quibuscumque personis ecclesiasticis & sæcularibus, & regularibus, ne nisi casibus necessariis, & cum licentia Episcopi vel superioris monasteria Monialium ingrediantur; & simul ipsis Monialibus sub eadem pœna votat, ne ullam personam aliter admittere præsumant, non obstantibus quibuscumque constitutionibus, statutis, consuetudinibus, & privilegiis &c. (1)

Quæst. XIII. *Ad quid teneatur, qui vovit Religionem?*

Resp. 1. Qui vovit Religionem in genere seu indeterminate, tenetur ingredi aliquam in qua vigeat disciplina religiosa. Si non admittatur in uno ordine, vel in probatione deprehendat hunc sibi non expedire, ex communi sententia tenetur probare alias plures Religiones sue linguæ, quia tale votum est vorum de assumenda aliqua ex omnibus Religionibus, ideoque de omnibus sub disjunctione. Sed quia tentatis pluribus diversorum ordinum, & ab ipsis repulsus, inde judicare potest, ab omnibus te esse repellendum, vel nullam tibi convenire, ideo voto satisfacis, si tot Religiones petas & experiaris, ut prudenter judicare possis ex earum repulsa vel experientia, ab aliis omnibus repellendum, vel ea tibi non expedire, quod colligitur ex causa repulsæ & disconvenientiæ, quæ sit generalis & communis omnibus aliis ordinibus.

Qui autem vovit determinate unum ordinem, si in una domo illius ordinis receptus non fuerit, tenetur tentare plures alias ejusdem ordinis, quamdiu est spes probabilis admissionis. Si vero domum particularem ita determinavit, ut aliam ingredi non intenderit, nequidem implicite, si ibi non recipiatur, non tenetur alias tentare, sed ab solute cessat votum. Quia non vovit dimissionem sæculi; nisi dependenter ab ingressu talis loci, & jam conditio sub qua vovit, non est in ejus potestate. Si tamen ob aliquod impedimentum temporale non fuit receptus, tenetur eo cessante se iterum offerre, quia ejus admissio videtur solum fuisse dilata ad tempus: secus, si absolute repulsus est, tali impedimento non exstante: nam non intendit se ulterius obligare, si absolute repellatur, alioqui deberet semper manere incertus & suspensus.

Porro qui vovit aliquam determinatam Religionem, potest perfectionem ingredi, quia hoc est melius. Sed qui ita vovit aliquam Religionem determinate, ut simul ingressum Religionis in genere intenderit, tenetur prius conari ut ad imittatur in illam determinatam & non admissus tenetur aliam ingredi. Quia hoc utrumque vovit: & tale votum est virtualiter duplex, alterum Religionis in genere ac vage, alterum hujus. Ergo utrumque compleri debet, quantum potest. *Ita Sanchez &c.*

Resp. 2. Qui vovit Religionem, tenentur diligenter ac serio curare ut recipiatur, eam ingredi tempore statuto, & sincere experiri tyrocinium, postea profiteri, si judicet Religionem illam sibi convenire, atque ad hunc finem adhibere media idonea, & impedimenta, quantum in se est, amovere. Nam illa omnia virtualiter & implicite vovit, & intendit se obligare ad ingressum Religionis, in ordine ad istum ipsum amplectendum, si conveniat. & alias ingressus esset vanus & inutilis, nec proinde voti materia. Quare voto non satisfacit, si ex sola animi levitate egrediatur: nam ex vi voti tenetur se probare, & de ratione probationis est, ut res probata admittatur si conveniles videantur. *Ita Suarez.* Tenetur autem in his adhibere diligentiam moraliter possibilem: nam, ut ait Sanchez, obligatio Religionis est gravissima: ac proinde astringere se debet ad diligentiam humano modo possibilem, qualem postulant res ardue & magni momenti. Quod si sua culpa effecit, tu rejiceretur, vel non reciperetur, tenetur postea serio curare ut iterum admittatur. Nam votum obligat ad non apponendum sponte sua impe-

(1) *Quoad clausuram Monialium per eundem Benedict. XIV. provisum est in Bulla* Salutare in Catholica *Bullar. Tom. I. num. 40. in qua primo confirmantur Constitutiones omnes antecedentium Pontificum sub pœnis in illis contentis; deinde revocantur facultates omnes dispensandi quoad hunc ingressum, cuicumque, & pro quocumque concessæ, & transgressores subjiciuntur iisdem pœnis, quibus subjacent violatores clausuræ Monialium: sua tamen facti violatores clausuræ Monialium: sua tamen facti violatores clausuræ Monialium: sua tamen facti

pedimentum executioni ejus, alioqui esset inane & illusorium. Si vero intra probationis annum bona fide factæ, judicet ex causa sufficienti sibi non expedire statum illum, potest relinquere. Quia jure communi concessus est annus probationis in favorem tum Religionis, tum etiam ingredientis, ut post sufficiens experimentum possit libere eligere quod sibi magis expedire judicaverit. Vovens autem Religionem non renuntiat huic favori, sed censetur velle ingredi secundum jus commune & usum ordinarium.

Qui vero vovit etiam profiteri, tenetur profiteri & perseverare, etiam si ea vitæ norma ei incommoda & difficilis appareat. *Ita Azor, Lessius, Layman & alii multi.* Nam is vovit absolute, & se obligavit ad profitendum, si judicaretur idoneus, & ratio vivendi esset tolerabilis, plus enim vovit, quam qui vovit solum ingressum, ut constat ex S. Th. 2. 2. qu. 186. art. 4. & ex communi sensu ac usu. Unde non ei licet egredi, nisi ineptus fit, vel difficultas tanta sit, ut periculum peccandi vel impediendi majus bonum inducat.

Resp. 3. Qui vovit Religionem non præfinito tempore, tenetur statim eam ingredi & supradicta præstare. Quia dilatio minuit rem promissam, nempe obsequium Dei: nam quo plus differt, eo minus reddit Deo, cujus obsequio promisit se totum vitæ hujus tempus datum in Religione, si hæc ei conveniat. *Ita Sanchez, Deluga, & alii.*

CAPUT III.

De Obligationibus Conjugum.

Quæst. I. *Quænam sunt obligationes Conjugum inter se?*

Resp. Ex communi omnium sententia tenentur, 1. Simul cohabitare & convivere: ex Gen. 2. Matt. 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Et 1. Cor. 7. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere (* tunc justa causa *) quod si (* etiam ex justa causa *) discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Nam hanc cohabitationem non solum quoad tectum, sed etiam in convictu & cæteris exigunt natura contractus matrimonii, vinculum ac debitum conjugale, prolis suscipiendæ ac convenienter educatio, & mutua obsequia præstanda. Licet tamen viro ob justam causam sine facultate uxoris ad breve tempus discedere, non vice versa; imo diu abesse licet viro, si res familiaris, vel obsequium principis id exigat. Alias non licet, ex c. 1. de conjug. leprof. *Cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius.* Habitationis autem electio ad virum pertinet, cum sit mulieris caput, ex 1. Cor. 11. unde uxor tenetur maritum sequi, cap. *Unaquæque* 13. qu. 2. nisi obstet grave periculum corporis vel animæ, vel speciale factum antecedens: nam præceptum naturale vitandi peccatum & tuendi vitam prævalet.

2. Debent sibi mutuum amorem caritatis specialem. Nam sunt specialiter mutuo conjuncti, tum per contractum insolubilem; tum etiam per Sacramentum, quod est signum unionis Christi cum Ecclesia, quam inter se imitari debent. Uxor autem (1) debet insuper marito honorem, obsequium, & in iis quæ ad gubernationem domus, filiorum educationem, & bonos mores spectant, obedientiam. Ita tenetur domus curam habere, ad *Tit. 2.* & viro opportune & sufficienter necessaria subministrare.

Vir vero uxori debet regimen, curam, tutelam, sustentationem, & correctionem rationabilem: nam vir est caput & superior uxoris. Quamvis autem, ex S. Antonino, & S. Th. in 4. dist. 33. art. 2. ad 1. maritus possit aliquando uxorem verberare moderate ad ejus correctionem ob gravem culpam, si ejus emendatio id exigat; tamen in praxi uxoris verberatio raro moderate & utiliter fit. Certe extra hanc exigentiam non licet verberare uxorem, nec verbis contumeliosis afficere: nam ipsi debetur honor & amor; cum uxor sit commembrum viri, principium familiæ, licet subordinatum, & socia atque adjutrix domesticæ administrationis. Hæc officia mutua tradit Apost. Ephes. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino, quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ .... Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam .... Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum,* Et ad Tit. 2. *Viros suos ament, prudentes, castas, sobrias, domus suæ habentes, benignas, subditas viris suis.*

Tenetur etiam vir uxorem alere, ac sustentare convenienter suo statui pro suis facultatibus; idque cum ex conjugalis vinculi & amoris debito, tum ex officio capitis familiæ, cujus primum membrum est uxor; tum ex justitia: nam ideo ab ea accipit dotem, & bonorum administrationem obtinet, ut matrimonii onera sustineat, uxorem, & familiam sustineat, l. 20. Cod. *de jure dotium.* Quod si dotem non exigit, tenetur adhuc uxorem alere, quia juri suo cessit, & est semper ejus caput, habetque ejus operas sibi obligatas. Ideoque vir tenetur diligentiam & laborem saltem mediocrem adhibere ad bona acquirenda & conservanda, ut possit uxorem & familiam convenienter statui suo sustentare.

Hinc graviter peccat uterque conjux, si rixas, odium, dissensiones excitet vel foveat; si pacem & societatem conjugalem turbet; si alterum contumeliis affi-

(1) *Quæ ab uxore sunt præstanda, ut numeris omnibus absoluta materfamilias evadat, continentur in quinque illis mentis, quæ Proverbi ores Sare antequam Tobiæ nuberet, dixerunt, videlicet sollicite impleverunt, scilicet (Tob. c. 10. vers. 13.)* monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere. *Quæ quidem singula in ea sancta ab ipsa Sara deinceps servata fuisse (* tam esse probe scirent, se unicum esse filium, & eximiæ sanctitatis opulentissimæ *) nullum dubium. Eadem eadem Divina Scriptura refertur (c. ult. vers. 13.)* quod & omnis generatio ejus ab illa bona vita, & sancta conversatione permanserit. *Quales autem viros filiabus suis quærere debeant Parentes, Joan. Chrysost. (* hom. 12. *in c. 4. ad Galat.* *)* pulcre declarat.

ficiat, si ad iram gravem vel aliud grave peccatum incitet, aut ei peccandi occasionem præbeat, si sine sufficientibus indiciis male judicet de alterius continentia, si rem familiarem non curet, si bona dilapidet, &c.

Speciatim autem uxor graviter peccat, si viro in re gravi ad bonos mores, vel ad familiæ bonum & domus gubernationem spectante, non obediat, cum in his sit viro subjecta; si imperium sibi vindicet: nam alienam potestatem sibi usurpare nefas & iniquum est, si quid notabile ex bonis communibus impendat, vel alienet contra voluntatem rationabilem mariti, & consuetudinem legitimam feminarum similis status; si domus curam negligat; si virum inopem non alat cum potest: nam uxor dives virum inopem sustentare, & casus ejus fortuitos ferre debet, ex l. 22. ff. *Soluto Matrim.* hoc enim exigit specialis amor conjugalis, quem ei debet.

3. Conjuges debent sibi mutuo fidem conjugalem in ordine ad copulam conjugalem, & omnem actum venereum, qui ex se ad illam refertur ac tendit: ita ut in illis quivis actus venereus cum aliena persona, vel circa alienam, ut copula, tactus, osculum, vel horum desiderium, delectatio venerea, pollutio voluntaria, & omnia peccata luxuriæ, præter malitiam luxuriæ propriam, continent injustitiam mortalem rationi conjugii. Nam ex 1. Corint. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergo uterque conjux solus habet dominium integrum corporis alterius quoad copulam, ideoque & ad omnes actus ad illam ordinatos: & obligatur ad abstinendum ab omni actu venereo cum alio, ex quod de se ad copulam & adulterium referatur, ut recte docet Sanchez. Quare conjugi fit injuria, si aliquis actus venereus exerceatur erga alteram persanam, vel optetur.

4. Tenetur uterque reddere debitum conjugale, hoc est, corpus suum ad copulam conjugalem dare alteri rationabiliter petenti, ex 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Et quoad hoc uterque habet æquale jus. Nam ex vi contractus matrimonii vir & femina transferunt in se mutuo potestatem corporum in ordine ad copulam; & sic uterque habet jus in corpus alterius ad copulam. Hæc obligatio est sub mortali, cum sit justitiæ, & in re gravi. Præterea ex debiti denegatione alter conjux conjicitur in periculum pollutionis & incontinentiæ. Unde est mortale vel semel sine justa causa debitum negare illud serio, instanter & rationabiliter petenti, vel si sit periculum incontinentiæ. Non est tamen mortale denegare, si compars remisse petat, & dilationem facile concedat citra periculum incontinentiæ, cum tunc non graviter exigatur: imo nec veniale, si petens non sit sui compos, ut in ebrietate vel amentia, quia in illa petitio non est actus humanus: item quoties petens non est rationabiliter invius, quod patet in aliis debitis, ut si reddi nequeat debitum sine notabili detrimento sanitatis, & periculo morbi; si nimis sæpe petatur, aut tempore fluxus menstrui, graviditatis, puerperii, citra periculum incontinentiæ. Nam conjuges non tradunt sibi invicem potestatem suorum corporum nisi ad usum rationabilem, & salva personæ incolumitate, cui rectus ordo naturæ prius consuli exigit, quam generationi prolis.

Item conjux non tenetur debitum reddere si compars adulterium commisit: quia ob tale crimen & fidem violatam amisit jus exigendi. Hæc tamen potest petere debitum tam quam licitum & benevole concedendum, non exigendo tamquam debitum, quamdiu compars ignorat vel dissimulat: quia non tenetur crimen suum prodere, nec pœnam hanc in se exequi, donec ei a conjuge innocente imponatur. Quod si uterque conjux adulterium commiserit, utrique licet debitum petere & reddere, eo quod *comparia crimina compensatione mutua deleantur*, cap. ult. de adult.

Porro non licet debitum denegare ob devotionem, vel communionem inter tam, si absolute exigatur, vel periculum sit incontinentiæ, dissensionum &c. Neque ob pauperiatem seu metum imputentiæ sustentandi prolem numero sam; nam debent in Dei providentia confidere. Tamen S. Antoninus censet licere conjugibus mutuo consensu abstinere a copula ad vitandam filiorum multitudinem, modo absit periculum incontinentiæ. At mulieri non licet denegare debitum ob incommoda & molestias, quas graviditæ experiuntur, vel ob difficultatem ordinariam partus; nam nihendo talibus penis a Deo Evæ & aliis mulieribus impositis sponte se subjicit.

5. Carolus monet conjuges, ut in magnis anni sollemnitatibus, diebus dominicis, diebus jejuniorum, & certo tempore orationi destinato, & quibus diebus Eucharistiam percepturi sunt, sumperintve, ab usu matrimonii quantum possunt, communi consensu abstineant, idque conformiter multis canonibus antiquis.

Quæst. II. *Quibus casibus non licet debitum petere?*

Resp. 1. Ex communi sententia sub mortali non licet conjugi, 1. Qui vovit castitatem sive ante, sive post matrimonium, cap. 3. *de convers. conjug.* Nam tenetur servare votum quantum potest, abstinendo ab omni actu venereo non debito ex justitia. Votum enim illud includit obligationem præcepti negativi pro omni tempore obligantis, cum sit promisso abstinendi ab omni actu venereo. Unde nec ei licet inchoare actus ordinatos ad copulam. Tenetur tamen reddere petenti, utpote habenti jus exigendi, nisi votum emissum sit cum consensu comparis, qui juri suo cesserit: quo casu neutri licet petere nec reddere. Qui vero post matrimonium consummatum vovit religionem aut ordines sacros, potest petere & reddere debitum. Quia per hoc votum contraxit solum obligationem suscipiendi religionem, vel ordines, si in pervixerit; sed statim post mortem conjugis tenetur votum implere.

2. Qui tempore matrimonii culpabiliter cognovit personam consanguineam compartis in primo vel secundo gradu. Nam Ecclesia id graviter vetat ob affinitatem contractam cum conjuge per incestum, cap. 1. & 10. *de eo qui cognovit*, & donec acceperit dispensationem, quam dare potest Episcopus, & Regulares habentes privilegium. Comparti tamen innocenti reddere tenetur, *cum suo jure non debeat sua culpa privari*, cap. 6. eod. tit. Secus, si compars cum consanguinea hanc affinitatem etiam contraxerit: nam tunc neutri licet petere & reddere debitum, quia cum uterque sit suo jure privatus, reddi-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

ditio esset incestuosa & illicita, nec hæc permittitur, nisi ob jus conjugis innocentis.

3. Qui extra casum necessitatis prolem suam legitimam baptizat, aut in Baptismo vel Confirmatione tenet. Quia contraxit spiritualem cognationem, quæ tum impedit petitionem debiti, ut collitur ex Rituali Romano: nam id quod dirimit matrimonium contrahendum, si superveniat matrimonio contracto impedit petitionem debiti, ut constat ex communi consensu Doctorum: Secus, si in casu necessitatis (1) baptizavit, ex cap. *Ad limina* qu. 1. Nam quod quis obligationi suæ satisfecerit, non debet privari jure suo.

4. Qui contraxit cum dubio de valore matrimonii, donec dubium prudenter deposuerit. Tenetur tamen reddere comparti, quæ bona fide contraxit, c. 2. *de secund. nupt.* Quod si utercque cum tali dubio contraxerit, neutri licet debitum petere vel reddere quia manente tali dubio exponeret se periculo fornicandi, & abstinendo nullum periculum peccandi adeunt. Item qui post matrimonium bona fide contractum incipit dubitare de ejus valore, tenetur de veritate diligenter exquirere, & durante dubio non potest debitum petere, ne ultro se exponat periculo fornicandi: tenetur tamen reddere cap. 14. *de sent. excomm.* Nam debet vitare periculum violandi jus alterius, imo certam injuriam, quæ fieret privando possessorem bonæ fidei sua possessione absque sufficienti probatione. Qui vero moraliter certus est de nullitate matrimonii nec potest debitum petere, nec reddere etiam ignoranti, *ibid.* nam scienter fornicaretur: copula enim cum non conjuge est saltem fornicario unde debet potius mortem oppetere.

Resp. 2. Secundum multos saltem veniale est petere debitum, 1. Tempore fluxus menstrui, ex S. Greg. cap. *Ad ejus*, dist. 5. S. Hieron. in c. 18. Ezechiel & S. August. qu. 64. in Levit. & lib. 3. contra Julian. c. 12. ibi: *Talis judicitia* (conjugalis) *nec menstruatis, nec gravidis utitur feminis, nec ejus ætatis, qua certum est eas jam concipere non valere.* Nam hic concubitus est indecens, & minus congruit generationi ac bono prolis; imo ex S. Th. in 4. dist. 32. art. 2. proli sæpe noxius, ob indispositionem mulieris ad concipiendam prolem. Hinc aliqui putant esse mortale, quia putant talem copulam solere multum nocere proli. Sed S. Antoninus negat esse mortale. Et S. Thom. art. cit. dicit, tunc debere reddi petenti, si monitioni non acquiescat. Quod si fluxus esset quasi perpetuus & nimis diuturnus juxta S. Thom. ibid. S. Antoninum, & alios licet debitum petere.

2. Tempore graviditatis, etiam citra periculum abortus: nam hoc tempus non congruit, cum tunc concipi fœtus nequeat. Unde S. August. lib. de bono conjug. c. 9. ait: *Sunt viri usque adeo incontinentes ut conjugibus nec gravidis parcant.*

3. Tempore puerperii, tum ob mulieris indispositionem, tum ob noxamentum prolis jam natæ, fixa matre alatur, vel ejus quæ nasci posset, vel etiam ipsius matris; nam juxta Medicos inde imminent uxori incommoda non levia Unde S. Greg. cap. *Ad ejus* cit. ait; *Nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri.*

4. Diebus dominicis, ac festis (2), nisi rationabilis causa id exigat. Quia cum talis actus propter carnalem delectationem admixtam, animam abhorbeat & valde deprimat, multumque mentem distrahat, hominem reddit ineptum ad spiritualia, quibus præcipue diebus illis vacandum est, Ita S. Tho. Suppl. qu. 66. art. 5. S. Bonav. Tolet. &c. Unde (ut ait Suarez) est opus incongruum pro tali tempore, & in eo tunc exercitio sine justa causa cohonestante appareat aliqua inordinatio contra ordinem, quem dicta prudentia, postulatque temperantiæ ac religionis virtus, apponendo sibi & conjugi impedimentum tantæ distractionis & hebetudinis ad Deo, prout oportet, tali tempore vacandum. Prudentia autem in omni opere requirit congruitatem temporis; & omnis actus qui non fit omnibus debitis circumstantiis est

(1) *Hæc doctrina valet tantummodo, ubi proles baptizanda ex* legitimo *concubitu conjugali fuit suscepta. Nam si proles foret spuria, tum ex baptismo etiam in necessitate administrato oritur cognatio spiritualis, petitionem aut exactionem matrimonialis debiti prohibens. Rationem disparitatis manifestam assignat Fagnanus* (*N. 8. Com. in cap.* 2. Si vir, *tit.* 11. *de Cognat. Spirit. lib.* 4. *Decr.*) *ubi Decretalem Alex. III. statuentis, quod*, si vir vel mulier scientes, vel ignoranter filium suum de alterò fonte susceperit, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, *sic exponit*: Dicendum est, illum textum procedere in legitimis conjugibus. Cum enim in casu necessitatis pater ex debito justitiæ teneatur proprium filium baptizare, iniquum esset, ut eam ob causam privaretur jure exigendi debitum a legitima uxore: atque ita contrahitur quidem etiam in eo casu cognatio spiritualis, non tamen talis, quæ ullum afferat præjudicium matrimonio jam rite contracto. At secus est, in concubina; quia cum illius commercium sit jure prohibitum, pater suscipiendo proprium filium contrahit talem cognationem cum concubina, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum.

(2) *Quod attinet ad circumstantiam diei festi relate ad opus conjugale, expendantur quæ scripsit Benedictus XIV.* (*lib.* 5. de Syn. *cap.* 1. *n.* 8.) Olim in sollemnioribus festivitatibus, ac jejunii diebus, quibus peculiariter erat orationi vacandum, veritum fuisse conjugibus matrimonii usum, ex pluribus colligitur Ecclesiæ sanctionibus collectis a Gratiano caus. 33. qu. 4. ..... Hæc fortasse, aliaque hujus generis multa, *scilicet prisca Ecclesiastica statuta*, ignota fuerunt nonnullis Theologis Moralibus, qui antiquam disciplinam ex hodierna metientes (quod sæpe ab iisdem fieri notavit Card. Bona rerum liturg. lib. 1. cap. 18. n. 1.) non dubitarunt affirmare, nunquam ab Ecclesia fuisse usum conjugii certis diebus interdictum: cum potius afferre deberint, nunc intra meri consilii limites contineri, quod olim severa lege erat prohibitum; sicuti fuit ponderat Catalanus, in Com. ad Pont. Rom. Tom. 3. tit. de ordine ad Synodum §. 22. *Habent hic quod discant tum severiori, tum mitioris Ethices sectatores.*

est malus, quippe bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu. Hinc illud Eccl. 3. *Omnia tempus habent . . . Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.*

Porro facientur licite debitum reddi posse in his casibus, si petens monitioni non acquiescat. Immo petitio videtur posse excusari a culpa per grave periculum incontinentiæ, quod vix aliter amoveri potest.

Quæst. IIII. *Quibus casibus non licet debitum reddere petenti?*

Resp. 1. Est mortale reddere debitum, quoties est mortale petere, ob circumstantiam se tenentem ex parte copulæ, quæ ob eam fiat illicita; ut si petatur in loco sacro vel publico, vel cum periculo abortus, aut effusionis extra vas naturale, vel gravis detrimenti prolis, vel mortis alterutrius conjugis &c. *Sanchez, & alii.* Quia tunc est cooperatio formalis ad actum graviter illicitum; & prava ista circumstantia actus afficit peritionem ac redditionem.

Resp. 2. Quando petere est mortale ob circumstantiam personalem petentis, ut si habeant votum castitatis, juxta S. Antoninum & alios multos, si petens averti nequeat, compars tenetur reddere. Quia cum actus ille de se sit licitus, petens retinet jus suum; nec reddens cooperatur petitioni, sed ea suppositа cooperatur copulæ, quæ licita est ex parte reddentis, & a se debita. Alii vero cum Rich. Comitulo &c. docent, tunc non licere reddere: quia petens hic & nunc non potest talem actum licite facere & per votum amisit usum sui juris; cum non possit habere jus ad peccandum; ergo non licet ei cooperari. Suadent autem ut compars, quæ non vocavit, petat dum prævidet a vovente petendum, & tum utrique licita est copula. Si vovens præveneris, alter dicat petenti: volo ergo ut tu mihi reddas. Quod si petens contraxit affinitatem cum conjuge per incestum ipsi notum, non licet debitum reddere, quia potest ei juste negari, cum jus petendi amiserit: unde reddere esset moraliter cooperari ejus peccato.

Si vero usus conjugii sit solum venialis ex parte petentis, ut si petat ob voluptatem, reddi debet graviter exigenti, ne petens exponatur periculo gravius peccandi, & detur occasio rixarum, odii &c. nec tunc censetur moraliter cooperari culpæ alterius: quia copula potest ab altero peti, & hic & nunc licite exerceri, estque gravis causa reddendi. Si autem peteret situ vel modo non consueto & venialiter malo, juxta multos potest & debet reddi, si non possit petens adduci ad aliter coeundum, & sit periculum ne gravius peccet si denegetur: juxta alios non tenetur reddere, quia non petit modo debito & naturali, nec habet jus ad copulam tali modo exercendam.

Quæst. IV. *An aliquando conjuges teneantur petere debitum?*

Resp. Non teneri per se loquendo: quia nemo per se loquendo tenetur uti jure suo quod pro se introductum est, *cum liberum sit unicuique suo juri renuntiare* cap. 6. de privil. At tenentur per accidens, 1. Si alter præsertim uxor, ex signis vel ex dispositione videatur cupere hoc remedium, licet ex verecundia taceat, S. Thom. in 4. dist. 32. art. 2. nam tunc potius debitum redditur petenti implicite seu interpretative. 2. Si aliquis in periculum incontinentiæ in comparte; nam quilque tenetur ex caritate impedire peccatum proximi, cum facile potest. 3. Si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum. Si prolis procreatio necessaria sit ad avertendum grave damnum, præsertim religionis vel reip.

Quæst. V. *An liceat exigere usum conjugii præcise ad vitandam in se incontinentiam, ut pollutionem, adulterium; quamvis nulla sit spes prolis gignendæ?*

Resp. Juxta multos licet, quia 1. Matrimonium secundarium institutum est in remedium concupiscentiæ, ex 1. Cor. 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat . . . & iterum revertimini in ipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram.* 2. Licite & approbante Ecclesia contrahunt senes, quibus ob senium nulla est spes suscipiendæ prolis. 3. Sicut est actus licitus & caritatis exigere debitum ad impediendam incontinentiam comparis, ita & ad eam in se vitandam; cum ordo caritatis postulet, ut in iisdem circumstantiis prius nostro, quam proximi bono spirituali, immo & temporali necessario consulamus. 4. S. Antonin. 3. part. tit. 1. c. 20. §. 5. ait: *Tunc est veniale petere ubi non speratur proles: immo nec veniale, si fiat propter vitandam fornicationem in se vel in alio. Et in hoc concordant Doctores.* 5. Catholicissimus Romanus Conc. Trid. p. 2. de matrim. n. 13. exponens, *quibus de causis vir & mulier conjungi debent?* sic ait: *Primæ ratio est hæc ipsa diversi sexus naturæ instinctu expedita Societas, mutui auxilii spe conciliata . . . altera est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum & divitiarum hæredes relinquantur, quam ut vere fidei & Religionis cultores educentur . . . Tertia est, quæ post primi parentis lapsum ad alias causas accessit, ut scilicet, qui sibi suæ imbecillitatis conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. De quo Apostolus scribit,* 1. Cor. 7. *propter fornicationem &c. Hæ igitur sunt causæ, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie & religiose nuptias velit contrahere.*

Secundum alios est culpa venialis: Probant 1. ex S. Aug. Enchir. cap. 78. & l. de bono conjug. c. 7. ibi: *Reddere debitum conjugale nullius est criminis: exigere autem ulterius generandi necessitatem, culpæ venialis.* Ex S. Greg. l. 32. moral. cap. 17. *Tunc solum conjuges in admixtione sint culpa immunes, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur.* Et ex S. Thom. in 4. dist. 31. q. 2. art. 2. *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa prolis procreandæ, & debiti reddendi. Aliàs autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.* Et ad 2. *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hoc est quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas, & secundum hoc peccatum veniale: nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.*

Sed respondent prioris sententiæ patroni, Patres solum intendere, quod, cum actus conjugalis non propter generationem prolis exercetur, plerumque fit ve-

veniale peccatum, quia plerumque & ordinarie sub praetextu vitandae incontinentiae voluptas carnalis intenditur tamquam finis actus, quod illicitum est. Cum autem aliquid saepe & ordinarie fit, de illo simpliciter & sine restrictione loqui solent homines.

Sanchez cum aliis censet, nunc solum debiti petitionem ad vitandam incontinentiam carere culpa, cum aliis adhibitis mediis, praesertim oratione, stimuli carnis sedari nequeunt; ita ut non voluptas, sed sola pericula peccandi vitatio intendatur; additque semper esse veniale primario intendere vitationem incontinentiae, non prolis generationem, ubi spes est prolis; quia inordinatio est secundarium finem praeponere primario fini, qui est prolis generatio, dum obtineri potest. At cum finis primarius impossibilis est, docet licere, dum impossibile intendi nequeat, eo omisso secundarium finem intendere, praesertim si adsit aliqua necessitas.

Quaest. VI. An conjuges teneantur sub mortali abstinere ab usu contingit, dum mulier laudenus martinae edidit filios?

Resp. Affert Sylvius: sed Sanchez, Sambovius & alii negant: quia felicem partum sperare possunt; cum possit contingere & aliquando contingat, ut mulier post multos abortus feliciter tandem pariat. Quare tene debent oratione crebra, eleemosynis, & aliis operibus benedictionem Dei effugitare, & vitare omnem intemperantiam etiam in hoc usu, & alias culpas, quae saepe sunt causa abortus.

Quaest. VII. Quandonam peccant conjuges usu conjugii?

Nota. Certum est hunc esse licitum, si fiat cum debitis circumstantiis ad procreandam prolem, per quam Deus glorificetur. Nam ob hunc finem Deus matrimonium instituit: vel etiam ad reddendum debitum: cum haec redditio sit actus justitiae.

Resp. 1. Secluso quovis periculo, & alia inordinatione, est semper venialis culpa, si exerceatur ob solam voluptatem. *Ita communis sententia. Prob.* 1. S. Augustin. l. 1. de nupt. c. 17. *Carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non praeter conjugium, venialem habet culpam.* 2. Innocentius XI. oppositum damnavit. 3. Homo semper tenetur agere propter finem honestum, utpote solum consentaneum naturae suae rationali. 4. Est debiti ordinis exercitio quaerere actum propter delectationem, cum delectatio sit propter ipsum actum; idque praesertim in actu conjugali, qui ex se ad prolis generationem ordinatur.

Resp. 2. Peccant mortaliter, 1. Si habeant copulam extra vas debitum, ac cum effusione seminis extra illud: nam hoc adverlatur fini naturali seminis & copulae, qui est prolis generatio, ideoque bono speciei. *Ab ea vero parte corporis, quae non ad generandum est instituta, si & conjuge quisquenatur, contra naturam est & flagitium.* Hae S. Augusti. l. 2. de nuptiis & concup. c. 22. Immo ille abusus, *qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore*, ait S. Aug. l. de bono conjug. c. 12. quia adverlatur etiam bono fidei conjugalis, cui cedere conjuges nequeunt. Nam uterque conjux tenetur servare alteri corpus tutum caste: nec habet jus in corpus alterius, nisi ad copulam naturalem generationi aptam. Item si habeant copulam extra vas debitum, etiam sine animo ibi consummandi, sed se excitandi ad consummandum in vase debito: nam tunc est actus sodomiticus, & sodomia incohoata: ille enim actus ex se ordinatur ad effusionem seminis extra vas. *Sanch. & alii.* 3. Si servato vase debito non serventur naturalis situs, cum periculo effusionis seminis extra vas. Quod si secluso tali periculo non serventur sine necessitate, ut dum vir ob majorem voluptatem accedit a tergo, vel succumbit, juxta multos est solum veniale, quamvis grave & graviter increpandum: quia est abusus, ac naturalis ordinis everlio in solo modo accidentali, cum non impediatur generatio: & inordinate quaerere voluptatem intra matrimonii usum sit solum veniale, modo in ea non ponatur finis ultimus, cum tunc non sit gravis inordinatio. Sed (ut notat S. Th.) etsi hoc non sit mortale ex parte actus, est tamen signum concupiscentiae mortalis, cui non sufficiunt modi ordinarii. Ex eodem autem S. Doctore nulla erit culpa citra periculum effusionis, quando corporis dispositio alium situm non patitur. 3. Si actus valde turpes & graviter repugnantes honestati naturali exerceant, eos praeferrim, qui per se ordinantur ad copulam in vase indebito, utpote ejus inchoatio, ideoque mortales. 4. Si impediant generationem, vel conceptam prolem extinguant. 5. Qui de industria actum conjugalem interrumpunt absque seminatione integra, ob periculum proximum pollutionis; quod tunc aumquam abest saltem ab alterutro. Item juxta Navarrum, Azor & alios contra S. Antoninum, si in coitu vir de industria non semineat, etiam consentiente uxore, quia tunc est periculum proximum pollutionis saltem in viro. Certe contra naturam est coitum sine seminatione relinquere, cum coitus conjugalis sit ordinatus a natura ad prolis generationem: unde tunc copula est illicita & inordinata. 6. Si actum illum exerceant cum periculo abortus; nam abortus est mortalis; ergo mortale est ejus periculum voluntarium: vel cum gravi nocumento prolis aut valetudinis conjugum; nam graviter tenetur vitam propriam & prolis tueri. 7. Si cum affectu adulterino ad aliam personam, quae in ipso actu praesens repraesentetur vel reperitur, vel cum affectu fornicario, seu affectu accedendi ad suam, etiamsi non esset sua: nam affectus ille mortalis est; vel cum tanto ad voluptatem affectu, ut in ea finis ultimus ponatur, ut si cum alia quam uxore aeque factus esset: ut notat S. Thomas, vel ob finem aliquem graviter malum; nam finis dat actui malitiam propriam, cum in ipso inhaeretur. 8. Si exerceatur coram aliis, ob grave scandalum, & turpitudinem actus taliter exerciti, vel in Ecclesia ob sacrilegium; est enim contra reverentiam Deo & loco sacro debitam, & per eum pollitur Ecclesia. 9. Mulieres quae susceptum semen de industria ejiciunt, aut ejicere conantur, vel quae proprium privatim fundunt: nam hoc repugnat fini seminis, qui est generatio; unde gravis est inordinatio.

Quaest. VIII. An & qualia sint peccata tacilur, & aperlus obfuani inter conjuges?

Resp. 1. Actus ex se ordinati ad copulam sunt iis licita, si fine periculo pollutionis immediate referantur ad copulam conjugalem, nec fiant propter voluptatem. Quia cum licitus sit actus consummatus, etiam liciti sunt actus praevii ex se ad illum ordinati, & licite se juvant ac excitant conjuges ad actum honestum. Si vero sint praecise ob voluptatem majorem, quamvis ordinentur ad copulam, sunt culpae venialis; quia numquam licet agere propter voluptatem. Quod si exerceantur cum periculo proximo pollutionis ex communi sententia sunt mortales; quia cum pollutio graviter repugnet generationi, est aeque saltem illicita conjugalis ac alius; & proinde tenetur sub mortali vitare ejus periculum proximum. Item juxta S. Antonin. Sylvest. Comitol. & alios, sunt culpa mortalis, si exerceantur absque animo perveniendi ad copulam: quia illi actus venerei non sunt conjugibus liciti, nisi quatenus ad copulam conjugalem ordinantur; ergo si ad eam non ordinentur, jam sunt illiciti, perinde ac si inter solutos exercerentur. At juxta alios sunt solum veniales: quia, inquiunt, tales actus naturaliter ordinantur ad copulam ipsis licitam, nec quidquam illis deest, nisi quod hic & nunc non referantur ad copulam; solus autem defectus debiti finalis est per se loquendo solum venialis.

Certe in praxi hi actus in multis censendi sunt mortales, saltem ob periculum proximum pollutionis, quod raro abesse potest, cum ex se commotionem spirituum genitalium valde excitent.

Resp. 2. Graviter illiciti sunt etiam conjugibus actus quidam valde infames, dum illicet inter membrum tangens & tactum foeda nimis est disproportio. Quia tales actus graviter dedecent naturam rationalem, & indicant affectum voluptatis praedominantem ac graviter inordinatum; nec conjugium potest excusare actiones, quae ex se ad copulam conjugalem non ordinantur. Quare cum infames illas a mortali excuserit Sanchez, id in posteriori editione retractavit. *Sciant igitur conjuges vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quae ignorant Deum.* 1. Thess. 4.

Quaest. IX. An peccet mortaliter conjux, si in absentia compartis, secluso periculo pollutionis, capiat delectationem venereum, vel se libidinose tangat?

Resp. Affirm. Quia actus impudicus & delectatio venerea valde commovent spiritus genitales, eorumque motum excitant; quae commotio spiritum genitalium ex natura sua tendit & ordinatur ad seminis effusionem, ideoque absente comparte ad pollutionem. At licut pollutio est latalis, ita & omnis actus voluntarius natura sua ad illam ordinatus. *Ita Navarrus, Sylvester, Azor, Vasquez, Laymann, & alii.*

Quaest. X. An qui tenetur qui post votum castitatis vel religionis matrimonium sine dispensatione contraxit?

Resp. 1. Qui post votum castitatis contrahit, peccat mortaliter, & semper tenetur abstinere a petitione debiti, & post mortem conjugis a secundis nuptiis. Est communis sententia, & usu Ecclesiae approbata, inquit Sanchez. Quia votum obligat in his omnibus quae alteri injuriosa non sunt, & impleri debet votum quantum potest. At juxta varios non tenetur ante consummationem ampleili statum religiosum: tum quia hoc non vovit, & est medium extraordinarium ac valde arduum: tum quia, extrav. *Antiqua*, Joannes XII. declarat conjugem qui ante consummationem matrimonii sine consensu uxoris sacros ordines suscepit, compellendum esse ad illud consummandum petente uxore. Si ipse noluerit profiteri, ergo, inquiunt, talis non obligatur ad religionem ampleltendam, cum ad eam non compellatur; sed ad consummandum, licet voto castitatis obstrictus, & posset illud servare per hoc medium.

Sed alii ipsos cum S. Antonino, 3. parr. tit. 1. cap. 17. docent talem teneri statum religionis ampleili, si apte sit. Quia non superest ei alia via servandi votum, nisi voti dispensationem aut commutationem obtineat, vel alteri conjugi perlualeat continentiam vovere, vel cedere juri petendi debitum; quisque autem tenetur servare votum quantum potest. Quod si medium illud, quod ei superest, sit valde arduum, ibi imperet, cum sua culpa se conjecerit in necessitatem illud adhibendi ad servandum votum. Sylvius addit, quod si talis non sit idoneus ad religionem & haec alia media adhibuit, non peccabit, nequidem prima vice, si rogatus consummet, quia ad hoc tunc tenetur.

Resp. 2. Qui post votum ingrediendi Religionem contraxit, tenetur ante consummationem ingredi. *Ita omnes.* Quia id licite adhuc potest, & ad id se voto adstrinxit. Sed licet consummando graviter peccarit, postea tamen potest debitum non solum reddere, sed etiam petere. Quia non vovit castitatem, sed tantum ingressum aut professionem status in quo vovenda est, aut saltem non vovit nisi in religione servandam. At ex communi sententia post mortem vel adulterium conjugis tenetur religionem ingredi: nam tenetur implere obligationem, quae tempore matrimonii fuerat solum suspensa, cum tam impleri possit; si tamen jam non fuerit aptus, petat commutationem voti.

CAPUT IV.

De Obligationibus parentum & liberorum, & aliorum superiorum ac inferiorum erga se invicem.

Quaest. I. *Quaenam sunt Obligationes parentum erga liberos?*

Resp. Secundum omnes tenentur, 1. Illos alere & conveniente sustentare, hoc est victum, vestitum, habitationem, medicamenta praebere, tum ex jure canonico, ex *Si quis* dist. 56. ubi anathematizatur, qui de reliquerit proprios filios, & eos non aluerit: tum ex jure civili, Cod. *de alendis liberis*, & §. *de liberis agnoscend.* tum etiam jure naturali, quamvis liberi ubi ipsis res necessarias providere non possint. Nam cum eis per generationem esse dederint, debent quoque illud consentaneter conservare, & ad suam perfectionem ac debitum vitae statum perducere: ideo enim naturae propensio ordinata talis indicat, quatque parentes adjumenti providentiae divinae erga suos liberos. *Debetur liberis a parente secundum naturalis amoris affectum substantiale vitae providentia sive proventus. Patentium enim est colligere sive thesaurum recondere liberis, ut praeter hoc quod ad vitam illis generant, etiam vivendi subsidia subministrent*, ait Basil. in Pf. 7. Unde tenentur etiam curare, ut artes statui suo congruentes discant, eisque procurare statum suae conditioni convenientem, & aptis dotem conferre, cum iis alimenta & substratio-

nem necessariam ac convenientem suppeditare teneantur.

Hinc graviter peccant parentes, si liberos parvulos diligenter non custodiant, & ab iis gravia mala non avertant; si infantes exponant, si rem familiarem non curent, bona dilapident, vel diligentiam saltem mediocrem non adhibeant ad acquirenda & conservanda bona necessaria ad liberos honeste secundum suum statum collocandos, filias dotandas, & iis hæreditatem congruam relinquendam: nam debent etiam futuris eorum necessitatibus providere, ex 2. Cor. 12. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

Possunt tamen parentes exhæredare filios ex justa causa in testamento exprimenda, nempe ob gravem culpam & ingratitudinem in se admissam, vel dilapidationem bonorum familiæ, vitam luxuriosam filiæ; nam tunc tali prorsus digni sunt. Quare in istiusmodi casibus possunt iis denegare ea, quæ statui suo conveniunt: numquam tamen res necessarias ad vitam sustentandam, si aliunde non habeant.

Nota. Mater debet primo triennio liberos alere (1), postea pater, donec ex arte vel officio possint vitam sustentare, ex lib. 9. Cod. *de patr. potest.* quod si pater ex inopia nequeat, tenchitur mater. In defectum patris & matris tenentur avi, & alii ascendentes, l. 5. §. *de lib. agnosc.*

2. Parentes præter sustentationem congruam debent liberis christianam institutionem, ex Ephes. 6. *Educate filos in disciplina & correptione Domini.* Nam finis matrimonii est generatio prolis, a qua Deus pie sanctæque colatur; ac institutio christiana est liberis ad hunc finem necessaria. Hæc in tribus potissimum consistit. 1. Ut eos mature per se vel per alios docerent necessarii ad salutem, & ad vitam christianam agendam. *Filii tibi sunt? Erudi illos & curva illos a pueritia illorum.* Eccli. 7. & S. Aug. in Psl. 3. ait: *Regite filios vestros, regite familiat vestras. Quemcúd ad nos pertinet in Ecclesia longi vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi.* 2. Ut eos non solum verbis, sed etiam exemplo ad peccati fugam, cupiditatum cohibitionem, & virtutum exercitium adducant, & peccatorum occasiones ab iis avertant: *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Rom. 12. A fortiori coram liberis, quos ex suo munere tenentur efficacius ad virtutes, & timorem ac amorem Dei instituere. *Patres distant quamodo etiam commissi sibi exempla bene vivendi exterius præbeant. Scire etenim prælati debent, quia si perversa iniquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt, non soli moriuntur, sed altarum animarum, quas gravis exemplis destruxerunt, rei sunt.* S. Greg. p. 3. Pastor. admon. 5. Et S. Hieron. ep. 7. ad Lætam, de institutione filiæ monet: *Nil in te & in patre suo videat, quod si fecerit, pecet. Memintote vos parentes virginis, magis eam exemplo docere posse, quam voce.* 3. Ut delinquentes corrigant objurgando, & cum oportet, moderate puniendo. Jexta illud, Prov. 23. *Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis:* & c. 29. *Qui parcit virgæ, odit filium suum.* Eccli. 30. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella... Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendat.* Aliqui parentes sunt participes peccatorum liberorum ex c. 1. dist. 86. ubi Joannes VIII. ait: *Facientis culpam proximi dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est: Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus participes judicantur.* Et S. Greg. lib. 7. epist. *Qui non corrigit refecanda, committit.* Quare l. 11. Regum c. 3. Deus ait: *Suscitabo adversus Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos.*

Patri autem liberos, sicut nec domino servos occidere, mutilare, vel vulnerare non licet; quia illa pertinent ad publicam potestatem exercendi justitiam vindicativam, sive ad perfectam potestatem coercitivam, qua carent parentes, & domini ut tales: cum enim præsint tantum familiæ domesticæ, quæ est imperfecta communitas; habent solum potestatem imperfectam, coercendi scilicet pœnis levioribus, qua damnum irreparabile non inferunt. Solæ quippe communitas perfecta, seu ejus princeps perfectam habet potestatem coercendi & puniendi malefactores, etiam morte.

Porro educationis cura ad patrem tamquam ad familiæ caput maxime spectat; quamvis etiam mater ad eam graviter obligetur.

Hinc graviter peccant parentes, si non curent diligenter, ut liberi fidei rudimenta, & alia ad christiane vivendum necessaria mature addiscant, pravorum consortium vitent, a vitiis abstineant, mandata Dei & Ecclesiæ servent; si consilio vel exemplo pravo ad peccatum inducant; si de eorum factis non inquirant, permittantque eos liberius vivere, ludo & delectationibus immodicis affici vere, illique ad ea pecunias suppeditent; si patiantur eos vitam otiosam agere; si delinquentes (Vid. N. 141.) non objurgent, patiantque moderate &c. Ex 1. Timoth. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit* (facto scilicet) *& est infideli deterior.*

3. Tenentur liberis suis electionem status liberam relinquere, peccantque graviter, si eos invitos ad matrimonium, vel religionem cogant, vel ab iis avertant. Nam liberi habent jus sibi statum vitæ libere eligendi; & eorum saltus maxime perdet ab electione status, ad quem a Deo destinantur & vocantur. Quare Conc. Trid. sess. 25. c. 18. excommunicat eos, qui seminam cogunt ad religionem vel professionem, aut sine justa causa impediunt ejus vel ingressum vel professionem.

Item etiamsi liberi velint matrimonium inire, non debent parentes eos cogere ad contrahendum cum tali vel tali, si repugnent, cap. *de nupt.* 32. qu. 2. Quia, ut ibi ait Pontifex, quorum unum corpus est, unus debet esse animus. Aliquoi datur occasio dissidiorum, rixarum, adulterii &c. Grave autem peccatum est, alios conjicere in periculum graviter peccandi.

Nota. Ex communi sententia in defectum patris & matris ad prædicta tenentur jure naturali ascendentes ex linea paterna & materna.

Item parentes tenentur jure naturali etiam alere & christiane educare liberos illegitimos, qui & quandiu sibi ipsis de rebus necessariis providere non possunt, cum vere sint eorum parentes, ex c. 6. *de eo qui ducit* &c. Non possunt tamen iis aliquid ultra necessariam sustentationem, causa mortis donare vel relinquere: nam hoc vetant leges justæ, ne scilicet legitimorum hæredum minuatur hæreditas. Quod si fecerint, filii illegitimi excessum hæredibus legitimis, etiam ante sententiam, restituere tenentur; cum illius possidendi incapaces facti sint juxta legum auctoritatem.

Qu. II. *Ad quid obligantur liberi erga parentes?*

Resp. Secundum omnes, debent parentibus amorem, reverentiam & obedientiam. Nam hæc tria continet & exigit præceptum naturale divinum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam,* Deut. 5. & Matth. 19. ut docet Catechismus Romanus, & omnes Doctores. Idque dictat recta ratio propter triplicem respectum parentum ad filios, scilicet causæ, præeminentiæ, & reginiis.

1. Itaque tenentur liberi parentes vere amare, & quidem magis quam cæteros: cum illis plus debeant, simque conjunctiores quam aliis: & hunc amorem significare. Quare tenetur bonum spirituale & temporale iis velle & suppeditare in eorum necessitatibus etiam communibus. Exigitque tum pietas, ut iis subministrent necessaria ad vitam honeste secundum suum statum sustentandam; quamvis sua culpa in hanc necessitatem inciderint, & filii sua bona ab illis non acceperint. Quovis enim modo parentes erga liberos egerint, tamen iis vitam & conservationem debent, ex Matth. 15. c. 1. dist. 30. & l. 1. & 2. Cod. *de alend. liber. ac parent.* Debent quoque subvenire parentibus in omnibus aliis necessitatibus quoad honorem, famam, libertatem &c. & eorum defectus tegere ac patienter ferre. *In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum.* Eccli. 3. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitum matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribuere illis, quomodo & illi tibi.* Eccli. 3.

Hinc graviter peccant liberi, si parentibus signa odii ostendant, maledicant; vel ferva amoris numquam aut raro dent; si dure tractent; si ipsos alloqui aut salutare detrectent; si de ipsis erubescant, vel tamquam incognitos aut extraneos tractent; si graviter contristent, vel ad gravem iram impellant, etsi ex causa levi, quam prævident gravem tolerturum. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix.* Prov. 19. *Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem: & maledicitur a Deo, qui exasperat matrem.* Eccli. 3. *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* Exod. 21. Si torvo oculo intuentur, vel aspere loquantur, perinde ac si odio haberent; si non subveniant in necessitate spirituali, vel corporali; ægros non invisant, carcere detentos liberare negligant, eorum famitati non consulant: non curent mature sacramentis munirl, aliis auxiliis spiritualibus juvari; si eorum testamenta ac legata non exequantur, vel exequi differant, vel non curent pro iis mortuis preces & sacrificia offerri &c. Si iis mortem exoptent, ut ab iis citius liberentur, vel citius eorum bona obtineant.

Porro quæ essent mortalia contra caritatem, si fierent erga extraneos, sunt etiam contra pietatem, & longe graviora, si erga parentes; quæ circumstantia semper exprimi debet in confessione, nam tunc peccatum habet duplicem malitiam ipsi ecie diversam contra caritatem & pietatem. *Tolet. Delugo &c.*

II. Quoad reverentiam, ejus obligatio clare exprimitur verbo *Honora.* Et Eccli. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Nam (ut ait S. Th.) parentes participant rationem principii, cum proper generationem, tum etiam propter educationem, disciplinam, & omnia, quæ ad perfectionem vitæ pertinent. Præterea repræsentant dignitatem Dei, qui est omnium pater.

Hinc moraliter peccant liberi: 1. Si parentes spernant, irrideant, contumeliis afficiant, de illis detrahant; eorum monita, consilia & minas contemnant, præsertim coram iisdis. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi &c.* Prov. 3. Quæ autem in his ob levitatem materiæ erga alios non essent nisi venialia, erga parentes ob circumstantiam personæ ut plurimum sunt mortalia. Ob hanc culpam Cham filius Noe, patris maledictum incurrit, Gen. 9. Quod Deus postea confirmavit, ut posteris hujus culpæ gravitas innotesceret. 2. Si eos peccantes licet leviter, aut iis minetur; immo si contra eos manum tollant, etsi sine animo percutiendi; in his enim constetur gravis irreverentia ac injuria erga parentes. 3. Si ad sublimem fortunam erecti, parentes ex contemptu agnoscere dedigneutur. 4. Si eos in foro externo etiam de vero crimine accusent, excepto crimine hæreseos, proditionis, conjurationis in Principem, quod aliter impedi i non posset; in his enim ne patri quidem parere debent propter damnum publicum, quod pro privato averti debet.

III. Liberi tenentur obedire parentibus in iis quæ spectant ad gubernationem domesticam, & ad bonos mores. *In his enim subditi sunt parentibus, quorum est regere familiam, & eam bonis moribus instruere.*

(1) *Benedict. XIV.* (*lib. 111 de Syn. cap. 7. num. 10.*) *de celebri controversia, num matres teneantur suis uberibus lactare sobolem propriam, hæc habet.* Nonnulli Theologi apud Con. a Lapide in cap. 32. Gen. vers. 7. a gravi culpa non excusant matrem, quæ absque legitima causa se subtrahit ab onere, sibi a natura impositio, propriam lactandi prolem, quod observante M. Basilio homil. 9. in Hex. nulla quantumvis crudelissima fera subire detrectat. Sed melius Navarrus in Manual. cap. 24. num. 19. cui subscripsit a Lapide, illam solius peccati venialis ream facit; urgente vero legitima causa, ab omni culpa absolvit.

re. *Filii obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est. Honora patrem tuum & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi.* Ephes. 6. *Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.* Coloss. 3. & Rom. 1. Qui non obediunt parentibus, dicuntur digni morte. Hinc S. Aug. in tit. Pl. 70. ait: *Ubi hoc jubet pater quod contra Deum non fit, sic audiendus est quomodo Deus, quia obedire patri justè Deus.* Ratio est, (quia ut ait S. Th. quæst. 2. art. 9.) *Ad illa se extendit debitum obedientiæ, ad quæ se extendit jus prælationis. Habet autem pater carnalis suæ prælationis in filium. 1. Quidem quantum ad domesticam conversationem, sic enim est paterfamilias in domo, sicut Rex in regno: unde sicut subditi tenentur obedire Regi in iis quæ pertinent ad gubernationem regni, ita etiam filii & alii domestici tenentur obedire patrifamiliæ in his quæ pertinent ad dispensationem domus. 2. Quantum ad morum disciplinam: unde Apost. dicit.* Heb. 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, debet enim pater filio non solum educationem, sed etiam disciplinam. In his ergo filius tenetur obedire patri carnali, & non in aliis.*

Hinc peccant mortaliter liberi, si in re gravi ad mores, vel ad domesticam curam, vel ad pacem & concordiam in familia tuendam, vel ad ejus bona, famam, honorem spectantem non obtemperent: & specialim si contra parentum prohibitionem, improborum societatem, pompas frequentent, alea ludum, comparationes, vel quilibet aliud illicitum aut periculum exerceant, si contra eorum mandatum notine dare operam litteris aut artibus suo statui congruentibus, si iis locum litis nubant; vel filius contra eorum voluntatem ducat uxorem se indignam, vel nolit sine justa causa ducere quam parentes velunt, ob magnum familiæ bonum; si filia contra prohibitionem domo egrediatur, vel sola noctu viros alloquatur &c.

Non debent autem filii parentibus obedire cum aliquid præcipiunt vel verant contra Deï, vel Ecclesiæ præcepta, aut consilia evangelica. *Nam obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Act. 5. Neque quoad electionem status, cum hæc pendet a divina vocatione. Debent tamen consilium & consilium petere, non autem sequi, nisi sit certum vocationi divinæ.

Porro filiusfamilias, si parentes ejus opera non egent, potest a paterna domo discedere ad discendam aliquam artem honestam statui suo convenientem, vel quærendum aliquod vitæ genus honestum, périta facultate, quam patres ei denegare non possunt: ex l. ult. §. *de liber. exhib.*

Nota. Eadem fere ratio est de avo, proavo, & quilibet ascendente, respectu neporis, pronepotis, & cujuslibet descendentis, & vicissim. Nam hi omnes considerantur quasi patres & filii, ascendentes quippe sunt mediati progenitores. *Delugo.*

Sed an filius expetens ingredi religionem teneatur in sæculo remanere, ut parentum necessitati subveniat?

Resp. Affirm. Si necessitas extrema, vel gravis, nec alius possit aut velit iis opitulari, & possit ipse remanendo in sæculo. *Est communis sententia.* Quia subvenire parentibus graviter indigentibus est præceptum divini naturalis; ingredi autem religionem per se est tantum consilii. At propter opus consilii non est omittendum præceptum, utpote obligatorium. Immo tum Religio cessat esse opus consilii respectu filii, cum tunc sit ei illicita. Unde Christus, Marth. 5. arguit Pharisæos, quod suaderent ut eroganda parentibus egenis impenderentur in cultum divinum. Quod verum est, etiamsi filius voverit religionem: nam illud votum solum est de ingressu religionis, quatenus est opus melius, nec impedit observationem præcepti divini. At ingredi religionem relictis parentibus in gravi necessitate, non est opus melius, & impedit observationem præcepti divini.

Si vero non sunt in tali necessitate, voluntatem obsequio multum indigeant, possunt præmisso parentum obsequio filii religionem intrare, etiam contra præceptum parentum. Quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet, quantum ad ea, quæ pertinent ad dispositionem sui facti, præsertim in iis, quæ sunt divini obsequii, & magis est obtemperandum Patri spirituum ut vivamus, quam parentibus carnis, ut Apostolus dicit ad Hebr. 12. Ita S. Th. 2. 2. qu. 189. art. 6.

Porro neque parentibus licet ingredi religionem, dum liberi carent necessariis ad sustentationem, vel educationem suo statui convenientem. Nam parentes jure naturali tenentur eis liberis providere; nec licet Deum tentare, ordinaria media omittendo subspe divini auxilii. S. Th. loc. cit. Nisi sufficienter illis provideant de rebus necessariis ad vitam & statum, & filos per alios recte instituere possint.

Nota. Nemo tenetur in sæculo remanere propter fratrum, vel locorum aut aliorum propinquorum necessitatem gravem, sed non extremam. Quia nemo tantum iis debet, nec ita stricte tenetur iis subvenire, sicut parentibus; nisi tamen fratres vel sorores sint adhuc sub cura patris aut matris; nam tunc creant vel augent necessitatem ejus: quippe sub necessitate parentis includuntur omnia quæ pertinent ad statum & munus suum, inter quæ præcipuum locum habet conveniens liberorum educatio ac cura. Atque ita ratione parentis tic obligari quis potest erga fratres suos, qui tunc considerantur ut pars ejusdem parentis. *Ita Suarez.*

Sed quid, si filius professionem jam emiserit, an teneatur egredi, ut parentibus succurrat?

Resp. Juxta multos tenetur, si parentum necessitas sit extrema, cui aliter subvenire nequeat, sive illa ante, sive post professionem evenerit. Quia in utroque casu æqualiter urget præceptum pietatis, nec minus sunt illius parentes in uno, quam in altero. Ut autem talis egressus sit licitus, requiritur, 1. Ut religiosus petat licentiam, cum hoc exigit debitum subjectionis & rectæ disciplinæ; & aliquin oriretur perturbatio communitatis & scandalum. Si prælatus tenetur hanc licentiam concedere; quod si petitam deneget, dicunt posse religiosum egredi, eo quod prælatus sit irrationabiliter invitus, & aliunde præceptum divinum naturale subveniendi parentibus urgeat. 2. Ut egressus sese sua religionis habitum. 3. Ut quamdiu manet in sæculo, servet quoad fieri potest regulas, & statuta religionis: nam non desinit esse religiosus. 4. Ut redeat ubi primum eorum necessitati sufficienter providit: nam cessat causa manendi extra monasterium. At si necessitas parentum sit solum gravis, non extrema, non tenetur, nec proinde ei licet egredi sine legitima superioris sui licentia: quia religiosus est per professionem tradi-

tus religioni & potestati sui prælati: Res autem uni tradita non potest sine ejus consensu alteri concedi, etiam quoad usum, citra necessitatem extremam. *Ita S. Th., S. Antoninus, & alii multi.*

Quæst. III. *Ad quid superiores & inferiores generatim obligantur erga se invicem?*

Resp. 1. Superiores tum ecclesiastici, tum sæculares tenentur procurare bonum subditorum, & eorum malum impedire secundum potestatem quam habent, & munus quod exercent erga illos; ex Eccli. 32. *Rectorem te posuerunt? Curam illorum habe.* Et 1. Tim. 5. *Si quis suorum curam non habet . . . est infideli deterior.* Nam omnis potestas publica ac munus est propter bonum subditorum, & superiores ratione sui officii parentum vicibus funguntur.

Resp. 2. Ut filii erga parentes, ita cum proportione subditi erga superiores quoslibet, debent amorem, reverentiam, & obedientiam, secundum cujusque potestatem ac munus. Nam (ut docet Catech. Rom. de quarto præcepto.) *Præter eos qui nos genuerunt, multi præterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel præstantis alicujus muneris & officii nomine.* Idque constat ex Script. & Patribus: 2. Petri 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis . . . quia sic est voluntas Dei . . . Omnes honorate . . . Regem honorificate.* Et Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit &c. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Et Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis &c.* Eccli. 7. *Honorifica sacerdotes.*

Hinc graviter peccant inferiores, si superioribus in re gravi ad eorum munus pertinente non obediant; si eos contemnant, vel eorum defectus aliis referant, ut eos odiosos ac contemptos reddant; si illis debita ratione officii non suppediteut, ut decimas ecclesiasticis, tributa principibus, & aliis stipendia &c.

Quæst. IV. *Quænam sunt obligationes Tutoris & Curatoris?*

Nota. Tutor est is, cui commissa est cura pupilli, & bonorum ejus. Curator est, qui affignatur minori: præcipue in curam ejus bonorum. In hoc inter se differunt, quod tutor detur principaliter in curam personæ, & secundario in curam bonorum impuberis. Curator vero principaliter in curam bonorum, & secundario personæ puberis.

Resp. Tutor tenetur curam gerere pupilli, ejus personam tueri, eum bonis moribus imbuere, & christiane educare per se vel per alios, & dare operam, ut artem sibi convenientem addiscat. Item ejus bona curare, & fideliter ac diligenter administrare. Nam in hunc finem jure publico constituitur, & affignatur pupillo loco patris, ideoque ejus vices erga eum gerit. Tutor enim est is, qui pupillo datur in defensionem & curam personæ ac bonorum pupilli. Curator vero tenetur recte ac fideliter bona minoris administrare, & insuper ejus personam tueri cum opus fuerit, & educationi ac institutioni invigilare: nam præcipue affignatur in curam bonorum, secundario in curam personæ. Quare si tutor, vel curator, in hoc delinquat, vel graviter sit negligens, peccat graviter, & tenetur ad compensationem damni; quia peccat contra proprium officium ad alterum commodum spectans, proindeque contra justitiam.

Hinc tenentur statim inventarium omnium bonorum pupilli & minoris efficere, l. 24. Cod. *de adm. tutor.* Omnia eorum bona, jura & actiones diligenter conservare, & curare ut ex iis reditus annui percipiantur, bona alias peritura vendere, ex modulibus prædia idonea comparare, *ex digestis & codice.* Quod si neglexerint, vel res pupilli aut minoris in suos usus converterint, tenentur eam ablatam vel amissam restituere, & compensare totum lucrum cessans ac damnum emergens. Tenentur autem de culpa lata & levi, l. 7. Cod. *de arbitr. tutel.* nam justum pretium suæ administrationis exigere possunt; & sic eorum manus cedit in utilitatem suam & aliorum. Peccant etiam, si pupillo vel minori dent pecuniam ad usus malos vel inutiles, cum ex suo officio teneantur fideliter ac utiliter eorum bona administrare.

Ceterum pupilli & minores tenentur obedire & reverentiam exhibere tutoribus & curatoribus veluti parentibus, quorum locum illi tenent.

Quæst. V. *Ad quid obligantur domini & famuli erga se invicem?*

Resp. 1. Secundum omnes, domini tenentur, 1. Gerere curam salutis famulorum, & famularum, ex 1. Tim. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior.* Nam sunt ipsorum caput, & vices parentum erga eos gerunt; ideoque obligantur cum proportione ad ea, ad quæ parentes erga liberos tenentur. Quare graviter tenetur curare, ut famuli & ancillæ res ad salutem necessarias calleant, peccata & occasiones peccati vitent, Dei, & Ecclesiæ præcepta servent, sacramenta tempore debito frequentent. Item tenentur bona exempla iis præbere, graviter delinquentes corrigere, & iis invigilare: *Attende domesticis tuis.* Eccli. 33.

II. Tenentur alimenta congrua præbere, & tempore statuto mercedem justam solvere, *Domini, quod justum & æquum servis præbete; scientes quod & vos Dominum habetis in cœlo.* Coloss. 4. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Lev. 19. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Eccli. 34. Nec possunt ante terminum elapsum domo dimittere sine justa causa, quia violarent contractum. Quod si dominus sine justa causa se teneute ex parte famuli, invitum eum dimittat ante tempus condictum tenetur ei integrum stipendium dare, perinde ac si toto illo tempore servierit, l. 38. §. *Locati.* Nam conductor peculiorem solvere tenetur, quando re vel opera conducta usus non est, ob cautam se tenentem ex parte sua. Si vero invito domino & sine justa causa famulus discedat, nihil ei conceditur in foro externo: ac in foro conscientiæ debetur ei merces pro rata temporis quo servivit, nisi aliud ferat pactum, vel exitu suo intempestivo damnum domino intulerit, retenta mercede, aut illius parte compensandum: quia opera præstita est digna pretio, quo privari non potest in pœnam, nisi ex conventione, vel per sententiam Judicis. *Delugo & alii.*

III. Tenentur eos non aspere ac superbe tractare, sed benigne tamquam fratres in Christo & cohæredes

des vitæ æternæ, quos debent sicut seipsos diligere. *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis; & personarum acceptio non est apud eum.* Ephes. 6. Undeprecant si domesticos contumeliis afficiant, ut si appellent diabolos, canes &c, si immoderato labore vexent &c.

IV. Tenentur curare, ut in eorum morbis ac infirmitatibus auxilia temporalia & spiritualia non desint. Juxta multos tamen, secluta pactione vel consuetudine, non tenentur ex justitia famulis alimenta & stipendium dare toto tempore morbi diuturni. Nam hæc debentur solum propter operas quotidianas, & conducitur nihil tenetur solvere, dum re vel opera sibi locata uti non potest, ob causam provenientem ex parte locatoris, vel rei locatæ. Item non tenentur solvere stipendias pro eorum curatione, nisi sint modicæ, vel nisi versentur in necessitate. Possiunt tamen caritas, ut impensas saltem modicas faciant pro eorum curatione & alimentis: & hæc est praxis timoratorum. Immo caritas eos obligat ad gratis præstanda famulis pauperibus eorum, quibus indigent, si ea possint præstare.

V. Tenetur famulos expellere, qui liberos, aliosve domesticos verbis vel moribus pravis corrumpunt, si reprehensione non emendentur. *S. Carol. Instruct. Confess. & Concil. Mediol. III.* Nam tenentur a suis causas & occationes peccandi amovere.

Porro cum famulus vel ancilla justis de causis expellitur, sufficit si pro rata temporis stipendium ei persolvatur. Nam justa causa expellendi famulum recte centetur impedimentum ex parte locatoris proveniens ob quod conductor jam ejus opera uti non potest.

Resp. 1. Famuli & ancillæ debent suis dominis amorem, reverentiam, obedientiam & fidelitatem. *Ex* 1. Tim. 6. *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Et Ephes. 6. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino &c.* Et ad Tit. 2. *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes: non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Itaque tenentur dominis suis eandem præstare cum proportione, quæ filii parentibus: nam domini erga illos parentum vicibus funguntur. Et insuper tenentur ex justitia fideliter servire ac laborare, munus sibi commissum recte obire, & res sibi creditas diligenter curare ac servare: nam ad hæc præstanda stipendio conducti sunt, & ex contractu onerosi obligantur.

Hinc mortaliter peccant. 1. Si in re momenti non obediant. 2. Si peccata ac defectus familiæ aliis referant. 3. Si non bene laboraverint toto tempore designato, & obsequia debita negligenter præstent; & tenentur tum ad restituendum partem stipendii pro rata laboris omissi; tum non habent jus nisi ad stipendium labori & operæ impensæ congruens: tum ad compensandum damnum & lucrum cessans, quia fuerunt injusta illorum causa, cum sequantur ex omissione diligentiæ ac operæ ex justitia debitæ. Idem dic de aliis operariis conductis. 4. Si de bonis dominorum disponant sine eorum consensu. 5. Si grave damnum inferri permittant, cum impedire possint, vel videntes inferri taceant, nec moneant dominum, sive illud inferatur ab extraneis (quos certius est: *et ita fere habet communis gentium sensus*, ait Lessius) sive a contubernalis, etiam in rebus, quarum cura sibi specialiter commissa non est; teneturque illud resarcire in defectum aliorum. Nam famuli omnes tenentur ex justitia non permittere, ut damnum hero a quoquam inferatur; nemo enim famulum vel ancillam accipit, nisi cum hoc pacto tacito, ut impediat ejus damnum, si possit. Præterea domestici aliter & magis tenentur impedire damnum heri sui, quam extranei, qui ad id ex caritate tenentur. Domestici vero, quibus specialiter domus vel alia res commissa est, tenentur insuper magna cura eam custodire, diligenter invigilare, ne quid damni in ea patiatur dominus.

VI. Si ante tempus conditum discedant sine justa causa. Nam ex contractu, ideoque ex justitia tenentur toto illo tempore servire; & sic teneantur resarcire damnum, quod dominus inde patitur, ut si majore pretio alium conduxit &c. Omnis enim injustitia damnosa parit obligationem restituendi.

Quæst. VI. *Quænam sint obligationes magistrorum, & discipulorum?*

Resp. Inter magistros, pædagogos, & discipulos est quodam modo eadem obligatio; quæ inter parentes & liberos. Nam magistri & pædagogi vices parentum erga discipulos gerunt in iis, quæ ad studia & bonos mores spectant.

Sed speciatim magistri & pædagogi graviter peccant, 1. Si cum non sint idonei nec sufficienter docti ad hoc munus recte ac utiliter obeundum, illud suscipiant, aut non dimittant, aut se ad illud idoneos non præstent. 2. Si discipulorum profectum in litteris non sedulo promoveant. 3. Si non satis studeant ipsi, ut recte officio fungantur. 4. Si ex proposito falsa ut vera doceant, vel superstitiosa aut saluti noxia. 5. Si negligant eos bonis moribus imbuere, nec delinquentes arguant, nec poniant cum possunt. 6. Si ipsis malum exemplum præbeant. 7. Si improbos, & alios perniciosos ad scholam admittant, vel ex iis non dimittant, ne alios depravent. 8. Si doctoratus, vel licentiatus gradum indignis conferant, nam (ut docent S. Antoninus, Navarr. Sylvest. Sanch. & alii) est mortalis culpa præsertim in Theologia, Jure canonico & civili, & Medicina, immo etiam viderur in Philosophia. Nam per hoc graviter bono publico nocent, & temp. vel Ecclesiam publico testimonio decipiunt in re gravi: unde sit ut indignis conferantur officia sæcularia, vel beneficia Ecclesiastica, cum damno multorum.

Porro Conc. Later. V. sess. 9. præcipit, ut humaniorum litterarum magistri discipulos rebus fidei, & præceptis Dei ac Ecclesiæ instruant.

Discipuli peccant, 1. Si magistris & pædagogis non exhibeant honorem ac reverentiam. 2. Si non obediant in rebus ad studia & bonos mores pertinentibus. 3. Si malorum consortium sibi vetitum non vitent. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* Prov. 13. 4. Si libros prohibitos legant. 5. Si a schola absint sine justa causa. 6. Si tempore studiis destinato lusui vacent vel otio. Et quidem mortaliter peccant, si studia notabiliter negligant, tum quia agunt in re gravi contra obedientiam parentibus ac præceptoribus debitam: tum quia se reddunt ineptos ad munus suo statui conveniens imposterum rite obeundum: tum quia vita otiosa est fons & origo multorum peccatorum præsertim adolescentibus. Quare non sunt absolvendi, nisi negligentiam suam emendare curaverint.

CAPUT V.

De Obligationibus personarum Judicialium vel Forensium.

In his generatim requiruntur Scientia, Diligentia, Veritas, Fidelitas, & Justia.

Nota. Qui officium aliquod ad aliorum commodum spectans suscipit, tenetur ex Justitia, 1. Ad curandum, ut e sua negligentia nemini damnum sequatur. 2. Ad procuranda commoda ejus, cui per officium servit, saltem quantum commode potest, & ad diligenter obeunda ea, quæ ad munus spectant, & necessaria sunt ad finem, ad quem institutum est. Nam hæc tacite promittit, & ad ea se obligat, hoc ipso quod tale munus assumit; & ideo stipendium ei datur. Hinc si munus suum negligat, tenetur damna inde secuta resarcire, & stipendium receptum restituere pro negligentia.

§. I. *De Judice.*

Quæst. I. *Ad quid tenetur Judex, ut recte judicet?*

Resp. 1. Judex (idem dic de Advocato, Medico &c.) tenetur ex justitia habere scientiam sufficientem ad munus suum recte obeundum. Nam tenetur ex justitia recte judicare: *Diligite justitiam, qui judicatis terram*, Sap. 1. *Justifica pupillum & magnum similiter*, Eccl. 5. Ergo tenetur etiam ad ea quæ ad rectum judicium requruntur, qualis est scientia legum, consuetudinum &c. Debet etiam habere constantiam ac virtutem ad hoc munus necessariam: alioqui se exponit periculo injuste judicandi. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescat faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua*, Eccl. 7.

Hinc 1. petens aut suscipiens officium Judicis sine sufficienti scientia & idoneitate, peccat mortaliter: nam voluntarie exponit se periculo male judicandi cum damno aliorum. 2. Judex debita scientia carens absolvi non debet, nisi se officio abdicet, vel nisi brevi tempore scientiam sufficientem acquirere possit & conetur. Nam nulli licet officium, cujus munia obire nequit, suscipere vel retinere, præsertim cum damno vel periculo proximi. 3. Si Judex ex imperitia male judicet, quamvis puter se recte judicare, tenetur compensare torum demnum inde litigantibus obveniens, sive in subitantia litis, sive in superveneneis impensis. Nam est causa injusta talis damni, quod est ei voluntarium saltem indirecte, nempe in ignorantia culpabili, ex cap. ult. *de injur.* ibi: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.*

Resp. 2. Ex communi sententia, ut Judex recte judicet, præter scientiam debet: 1. Habere jurisdictionem & auctoritatem in personas judicandas, & in causam: alioqui injurium facit tum partibus, causæ illarum se ingerendo; tum legitimo judici, ejus potestatem & officium usurpando; quæ usurpatio judicii ex communi æstimatione hominum est injuria gravis ex genere suo, cum per illam violentur & jus privatorum, & auctoritas publica. Imo ejus sententia est irrita, cum careat potestate ad judicandum necessaria, cap. 4. *de judic.* & cap. *de panis.*

Porro quatuor modis potest quis habere potestatem judicandi aliquem, 1 Ratione potestatis ordinariæ vel delegatæ. 2. Ex consensu partium; ut cum partes ex compromisso se alicui subjiciunt, ut judici, vel ut arbitrio. 3. ratione delicti in suo territorio patrati. 4. Ratione rei, de qua contra possessorem causa movetur, ex cap. ult. *de foro compet.*

II. Tenetur judex habere certitudinem saltem moralem in cognitione causæ: alioqui imprudenter judicaret, & tenetur ad restitutionem, si ex negligentia cognoscendi male judicaret; ex c. ult. *de injur. cit.*

III. Tenetur judicare secundum leges, tum quoad modum procedendi, ordinem & formam judicii, tum quoad sententiam ferendam & exequendam, ex c. 1. *de constit.* & ex S. Ambros. in psal. 119. ser. 20. *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges & jura pronuntiat, scitis jurit obtemperat, non indulget propriæ voluntatis sicut audit, ita judicat, & sicut se habet negotii natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur: examinat causæ merita, non mutat.* Et ex Instit. *de officio judic.* ibi: *Ne aliter judicet quam quod legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est.* Nam ad hoc constitutus est a republ. vel principe. Quare non potest quemquam condemnare inauditum & sine testibus, *Clem.* 2. *de sent. & de re jud.* nec uti potest scientia injuste & contra juris ordinem parta: alioquin injuriam continuaret & augeret. Item nec potest secundum omnes, condemnare eum, quem privata scientia scit esse nocentem, si judice non sit probatus reus. Quia non habet potestatem judicandi nisi ut persona publica: ergo non potest judicare nisi secundum scientiam publicam, quæ habetur per testes legitimaque instrumenta & acta.

IV. *In summa æquitatem ante oculos habere debet judex*, l. 4. §. de eo quod certo loco. *In omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitatis speculanda*, l. 90. de reg. jur. *Decerne quod justum, & judica inopem & pauperem*, Prover. 31. Ut autem justitiam in omnibus constanter servet, memoria semper teneat illud Sap. 6. *Audite judices finium terræ... quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ: neque secundum voluntatem Dei ambulastis Horrende & cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet; exiguo enim conceditur misericordia; potenti autem potenter tormenta patientur.*

V. Quando jus non est clarum, tenetur ferre sententiam secundum opinionem certo probabiliorem in quæstione cum juris, tum facti. Num officium judi-

eis est judicare secundum merita causæ, & sententiam, quæ, infectis allegationibus & probationibus, æquitati & juri conformior est: alioqui esset locus acceptioni personarum, contra Scripturam multis locis, ut Deut. 1. *Quod justum est judicate; sive civis sit ille, sive peregrinus: Nulla erit distinctio personarum, ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est*. Et contra reg. 32. jur. in 6. *In judiciis non est acceptio personarum habenda*. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Probabiliter judico, Judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem*. Quare judex non potest ferre sententiam secundum judicium aliorum, si post diligentem & sinceram veritatis inquisitionem certus sit de majore probabilitate suæ opinionis; nam tunc certus est de obligatione secundum illam judicandi. *Nec in judicio plurimorum acquiescet sententiæ, ut a vero deviet*, Exodi 23.

Quod si opiniones sint æque probabiles, & nullus ex litigantibus rem possideat, debet rem inter partes ex æquo dividere, vel ejus pretium, si dividi nequeat. Nam judex non est dominus rei, sed tenetur suum cuique jus tribuere secundum merita causæ: ergo utrique cum æquale jus habeat, debet res æqualiter ei attribui; alias esset acceptio personarum. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio*.

Idem dic de quæstione facti: Judex enim tenetur causam adjudicare parti pro se habenti testimonia, vel instrumenta, aliave argumenta probabiliora, cum jus probabilius resultant, 3. jur. §. *de testib.* Quod si hæ probationes facti sint æquales, æquale jus sunt, ideo æqualiter res est inter eos dividenda, si nemo eam possideat; alioqui possessori adjudicanda, cum in dubio, & pari causa melior sit conditio possidentis, ex reg. 65. jur. in 6. In causis vero criminalibus si utrinque apparent æqualis probabilitas, debet reo favere, cum absolvendo, ex reg. 12. jur. in 6. Alioqui se exponeret periculo damnandi innocentem.

VI. Tenetur lites celeriter expedire c. 2. de sent. & re judic. ibi. *Turgantium controversias celeri sententia terminare, & æquitati convenit & rigori*. Nam partes habent jus, ut non sine justa causa differatur judicium. Quare tenetur partis lædæ damna & impensas, quæ ex iniqua dilatione sequuntur, compensare.

VII. Debet habere rectam intentionem, scilicet justitiæ, ita ut nihil agat ex odio, invidia, aliove pravo fine; nam actio licet ex objecto bona participat malitiam finis.

Ex dictis collige, Judicem qui in cognoscenda, vel decidenda causa negligens, aut iniquus fuit, peccare mortaliter contra justitiam, & teneri ad refarcienda parti læsæ omnia damna, cum fuerit eorum causa injusta.

Quæst. II. *An Judex possit capite condemnare eum, quem certo novit innocentem, si per testes legitime probetur reus?*

Resp. 1. In tali casu, ex communi sententia, Judex tenetur omnes vias inire, quibus possit eum liberare, ut impediendo accusationem, extrahendo judicium, remittendo causam ad superiorem, & apud eum assumendo officium testis &c. Quod si his mediis non possit eum liberare, secundum multos non ei licet talem morte damnare, sed debet jurare se certo cognoscere ejus innocentiam, & potius officium dimittere, & qualibet pari. Quia directe innocentem occideret, & quidem ut causa principalis mandando ut occidatur; quod est intrinsece malum, & contra illud, Exod. 23. *Insontem & justum non occides, quia adversor impium*. Enim vero intrinsece malum est adimere alicui vitam sine auctoritate; sed Judex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis, cum hæc solius Dei dominio subjecta sit: nec resp. ipsa potest verum innocentem directe occidere, sicut potest directe bonis temporalibus spoliare, ob justam causam ad bonum commune pertinentem, quia habet dominium altum in bona subditorum; non autem in eorum vitam. (*)

Equidem tenetur Judex judicare secundum allegata testimonia; & judicare ut persona publica, quæ sequi debet scientiam publicam, si nempe judicet. At in casu proposito non potest judicare, condemnando, quia innocentem occidere per se malum est; neque absolvendo, quia juridice probatur reus.

Idem dic de mutilatione: quia respub. non potest hanc pernam innocenti inferre, non enim habet dominium vitæ & corporis suorum subditorum. Quare nec minister justitiæ potest ex curiosi mandato sententiam mortis vel mutilationis, quam certo scit esse iniquam; sicut enim per se malum est jubere occisi innocentem, ita & hæc justa exequi.

Resp. 2. In causis civilibus, & in iis, in quibus agitur solum de rebus pecuniariis, ex communi sententia, Judex potest judicare secundum allegata & probata. Quia respub. habet dominium arum bonorum privatorum, vi cujus potest de illis disponere, quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu; ne cum populi scandalo forma seu ordo judiciorum publicorum evertatur ac impediatur, cujus quidem observatio necessaria est ad pacem & quietem resp. Nam iniqui Judices possunt impune contra allegata & probata, praetextu scientiæ privatæ, jus recusare iis, quibus vellent. Deinde nemo civium merito potest agere ferre aut queri, ibi injuriam esse factam a Judice per talem sententiam; cum videat se ab illo juvari non posse, neque par esse ut Judex potius officium deferat, quam sententiam ferat. Denique innocens potest hæc bona postea recuperare. Tenetur tamen judex in hoc casu prius omni industria curare, ut falsitas detegatur, vel ut processus impediatur, immo remittere causam ad superiorem, si fieri possit sine detrimento boni communis.

Quæst. III. *An peccat & teneatur ad restitutionem Judex, qui rerum condemnat ex cognitione injuste exterta?*

Resp. Affirm. *Ita Covarruv. Sot. Gomez., Lessius, Sanchez., Delugo & alii*. Quia injuriam quam fecit, notitiam injuste extorquendo, continuat hac utendo, & dat injuste causam damni, quod ex illa sequitur. Præterea confessio injuste extorta est injusta, & sic nullum dat jus, nec ex ea procedi potest, cum injustum sit medio injusto uti.

Confessio autem criminis injuste extorquetur, 1. Si Judex rem interroget, nulla præcedente infamia, vel semiprobatione, aut sine indiciis competentibus. 2. Si tormentis vel eorum metu elicuit confessionem sine indiciis sufficientibus ad torquendum. Nec refert, quod confessio fuerit postritde ratificata, quia cum fuerit irrita, nulla est ratificatio ex ea orta. 3. Si persona non poterat torqueri ob ætatem, vel infirmitatem, vel privilegium ac dignitatem. 4. Si dolo, v. g. promissione impunitatis inductus est reus ad confitendum; nam tunc ei facta est injuria.

Quæst. IV. *An licet Judici munera a partibus accipere?*

Resp. 1. Non licet Judici quidquam accipere pro ferenda sententia sive justa, sive injusta. Non pro justa: quia ex justitia eam debet, & sic venderet quod suum non est, sed quod alteri debitum est; & acciperet contra jus quod alter habet, ut jus sum obtineat sine sico sumptu. Ideoque sic accepta restituere tenetur, cum nullum habet titulum retinendi; non enim hæc liberaliter & omnino voluntarie donantur, sed ad vexationem injustam redimendam. Neque pro injusta, ut patet; nam (ut air S. Augustinus epist. 54.) *Cum judicia & testimonia, quæ nec juga & vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia scelerate etiam quamvis a volentibus datur*. Et sic accepta restituere tenetur, quia accipiendo injuste agit contra officium; & Clerus Gallicanus an. 1700. oppositum damnavit. Spectato autem solo jure naturali, & ante omnem sententiam restitutio fieri debet ei, qui dedit, juxta illud S. Augustini epist. cit. *Recipe quod tibi dum tibi male adesse m, dedisti*.

Resp. 2. Neque licet Judici munera liberalia, & spontanea sine ullo onere oblata a partibus accipere: quia id prohibetur jure communi humano laicis, l. 18. §. *de offic. Præsid.* & l. 6. §. *de offic. Proconsul.* & *Authent. Ut Judices sine quoquo suffragio*. Ecclesiasticis vero, c. 100. *de vit. & honest.* & c. 11. *de rescript. in 6.* Imo, ut docet Delugo, etiam jure naturali, si munus sit magni momenti, tum ob scandalum, tum ob periculum morale perverendi justitiam, quod quisque vitare tenetur: nam moraliter loquendo fieri non potest, ut ob donum illud non propendat in favorem donantis, idque judicare debet a communiter contingentibus. Hinc illud Deut. 16. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba justorum. Justo quod justum est, persequeris*. Et Eccl. 20. *Dona excæcant oculos Judicum*. Adde quod dans, sæpe non det omnino sponte ac liberaliter, sed quia timet ne Judex alioqui plus faveat parti adversæ, aut moras trahat, ficque dat pro actu ex justitia debito. Cum autem difficultant Doctores circa obligationem restituendi ante omnem sententiam munera sponte ac liberaliter, nec ad vexationem injustam redimendam donata; confessio debet semper judicem obligare ad talem restitutionem: tum quia forte ad eam jure tenetur ex conscientia: tum quia tali pœna dignus est, & per eam avocandus est a relapsu.

Nota 1. Sunt qui excipiunt leviora munuscula, in quibus corruptionis periculum abest, quæ ex urbanitate offeruntur, nec nisi quasi injuriose recusarentur. Quia cessat ratio prohibitionis, & l. 12. §. *de offic. Præsid.* & c. 1. *de rescript. 6.* Judex delegatus potest recipere *esculentum, vel poculentum more liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus*. Sed multi docent Judices seculares nihil omnino posse a partibus recipere, eo quod leges diligenter correctæ sint per jus authenticorum, quo prohibetur judicibus universaliter munera accipere, *Authent. Ut Judices sine quoquo suffragio*.

Quæst. V. *Quid Judici servandum circa Inquisitionem?*

Nota. Triplex est Inquisitio. Prima Generalis, quando in genere quæritur, an leges ferventur. Secunda Specialis, cum de certa persona & certo crimine inquiritur. Tertia Mixta, cum inquiritur generaliter de persona, & specialiter de crimine, vel e contra.

Resp. 1. Judex & Magistratus nulla data occasione ex suo officio potest ac debet facere Inquisitionem generalem, ex c. 1. *de offic. Judici*. Quia ex officio tenetur prospicere bono communi, occultorum criminum tollendo, crimina puniendo in aliorum exemplum, & aliunde nemini fit injuria.

Resp. 2. Quando crimen est publicum, sed auctor ignoratur, Judex debet quærere in genere quis paravit: nam id exigit bonum publicum, alioqui scelesti homines spe impunitatis invalescerent, & crimina multiplicarentur.

Resp. 3. Non licet Judici contra aliquem facere inquisitionem specialem tendentem ad punitionem, nisi præcesserit infamia, vel semiprobatio, vel aliquid quod justam det causam, ex cap. 21. & 23. *de accusat.* & est communis sententia. Nam per illam inquisitionem quis suspectus & infamis redderetur.

Quæst. VI. *Quamam requirantur ad sufficiendum torturæ reum?*

Resp. 1. Ex communi sententia, illæ torturæ sunt injustæ, quas sustinere est reo moraliter loquendo impossibile, spectatis viribus & complexione. Unde non potest Judex ex confessione sic extorta procedere. Peccat etiam graviter, si non prius alias omnes mitiores delegendæ veritatis vias tentet, quam torturæ subjiciat: cum hoc sit postremum medium in defectum aliorum, damnosum & valde periculosum.

Resp. 2. Ad torquendum reum, qui jure non prohibetur torqueri, ex communi requiruntur probationes vel indicia de commisso gravi crimine, digno pœna mortis, tali modo & circumstantiis congruentia; ita ut sola confessio rei ad plenam probationem desse videatur. Nam tortura instituta est ad subsidium probationis: cum argumenta & indicia sunt valde magna, nondum tamen sufficientia, ut sic plena probatio eliciatur.

Porro prohibentur torqueri, nisi in criminibus exceptis, viri illustres; vel in magna dignitate constituti, Doctores, milites, senes, impuberes, prægnantes, & nondum confirmatæ a partu.

Resp. 3. Semel tortus, si nihil est confessus, non potest iterum torqueri, nisi nova crimina indicia superveniant; quia per torturam præcedentem illa elisa. Si vero crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram Judice, repetitur tortura; quia per talem revocationem indicia non sunt elisa, & aliquot tortura semper esset inutilis. Si vero tertio tortus ac confessus,

(*) *Nisi istud urgentissima Resp. necessitas expostularet*.

tertio retractet, absolvendus est: quia præsumendum est vi tormentorum coactam fuisse confessionem falsam. Excipiunt aliqui, nisi indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiose a reo negari.

Quæst. VII. *An sententia Judicis obligat in conscientia?*

Resp. 1. Sententia justa semper per se obligat in conscientia. *Est communis sententia.* Quia est præceptum legitimum superioris, & usus potestatis legitimæ, cui qui resistunt, Dei ordinationi resistunt, & se ipsi sibi damnationem acquirunt.

Resp. 2. Secundum communem, sententia certo injusta per se non obligat. 1. Si constet niti falsa præsumptione, ut falsis probationibus, quamvis lata sit secundum allegata & probata. Quia nulla est, cum nitatur falso fundamento, ideoque nulla: neque enim Judex habet potestatem disponendi de juribus & bonis aliorum, sed solum reddendi unicuique jus suum, & declarandi quid cuique debitum sit. Nec bonum exigit, ut privati amittant rei pla jus suum per sententiam injustam. Præterea cum sententia sit actus justitiæ, cujus est suum cuique tribuere ad æqualitatem; non valet, nec obligat si veritati justitiæ non conformetur. 2. Si sit injusta ex omissione debiti ordinis juris quoad essentialia, & formæ judicialis: quia judex non habet potestatem ferendi sententiam, nisi servato juris ordine. *Injustum judicium non est judicium*, ait S. Th. 2. 2. q. 70. art. 4. ad 2. Hinc qui per iniquam sententiam, quam sciebat esse iniquam, accepit bona alterius, tenetur ea restituere, nec unquam præscribere potest. Quia sunt aliena, & possessor malæ fidei nunquam præscribit; imo tenetur impensas & damna compensare. Qui vero bona fide aliquid accepit per sententiam injustam, quam putabat justam, si ante tempus præscriptioni requisitum cognoscat fuisse injustam, restituere tenetur accepta; non tamen impensas, nec fructus bona fide consumptos, saltem si sit non sit factus ditior. Quod si ea possedit bona fide toto tempore ad præscribendum sufficienti, non tenetur restituere, quia legitime præscripsit.

Sententia tamen injusta servanda est, quantum requiritur ad virandum scandalum, perturbationem, & incommoda graviora. Nec licet per vim se defendere contra Judicem, & ejus ministros, cum servatus est juris ordo: quia Judex habet jus exequendi sententiam, quam servato juris ordine tulit. Imo nec id licet in praxi, si non servatus fit, quando inde perturbatio vel scandalum seccuturum est, ut plerumque fit.

Quæst. VIII. *Ad quid tenetur Judex circa pœnæ impositionem?*

Resp. Ex communi sententia, si lex pœnam imponit, tenetur Judex facta sufficienti probatione crimen declarare, & pœnæ per legem impositæ executionem procurare: si vero lex minetur tantum pœnam, tenetur Judex eam imponere, & executioni incumbere. Nam Judex est minister & executor justitiæ a principe vel rep. constitutus, ad curandum ut serventur leges, & puniantur crimina; unde ex officio ei incumbit custodia & executio legum, & punitio criminum. Quare non potest remittere; quia lege statutum, nisi in casibus jure expressis aut consuetudine receptis; nam inferior non potest dispensare in lege superioris. Præterea est contra bonum commune, quod delicta maneant impunita, aut non satis punita: nam est mortalis occasio ut multiplicentur. Imo ipsi supremo principi non licet condonare crimina nisi aliquando ex justa causa, alioqui occasionem præberet patrandi crimina, & iis cooperaretur, cum maxima peccandi illecebra sit impunitas, sicque magnum reip. damnum inferret. Judex vero ne quidem potest minuere pœnam, etiamsi actor consentiat, nisi quando delinquentis ætas, infirmitatis, vel modus delinquendi gravitatem criminis minuens, aut justa aliqua ratio id postulet, vel id ad bonum commune pertinere, dicit epykia. Item non ei licet, saltem ordinarie augere pœnam lege statutam, alioqui injuriam inferret reo, a quo majorem pœnam exigeret, quam ex lege deberet: nam lex pœnam statuens, eo ipso Judicis potestatem restrinxit, ne graviorem imponeret. Aliquando tamen potest augere pœnam propter extraordinaria circumstantias, quæ crimen multum aggravent, ut si crudelissimo genere mortis patratum fuisset homicidium &c. Quia lex statuens pœnam, loquitur de delictis ordinariis, seu ordinario modo patratis; nec excludit Judicis providentiam, quantum ab bonum commune, & aliorum exemplum necessaria est.

§. II. *De accusatore.*

Nota, Accusator & denunciator inter se differunt. Nam accusare est deferre crimen Judici ad vindictam ob bonum commune, cum obligatione crimen probandi: denuntiare vero est deferre crimen præcipue ad emendationem rei, vel ob bonum commune, sine obligatione illud probandi.

Quæst. I. *An & quis tenetur accusare vel denuntiare?*

Resp. Ex communi sententia, qui ad hoc deputati sunt, vel stipendium accipiunt a rep. ut fiscalis, & custodes ac vigiles, tenentur ex justitia deferre crimen, ac proinde ad damna ex omissione delationis secuta. Item custodes agrorum, nemorum &c. saltem quantum necesse est ad vitandam damnum domini, vel illatum tesarciendum; nam ad id tenentur ex officio; & contractus, seu quasi contractus intercedit inter eos & remp. seu communitatem, ut ad id teneantur. Alii vero privati accusare seu potius denuntiare tenentur, etiam citra superioris præceptum, quando crimen est noxium reipubl. & adhuc pendet in futurum, vel continuandum putatur, ut hæresis, proditio, falsæ monetæ fabricatio, crimen læsæ majestatis, veneficium, publicum latrocinium &c. Nam quisque tenetur, etiam cum proprio damno, malum communitatis avertere quantum potest: pars enim tenetur etiam cum proprio detrimento prospicere incolumitati totius. Item cum id necessarium est ad avertendum grave damnum innocentis: nam caritas obligat ad impediendum grave malum innocentis, dum sine nostro gravi incommodo possumus, quamvis inde malum impendeat reo, quia innocens præferri debet voluntariæ nocenti. *Libera eum qui injuriam patitur de manu superbi.* Eccli. 4. Nec tunc præmitti debet secreta monitio, nisi certo constet per eam malum impediturum iri. Nam in re tanti momenti eligi debet id quod tutius est bono publico vel innocenti: facile enim posset talis privatim monitus simulare pœnitentiam, & occulte exequi quod statuerat; & quisque jure naturali obligatur ad defendendum innocentem ab injuria hominis nocentis, etiam cum aliquo damno nocentis, qui sibi illud imputare debet, cum aliter injuria impediri nequit.

Qui crimen probare nequeunt, non debent accusare: quia *ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere*, ait S. Th. qu. 18. art. 1. Sed tunc debet admonere eos, qui malum impendens avertere possunt, & si hæc monitio sufficiat ad impediendum damnum, non nominata persona, a qua illud imminet, non licet eam nominare. Quia nemisem licet sine necessitate lædere in fama aut aliis bonis, præsertim privata auctoritate.

Sed si delictum sit occultum, & probari possit, sed ex eo non impendeat damnum, & speretur proximus emendandi privatis monitis, & ad debitam satisfactionem inducendus; an privato licet eum accusare, non præmissa monitione secreta?

Resp. Juxta multos non licet: quia tunc sine justa causa infamaretur proximus, & hoc saltem repugnat caritati. Sed S. Thom. in 4. dist. 19. art. 3. qu. 1. ad 4. postquam horum sententiam retulit, addit: *Vel dicendum secundum alios, quod in accusatione non agitur ad emendationem peccantis, sed ad bonum commune, scilicet justitiam conservandam per punitionem delinquentis. Et ideo accusatio in judicio bona conscientia potest fieri, etiamsi monitio non præcedat. Nec est contra præceptum Domini, quod intelligitur, quando agitur ad emendationem peccantis.*

Quæst. II. *An accusator aliquando tenetur desistere ab accusatione?*

Resp. Tenetur quando deprehendit accusatum esse innocentem, vel cum crimen incipit esse dubium, & tale remanet post diligentem veritatis inquisitionem; vel cum videt se probare non posse: tunc enim injuriam inferret, si pergeret in accusatione: nam quisque jus habet ne accusetur crimine falso, aut dubio, aut etiam vero, quod probari nequit, nam frustra accusaretur, & sic sine causa ei inferretur infamia.

§. III. *De Testibus.*

Suppono ad legitimam & plenam in judicio probationem regulariter requiri & sufficere duos testes, ut constat ex omnium sententia & praxi, & ex Matt. 17. *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.*

Dico *regulariter*; nam aliquando unus sufficit, ut ad impedienda matrimonium c. 25. *de sponsalibus* item ad leviores pœnas: unde ex testimonio publici custodis multari solent furantes ligna in sylva communi, & in religionibus leves pœnitentiæ imponi solent ex unius testimonio: quia in iis ita expedit facere ad bonum commune. *Ita Deluge.* Aliquando vero duo testes non sufficiunt, ut in testamentis &c. Testes autem debent sensu externo percepisse id de quo testantur, & de eodem facto eum iisdem circumstantiis deponere, & esse omni exceptione majores, hoc est, contra quos nihil jure opponi possit, cur non sint ad testificandum admittendi.

Sunt autem aliqui qui jure rejiciuntur, nimirum, 1. Servus. 2. Mulier jure canonico in criminalibus, sed in jure civili in omni causa admittitur. 3. Minor 20. annis in criminalibus, in civilibus autem impubes. 4. Inimicus. 5. Consanguinei & domestici actoris, exceptis quibusdam casibus apud Leffium. 6. Infames. 7. Perjuri. 8. Socii criminis. 9. Persona vilis & inops, de qua suspicio est facile posse corrumpi, secus si honesta sit. 10. Delirus, semifatuus. Excipe tamen ii, qui solo jure positivo sunt ad testificandum inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis; ut hæresi, crimine læsæ majestatis, falsæ monetæ, maleficio, furto famoso &c. Item quando delictum est commissum eo tempore, & in eo loco, ubi copia testium haberi nequit, ut in campo, sylva, cubiculo, nocturno tempore.

Quæst. I. *An & quando quis tenetur testificari?*

Resp. 1. Ex communi sententia, est obligatio sub mortali, 1. Cum hoc necessarium est ad avertendum grave malum impendens spirituale vel temporale publicum, vel privatum innocentis, quamvis id non requiratur a Judice. Nam tunc tenemur denuntiare, ut dixi, & caritas graviter obligat ad proximum ab injusto damno liberandum, & ad damnum injustum proximi impediendum. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 70. art. 2. addens: *Si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim in Psal. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*; & Prov. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem... Super his vero quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi cum a superiore compellitur secundum ordinem juris. Quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc spetiale damnum nascitur; vel si immineat periculum accusatori, non est curandum: quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. Alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet, eo nolente.* Si tamen accusator ex obligatione accusarit, v. gr. quia crimen rei. vel religioni directe pernitiosum erat, quale est hæresis, conspiratio contra principem: tunc debet ejus damnum vera testificatione avertere.

2. Posito præcepto superioris, vel judicis, excepeis casibus mox dicendis. Nam omne præceptum justum obligat in conscientia, & bonum commune id exigit; alioquin enim crimina sæpius impunita manerent, & justitia non posset administrari, cum gravi reip. detrimento.

Porro secundum multos testis legitime interrogatur, ideoque tenetur testificari, quoties præcesit vel accusatio, vel denuntiatio, vel querela ab alio porrecta; nec ad hoc requiritur (licet a fortiori sufficiat) infamia delinquentis, aut semiprobatio, aut indicia, sicut requiritur ut reus ipse legitime interrogetur. Quia bonum commune postulat ut Judex habeat tunc jus interrogandi: nam alioquin nunquam posset punitri crimen certum, cujus auctor est occultus, & sic plurima crimina forent impunita, quod est contra bonum publicum. Plus autem requiritur, ut quis teneatur testari contra seipsum, quam contra alium extraneum; potestque facile haberi semiprobatio absque confessione rei, quæ vix ac ne vix quidem habetur absque testimonio testis.

Resp. 2. Etiam posito præcepto & monitorio, non tenentur ex communi sententia testari nec deferre; 1. Qui rem norunt ex confessione sacramentali. 2. Qui rem acceperunt sub secreto naturali, consilii vel auxilii petendi causa, ut Advocatus, Theologus, Medicus, Obstetrix, Chirurgus &c. Nam tunc est obli-

obligatio naturalis servandi secreti, alioquin peccatores a consilio petendo averterentur; unde desperatio & multa mala sequi possent: nec tunc est intentio Judicis ut revelet, cum bonum publicum & conservatio societatis civilis exigat secretum servari. Excipe, nisi testificatio necessaria sit ad avertendum imminens grave damnum communitatis, vel privati innocentis: tunc enim tenetur aperire secretum etiam juratum, quod tunc non obligat, cum sit de re illicita. Nam quisque tenetur, saltem ex caritate, impedire grave damnum publicum, vel privatum innocentis, qui reo praeferendus est. *Ita comm. cum S. Tho.* Alii autem qui delictum viderunt, vel ab aliis audierunt, & possea jurant non revelaturos, tenentur obedire praecepto, etiamsi non agatur de damno aliorum evertendo: nam qui secluso juramento vel promissione tenentur revelare, adhuc tenentur non obstante juramento, quod tunc non obligat, cum sit de re illicita & contra jus superioris. 3. Qui cum accepit a viris non fide dignis, quia haec testificatio nullam in judicio facere fidem. 4. Si scias alterum non peccasse mortaliter: nam mens Judicis est inquirere de relicto graviter culpabili. 5. Si ex tua testificatione tibi vel tuis imminear grave damnum, nisi bonum publicum eam exigat, vel nisi privatum damnum alienum impediendum tuo longe praevalear, ita ut secundum regulas prudentiae & caritatis tenearis illud subire. Nam leges humanae ordinarie non obligant cum gravi nocumento seu damno. 6. Pater, filius, maritus, uxor, fratres, sorores, consanguinei vel affines delinquentes usque ad secundum gradum juxta aliquos; & juxta plures usque ad quartum, ex cap. *Si testes 4. qu. 3.* referente legem Jul. 4. *ff. de testib.* tum quia bonum commune requirit, ut conservetur pax, & vitentur odia ac dissensiones in familiis: tum quia ordinarie id fieri nequit sine gravi damno revelantis ob conjunctionem. Excipe semper crimina laesae majestatis, haeresis, venefici, allaeve, quae communitati grave damnum afferent, nisi revelarentur.

An autem famuli ac domestici eximantur a testimonio ferendo contra dominum, controvertitur. Sed in hoc standum est praxi fori contentiosi, in quo si illorum exceptio non admittatur, testari tenentur.

7. Quando per mandatum intenditur solum emendatio rei, vel satisfactio partis laesae, qui novit crimen, non debet illud aperire aute promissam monitionem, nisi conster non profuturam. Nam praeceptum correptionis fraternae tunc urget, & cum sit juris naturalis ac divini, ejus obligationem tollere nequit praeceptum humanum. Quod si reus monitus resipuit, & satisfecit, non licet eum denuntiare. Quia diffamaretur proximus sine justa causa; nec superior censetur velle tunc revelationem, cum jam ejus intentioni satisfactum sit. Si vero Judex intendat punitionem, secundum multos tenetur subditus reum patefacere etiam post ejus emendationem, quia bonum commune id exigit, alioquin enim crimina saepe manerent impunita, & sic in perniciem reip. multiplicarentur.

8. Monitorium non obligat ad revelationem ipsum auctorem criminis, nec cooperatores; possunt tamen per censuras compelli ad satisfaciendum parti laesae.

9. Si crimen per illatam injuriam, v. gr. litteras aperiendo, cognovisti: quia haec injuria conventioni de secreto servando aequivalet, nullum jus ex injuria oritur ibi.

Nota. Qui intra tempus in monitorio praescriptum non revelavit, cum debuisset; peccavit mortaliter, & excommunicationem latam contrahit, teneturque quam primum commode poterit, revelare, si hoc adhuc prodesse possit: *Ita communis*. Quia non cessat obligatio cessante termino, quando terminus non ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam apponitur, quando hic fit. Et talis adhuc manet in peccato inobedientiae, & potest obedire praecepto: ergo tenetur.

Quaest. II. *Quandonam testis peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem?*

Resp. In his casibus, 1. Si affirmet ut verum id quod non certo novit. 2. Si dum testari tenetur, occultet se, ne interrogetur. 3. Si Judex legitime interrogaverit non obediat. 4. Si veritatem occultet, c. 1. *de crim. falsi*. 5. Si pro dicenda veritate pretium accipiat; non tamen pro labore itinetis, impensis, vel lucro cessante. 6. Si falsum testetur, quod est grave scelus, ex Prover. 6. *Sex sunt quae odit Dominus ... testem fallacem*; & c. 21. *Testis mendax peribit*. Praeter perjurium peccat contra justitiam, & tenetur reparare omnia damna inde secuta: immo & revocare testimonium cum pari suo damno, & periculo etiam vitae, si accusatus de ea periclitetur, & retractatio putetur profutura. Quia per injuriam est causa efficax periculi & damni alterius: & in damno aequali melior est conditio innocentis, ejusque potius habenda ratio. Hinc etiam qui alium induxit ad falsum testimonium tenetur ex justitia eum monere, ut illud revocet: quod si noluerit, tenetur qui induxit, rem totam aperire Judici, etiam cum periculo vitae, si innocens illud habeat, & spes sit, retractationem profuturam: quia est causa injusta talis periculi, & damni.

Porro testis, qui bona fide testificatus est falsum, tenetur ex justitia suum testimonium retractare, si ex eo sequatur damnum alteri. *Ita Molina, Delugo, Lessius, & alii*. Quia quisque tenetur ad procurandum, ne ex sua actione sequatur alicui damnum injustum.

Peccant similiter contra justitiam, & tenentur de damno, qui falsa instrumenta conficiunt, aut vera adulterant, & iis ad pervertendum judicium utuntur. item qui aliquam scripturam, vel syngrapham, aut apocham adulterat, peccat mortaliter, etiamsi ista fiant ad manifestandam injuriam propulsandam, & tuum jus certum recipiendum: quia ista facienda decipit remp. in re gravi, ac nocet publicae fidei: unde ill graviter legibus veritum est. Hoc tamen casu non tenetur ad restitutionem, cum habeat jus certum ad rem hac via accepram. Idem die de eo, qui scripturam publicam amisit, si pro sua indemnitate aliam similem efficiat: nam ejusmodi scripturarum fallificatio est valde perniciosa reipublicae, cujus maxime interest, ne falsificentur scripturae, vel sigilla publica, alioqui magna ex parte periret fides actuum publicorum, si hoc licitum esset. Quare lex id vetans, cum justa sit, & in materia gravi graviter obligat.

Quaest. III. *An tenetur ad restitutionem, qui a Judice etiam in generali citatus se occultat, vel testimonium fraude declinat, vel veritatem retinet?*

Resp.

Resp. Communior sententia asserit. Quia respublica imponit onus ac officium ferendi testimonium post citationem; & sic qui aliquid scit tenetur ex officio sibi impositio tamquam publica quaedam persona veritatem testari; sicut qui a rep. invitus constituereturJudex, teneretur ex justitia judicare. Praeterea lex ac justum praeceptum Judicis tribuit actori ac reo jus ad testimonium alterius, sicut sententia justa tribuit ad bona alterius. Alioquin quilibet saepe frustra jus haberet implorandi auctoritatem Judicis. Quare si testis veritatem taceat, injuriam facit, & sic tenetur refarcire damnum inde parti laesae secutum.

Item qui subtrahit, supprimit, lacerat, vel tradere renuit instrumenta alteri profutura ad suum jus obtinendum, tenetur damnum restituere, cap. *Si quis* 22. q. 2. etiamsi fit in favorem adversarii, ex cap. 4. *de sep. cogend.* ubi Alexander III. ait: *Quod nemo debet adversario instrumenta subtrahere; & quod tam ille qui subtrahit instrumenta, quam qui adversario patrem advocationis copiam subtrahit, iniquam ostendit a se litem foveri, & experiri debet in se judicis auctoritatem ejusdem*.

Quod si fugias, vel te occultes antequam citeris ad testificandum, juxta multos pecces etiam contra justitiam; & teneris ad restitutionem. Sed hoc negant alii, eo quod jus, quod oritur parti ex tuo testimonio, procedat ex solo praecepto, & praeceptum non obligat antequam impositum sit. Teneris tamen, saltem contra caritatem: quia haec obligat ad impediendum grave damnum injustum proximi, cum possit impediri saltem sine gravi nostro damno.

§. IV. *De Reo.*

Quaest. I. *An reus teneatur fateri veritatem?*

Resp. 1. (Vid. N. 371.) Si reus non interrogetur legitime seu juridice, non tenetur fateri suum crimen; sed potest Judicem eludere, aliique tamen mendacio. Quia Judex non habet jus interrogandi reum, nisi cum procedit juridice. Ut autem interrogetur juridice seu secundum ordinem juris, requiritur ut praecesserit vel infamia, vel indicia competentia, vel semiplena probatio seu assertio unius testis omni exceptione majoris, ex cap. 21. & 24. *de accusat.* quamvis juxta multos ad interrogandos testes ab accusatore productos sufficiat accusatio. Quare Judex debet reo aperire etiam causas, probationes, indicia, testes, ut sciat se juridice interrogari; & ut si quid contra habeat, possit apponere.

Resp. 2. Reus a legitimo Judice juridice interrogatus, tenetur sub mortali aperire veritatem & crimen suum fateri, etiamsi morte plectendus sit, alioqui eam vitaturus. Ita S. Tho. 2. 2. qu. 69. art. 1. Covarruvias, Cajetanus, Navarrus, Sotus, Toletus, Azor, Lessius, Sanchez, Layman, Turrian. efique communis sententia, teste Delugo, contra alios docentes non teneri, si alias sit spes evadendi; secus si absit.

Prob. Quia Judex in hoc casu habet jus interrogandi, & exigendi veritatem ob bonum publicum: ergo reo inest obligatio eam fatendi, facitque contra jus Judicis, auctoritatem & justitiam publicam, si eam occultet. Nam jus in Judice ad interrogandum reum, exigendamque ab eo veritatem, & obligatio in reo ad illam clare deregendam, sunt duo correlativa, quorum unum sine alio esse nequit. Et vero si reus non teneretur veritatem fateri, non posset juste torturis adigi ad eam confitendam, cum iniquum sit torturis compellere aliquem ad id, ad quod non tenetur. Praeterea quisque sub mortali tenetur superiori legitime praecipienti obedire in re gravi; at Judex est superior, & legitime praecipit, dum secundum juris ordinem interrogat reum. Unde Catech. Rom. de octavo praecepto ait: *De reis autem & similibus unit est Deus verum confiteri, cum ex judicii formula interrogantur*. Jam vero praeceptum humanum justum, cui per se conjunctum est periculum mortis obligat cum tali periculo; alioqui nunquam per se obligaret. Item praeceptum humanum obligat cum periculo vitae, dum sit ob bonum commune grave & necessarium. Bonum autem commune est, ut crimina puniantur, & ut reus juridice interrogatus veritatem fateatur: alioqui saepe judicia eluderentur cum magno reip. damno, & multa crimina impunita manerent, unde facile pullularent: Et discrimen est inter reum & testem: quod hic fit innocens, non ille.

Neque dicas, Judicem habere jus praecipiendi reo ad mortem condemnato, ne fugiat e carcere, & ramen reo licet fugere. Nam si Judex habet jus reo hoc praecipiendi, & revera praecipiat, tunc non licet reo fugere; quia praeceptum justum ac legitimum violare per se illicitum est, ideoque nequidem mortis vitandae causa licitum esse potest. Sed hoc praeceptum non est necessarium bono communi, sicut est praeceptum clare confitendi veritatem, quia facile haec fuga aliter impediri potest.

Neque etiam obstat, quod testes a Judice interrogati veritatem revelare non tenentur, si inde ibi aut suis grave detrimentum timeant. Nam tunc jus judicis in tali casu non se extendit erga testes, sicut erga reum, nisi hoc necessarium sit ad impediendum grave damnum communitatis: testes enim utpote innocentes, jus habent vitam, bona sua & consanguineorum conservandi; non autem reus ob crimen a se patratum & semiplene jam probatum.

Denique reus non potest evadere nisi mentiendo; omne autem mendacium in judicio justo circa crimen, est mortale, cum sit in re gravi & contra justitiam. *Ille qui mentitur in judicio se excusando, facit & contra dilectionem Dei, cujus ab judicium; & contra dilectionem proximi, tum ex parte Judicis, cui debitum negat, tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat*. Unde & in *Psal.* 100. dicitur. *Ne declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis*, ait S. Th. q. 69. art. 1. ad 3. Adde quod a reo exigatur juramentum de dicenda veritate. Quare non potest absolvi reus, nisi veritatem aperuerit saltem ante sententiam: nam quamdiu judicium durat, censetur eadem interrogatio Judicis durare, idcoque eadem tenetur veritatis obligatio, & negatione illa injusta causam injustam tuetur. Ita communiter Doctores, teste Sanchez contra dicente.

Imo juxta Corduh. Navar. Caballus. & alios, etiam post sententiam mortis tenetur. Sed hoc alii negant; nisi necessarium sit ad avertendum grave malum publicum aut privatum, eo quod, sententia lata, judicium sit finitum; & finito judicio finitatur rei obligatio ad respondendum: nam cessat finis in-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

terrogationis, qui est rei damnatio vel absolutio.

Item, lata sententia, cessat prorsus interrogatio Judicis; immo ipse jam non potest interrogare, quippe qui functus est officio suo, ex c. 10. *de fide instrum.* & ex l. 55. *de re judic.* ibi. *Judex postquam semel dixit sententiam, judex esse desinit.* Neque hæc confessio rei necessaria est ad securitatem conscientiæ Judicum; nam si judicarunt secundum allegata & probata, securi sunt absque tali confessione; si secus, ea nihil ipsis prodest ad solatium. Nec inde sequitur infamia Judici ut aliis, cum omnibus notum sit, solitos esse reos crimina negare. Reus tamen post damnationem teneretur crimen fateri, si ejus confessionem exigeret bonum commune vel scandali amotio, vel si esset periculum, ne quis postea innocens eodem crimine accusaretur & damnaretur. Item caritas exigit, ut proximi damnum grave impediamus, cum possimus sine nostro gravi damno.

Porro consentiunt Doctores, reum, si absolvatur, non teneri apud Judicem confiteri crimen suum, sed ei sufficit confessio sacramentalis cum debita pœnitentia, quia jam est extra Judicis potestatem.

Resp. 3. Reus interrogatus tenetur etiam complices seu socios sui criminis patefacere, si contra eos stent indicia sufficientia, vel unius testimonium, aut infamia, vel si ejus crimen ex se sine sociis fieri nequeat, & bonum commune exigat ut detegantur; nam tunc legitime interrogatur de illis. Secus, si ista omnia desint, quia tunc non interrogatur legitime, ex l. *ult.* Cod. *de accusat.* & c. 1. *de confessis*, nisi crimen exceptum sit, & in publicam pernicem tendens, ut hæresis, crimen læsæ majestatis, proditio, publicum latrocinium, venefitium, falsatio monetæ, vel committendum sit in privatæ personæ perniciem. Tunc enim tenetur complices patefacere, saltem quos non scit esse emendaros, alioqui non absolvendus: quia hoc saltem caritas exigit. Item tenetur complices detegere, dum legitima confuetudo obtinuit, ut etiam in privatis criminibus occultis, quæ detegi reipublicæ interest, reos de complicibus interrogetur.

Resp. 4. Reus, qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit, ob quod lit morte plectendus, peccat mortaliter. Quia est directe & positive causa moralis injustæ suæ mortis, cum falsa sui infamatione directe moveat Judicem ad injustam sui occisionem: eliue tam sui homicida, quam qui alteri falso testimonio mortem infert, cui illius homicida. Cum autem homo non sit dominus suæ vitæ ac membrorum, ei nunquam licet dare injuste causam destructionis ejus. Quare non potest absolvi nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi.

Quæst. II. *Quandonam licet reo appellare?*

Resp. Licet si prudenter judicet sententiam esse iniquam, vel quia est innocens, vel quia si fit nocens, damnatus est ad pœnam justo graviorem, nec est servatus ordo juris: nam cuique licet justum præsidium contra injuriam sibi quærere, cap. 53. *de appellat.* At ei non licet, si patet contrarium; *Cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum,* c. 6. *de appellat.* Conc. Later. Alioqui faceret injuriam tum judici, cui calumniam imponit, & cujus officium impedit, tum adversario suo, cujus justitiam quantum potest perturbat ac impedit. *Iniqua est omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non cogit*, ait S. Bernar. l. 3. *de consider.* c. 1. unde injuste appellans tenetur omni jure ad impensas litis, & alia damna adversario inde secuta.

Quæst. III. *Quid licitum est reo circa pœnam & fugam?*

Resp. 1. Reus juste damnatus ad mortem, quam vitare fugiendo nequit, ex communi sententia tenetur ad locum destinatum proficisci, collum parare, manus apponere, & facere ea, quæ a ministro justitiæ commode fieri nequeunt. Quia hæ actiones sunt necessariæ saltem moraliter ad executionem pœnæ justæ, cum fine illis non possit saltem convenienter & commode pœna justa executioni mandari. Unde consentur juste præcipi a judice per sententiam mortis, ut convenienter exerceatur justitia: & aliunde sunt de se indifferentes, nec ex natura sua connexæ sunt cum morte. Non licet tamen reo exequi pœnam mortis aut mutilationis, v. gr. venenum haurire, pectus gladio transfigere, suspendio se præfocare, se projicere e scala; quia seipsum directe occideret, quod nemini licet, sicuti nec se mutilare, & ista crudelitatem in seipsum sapiunt, ac repugnant juri naturali.

Resp. 2. Reo esti vere nocenti licet ante & post sententiam fugere ad vitandam mortem, aut mutillationem, nisi se obligaverit ad permanendum. Ita communiter cum S. Thom. qu. 69. art. 4. ad 2. quia non conjicitur in carcerem, ut ibi tenatur sponte remanere: nam esset nimis grave ac durum tale præceptum, ob summam hominum ad sui conservationem a natura insitam inclinationem; nec hoc est necessarium ob bonum commune, nam potest facile aliter detineri.

Hinc regulariter licet reo fugere ad vitandam mortem, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit; nisi juramento, aut voto, aut speciali promissione se obligaverit ad permanendum, cum tunc utatur jure suo. Item licet fugere ne capiatur, vel etiam a ministro apprehendente se exercere; non tamen vim inferre custodi vel ministris, percutiendo, vulnerando &c.

Resp. 3. Multi, immo, teste Delugo, Doctores communiter censent, reo licere vitandæ mortis causa carcerem effringere. Quia cum fuga sit ei licita, licitum est etiam medium ad id necessarium: neque in hoc resistit formaliter Judici, sed fugit periculum. Neque vim infert potestati publicæ, quia hæc non est in vinculis & lapidibus, sed in Judice & ministris.

Negant autem eum tunc violare jus reip. sed præcise uti jure suo. Dicuntque leges id sub capitali pœna vetantes, l. 1. §. *de effract.* esse meæ pœnales, & se habere velut vincula, quæ reum pœnarum metu contineant. Unde non est punitio proprie dicta, sed modus coercendi & retinendi reum, ne fugiat. Delugo vero air, eas leges quoad mortis pœnam esse injustas.

An autem aliis liceat suppeditare reo instrumenta ad effringendum carcerem, negant Toletus, Navar. Sotus, Valent. & alii, qui tamen fatentur reo licere effringere carcerem, quia ista suppeditare est contra bonum publicum, exigens ut custodia publica sit firma ac tuta. Affirmant Cajet. Salon. & alii, quia licet consulere reo fugam utpote ei licitam, quidni & præbere media ad hunc finem necessaria? Item licet reo ostendere viam & modum, quo possit elabi. Ergo &c.

Consentiunt omnes id non licere officialibus & ministris justitiæ: quia agerent contra officium suum, quo tenentur diligenter reos custodire & Judici subservire. Negant etiam omnes, teste Delugo, licere aliis reum juvare effringendo exterius carcerem seu portas, effodiendo paristes, vel alia similia faciendo; quia custodiam publicam violarent, & aliasnihil posset esse satis firmum ac turum ad custodiam reorum, quod crederet in maximum reip. detrimentum. Si enim non licet effringere portas, vel parietes domus privatæ, minus licebit domus publicæ, per quod publica potestas offenderetur. Et quamvis id liceret reo ipsi, propter naturale jus conservandi vitam, non tamen hoc licebit aliis quibus id non necessarium ad sui conservationem.

Resp. 4. Reo ad mortem juste damnato non licet resistere, nec se defendere contra Judicem vel executores sententiæ. Quia resisteret potestati a Deo ordinatæ ad vindictam malorum, ideoque sibi damnationem acquireret, ad *Rom.* 13. Deinde Judex ac ministri habent jus puniendi reum & exequendi sententiam, & sic iis resistendo fieret injuria, nec potest esse bellum ex utraque parte justum, secluso ignorantia invincibili. Ita S. Thom. qu. 69. art. 4. addens innocenti injuste seu contra ordinem juris damnato licere resistere, sicut licet resistere latronibus, nisi propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis perturbatio timeretur.

Innocens vero damnatus per sententiam justam in foro exteriori, utpote latam secundum allegata & probata, licet carentem veritate, tenetur pœnam patienter tolerare, si non potest eam vitare sine resistentia publica, & scandalo; nam semper talis resistentia est illicita, quando sententia justa est secundum allegata & probata: tunc enim Judex utitur legitime potestate legitima, cui non licet resistere; & habet jus exequendi sententiam. Ita Sot. Malder. Covar. Vasquez, Sanch. Lessius dicens esse fere communem sententiam. Quod si damnatus posset sine violenta resistentia & scandalo pœnam effugere, tunc non tenetur ad illam sustinendam, cum sit vere innocens.

Resp. 5. Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore justitiæ. Imo mortem commerito licet se Judici ultro sistere, & occasionem justitiæ exercendæ offerre. Nam sicut alteri licet suadere Judici, ut publica auctoritate reo justam mortem decernat; ita & reo idem licet ad satisfaciendum Deo & justitiæ publicæ.

Resp. 6. Ex communi sententia, damnatus ad exilium, vel ad pœnam carceris, saltem non valde molesti, tenetur eo se conferre, & manere in exilio vel in carcere. Ita S. Th. Sanchez, Suarez asserens esse communem sententiam. Et proinde non licet aliis suppeditare ei instrumenta ad effringendum carcerem. Item damnatus ad mulctam pecuniariam, tenetur eam solvere, etiam antequam exigatur, si Judex expresse jubeat, ut sine alia monitione rem eam solvat. Quia hæ pœnæ non habent injustitiam nec crudelitatem ex hoc præcise quod a reo executioni mandentur. Reus autem tenetur per seipsum exequi pœnam justam non nimis acerbam, ad quam a judice damnatus est, præsertim cum talis pœna, ut est carceris, exilii, & mulctæ, non egeat executione alterius, nam quisque tenetur parere justæ sententiæ, & obedire superiori justa & moraliter possibilia præcipienti.

Porro si reus ante solutam pecuniam moriatur; tenentur hæredes eam solvere: nam succedunt in eodem onere bonis affixo. Cum autem jura dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna, quæ nondum fuit debita vivente reo.

Non pauci censent, damnato ad triremes licere fugere, nisi data fuerit fides præsertim jurata remanendi. Quia non tam damnatur, uti ibi maneat, quam ut detineatur: & quia nimis esset grave reum obligari in conscientia ad sponte manendum, quando fugere posset; cum in triremibus manere sit res durissima, quod extendunt ad perpetuum carcerem valde molestum. Nisi sit religiosus: nam is ex communi sententia tenetur manere, quia ex voto obedientiæ tenetur parere Prælato in hac pœna justa ipsi præcepta.

§. V. *De obligationibus Advocati.* (1)

Dico secundum communem sententiam: Advocatus tenetur ex justitia, 1. Habere competentem scientiam, qua valeat sufficienter justitiam & meritæ causfarum securitatem jura cognoscere & proponere, cum pro idoneo Advocato se exponat: & ut talis stipendia accipiat; alioquin se committit periculo graviter nocendi aliis.

2. Suo clienti præstare diligentiam debitam pro qualitate causfæ, & fidelitatem, eique inficare causfæ æquitatem, vel injustitiam, probabilitatem obtinendi, & periculum eam perdendi. Nam hæc omnia pertinent ad ejus officium: & si pendio conductus est, ut utiliter, juste, diligenter negotium gerat.

3. Abstinere se a fraudibus, falsis probationibus, conviciis, & aliis injuriis contra partem adversam: nam ei faceret injuriam.

4. Non

(1) *Notabimus hic, rescripta & Brevia pro exercendo Advocati munere; Monachis, etiam Canonicis Regularibus nunquam concedi, quod sit conforme Canoni* Ex parte tua *De postulando: Lambertinus* de Synodo Diœcesi. *lib.* 13. *cap.* 10. §. 12. nov. Edit.

Item: *Sæcularibus Clericis, etiam Beneficiatis, cum & sacris Ordinibus initiatis conceditur, ut Advocaturam exerceant in Tribunalibus Ecclesiasticis, in laicalibus, & coram Judice sæculari, cum agitatur causa propria ipsorum, vel Ecclesiæ suæ, vel miserabilium personarum. Quamquam in brevibus libere conceditur Sacerdoti sæculari pauperi, ut libere causas civiles, & criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur; quin & tamdiu mimus illud exercere permittitur, donec certos ecclesiasticos reditus ad congruam sustentationem sufficientes, vel Beneficium residentiale obtineat. Lambertinus* de Synodo Diœcesi. *l.* 13. *c.* 19. §. 12. nov. Edit.

4. Non accipere ultra pretium justum, scilicet taxatum: vel si non sit, illud censetur justum quod habetur tale judicio prudentum, spectata qualitate negotii, peritia Advocati, & labore, quem impendit, ac consuetudine approbata; nam excessus supra justum pretium est injustus. Nec ei licet pacisci cum cliente de aliquota parte, si vincat, nempe ut pro pretio det, v. g. tertiam vel quartam partem illius, quod ex victoria consequetur: nam hoc prohibetur, l. 13. *de pact.* ne Advocatus, quia suas res agitat, conetur per fas & nefas victoriam obtinere, & ne fraudibus occasio detur.

5. Non licet Advocato tueri causam, quam scit esse injustam, vel nihil fere habere probabilitatis, ita ut semper apud Judices rejiciatur. Nam injustum est, injustitiam tueri, & aliis ad eam inducere. Tamen ex causis civilibus aeque probabilibus, juxta multos, ei licet alterutram tueri, modo client de periculo perdendæ litis moneatur. Quia utraque pars habet jus proferendi suas rationes in judicio per se vel per alium, & advocatus solum sui clientis jura proponit, non judicat. Sed limito, modo cliens sit possessor, vel ipse Advocatus judicet clientis causam esse probabiliorem, aut saltem talem visum iri Judicibus. Nam non potest agere causam contra possessorem, quam judicat esse dubiam, & talem communiter haberi ac Judicibus visum iri, qua non ei licet causam suscipere, nisi quam talem esse judicat, ut eam possit probare Judici, & persuadere ut pro illa sententiam ferat; hoc enim est advocati officium. At tunc non potest talem judicare causam, quam censet esse dubiam; idque certius ac clarius est, si causa sit contra possessorem, cum ipse sciat in dubio & pari causa melioremesse conditionem possessoris, ideoque injuste eum vexatum iri.

A fortiori in causa criminali dubia non licet tueri partes actoris. Quia hic in tali casu graviter peccat contra reum: ergo etiam Advocatus, cum constet in dubio reum debere absolvi ideoque causam actoris esse injustam.

Item non licet suscipere causam civilem, quam certo judicat esse minus probabilem, & talem visum iri Judici. Nam defenderet causam, quam magis judicat esse injustam, quam justam, & induceret Judicem ad judicandum causam habenti jus minus probabile, ideoque ad injuste judicandum; conaretur que impedire, ne sententia feratur in favorem ejus cujus jus censet esse potius ac melius, quippe proinde vincere debet, quod iniquum est. Quare advocatus antequam causam suscipiat, tenetur ejus æquitatem & probabilitatem perpendere, eamque clienti indicare.

Hinc advocatus peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem. 1. Si cum non sit satis peritus ac idoneus, advocati officium suscipiat. 2. Si defendat causam, quam scit esse injustam: & tunc tenetur compensare omnia damna inde secuta, sive parti adversæ, sive clienti, quem non monuit de injustitia causæ, auxilium & consilium præstando pro injustitia. 3. Si quamdiutet causam sine ullo termino & consideratione ejus justitiæ suscipiat, solum attendens ad formalitatem juris, nihil expendens causæ meritum. 4. Si in progressu causæ iniquitatem deprehendens, non moneat clientem, ut desistat, nec ipse eam deferat: licet prius justam putaverit; nam alias scienter injustitiam mereretur. *Non debet tamen eam probare, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet*, ait S. Tho. q. 71. art. 3. 3. Si ob ejus imperitiam, vel negligentiam, vel malitiam cliens causa cadat, aut indebitas impensas faciat, vel aliud damnum patiatur, ex c. ult. *de injur.* Nam horum damnorum est causa injusta, sive committendo, sive omittendo contra munus sui officii, ad quod præstandum se tacite obligavit. 6. Si periculum litis amittendæ non indicet clienti, qui eo cognito non fuisset litigaturus. 7. Si causæ expeditionem cum damno clientis differat, & postponat. 8. Si fundamenta, vel secreta causæ detegat adversario. 9. Si in defendenda causa utatur aliqua falsitate, proferendo scripturas falsas, testes falsos, adducendo leges falsas, vel abrogatas, aut doctrinam reprobatam, vel leges vetas in falso sensu scienter detorquendo &c. 10. Si falsa crimina parti adversæ imponat, vel vera sed occulta ad causam non pertinentia referat, vel utatur convictis. 11. Si accipiat pretium justo majus. 12. Si injustam tranactionem scadeat. 13. Si plures causas accipiat quam recte expedire possit. 14. Si injustis dilationibus & cavillationibus partem adversam vexet, vel impediat, ne jus suum prosequatur. 15. Si scripta sua nimium extendat, & vanis ac inutilibus rationibus refarciat, ut majus lucrum acquirat.

Nota. Advocatus tenetur sub mortali in extrema vel gravi necessitate pauperum, gratis eis patrocinari, sicut etiam Medicus, Chirurgus, & alii operam suam gratis præstare tenentur. Nam quilibet tenetur ex caritate proximo graviter egenti impendere subsidium necessarium, cum potest saltem sine gravi suo damno; aliqui non amat proximum sicut seipsum. *Erue eos qui deducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cessas. Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua*, Prov. 24.

§. VI. *De obligationibus Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris, & Apparitoris.*

Dico. 1. Omnes generatim tenentur fideliter ac juste exequi suum officium; & proinde scire omnia, quæ ad illud spectant, debita que diligentiam adhibere. Quod si quid faciant, vel omittant contra proprium officium, peccant contra justitiam ideoque tenentur refarcire damna inde alis orta. Quæ enim sunt debita ex officio ad aliorum commodum spectante, debentur ex justitia, cum debeantur ex contractu implicito in assumptione officii: nam suscipiens officium, hoc ipso se obligat ad id omne, ad quod institutum est. Nec excusantur ob ignorantiam. c. ult. *de injur.* quia tenentur ex justitia sufficientem scientiam, ac peritiam habere, aut officium non assumere cum periculo damni aliorum, & *imperitia culpæ annumerantur*, l. 174. §. *de regul. jur.*

Item peccant, & teneatur ad restitutionem, si stipendium majus eo, quod lege vel consuetudine taxatum est, accipiant. Quia tunc accipiunt pretium operæ justo majus; cum pretium taxatum sit unice justum, & consistat in divisibili: ut patet in emptione; ne; nec excessus sponte donatur, sed dans vult taxatum solvere justum pretium. Quod si stipendium non fuerit taxatum, illud solum erit justum, quod secundum communem prudentum æstimationem est æquale operæ ac obsequio præstito: nam si sit inæqualitas inter pretium & operam, jam est injustitia. Speciatim vero.

1. Referens peccat, si defectum studii, aut diligentiæ sufficientis male referat, aut aliquid substantiale omittat: si contra unius jus magis, quam alterius exponere &c.

2. Secretarius peccat, si juramentum violet, si processus aut sententiam diligenter non custodiat, vel partibus sine mandato Judicis offendat, si testimonia non fideliter transcribat &c.

3. Tabellio seu Notarius peccat, & tenetur de damno, si ignorat quæ ad suum officium pertinent; si instrumenta non recte conficiat; si juramentum vel secretum violet: si in testimoniis testium, vel dictis ac factis partium aliquid addat, vel detrahat: si sincere omnia prout se habent non scribat, si ministro transcriptori cum erroris periculo aliquid committat; si acta & instrumenta negligenter custodiat, cum periculo damni partium; si diffesat instrumentorum expeditionem, ut pecuniam extorqueat: si testamentum hominis rationis usu destituti scribat; si testes falsos admittat: si sollemnitates necessarias in contractibus ex ignorantia, negligentia, vel malitia prætermittat; si conficiat instrumentum falsum, usurarium, vel injustum: si amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingat; si testimonium aliquod necessarium cum alterius damno non exhibeat; si parti petenti instrumenta sua vel alia, sine quibus recuperare nequit id quod sibi debetur, occultet, vel transumptum neget &c. nam in his omnibus peccat contra officium & justitiam, & causam damni dat.

4. Procurator peccat, si litem injustam suadeat, procuret, vel suscipiat; si suadeat reo vel parti, ut veritatem neget: si partes ad compositionem iniquam adducat: si falsos testes inducat: si differat ac protrahat causam, vel petat dilationes supervacaneas, aut non petat necessarias; si falsa, vel incerta ut certa proferat; si causam primo acceptatam, primo non procuret; si nomine partis juret sine particulari ejus informatione cum periculo pejerandi; si sua imperitia, vel negligentia, aliave culpa causa sit, cur lis perdatur &c. Vide dicta de advocato.

5. Apparitor peccat, si non servet jusjurandum; si accepto mandato capiendi aliquem, vel ejus bona spe muneris moneris, ut sibi caveat; si plura negotia expedienda in eodem loco, vel eodem die, tantumdem pro singulis exigat, quantum pro diversis itineribus, vel pro diversorum dierum expeditionibus acciperet; si lustrato domos alperius agat, ut aliquod munus extorqueat; si vim injustam, aut aliam injuriam inferat; si falsum in actis suis enuntiet; si tempore præscripto acta juridica sibi commissa non faciat &c.

CAPUT VI.

De obligationibus Ducum & Militum. (1)

Dico. 1. Belli Duces graviter contra justitiam peccant, ideoque ad restitutionem tenentur. 1. Si vi,

(1) *S. Joannes præcursor Domini breviter perstrinxit* Militum *officia, dum ejus temporis militibus salutare consilium ab ipso postentibus hac reposuit, quæ juxta Evangelium se vetent, & expiscat D. Bonavent.* (*Expos. in c. 3. Luc.*) Neminem concutiatis, idest, per vim potentiæ. Neque calumniam faciatis, sub specie justitiæ. Per rapinam consueverunt milites peccare, & ideo illam docet tamquam illiciam cavere. Sed, ne hoc videatur eis grave, ideo licita concedit, cum subdit; & contenti estote stipendiis vestris, idest, pro defensione rei publicæ statutis a Superioribus vestris. Ideo enim militibus stipendia constituta sunt, ne dum quæstus quæritur, præda grassetur. *Exinde porro colligit Seraphicus Doctor*, Beatum Joannem hic militare officium approbasse. *Ad finali notar*, ad licitum militiæ usum spectare, quod concurrat conveniens persona, & causa. *Primo necessaria* persona indicentis bellum, in qua requiritur, quod habeat potestatem: item persona agentis bellum, quæ debet esse laicus & secularis, non clericus vel religiosus: item persona patientis bellum, quæ talis sit injolentiæ, ut per bellum sit compescenda. *Secundo* causa conveniens est, cum est pro tutela patriæ, vel pacis, vel fidei. *Alibi* (*in 4. Sent. dist. 16. par. 1. dub. 25.*) *ostendit, honestati militiæ, ad quam ea omnia concurrunt, minime obstare sententiam D. Gregorii M. apud Gratianum* (*1. par. Decr. de Pœnit. dist. 5. cap. 6.* Falias) Miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi negotium relinquat, vel officium deserat. *Sic enim illud interpretatur*: Dicendum, quod militia, negotiatione, & officio telonii, sive vectigalium exactione, potest quis recte uti, si facit eo modo, quo instituta sunt; ut miles nemini injurietur, negotiator neminem circumveniat, & telonearius non exigat vectigal immoderatum, sed quod institutum est in certa causa & utili. Et hoc totum potest esse sine peccato: & hoc modo pœnitens potest in hoc statu salvari. Sed his propinquissimæ sunt abusiones, in militibus violentiæ, in negotiatoribus deceptiones, in aliis immoderatæ exactiones: & ideo hujusmodi sunt periculosa. Et quantum ad tales abusiones dixit Gregorius: non potest quis, quousque diminuat hæc, scilicet quantum ad abusionem. *De juribus belli, atque de Ducum, & Militum officiis fuse tractavit ex nostris Antonius Schiara Aptensis Cler. Reg. in peculiari op.* Theologiæ Bellicæ, *ex Protestantibus vero Hugo Grotius in libris de Jure belli ac pacis, qui tamen, ejus eruditione multiplici præditus, a catholica doctrina* (*N. 15.*) *interdum discordant. De Gabrielis, paullo ante obiter nominatis, Richardus de Mediavilla* (*Quod l. 3. qu. ult.*) *gravem exorsit quæstionem*: Utrum laici subditi dominis temporalibus teneantur solvere tallias de novo impositas, quæ non vergent nisi in utilitatem dominorum? *in qua quidem satius dicere malo, quam imprudens dicere.*

vi, vel fraude, dolove milites conscripserint. 2. Si suos milites invitos aliis Ducibus vendant vel commutant. 3. Si curam eorum, tum quoad corpus, tum quoad animam non gerant. 4. Si abeundi potestatem promissam denegent. 5. Si militibus stipendia debita subtrahant, vel minuant, aut potum vel cibum corruptum aut periculosum præbeant. 6. Si militum furta, rapinas, concussiones, stupra, & alia crimina, quantum possunt, non impediant, nec puniant. 7. Si pagos aliquos majori quam par sit militum copia gravent, vel si aliquos ob pecuniam acceptam a militum hospitio eximant, qui idcirco apud alios incolas militantur. 8. Si quid accipiant ad impediendas vexationes militum; nam ex officio & justitia jam tenentur eas impedire. 9. Si temere præsium ineant, vel sine causa justa vitam militum exponant. 10. Si fortiter non pugnent. 11. Si non habeant completum numerum militum, pro quo stipendia accipiunt. Nec licet eis, ad compensandum stipendium prius sibi debitum, postea in lustratione militum ficta nomina conscribere: tum quia compensatio licite fieri non potest fraude & falsitate; tum quia hoc fieret cum gravi damno seu periculo reipublicæ Principis, qui putans se habere tot milites, non plures conscribit vel mittit ad castra, unde hostes non vincuntur, aut etiam vincunt. 12. Si fidem hostibus datam frangant, aut dolose interpretentur.

Dico, 1. Milites omnes tenentur sub mortali ex justitia, 1. Duci, seu præfecto militiæ parere, fortiter pugnare, stationem servare, arcem sibi commissam diligenter custodire, & defendere etiam cum vitæ periculo. Nam ad hæc omnia præstanda conducti sunt, & stipendia accipiunt. 2. Sine Ducis sui licentia a castris & exercitu non discedere, nam sub hoc etiam obligatione conducti sunt, & alias non posset haberi sufficiens numerus ad pugnam paratus. 3. Non discedere a militia ante tempus conductum, nam pacta servari debent. 4. Suis stipendiis contenti esse, & neminem concutere, ex Luc. 3. Nihil auferre vel extorquere a non hostibus, & ab iis, apud quos diversantur; nec quidquam exigere præter id, quod a principe constitutum est, alioqui injuriam faciunt, & tenentur ad restitutionem, cum nullum jus ad ista habeant. Nec excusantur eo quod stipendia integre non solvantur; nam hæ solutio, sicut debitum, spectat ad solum Principem vel Duces; Milites enim alendi sunt ex ærario Principis; nec unus locus præ cæteris gravandus est. 5. Sine jussu Ducis, aut saltem post ejus prohibitionem damna hostibus non inferre, c. *Miles* 23. q. 5. nam ad hoc requiritur auctoritas publica, cujus Milites sunt tantum executores. Nihil auferre, vel exigere a subditis reip. hostilis, qui Principi vel Duci aliquid solvunt pro redimenda omni exactione & damnificatione: nam hac solutione jus acquirunt ad immunitatem ab omni damno & exactione. 6. Semper meminerint, se obligari legibus divinis & humanis, & semper teneri abstineri ab omni crudelitate, luxuria, ebrietate, blasphemia, impietate, perjurio, duello, injuria, sacrilegio &c.

Quæres. *An qui dubitant de justitia belli, possint aut debent militare?*

Resp. Subditi, qui de belli justitia dubitant, Principi jubenti parere debent, ac militare. Nam in dubio quilibet tenetur obedire superiori suo, cum hic sit in possessione potestatis præcipiendi; idque exigat debita subordinatio. *Vir justus si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum regem faciant iniquitas imperandi: innocentem autem militem offendat ordo serviendi*, ait S. August. lib. 22. contra Faustum c. 75. Idem dic de extraneis, qui ante bellum erant stipendiarii, quia debent Principi suas operas ad militandum, quo jure certo in dubio privari non debet Princeps. Item milites subjecti vel conducti justitiam belli examinare non tenentur, quamdiu nulla probabilis ratio in contrarium occurrit, quæ ipsis dubium positivum afferat. At extranei nondum stipendio conducti, belli justitiam investigare debent, nec militare, nisi facta inquisitione, prudenter judicent, talem Principem bellum justum gerere, alioqui non possunt prudenter judicare, se non peccare militando. Nec eis licet militare sub Principe, de cujus justitia dubitant; quia nulla cogente & excusante obediendi necessitate exponerent se periculo gravissimæ injuriæ aliis inferendæ.

Porro nemo debet contra proprium Principem aut patriam militare, cum hoc sit contra pietatem & fidelitatem debitam.

CAPUT VII.

De Obligationibus Medicorum, Pharmacopœorum, & Chirurgorum.

Disco. Hi tenentur sub mortali, 1. Habere sufficientem scientiam & peritiam. Nam lex naturalis & humana vetat, ne quis artem, præsertim periculis refertam, quam ignorat, exerceat; & alioquin se exponunt periculo gravissimæ detrimenta infferendi proximo. 2. Impendere debitam diligentiam ad curandos morbos: nam ad hoc ex officio & pacto saltem implicito, ideoque ex justitia tenentur. 3. Adhibere remedia tutiora, certiora, aut in horum defectum probabiliora, & quæ citius sanitatem allatura sunt, tum quia alioqui vitam proximi periculo imprudenter exponerent, tum quia tenentur ex caritate, & ex officio ac justitia, meliori modo quo possunt, & cum minimo damno ac periculo alios curare; & idcirco eorum opera conducitur. Quod si omnino dubium sit medicamen, nec probabiliter judicetur profuturum, communior docet, inquit, Fillucius, non esse dandum. Quia si detur, exponitur æger periculo, forte sanandus; si non detur & mors sequatur, ea non culpa Medici, sed violentia morbi evenit. Si tamen nulla sit spes de salute infirmi, nec adsit remedium nisi dubium, de quo scilicet dubitatur, num profuturum an nocitarum sit, debent illud adhibere: quia sic infirmi negotium utiliter geritur: nam potest curari si detur, & versatur in certo mortis periculo si non detur, melior que est salus incerta, qua mors certa. 4. Tenentur saltem ex caritate statim ægrum monere per se vel per alios de periculo mortis, ut suæ saluti æternæ mature providere possit. Et Concilium generale Lateranense IV. c. *Cum infirmitas*, de pœnit. districte præcipit Medicis, ut priusquam curationem corporis incipiant, infirmos *monent & inducant, ut Medicos advocent animarum*. Hanc legem innovavit S. Pius V. constit. 2. addendo, ne Medici ultra tertium diem visant ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet, cum scilicet morbus gravis est, vel periculum est, ne gravis fiat. (*)

Hinc peccant, 1. Si absque sufficienti peritia morbos curare tentent. 2. Si debitam curam & operam pro gravitate morbi non impendant. 3. Si medicamenta minus idonea, certa ac tuta, relictis certioribus, vel evanida anhibeant: aut cum certa desunt, sed si suppetant probabiliter utilia, dent inexplorata explorandi gratia. 4. Si curationem negligant aut protrahant lucri causa, aut naturam morbi non satis expendant, vel ea non bene perspecta, temere adhibeant remedia obvia, aut periculosa. 5. Si aliquid contra legem Dei suadeant. 6. Si sine justa causa carnium usum permittant, a jejunio præcepto avertant. 7. Si pauperibus graviter ægrotantibus gratis non opitulentur. 8. Si medicamenta ad impediendam generationem, vel ad fœtum expellendum præbeant, vel doceant. 9. Si optent morborum frequentiam. 10. Si occultos morbos pudendos eorum, quos curant, divulgent. 11. Si mercedem justo majorem exigant &c.

Mercatorum, Opificum & Operariorum obligationes ac peccata patent ex dictis de Contractibus, de Justitia, & aliis.

Paucis tamen rusticorum & opificum obligationes hic congero: Igitur.

Hi omnes tenentur, 1. Artis aut professionis suæ sufficientem peritiam habere. 2. Illam sine fraude, negligentia, & cujusquam damno exercere. 3. Debitam diligentiam ad opus suum perficiendum, & utile aliis, ac secundum rationabilem eorum voluntatem præstandum adhibere. 4. Nihil ultra justum pretium exigere. 5. Contractus & pactiones in omnibus fideliter observare.

Hinc graviter peccant, & ad restitutionem tenentur. 1. Rustici, qui gravi imperitia vel negligentia grave damnum domibus in messibus, arboribus agris, sylvis, vineis, aut animalibus præcreant. 2. Coloni, qui dominos suos defraudant, non præbendo integram fructuum partem, de qua convenerunt est, vel nomini de deterioribus frugibus; vel bona dominorum aut jura non curant. 3. Opifices, qui laboribus suis vel impensis parcentes, opus imperfectum ac vitiosum efficiunt. 4. Mercenarii, qui non diligenter laborant toto dies tempore, quo tenentur, & pro quo conducti sunt.

(*) *Non tamen tenentur sub gravi monere ægrotum in quocumque morbo, sed quando ita aliquis morbo corripitur, ut attentis omnibus indicare possit periculum esse, ut evadat mortalis* Instit. Eccles. 22. §. 18. *Consultius est tamen ut moneatur ægrotus, etiamsi non timeatur periculum illud. Si tamen ægrotus renuat confessionem, & morbus sit adeo periculosus, ut desertus a Medico timendum sit ne moriatur, docent tunc Theologi deserendum non esse a Medico, ne ægrotus amittat spem sanitatis recuperandæ, adeoque respiscendi.* Ibid. §. 17.

Non in fermento Veteri, neque in fermento malitiæ I. Cor. 5. 8.

TRACTATUS
DE SACRIS CHRISTIANORUM RITIBUS.

SAcrorum Rituum scientia: iis quibus animarum cura concredita sit, non solum utilis, sed etiam necessaria est: Ecclesia enim Ritus, sive cæremonias instituit, (hic enim de Sacramentis non agimus, quæ a Deo sunt instituta) tum ut aptiorem, quo Deus exteriùs colendus sit, modum demonstraret, tum ut sacra ordinate fierent, tum ut hominis per sensus ad divinum cultum alliceret, tum etiam, ut ea fidelibus objiceret, quæ vel Dei majestatem aliquo modo indicarent, aut in hominum memoriam revocarent collata humano generi beneficia, & gratias, quas Sacramenta conferunt; ac divinas promissiones, sive aliæ peculiaris Dei erga homines providentiæ argumenta, quibus fides, spes, & caritas, sive interior Dei cultus in nobis foveri, & augeri valeat. Voluit præterea ut homines, hoc exteriore, internum cultum invicem significando, ad vividius Deum colendum provocarentur, &, ut cæremonias usurpando, quas ipsa præscripsisset, facilius vanas, superstitiosasque devitarent. Sunt itaque cæremoniæ veluti instrumenta quædam animarum Rectoribus ab Ecclesia traditæ, & commendatæ, ut per ea facilius christianos homines a via perditionis retrahant, atque ad æternæ salutis consequutionem dirigant, Nequeunt vero Ministri iis ita uti, nisi sciant, quid sint, quia sint auctoritate institutæ, quo fine & quæ menti contemplanda exhibeant. Sacrorum ergo Ministris scientia hæc maxime necessaria est, præsertim iis, quorum cura christiani inter infideles hæreticosque degentes regendi, atque instruendi sunt. Ii enim Ecclesiæ instituendi ac præcipiendi Ritus auctoritatem vindicare tenentur, instituroque veteri utiles sanctosque tueri proponere, & explicare, ac ulterius cavere debent, ne infidelium superstitio-ne, & hæreticorum erroribus infician tur. Hac de causa S. M. Bened. XIV. pro singulari, quam gerit Dominici gregis, cura, studium hujusmodi, quod ipso mirifice excoluit, omnibus commendavit, voluitque ut publicæ in Urbe scholæ instituerentur: nihilque injunxit, ut in Collegio de Propaganda Fide adolescentibus ad Sacras Missiones destinandis institutiones de sacris Ecclesiæ Ritibus traderentur. Ne quidpiam ergo in Auctore nostro deesset, quod ad Parochorum, Missionariorumque institutionem necessarium videretur, in hac nova operis editione, fusius exposui, atque explicavi, quæ ad Sacrorum Rituum naturam, divisionem, originem, utilitatem, varietatemque pertinerent. En autem ordo, quem in iis tradendis servavi.

In primo capite. Agitur de Rituum definitione, & divisione.

In secundo. Regulæ nonnullæ proponuntur pro vanis superstitiosisque ritibus dignoscendis.

In tertio. De natura, origine, utilitate & necessitate Sacrorum Rituum disputatur.

In quarto. Ea, quæ ad exteriorem Ecclesiæ formam spectant, exponuntur, & collapta ipsi a Deo potestas asseritur, & vindicatur.

In quinto. Sophismata diluuntur novatorum adversus Catholicæ Ecclesiæ cæremonias.

In sexto. De Ecclesiæ Orientalis statu, deque Rituum in eadem varietate, tractatur.

In septimo. Historia recensetur eorum, quæ ab Apostolica Sede acta sunt, ut Orientalis Ecclesiæ Ritus vigerent, atque foverentur.

In octavo. De obligatione, quam quisque habet in semel suscepto Ritu permanendi.

In nono capite. Ritus indicantur, quos Apostolica Sedes proscripsit, & qui proscribendi videntur.

Denique septem alia addantur capita, quæ appendicis loco cuique de Sacramentis in particulari Auctoris nostri tractatui subjiciuntur, in quibus Orientalis Ecclesiæ circa Sacramenta disciplina declaratur.

CAPUT PRIMUM.

De Rituum definitione, & divisione.

DE Christianorum Ritibus dicturi a Ritus definitione exordium sumimus. Ritus itaque sive cæremonia, quæ idem in præsentia significat, *signum sensibile est, quod non natura sua, sed ex voluntate, & arbitrio instituentis cognitionem in nobis excitare debeat, quæ de officio nos moneat, & in propositum finem dirigat.* Itaque actio ac cæremonia quælibet, quæ sensibus nostris movendo ex vi sue institutionis id menti nostræ considerandum offerat, ex cujus cognitione, vel mandatum quod urgeat, vel proprii status obligationem, vel receptum beneficium, vel promissionem, aut quidpiam aliud intelligamus, quo in propositum finem dirigamur, Ritus nominatur. Sic signum Crucis, quo Christiani ex consuetudine ab Apostolis orta se signare solent, ac usus quoque etiam a primis temporibus ortus ferendæ Crucis, Christianorum Ritus appellantur. Primum enim memoriæ nostræ offerendo Christum pro nobis in Crucem actum, cognitionem in nobis parit, quæ fidem ac spem in nobis foveat, & caritatem, qua in propositum homini Christiano finem dirigimur. Crucis autem delatio mœstum illud Christi meditandum nobis exhibet, ut post Gregor. Magn. Nicol. Papa I. in respons. ad Cons. Bulg. exposuit, quo Crucem ferre, ipsamque sequi jubemur; quo quidem monito *corpus nostrum per abstinentiam, corporisque cruciatum affligere, & per compassionem proximi necessitatem nostram putare admonemur*, inquit Magnus Gregorius.

Primum Ritus divisionem, finis, quo nos dirigit, suppeditat, atque ita Ritus vel civilis est, vel sacer. Nam ut duplicem in hominibus in societate viventibus distinguimus finem, alterum in tranquillitate illa positum, quam in civitate exoptamus; alterum vero in æterna illa felicitate constitutum, quam in futura vita speramus; ita duplex rituum genus agnoscimus; qui instituti sunt, ut ea hominum memoriæ offerant, quæ ad tranquillam ac beatam in societate vitam agendam ducant, civiles Ritus nominantur. Hujusmodi sunt sceptrum, corona, aliique splendidi ritus, qui in Regum inauguratione adhibentur, ut veluti ad sensus majestate Principum indicata, fortius subditorum animi ad obsequia præstanda moveantur. Item distinctæ Magistratuum vestes, Judiciorum solemnitates, aliæque cæremoniæ, quæ eo sunt institutæ fine in Republica, ut homines de officio moneant, aut affectus illos in iisdem excitent, atque foveant, quibus facilius constitutus in ea ordo servari possit, ac opera tranquillitas obtineri.

Ritus vero, qui ita nos moveat, ut cognitionem in nobis excitet, quæ ad legem servandam, Deumque colendum nos ducat, sacer sive religiosus erit. Atque huc spectant omnes exteriores Dei cultus actus, qui ad interiorem cultum augendum, Deique honorem & gloriam promovendam ex institutis voluntate homines alliciunt, & provocant.

Cum sacri, tum civiles ritus, vel publici sunt vel privati. Qui vel ex consuetudine, vel ex privati hominis instituto a privatis hominibus in civili societate adhibentur, vel ad mutua inter privatos homines officia fovenda, vel ad conciliandam inter ipsos mutuam benevolentiam; dici possunt privati ritus civiles. Sacri vero ritus privati sunt, quos privatus sibi proponat, atque usurpet, ut eorum usu ea in mentem veniant, quæ interiorem Dei cultum fovere, vel augere valeant. Qui publica auctoritate instituti sunt ritus, ut in publicis functionibus societatis civilis usurpentur; sunt ritus publici civiles; ut ii quoque sacri ritus publici dicuntur, qui in publicum Religionis usum ab eo, cui jus competat erga sacra, sunt instituti.

Sacri Ritus ex parte institutionis, alii divini sunt, alii humani. Prioris generis sunt, quos Deus stabilivit; alterius vero, qui homines auctores habent. Cæremoniæ omnes, ac sacrificia veteris legis, nec non septem novæ legis Sacramenta a Christo Domino instituta, sunt Ritus divini. Ii vero, quos Ecclesia constituit, ut homines facilius a vitiis retraherent, ac per virtutis exercitium in Deum æternamque felicitatem dirigeret, humani ritus sacri nuncupantur.

Humani autem ritus dividi possunt in legitimos, atque illegitimos. Legitimi sunt, quos ii stabilivelint, quibus potestas inest præscribendi atque ordinandi ea, quæ ad Dei cultum pertinent. Illegitimi sunt, quos ille constituerit, qui potestate careat, quemque jura vetant ea stabilire, & ordinare, quæ ad Sacra pertineant. Hinc Novatorum Liturgiæ Laicorum hominum auctoritate confictæ, ac cæremoniæ omnes, quæ privata auctoritate sint institutæ, & publica Ecclesiæ auctoritate non probentur pro publicis Ecclesiæ functionibus, & in Sacramentorum administratione, illegitimi ritus appellantur.

Nota. Qui ritus illegitimos adhibent, non solum contra Ecclesiæ præceptum peccant, quo prohibentur alios præter probatos, & receptos in Ecclesia ritus in sacris functionibus usurpare, sed etiam hæreseos suspecti haberi possunt, si illorum probare videantur opinionem, qui omnibus ministris jus instituendi & mutandi sacros ritus competere arbitrentur; & hæretici sunt, qui hanc potestatem Laicis Principibus adjudicant.

Si rem sive causam materialem spectemus, Ritus aut personam spectant, aut tempus, aut modum, aut rem ipsam, nempe oleum, panem &c. Si causam formalem consideremus, nonnulli immediate ad Dei cultum pertinent, ut sacrificium, oratio, adoratio; alii ad cultum disponunt, ut jejunium, & cœlibatus; alii denique sunt divini cultus instrumenta, ut Templa, Calices, Aræ, &c.

Hactenus expolita generatim indicant, quinam esse debeant ritus, qui turo in vero, hoc ordinato Dei cultu adhibeantur. Superest ut de iis dicamus, quos veluti contrarios, ac vero Dei cultui inimicos devitare, ac detestari oporteat. Ii vero sunt, qui inordinatum vitiosumque Dei cultum redoleant ac foveant, & superstitiosi nominantur. Sunt autem triplicis generis, scilicet falsi, superstiosi sive vani, & idolatrici.

Falsi ritus sunt, qui cognitionem in mente excitent, ex qua falsum judicium, vel falsus cultus sequatur. Hujusmodi sunt hac nostra ætate veteris legis cæremoniæ, circumcisio, immolatio agni &c. quæ venturum Christum vi institutionis significant. Earum

rum itaque usus juxta vim, & potestatem, quam habeat, ad falso credendum induceret, non adhuc venisse, sed venturum esse Christum. Item Sacrificium Eucharisticum, vel Absolutio Sacramentalis a Laico homine peracta, falsus ritus esset, quia homines duceret ad credendum Sacerdotem esse, qui non sit Sacerdos, & Sacramenta perfici Eucharistiæ & pœnitentiæ, quæ non perficerentur, & ad falsum Dei cultum exhibendum. Rursus falsa miracula, sive per imagines indicata, sive allo modo publicata, falsæ revelationes, falsæ reliquiæ, ac Indulgentiæ confictæ ad populi etiam devotionem promovendam, & Dei gloriæ augendæ causa, sunt falsi Ritus, quorum usus, Deo, qui summa veritas est, & in veritate adorandus, maximam injuriam irrogant, & Religioni plurimum nocent, quia mendacium eam promovendo, cum impostura confundit, & quia occasionem prubent vera etiam miracula, veraque revelationes in dubio revocandi, & aspernandi. Denique inter falsos ritus omnes illæ cæremoniæ numerantur, quæ falsum aliquo modo esse significant, atque suadent, cujusmodi esset etiam ritus, qui veluti publica auctoritate institutus adhiberetur, qui tamen nonnisi a privato auctoritatem non habente, constitutus esset, cujusmodi esset oratio, vel cæremonia aliqua in Missa usurpata: quæ a privato viro excogitata esset.

Hæc omnia Christianos omnes graviter dedecent, qui Deum verum in veritate colere jubuntur; & Deo injuriam maximam afferunt, cujus honorem & gloriam in mendaciis & impostura collocarent. Hinc maxima semper in iis præcavendis Ecclesiæ cura fuit. Conc. Laodicenum can. 34. *anathema sint*, inquit, *qui ad Pseudo-Martyres accesserint*. In Capitularibus Caroli Magni statuitur, ut falsa *nomina Martyrum & incertæ Sanctorum memoriæ non venerentur*; & in variis Conciliis stabilitum est, *ut nulle falsi dogmatis imagines, & ruditus periculis erroris occasionem prabentes statuantur*. Videatur Conc. Trid. sess. 25. cap. *de invocatione, & veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus*, ubi *statuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas; nisi eodem cognoscente, & approbante Episcopo, qui simul ac de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis pii viri, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliquod de iis rebus gravior quæstio incidat, Metropolitani, & comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expectet: ita tamen, ut nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, novum aut hactenus in Ecclesia inusitatum decernatur.*

Superstiosi & vani ritus sunt, qui nec a Deo vel Ecclesia sunt instituti, nec communi fidelium usu recepti, & inutiles prorsus sint ad interiorem Dei cultum fovendum, & exitandum. Itaque ritus, qui nil conferat ad Dei honorem, gloriamque augendam, ad interioris spiritus devotionem, atque virtutis exercitium, superfluus est.

Hinc nolle sacrum audire, nisi Sacerdos celebret, vel sit nomen Joannes, vel qui habeat figuram Christi, vel qui ante solis ortum, aut certo adhibito cereorum numero, sacrum faciat, est superfluum cultum adhibere: id quoque contingeret si quis bis *alleluja*, aut *Pater noster* diceret, cum semel recitare deberet. Horum rituum usus, seclusa scandalo, & contemptu, venialis culpa est.

Idololatrici ritus sunt, qui ad exteriorem idolorum cultum, sive idololatriæ usum pertinent. Est autem idololatria duplicis generis: altera perfecta, & imperfecta altera. Perfecta est Idololatria, qua Idolo, quod verus Deus habeatur, honor defertur: imperfecta vero est, dum debitus Deus honor creaturæ, quæ creatura existimetur, tribuitur. Itaque omnes cæremoniæ, quæ vel in Idoli honorem adhibentur, vel creaturæ Dei honorem tribuant, Idolatricis ritus appellantur. Ritus ergo, quorum usus expressam, vel tacitam Dæmonis invocationem præseferant, omnes superstitiosi sunt, & ad idololatriam imperfectam referuntur. Inter hos primo loco recenseur divinatio, qua quis expressa, vel tacita Dæmonis invocatione res cognoscere curat, vel contingentes & libere futuras, vel ita occultas ut naturali virtute deprehendere nequeat. Expresse Dæmonem invocat, qui vel verbis & signis pactum cum eo init, vel saltem facto aliquid usurpat, per quod scit, aut credit Dæmonem cooperari. Implicite vero sive tacite cum Dæmone pacisci tur, qui vanis & inutilibus utitur ad aliquid cognoscendum, vel efficiendum; neque enim necesse est, ut aliquando pactio præcesserit; sat enim est vana, & improportionata hæc adhibere, ut Dæmon sese immisceat, etsi iis utens invocandi voluntatem non habeat. Nam cum improportionata & vana adhibeat, quæ nec a Deo, neque a bonis Angelis instituta sunt, optatum effectum, nonnisi a Dæmone expectare potest: accedit etiam quod omnes divinationis species ab Idololatris Dæmonum cultoribus, imo ab ipso Dæmone originem trahunt. Undenam sunt Chiromantia, sive divinatio per somnium, præstigium, quo variis apparitionibus Dæmon oculos perstringit, aruspicium, quod per exta sit animalium, Geomantia, quæ per figuram in terra, Hydromantia quæ per figuram in aqua fit, Areomantia in aere, ac Pitomantia in igne, nisi ab Idololatra gente, & a Dæmone ipso superstitionis auctore? At hæc plerumque expressam invocationem habent, & necromantia continentur. Adsunt præterea Astrologia, qua per situm, & motum siderum, res contingentes, & libere futuræ divinantur, auspicium, quo per figua volucrum, augurium, quo per signa animalium, omen, quo per sternutum signum, & sortilegium, quo per sortes divinare præsumitur, quæ etiam divinationis species a superstitione, & Dæmone ortæ sunt, ideoque tacitam semper ipsius invocationem præseferunt. Hæc vero a gravi culpa quis excuset? quis non videt, gravem Deo injuriam afferre, qui ad Dæmonem confugiat ipsius inimicam, eique divinum quemdam tribuat honorem, expectando illius ope, quod Dei unicæ virtutæ & auxilio fieri atque obtinere potest?

Neque a peccato excusari possunt, etsi protestentur nolle ullum cum Dæmone commercium habere. Nam contra protestationem agunt, dum per media, quæ nec a Deo, nec a bonis Angelis, sed a Dæmone inventa sunt, cujusque unice opem expectare possunt, futura vel occulta cognoscere curant; nec etiam excusantur, qui similia credant ob experimenta jam

jam facta; quia illa Dæmonis ope facta fuisse præsumitur.

Nota 1. Astrorum motu, ac situ, & cantu, incessuque, ac motibus avium, aliorumque animalium uti possumus ad effectus naturales & necessarios, nec libere futuros præcognoscendos: nemo superstitionis accusat eos, qui astrologia, & animalium certo motu, aut imminentem pluviam, ac ventum, aut aliam aeris mutationem conjiciunt, atque prædicunt. Hæc enim quamdam cum iis motibus connexionem habent, & ex retroactis observationibus, aliquando conjecturis assequi, & quandoque certo etiam præmunciare possumus. Superstitionis autem sunt plenæ divinationes illæ, quæ ad effectus agnoscendos prænunciandosque adhibentur, qui contingenter, ac libere futuri sint, vel ad ea detegenda, & cognoscenda, quæ sint occulta, per ea, quæ ad hæc cognoscenda sint omnino impreportionata, ut esset v. gr. *Ulus* sortium in aperitione libri, vel jactu taxillorum, pro alicujus occultæ, vel futuræ rei cognitione comparanda.

Nota 2. Somnia etiam, quæ nil ordinarie sunt nisi confusæ quædam cognitiones ex occasione motuum cerebri ortæ, quæ ad futura, & occulta divinanda adhibentur. Si animadvertamus, hæc a libero tumultuantium spirituum motu rerum imagines excitante, atque menti exhibente proficisci, facile intelligemus inepta esse, & improportionata ad res futuras, arcanasque cognoscendas. Scimus vero Deum iis quandoque usum ut hominibus vel futura præmonstraret, vel arcana referaret, ut de Abimelecho, Jacobo, Labano, Jolepho, Pharaone, Salomone, Nabuchodonosor, Daniele, Juda Machabæo, aliisque, divinæ Scripturæ testantur. At constat etiam Dæmonem in iis se immiscere consueviffe, atque partem Idololatricæ superstitionis in iis fuisse collocatam. Hinc Deus Levitici 19. somnia cum augurüs improbat: *Non augurabimini*, inquiens, *nec observabitis somnia*; & Deut. 18. *non inveniatur in te, qui observat somnia*. Audi Greg. Magn. lib. 8. mor. c. 13. dicentem. *Somnia, nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem ferent, nequaquam hoc vir sapiens indicaret dicens*: Multos errare fecerunt somnia & illusiones vanæ, *vel certe*, Non augurabimini, nec observabitis somnia. *Quibus profecto verbis cujus sint detestationis ostenditur, quæ auguriis conjunguntur.*

Dum somnia sint a Deo, iis fidem indubiam habere tenentur; si id certo constet, aut certo putetur. Dum vero dubium sit, num ea sint a Deo, credere iis neutiquam debemus; dum enim somnia Deus immittit, certa etiam præbet indicia, quibus dubitanti omnis excludatur; alioquin divina hæc monitio suo frustraretur effectu, neque certa, atque indubia immissi divinitus somni regula esse potest, quod somnium ad bonum impellat, alacrem promptumque reliquat animum ad pietatis opera, cum hujusmodi somnia passim in iis contingere debeant, ipsa agente natura, qui Dei amore fervent, jugique Dei meditatione exercentur. Horum enim imaginationem, nulla turbante causa occurrente, somnia hæc sua sponte sequuntur. Eodem modo de somniis, quæ depravata perversorum horum imaginatio efficiat, philosophari oportet; neque enim Dæmoni *eris* tribuendum, quod in perversa imaginatione sui causam habeat. Hæc de somniis generatim; dum vero ad divinationem referuntur, tunc caute est procedendum; neque Deo, nisi certo omnino constet, sunt tribuenda, ne occasio præbeatur malo spiritui, per ambigua illa signa, perfectionis viam sectantes decipiendi. Quamobrem nisi omnino explorata sit divina somnii causa, divinationes, quæ inde fiunt, omnino rejicianter, ac veluti incertæ contemnantur.

Cum divinatio per somnia sit per media natura sua improportionata, atque a superstitione diabolica originem trahat, nemo non videt, graviter peccare, tacitamque cum Dæmone pactionem inire, qui variis modis somnia procurarent, ut inde futurorum cognitionem hauriant. Inter quos Femellas illas constituo, quæ in Ludo Gemensi, vulgo *Lotto*, lucrari cupientes, in lecto subitus caput notulam numerorum, qui extrahi debeant, apponunt, ut somniando, quinam ex numula extrahi debeant numeri, divinent. Quis non videt has absolutionis incapaces esse, dum in hujus exercendæ superstitionis proposito persistant, atque eadem culpa teneri contendo, qui librum, quem *Artis* vocant, in quo modus indicatur divinandi hujusmodi numeros per somnia, aut vendunt, aut spargunt, aut secum retinent ut ipsi allique eo utantur. Nam ii omnes illicitæ superstitioni operam, aut occasionem dant; nec a mortali culpa excusantur, qui somniis inde sequentibus, ac interpretationi juxta illum librum se fidem non habere protestantur: quia rem illicitam & superstitiosam agunt; quia aliis simplicioribus præsertim, scandalo sunt, seu occasio in superstitione perseverandi, quia causam adhibent, cujus effectum a solo Dæmone sperare possunt, & quia ex facta illa auri fame, qua ducuntur, ac fortasse etiam Dæmonis suggestione, vix fieri potest, ut fidem aliquam non adhibeant; unde majorem lucri spem concipiant, quam si alia via numeros selegissent. Atque hæc de divinatione. Vid. Auct. Tr. de Virt. Relig. c. 5.

Alii superstitionis ritus, vel ad magiam spectant, quæ mira facere contendit, non humana industria, quæ naturalis dicitur, & est licita, sed ope Dæmonis, & ad vanam observantiam. Magia dum exercetur ad meram ostentationem, & commodum proprium, vel alienum, suum retinet nomen; dum vero ut alteri noceat fit, maleficium appellatur. Contra hanc omnia jura clamant, & est semper gravissimum peccatum, cum invocationem, pactionem, & societatem saltem implicitam præseferat cum Dæmone, quæ Deo gravissima injuria est, & in ejus contemptum cedit: quia homo, relicto Deo rerum omnium auctore, ad Dæmonem ipsius hostem, honoremque divinum affectantem confugit. Vide Auct. loc. cit. ubi etiam, quæ ad vanam observantiam pertinent explicantur. Nos vero finem facimus, regulas indicando, quæ superstitiosos ritus clare demonstrent, ex quibus, quæ ad vanam observantiam pertinent, facile intelliguntur.

CAPUT II.

Regulæ explicantur, quibus facilius superstitiosi Ritus cognosci queant.

UT fidei depositum, intactum, illibatumque servaretur, præcipua semper Ecclesiæ cura omni tempore fuit, ut vel umbra etiam superstitionis ex hominum mentibus radicitus extirparetur. Hoc spectant

ctant celebriorum Patrum conatus, plurimorum Conciliorum canones, illustriorum Ecclesiæ pastorum documenta pastoralia, insigniorumque Theologorum de vitanda superstitione argumenta. At hæc satis non furte, ut ex inferis ortus, malignique spiritus artibus auctus, ac perversa hominum voluntate enutritus, superstitionis ignis penitus extingueretur. Viget enim, viget adhuc, & non modo apud Idololatras agentes, sed etiam apud Christianorum plerosque aliquod antiquæ superstitionis vestigium reperitur. Quamobrem necessarium duximus certas hic subnectere regulas, quibus tuto cognosci queat, quæ cæremoniæ sint, quæ superstitionem redoleant.

Regula prima.

Ritus seu actio qualibet, quæ in iis circumstantiis adhibeatur, in quibus certo constet nullam habere naturalem virtutem ad effectum producendum qui speratur, illicita & superstitiosa habenda est.

Regula hæc ex S. Thoma deprompta est, qui 2. 2. q. 95. art. 2. in Corp. docet eos, qui rem adhibeant ad producendum effectum, quem norunt naturali virtute sua producere non posse, illam adhibere, non ut causam, sed tantum ut signum, ideoque semper ad pactum se conferre, quod vel explicite, aut tacite cum Dæmone inierunt. Atque hinc infertur I. Superstitiosam esse artem *notoriam*, qua ad scientiam recenter & sine studio acquirendam, res adhibentur, quæ ineptæ sunt ad scientiam conferendam, & quæ nonnisi pro signis haberi possint, quæ invitibilem causam ad illius collationem moveant: ut verba ignota, certæ preces, certarum figurarum insectio, vel potio aliqua &c. II. Superstitiosa esse improportionata quædam media, quæ ad morbos hominum, vel animalium curandos adhibentur, ut certa signa, verba ignota, cæremoniæ inanes, certæ figuræ, numeri characteresque incogniti &c. Item usus aliquarum rerum naturalium, quibus inania, & vana quædam, veluti necessaria adjungantur, ut est usus herbæ collectæ in vigilia Sancti Jo. Baptistæ, pro curandis nonnullis morbis &c. neque enim conflat dies illi vim esse inditam communicandi herbis particularem virtutem. Rursus gestare amuleta, ligaturas, involvera falsis characteribus confecta contra vulnera, vel subitam mortem, ne possint læsi, vel ne sanguis effluat, vel ad conciliandum invisibilitatem, amorem, fortunam, nocumenta, & maleficia. Verbo dicam quidquid non habet nisi rationem signi ex instituto hominum ad effectus comparatum, qui speretur, si rationabiliter effectus ille a Deo expectari non possit, superstitiosum, & illicitum est. Atque hinc altera eruitur regula.

Regula secunda.

Superstitiosa est & illicita quæcumque actio sive cæremonia, cujus effectus vel a natura, aut a Deo rationabiliter expectari non possit. Regulam hanc Theologica facultas Parisiensis suppeditat, art. 3 censuræ, quam edidit anno 1398. per hæc verba: *Intendimus pactum esse implicitum in omni observatione superstitiosa, cujus effectus non debet a Deo, vel a natura rationabiliter expectari.* Eruitur etiam ex Gersone, atque ex Martino Arelatensi, qui in tractatu de erroribus circa artem magicæ, & artibus reprobatis juxta Sanctorum Patrum, & præsertim Augustini sententiam, ait: *Observatio ad faciendum aliquem effectum, qui rationabiliter expectari non potest a Deo miraculose operante: nec a caussis naturalibus, debet apud Christianos haberi superstitiosa, & suspecta de secreto pacto implicito vel expresso cum Dæmonibus. Ista est Doctrina Sanctorum Doctorum & nominatim Augustini in locis pluribus.*

Atque hinc patet a superstitione liberari non posse fœminarum carminatricum benedictiones, & preces, quæ ad morbos depellendos adhibentur, unctiones unguenti armari, quibus ferrum ungitur, ut absens percussus curetur, & id genus alia, in quibus optamus effectus a natura rei, quæ applicatur, rationabiliter expectari non potest, nec caussa adest ulla qua prudenter judicemus effectum illum Deum miraculose producturum esse. Unde enim scimus aut prudenter conjicimus fœminis illis, illique unguento vim ineste, quæ Deum moveat ad effectum illum miraculose faciendum? Itaque ex benedictionibus unctionibusque illis nonnisi per occultam Dæmonis actionem effectus haberi potest, si sequatur, ac nonnisi ex tacita cum illo pactione operari potest. Huc quoque spectat superstitiosa illorum fides, qui in numero *tredecim* malam vel tri qualitatem fingentes, putant nefas esse tredecim homines in eadem mensa sedere, futurum alioquin, ut eorum unus, aut eodem anno moriatur, aut instar Judæ proditor sit futurus. Quis enim huic numero malignam hanc indidit virtutem? Regula hæc locum non habet in iis, quæ a Deo sunt instituta, a cujus promissione & virtute speratur effectus. Sunt autem cæremoniæ, aliquæ, quæ utiliter adhibentur, etsi non sunt a Deo institutæ, dum constet ab Ecclesia esse præscriptas, quæ a Deo instituendi ritus potestatem habuit. Ex quo tertia eruitur.

Regula tertia.

Superstitiosum est, quidquid ad effectum producendum adhibetur, quem expectare non possumus, nec a naturali rei applicatæ virtute, neque ab institutione divina, neque ex præscripto Ecclesiæ, quæ id ad effectum illum obtinendum ordinaverit.

Regula ex variis conciliis deducta est. Proferam tantum verba duorum Conciliorum Mechliniensium, quorum alterum ann. 1570. alterum vero 1607. celebratum fuit: In illo *Tit. de Superst.* hæc habentur: *Cum recte moneat Sacrosancta Synodus Tridentina, ut omnis superstitio tollatur, docet hæc Synodus eatenus illum rerum usum esse superstitiosum, qui suo verbo Dei, & Ecclesiæ doctrina sit, proscripti aliquibus viribus & observantiis, quarum rationabilis caussa reddi non potest, & fiducia in eis collocatur certo expectandi aliquem eventum, qui sine illis viribus ex Sanctorum intercessione non speraretur, aut quæ in cultu Sanctorum ex temeritate, aut quadam levitate patitur, quam pietate, & vera in Deum religione, fieri videntur.* In altera vero *Tit. 19. de Superst.* legitur, *& quoniam rudis populus sæpe ex ignorantia superstitiosum inquinatur, Parochi subditos suos diligenter de illis doceant, & inter cetera, superstitiosum esse expectare quemcumque effectum a quacumque re, quam res illa nec ex institutione divina, nec ex ordinatione*

tione & approbatione Ecclesiæ producere possit. Ex hac regula late patet ad cognoscendas superstitiones vita. Ex ea enim constat, licitum esse res naturales ad effectus producendos applicare, quos naturaliter producere possint, ac licitum itidem res applicare ad effectus obtinendos, quos illæ natura sua producere nequeant, modo Deus, vel Ecclesia, res illas ustirpari voluerit, ut optatum effectum habeamus, ut ex. gr. res & verba, quibus Sacramenta constant, pro obtinenda gratia; vel preces, benedictiones, ac aliæ præscriptæ ab Ecclesia cæremoniæ pro illis effectis, quæ ex earum usu speramus. Dum enim constituitas per Ecclesiam cæremonias a Dilhemus ad effectum etiam obtinendum, qui naturalem illarum virtutem non sequatur, certum est nos effectum non aliunde quam a Deo sperare, atque ad illum obtinendum media adhibere ab Ecclesia, cui Deus hanc potestatem fecit, instituta, & quæ ob assistentiam quam semper habet Spiritus Sancti in iis designandis, errare non potest, ideoque nec superstitionem præcipere, aut fovere.

Neque dubitare possumus, quin hanc Deus Ecclesiæ suæ potestatem concesserit. Matt. enim 10. convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis *Jesus potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Et Luc. 10. v. 19. *Ecce* inquit septuaginta duos discipulos alloquens, *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Hæc vero potestate uti sine cæremoniis non poterant: ac cæremonias revera nonnullas constituisse, exorcismi pro depellendis malis spiritibus ab ipsa Apostolorum ætate in Ecclesia usurpati, rem exploratam faciunt. Illam vero potestatem in Apostolis, ac septuaginta discipulis, datam fuisse Ecclesiæ Pastoribus, tum ex eo constat, quod semper in Ecclesia necessaria esset dæmonis depellendi potestas, quia semper *is circuit quærens, quem devoret*, tum etiam ex perpetua, & constanti Ecclesiæ traditione comprobatur. Hac enim docemur, impositionem manuum ad curandos infirmos, & ab Apostolis adhibitam fuisse, & duravisse ad quintum usque Ecclesiæ sæculum, ut agendo de Ministro Confirmationis ex auctoritate Innoc. I. ostendemus; ac deinde scimus in usu semper fuisse exorcismos pro expellendis malignis spiritibus, aliasque cæremonias. Atque hæc obiter diximus; nam de hac Ecclesiæ potestate *cap. 5.* ex professo tractabitur.

Itaque dum rem ad effectum producendum adhibeamus, quæ cum virtutem illum producendi non habeat, solam rationem signi habere possit, si a Deo vel Ecclesia id institutum non sit, dum ex illius applicatione effectum consequi certo speremus, id non aliunde, quam a dæmone expectare possumus, ideoque tacitam, vel expressam cum illo pactionem continet.

Id ex dictis satis perspicue liquet. Sed quo facilius res tanti momenti cognoscatur, novis etiam momentis comprobamus. Facultas Parisiensis an. 1398. hunc inter alios de superstitione articulum definivit. *In quacumque superstitiosa actione, ex qua effectus expectatur, quem neque a rei, quam applicamus, natura, neque a Deo rationabiliter sperare possumus, tacita cum Dæmone pactio intercedit.* Id etiam docent S. Th. 2. 2. q. 96. art. 2. Gerson Tract. de erroribus circa Magiam, Dionysius Carthusianus, Guillelmus Parisiensis Theologi denique omnes, atque ratio, quam afferunt, rem plane demonstrat. Nam dum res ad effectum producendum applicatur, quæ apta ad illum producendum virtute careat, effectus ille nonnisi ab alia caussa expectari potest. At non possumus effectum illum ex Deo sperare, neque ex Angelis ejus ministris, dum res illa a Deo ad illum effectum producendum destinata non sit, neque ab Ecclesia pro illo divinitus obtinendo instituta; quis enim rationabiliter a Deo certo expectabit effectum ex rei applicatione, quam ineptam agnoscit? Superest ergo, ut a fœlo maligno spiritu, a cujus unice institutione vis, quæ præsumitur, pendere potest, effectus ille expectetur. Pactio ergo fatem tacita cum illo intercedit. Accedit etiam quod actio illa vana, natura sua inutilis, ex dæmonis suggestione excogitata præsumitur; nam ab Ecclesia & a Deo vanum superfluumque vultum vetante, prohibita est. Ergo contra Dei voluntatem instituitur. Quis ergo dubitet, quin suggerente dæmone inventa fuerit, & quin ex tacito cum eo inito pacto ac fœcietate adhibeatur? *Quod si hæc superstitiosa inveniantur virtutis alicujus, tanto perniciosiora sunt secundum Augustinum, quanto sunt ad seducendum validiora. Ille siquidem effectus, cum neque a miraculo vero, neque a caussa naturali fieri cognoscatur, ut a seductoribus dæmoniis provenisse consequens est. A seductoribus autem fallacibus, a patre mendacii, ab hoste crudelissimo, quid boni, quid veri, quid commodi speres: tu videris.* Ita Gers. *de erroribus circa artem magicam, & art. reprobatis 1. dicto.*

Vanus hic atque inutilis usus pluribus potest contingere modis. Primo, si effectus procuretur adjunctis nonnullis vanis & inutilibus, quæ ad effectus productionem necessaria potentur: ut ver. gr. verba nonnulla Sacræ scripturæ, vel ecclesiastica, quæ sint certa forma, ac modo quodam particulari conscripta, vel certa hora; & delatio herbæ, quæ sit certo temporis momento collecta. Hæc enim cum vana præsumptione adhibentur, tacitam illam pactionem præ se ferunt. Secundo dum recitantur aliqua scripturæ verba pro effectu aliquo vano, vel ex vana præsumptione optato, obtinendo, ex. gr. promovendo, agitandeque annulo ad illum appenso, pro incantandis canibus &c. Vide quæ de annulo illo superstitioso scribit Cardinalis Cajetanus in Sum. *Incantatio sciant*, inquit, *lectores quod volui, non experiri, sed convincere hujusmodi diabolicam institutionem ad effectus vanos propter utilitatem fidelium. Accepto namque filo & annulo, præstatus sum quod versus illum sacrum Deo vero, cui a Psalmista dicitur, dicebam, & non tanquam instantum ad movendum annulum, & sic dixi versum illum, & annulus non ea motus. Ut hinc cognoscant omnes, quod tunc diabolus movet annulum, dum versus ille dicitur ei, ut ipse instituit.* Idem de iis dicito, qui scripturæ verba adhibent pro incantandis canibus; nunc enim juxta diaboli institutionem adhibentur.

Tertio, hæc intercedit tacita pactio; dum ad effectus obtinendos, quos natura sua res applicata producere valeat, addantur characteres, ac vana quædam figuræ ut securius habeatur effectus; ut dum quis pro corporis purgatione medicinam sumere nolet nisi certæ figuræ vide contentam, in quo priores alpha-

beti litteræ descriptæ essent. Quarto, dum certa incognita verba adhibeantur, pro effectu obtinendo; vel dum ex alicujus oratione a privatis conficta, in qua certa hebraica, vel græca verba habeantur, supernaturalis effectus certo expectetur: tunc enim vana præsumptione effectus ille speratur, quem nonnisi dæmon, cujus suggestione vana illa ceremonia inventa fuit atque adhibetur, producere potest. Quod quidem attente notandum est, ne sub prætextu cultus divini aut alicujus Sancti, dæmoni honor obsequiumque deferatur. Oblata mihi fuit paucis ab hinc annis quædam in honorem Sancti Patritii conficta oratio, qua in nonnullis parum ab Urbe diffitis locis utebantur ad benedicendam aquam, cujus usu certo credebant, statim a quocumque ex veneno derivato morbo, hominem, sive hestiam filiceratum iri, etiamsi in ultimo esset, modo altee saltem ipsius nomine aquam illam præparatam biberet. Quis vero non videt vanam hanc credulitatem, quæ non ex Dei promissione, neque ex institutione Ecclesiæ, sed contra expositam ab Ecclesia doctrinam est, ex dæmone originem trahere, ideoque effectum illum nonnisi a dæmone expectari? sed neque oratio ipsa superstitione caret; habet enim *per hæc sanctissima nomina Elsi ✠ Adonai ✠ & Sabaoth ✠* atque ita occasionem præbet certo expectandi effectum illum ob inditam, ut falso putant, illis nominibus virtutem. Quinto denique, dum verba quæ pro effectu extraordinario adhibentur, falsi quidpiam continent, vel dum preces in quibus vis magna statuitur, incertis apocryphisque historiis referuntur; cum expectari nequeat a Deo, qui summa veritas est; ex falsitate certus effectus. *Superstitiosum est*, inquit, Cardinalis le Camus Episcopus Gratianopolitanus, *in orationibus historias apocryphas, fabulosas, incertasque miscere.* Atque hæc satis visa sunt ad superstitiones dignoscendas, & ad varios detegendos modos, quibus tacita cum dæmone pactio instituitur.

CAPUT III.

De natura, origine, utilitate ac necessitate Sacrorum Rituum.

SAcrorum Rituum naturam, originem, ac necessitatem, non indicare tantum, sed etiam demonstrare operæ pretium duximus; quamobrem variis propositionibus rem explicabimus. Esto itaque.

PROPOSITIO I.

Sacer Ritus esse non potest actus illicitus.

NAm eo fine, institui debent sacri Ritus, ut iis Dei cultus in hominibus augeatur: debent enim ex institutentis determinatione ea per sensus menti offerri, quæ hominis erga Deum obsequium concilient & augeant. Per actum autem illicitum, qui de se malus sit, vel aliqua lege prohibitus, Dei cultus & gloria non augetur, sed ei injuria fit, ejusque gloria præcepti transgressione contemnitur. Atque hinc liquet, jure meritoque damnari ab Apostolica Sede festivas gratulationes, quæ sollemni ritu in prima puellarum purgatione fieri solent in Regno Madurensi, aliisque finitimis regionibus, quod pudoris, & honestatis legibus adversentur, & detestandos esse obscenos nonnullos ritus, quos in nuptiis celebrandis usurpari solere apud Hottentottos, gentem maxime barbaram, & nonnullos Orientales, Historici nonnulli testantur.

PROPOSITIO II.

Ritus sacri eadem, qua instituti sunt auctoritate, mutari possunt.

ETenim ritus non natura sua, sed institutentis voluntate ac determinatione, ea significant, quæ ad fovendum, augendumque Dei cultum alliciant, & moveant. Igitur tota eorum vis ab institutentis arbitrio pendet: ergo institutentis voluntate ritus significato privari potest, atque res alia, sive alius actus, ad id significandum assumi.

PROPOSITIO III.

Si Ritus hominum abusu ad superstitionem, vel hæresim fovendam adhibeatur, aut in Dei injuriam cedat, prudenti œconomia mutatur, & quandoque etiam aboletur.

NAm Sacri ritus non solum non possunt esse pernitiosi, sed nec etiam inutiles, ut e definitionibus liquet. Igitur dum homines iis abuuntur, ut superstitionem vel hæresim foveant, aut si eorum usu injuria Deo fiat, sive ex hominum malitia, sive alia de causa, prudenti œconomia mutantur, & abolentur. Ob abusus Ecclesia e medio sustulit *Agapas*, convivia scilicet, Christianæ caritatis fovendæ causa primis Ecclesiæ temporibus instituta. Eadem œconomia usus est S. Gregor. Magn. dum in Hispania trinam immersionem, quæ in Baptismo ex antiqua consuetudine adhibebatur, auferi permisit; quia ea Ariani abutebantur ad docendum divinas personas natura & gradu esse distinctas, ut constat ex epist. 41. quæ est ad Leandrum Hispaniæ Episcopum. Eadem de causa alii in Latina Ecclesia mutati, ac sublati sunt ritus. A Constantiensi & Trid. Synodo usus calicis laicis interdictus fuit, quod ob ingenuis spargeretur, & alia occurrerent, quæ divino Sacramento atque Deo injuriosa essent. Et, ut alia omittam, ablatis justis de causis Diaconissis, disciplina quoque mutata fuit baptizandi per immersionem, ut feminarum pudori consuleretur.

PROPOSITIO IV.

Ritus legitima auctoritate institutus vel comprobatus, si in Dei cultum, & gloriam augendam referatur, licite & utiliter adhibetur, licet antea ritus fuerit falsæ religionis, & idololatræ gentis.

NAm ritus ratione illius, quod menti offert, & quo homo in finem aliquem dirigitur, vel vitiosus, aut utilis est: ergo si ritus, quo idolum celebatur, mutato significato & objecto, ad augendum Dei cultum, ejusque gloriam amplificandam referatur, licitus, utilisque erit. Quod enim de re malum non sit, licite usurpatur; utiliter vero quidquid in Dei gloriam referatur. Actus autem nulla lege prohibitus, quem Hæreticus, vel idololatra superstitioso

tioso cultu ritum constituat, de se malus non est, sed solum ratione objecti & finis, in quem dirigitur; si ergo in Dei gloriam dirigatur, ac Deo obsequii causa adhibeatur, licitus, & utilis erit, nec amplius Hæretici, vel idololatræ ritus erit, sed Orthodoxæ Ecclesiæ cæremonia. Sic cæremoniæ nonnullæ, quas Mosen ex Ægyptiis deprompsisse, eruditis nonnullis visum est, determinatæ ex divina, qua Moses ducebatur, inspiratione; ad significandum Christum venturum, divinæ deiceps cæremoniæ dictæ sunt: Baptismus, quo Judæi Proselytos suos initiare solebant, postquam a Christo Domino ritus Christianorum, & Sacramentorum novæ legis constitutus est, non amplius Baptismus Hebræorum, sed Christianæ religionis ritus, & Sacramentum appellatum est. Processiones denique ab Arianis institutæ, ut religiosæ pietatis famam ad splendorem affectantes, precibus, & hymnis, quos hinc inde per vias, & plateas canebant, imperitum vulgus in turpissimi erroris societatem protraherent, postquam ab Orthodoxis in publicam veritatis contestationem ac in Dei laudem, & gloriam fieri cœperunt, utiles, sanctæque Ecclesiæ Catholicæ cæremoniæ factæ sunt. Vid. Soc. lib. VI. Hist. Eccles. cap. 8. & lib. VII. cap. XXIII. & Sozom. Hist. Eccles. lib. VIII. cap. 8.

Atque hinc patet, turpissime eos fassi Novatores, qui ut Catholicæ Ecclesiæ ritus contemnant, satis esse putant, ostendere, atque clamare, vel a Synagoga, aut gentium superstitione originem trahere. Ritus enim, non ex eo quod retroactis temporibus fuit, nec ex fine, quo tunc adhibebatur; sed ex eo, quod in præsentia menti considerandum offert, & ex fine, quo usurpatur, metiri debet. Igitur, si actus, si templum, si vestis, vel aliud quidpiam, quo gentes Idolorum cultus ornandi, fovendi, exercendique causa usæ sint, ab Orthodoxa Ecclesia adhibeatur, vel ut exteriori pompa sensibus indicata Dei majestate, & rerum omnium dominio, fortius homines moveat ad obsequium, vel ut in memoriam revocet collata humano generi beneficia, vel ut exteriori obsequio Dei cultum foveat, & augeatur, vel denique, ut alio modo Dei honor & gloria augeatur, quid est, quod reprehendi, quod damnari possit? Præterea quid mali est, ritibus uti vicinitatem habentibus cum veteris Testamenti cæremoniis? Hæ enim designabant futurum Christum, nostri vero ritus jam venisse indicant, dum ver. gr. luminaria adhibentur ad significandum patefactam lucem Evangelii, thurificatio ad ostendendum odorem gratiæ a Christo manantem; vestes, quæ commemorandæ Dominicæ Passioni serviant. Hæc de rituum natura. Venio nunc ad originem.

PROPOSITIO V.

Exterior Dei cultus & ritus sacri nonnisi a Deo originem habent.

EA enim, quæ Deus homines docuit, ex Deo originem trahunt; exteriorem autem Dei cultum, rituque, qui interiorem foveant, & augeant, Deus ipse homines docuit. Patet id, primum ex eo quod exterior Dei cultus cum hominibus cœperit; ut ex sacrificiis constat, quæ Cain & Abel Deo obtulerunt, Genes. cap. 4. Denique, quia omni ætate nationes omnes cultum externum, rituque sacros adhibuere, idque vel ex eo, quod hujusmodi Dei colendi rationem a majoribus acceperint, quos Deus docuerat; vel quod Deus ipse per rectam rationem, id omnes homines docuerit. Præterea constat, iridem constituisse signum fœderis, ipsum inter & terram initi; Genes. c. 9. Circumcisionem statuisse signum pacti cum Abrahamo initi, ejusque semine: ac plures per Mosen præscripsisse ritus, qui, aut collata beneficia Hebrææ genti, aut factas promissiones menti offerrent. Denique humano generi post diluvium præcepit, ne carnem cum sanguine comederent, ut non tam faciles essent homines ad homicidia, & sanguinis effusionem, sicut ante diluvium fuerant, quemadmodum interpretes quamplurimi exponunt; Hebræo populo per Mosen cæremonias præscripsit; atque in plenitudine temporis, æterno ipsius Filio homine facto, Baptismum, sacram eamam, missarum impositionem, aliosque Sacros ritus stabilivit, de quibus sequenti capite dicemus. Dubitari ergo non potest, quin Sacri ritus ex Deo originem trahant.

PROPOSITIO VI.

Sacri ritus ex hac providentia non solum sunt utiles, sed etiam necessarii.

PRopositio hæc ex iis, quæ superiori propositione demonstravimus, facile patet. Cum enim Deus omni ætate exteriorem cultum, rituque sacros homines docuerit, ac servandos quoque præceperit, argumentum est, non solum utile, sed etiam necessarium esse, ut homines ex animo & corpore constantes, etiam exterius per corpus Deo obsequium exhibeant, & ut per sensus ad Deum colendum alliciantur, & determinentur. Quo autem res clarior fiat, utramque propositionis partem paucis demonstrabo. Ad primam quod attinet, nemo non videt, sacros ritus esse hominibus quam maxime utiles; li enim ea sensibus offerre debent, quæ homines ad Deum colendum moveant & alliciant, quæque apta sint ad augendum in eis interiorem Dei cultum, eosque in æternam beatitudinem dirigendos. Altera vero pars ex modo liquet, quo Deus suam erga homines providentiam exercet. Licet enim ita homines regere posset, ut interius lumine suo eos docendo, & dirigendo per verum cultum, ad superiæ beatitudinis consequutionem perduceret; tamen per visibilia ad invisibilium suarum perfectionum cognitionem eos ducit, ut docet Apostolus, & per factam ad sensus per Prophetas, & Apostolos revelationem, quæ credenda, quæque nobis agenda sunt, manifestavit, modumque indicavit, quo ei servire, cultumque exhibere debeamus. Voluit ergo Deus, ut in hac providentia hominibus per sensus tum credenda tum agenda proponerentur. Ergo juxta hanc providentiæ ordinem, necesse est, ut homines per sensus excitentur, & alliciantur ad Deum colendum. Ut enim fides esse debet ex auditu, ita per auditum, & alios sensus ad cultum Dei provocari, & allici debent. Eo vel magis, quod hominum plerique, vix alia ratione, quam per sensus determinari, ac moveri possunt ad Deum colendum. Accedit etiam, quod homines in societate viventes invicem moveri & provocari debeant ad Dei cultum. Id vero, qua ratione fiet, si exterior cultus, sacrique ritus e medio tollantur?

Ca-

CAPUT IV.

De Christianæ Ecclesiæ ritibus, ubi præcipui circa eosdem err res Hæreticorum, qui sunt hac ætate nostra in Occidentali Ecclesia, reconfutatur, & confutantur.

EXplicata Sacrorum rituum natura, origine, & utilitate, de ritibus dicendum est, quos vera Christi Ecclesia præscribit, servandosque præcipit. Itaque in hoc capite agemus de exteriori Dei cultu, ac ritibus in universum, & exponemus Catholicæ Ecclesiæ sistema circa sacrorum rituum disciplinam. Plures sunt hoc tempore in Occidentali Ecclesia hæreses, quarum quælibet plures habet circa sacros ritus errores. Omnes Catholicam Romanam Ecclesiam novitatis, & superstitionis insimulant, ejusque auctoritatem, cujus sententia e fidelium communione dejecti sunt, contemnunt & negant. Sed invicem dissident, tum in designando novitatis initio, tum in exteriori cultu reprehendendo atque damnando. Sociniani, & qui iis proxime accedunt Remonstrantes, Apostolorum ætate Ecclesiam Christi mutari, ac depravari cæpisse, tum circa dogmata, tum circa disciplinam, effutiunt, Calvinistæ a secundo, Lutherani vero, aliique a tertio, vel quarto Ecclesiæ sæculo variatio ne, & novitatis initium fumunt. Sociniani, Remonstrantes, & Calvinistæ, exteriorem Dei cultum, ut Christianæ Religionis simplicitati contrarium, detestantur; contra vero Anglicani Hierarchiam Ecclesiasticam, exteriorem Catholicorum in pluribus similem cultum, ac cæremonias bene multas usurpant, & probant. Lutherani ritus adiaphoros putant, & contra aliorum hæresim, Christi Salvatoris Imaginem in Ecclesiis detinendam esse contendunt. Variant etiam in iis judicandis, quæ superstitionem in exteriori Ecclesiæ nostræ cultu redolerant, ac inviscm pugnant circa dogmata fidei. Ita Dei Ecclesiæ sese manifestat, eos superbiæ, dissidii, errorisque spiritu duci.

Hujusmodi errores confutaturi, ostendemus primo exteriorem Dei cultum Christianæ Religionis humilitati, & simplicitati non adversari; secundo in Christi Ecclesia inesse instituendi ritus potestatem; tertio, potestatem hanc cum auctoritate præcipiendi, condendique Leges esse conjunctam; quarto, hanc potestatem non inesse in Magistratibus, atque Principibus; quinto sed in Ecclesiæ Pastoribus; denique, Pastorum omnium jurisdictionem Romani Pontificis auctoritati esse subjectam.

PROPOSITIO I.

Exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus Christianæ Religionis simplicitati non adversatur.

UT, quæ sunt nota, ab iis quæ Novatores in dubium revocant, fecernantur, tria principio constituo, quæ ab ipsis quoque Hæreticis unanimi consensu probantur. Primum, ea quæ ad statuendum atque servandum in divino cultu ordinem & decorem utilia sint, non esse Christianæ Religionis humilitati, atque simplicitati contraria. Nam recta ratio docet in omnibus, sed præsertim in Dei cultu ordinem decorumque servari oportere; & Paulus 1. ad Cor. c. 14. v. ult. jubet, *ut omnia honeste, & secundum ordinem fiant*. Plures autem cæremoniæ, quibus exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus continetur, ad ordinem decoremque in sacro cultu servandum quam maxime conferunt, ut easdem expendenti manifestum fit.

Deinde statuo Christianam Religionem non prohibere sacrorum rituum usum. Nam præterquam quod hujusmodi prohibitio, nec a Christo Domino, nec ab Apostolis ullibi facta legitur, ipsi quoque Novatores fatentur, Christum constituisse Baptismum, ut sacrum ritum, quo homines novum hominem induerent, atque Christianæ Religioni initiarentur: & sacram cœnam, quam perpetuo ab Ecclesia in sui commemorationem fieri debere mandavit: nec inficiantur Apostolos ad indicandum gratiam, aliaque Sancti Spiritus dona, quæ hominibus conferebantur, manuum impositionem, aliasque cæremonias adhibuisse.

Denique, *omnia illa quæ cum virtute nobis præscripta conjunctionem aliquam habent, & ad ejus perfectionem faciunt, & solo fine suscipiuntur, ut aptiores & promptiores simus ad colendum Deum*, optime cum Christiana Religione cohærere, fatetur Limborgius ipse Arminianus Theol. Chr. lib. v. c. 72. num. 15. At, quæ cæremonia est in exteriori Catholicorum cultu, quæ si eo fine usurpetur, quo adhiberi jubet Romana Ecclesia, cum virtute nobis præscripta conjuncta non sit, vel ad virtutis perfectionem, Denique cultum augendum non referatur? Immo, si qua sit cæremonia, quæ apta non sit fovere, & augere interiorem Dei cultum, quo Deum in spiritu, & veritate diligimus atque colimus, tum ab Ecclesia, tum ab omnibus Theologis nostris, tamquam inutilis, & superflua rejicitur, & damnatur. Atque hæc notata fuit, ut palam cuique fiat hæreticorum impudentia, dum Romanam Ecclesiam calumniantur, quod cultum omnem divinum, hominis sanctitatem, ac totam æternæ salutis spem, in exteriori cultu, & cæremoniarum usu constituat. Venio nunc ad demonstrationem.

Quidquid ad servandum in divino cultu ordinem & decorem, & ad interiorem in nobis Dei cultum augendum utile sit, Christianæ Religionis humilitati, atque simplicitati non adversatur: quippe quæ eordis, seu spiritus humilitatem, & simplicitatem commendat, nec ullibi vetat exteriores actus, qui simplici atque humili corde divini cultus causa fiant. Ritus autem, quibus exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus continetur, vel ad servandum in divino cultu, seu sacrorum confectione, & administratione ordinem & decorem, vel ad virtutis exercitium, aut ad interiorem Dei cultum augendum referri debent, juxta Catholicæ Ecclesiæ institutionem atque doctrinam. Hæc enim inutiles & superfluos ritus, ut superstitiosos damnat, atque abusus, si qui sint in cæremoniarum praxi, Pastorum diligentia omnino removendos præcipit. Vide tur Conc. Trid. sess. 22. *Decreto de observ. & evit. in celebrat. Missæ*, & sess. 25. *de invocatione, veneratione &c.*

Et sane quis neget, plerosque ritus Catholicæ Ecclesiæ ad sacrorum ordinem & decorem pertinere? Exterior pompa maxime confert tum ad decorem in sacris functionibus servandum, tum ad alliciendos homines ad publicum Dei cultum, tum ad debitam Deo ejusque divino cultui venerationem conciliandam, tum denique ad offendendam hominibus Dei majestatem, suprenumque dominium, cujus consideratione cordis humilitas, & simplicitas fovetur, & augetur. Opera, quæ Ecclesia præcipit, sunt veræ virtutis exercitium, vel ad virtutis exercitium disponunt, si eo fiant fine, quo ipsa præscribit. Nam vel sunt actus religionis & virtutis, ut auditio Sacri, Sacramentorum susceptio &c. vel ad exercendam virtutem disponunt & juvant, ut jejunia, cælibatus &c. Promissiones denique & Dei beneficia, quæ per ritus plerosque menti contemplanda offeruntur, ad fidem, spem, & caritatem augendam destinantur.

Ajunt vero, exteriorem Romanæ Ecclesiæ cultum, mundi pompam redolere, quæ pectus superbiæ fastum, quam cordis humilitatem fovet, & auget.

At, si non mundi, sed Religionis ac Dei causa fiunt, cur mundanæ pompæ dicuntur? Si Ecclesia cum Christo docet, hæc tute humilitate & simplicitate cordis fieri non debere, si pompæ illæ ac splendidi ritus, Dei Majestatem ad sensus ostendendo, cordis humilitatem ac simplicitatem fovent & augeat, quo jure, ut affectus mundani damnantur? Namquid Deus mundanas pompas probavit, dum authoritate comprobavit sua, splendidum ornatum, vestes, & alia preciosa divini cultus instrumenta, quæ in Hierosolymitano templo adhibebantur? Non ita sane visum est Sanctis Ecclesiæ Patribus, qui ea ætate floruere, in qua reddita jam Ecclesiæ pace, Principum munificentia ita exterior Dei cultus exornari potuit. Videantur Cyrillus Carth. 24. Ambrof. lib. 1. de Off. c. 22. Greg. Nazian. Oratione 22. in Laud. Georg. Hieron. Epist. 3. ad Heliodorum, & 2. ad Nepotianum; Patres denique omnes quarti, & quinti Ecclesiæ sæculi. Si enim summis laudibus extollunt illorum pietatem & religionem, qui sumptus maximos impendebant in ordinandis Christianorum Templis, comparandisque pretiosis Sacerdotum vestibus, atque aliis divini cultus instrumentis. Numquid Novatoribus ætatis nostræ magis exploratum est quod Christianæ religioni contrarium sit, quam Patribus illis, quibus trium priorum sæculorum tradito ignota esse non potuit, quique tanto studio, ac fervore fidei puritatem, ac disciplinæ nitorem in Ecclesia conservare conati sunt. Hactenus quod ornatum Templorum, pretiosa divini cultus instrumenta, splendidumque Ecclesiasticorum functionum apparatum.

Venio nunc ad cæremonias, quæ in Sacramentorum administratione adhibentur. Non video quæ fronte has Christianæ Religionis simplicitati adversari prætendant. Nam hæ adeo antiquæ sunt, ut nonnisi ex Apostolis repeti queant. Sunt enim, saltem magis præcipuæ, Ecclesiæ Orientali, & Occidentali communes: ac in Oriente vigent quoque apud Græcos, Jacobitas, Nestorianosque a multis sæculis e Romanæ Ecclesiæ communione separatos. Quamobrem initio quinti sæculi fuisse cæremonias totius Ecclesiæ per universum diffusæ certo cognoscimus. At cum non constet generali quadam totius Ecclesiæ functione fuisse institutas, quis non videat omnibi ab Apostolis & Apostolicis viris originem habere potuisse, a quibus per universum constitutæ Ecclesiæ veluti a communi fonte defendunt? Vero autem simile non est pugnantia cum Christi Religione Apostolos docere, atque inculcare voluisse. Ritus cæremoniæ Baptismi, idem de aliis dicendum, ea menti offerunt, quæ Christianam fidem doceant, eamdemque foveant, & augeant. Exorcismi significant libertatem a Dæmone, quam per Christum acquirimus, abrenunciationes Satanæ de Officio hominis Christiani Baptizatum monent, immersio Christi sepulturam memoriæ offert, & ut alia omittam, saliva usus Christi miraculum indicando, quo cæco spurto visum reddidit, docet nos, Baptismum lumen afferre, quo cœlestem veritatem perspicianus. Hæc vero Christianæ fidei, spei, atque caritati non nocent, sed prosunt.

Dicent, nefas esse, Christianos ad egena & infirma mundi elementa revocare, scilicet, externis ritibus quidquam menti offerentibus, puerorum instar ad credendum, & Deum colendum allicere & trahere. Hæc enim propria veteris legis œconomia erat, quæ fuit per Evangelii libertatem sublata. *Lex illa*, inquit Apostolus ad Galat. c. 3. *Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi fides jam venit, non sumus sub pædagogo*, ideest non tralimur amplius per cæremonias ad credendum, Deum que colendum.

Sed nemo dicet, cæremonias, qua ratione Ecclesia præscribit, usurpatas, egena appellari posse, & infirma mundi elementa. Hæ enim, ut dixi, ad augendum in nobis interiorem Dei cultum referri debent, neque spes salutis nostræ in exteriori earumdem cortice & usu ponenda est. Hæc sensu Apostolus veteris legis cæremonias egena & infirma mundi elementa appellavit; non vero quatenus excitabant, & fovebant in hominibus fidem in Christum venturum; qua fide Abrahamum justificatum fuisse, capite illo docet, ubi etiam eos, qui ex fide sunt, omnes filios Abrahæ appellat. Infirma quoque & egena elementa vocavit, postquam fides illa venit, quam fovere debebant. Hic de causa dixerat, *ubi venit fides*, hoc est Christus, quam futurum cæremoniæ illæ significabant, *jam non sumus sub pædagogo*, nempe sub cæremoniis illis, quæ homines puerorum instar per sensus ad credendum Christum futurum excitabant. Itaque veteris legis cæremoniæ, nuda, egena & infirma mundi elementa factæ sunt, postquam ea fuere destitutæ virtute, qua salutarem finem in hominum cordibus excitabant. Egena quoque & infirma elementa vocavit, quæ superstitiosi & idololatriæ causa adhibentur, eadem epist. c. 4. v. 8. & 10. nullibi vero scribit, nefas esse Christianis ritibus uti, qui menti offerant, quæ Christus pro nobis gessit, collata nobis a Deo beneficia, vel quidquam aliud, quo hominis erga Deum amor & cultus foveri & augeri queat. Immo Pauli ætate jam crederat usus signi Crucis ad revocandum in memoriam Christum in Crucem pro nobis actum; trina immersio in Baptismo ad significandum Christi corpus triduo fuisse sepultum, festum Paschatis, Pentecostes, ac etiam cujusliber diei Dominici ad memoriam Christi resurrectionis, adventus Spiritus Sancti &c. Et præter alios ritus, quos infra indicabimus, constat in precandi modo, tum Paulum, tum Apostolos reliquos imitatos fuisse Judæos.

PRO-

PROPOSITIO II.

In Christi Ecclesia vera inest institutendorum Rituum potestas.

Hæc pro comperto habemus, Christum Dominum septem instituisse Sacramenta; idque a nostris Theologis adversus Novatores abunde demonstratum, statuimus. Contendimus vero, Ecclesiæ potestatem fuisse concessam instituendi ritus, tum in Sacramentorum administratione usurpandos, quibus non modo ordini & decori sacræ functionis consuleretur, sed etiam gratiæ indicarentur, quas homines per hujusmodi Sacramenta reciperent, tum etiam, quibus locus, tempus, & modus divini cultus præscriberetur, vel ea hominibus offerentur, quibus virtutum exercitium facilius fieret. Denique gloria & cultus amplificari posset. Id vero facile demonstratur.

Primum, quia Deus Ecclesiæ suæ animarum curam concredidit, voluitque, ut eas regeret, atque in æternæ felicitatis consequutionem dirigeret. Necesse ergo est, ut tantam ei dederit auctoritatem, quanta ad hujusmodi directionem necessaria est. Neque enim Deus vult finem, quin media ad finem comparandum necessaria suppeditet. Ad id vero necessaria est potestas instituendi ritus, quibus hominibus ea persensus efferat, quæ, vel Dei majestatem, vel Dei beneficia aut gratias, quas nobis concedit in memoriam revocando, ad adorandum, & diligendum Deum, & ad pietatem colendam, excitent atque determinent; sive, ut clarius loquar, necessaria est Ecclesiæ potestas ea hominibus proponendi & proponendi, quæ utilia sunt ad hujusmodi consequutionem; sunt autem ritus utiles, immo in hac providentia etiam necessarii, ut in posterum superioris capitis propositione demonstravimus.

Deinde Christus Dominus Joannis cap. 5. exemplo præmonstravit suo cæremoniarum usum, dum luto usus est, ut cæco Siloe visum restitueret. Atque huic similes instituendi cæremonias fecisse Ecclesiæ suæ potestatem facile patet. Nam Matt. 22. & Lucæ 10. Apostolis, discipulisque fugandi dæmones, sanandique morbos potestatem concessit; ergo & auctoritatem instituendi cæremonias, quas in hujusmodi potestatis usu adhiberent. Ejusmodi sunt impositio manuum, qua Ananias usus est ad curandum Saulum recenter ad Christi fidem conversum, de qua Actis Apostolorum, atque exorcismi ad expellendos dæmones, insufflationes, aliaque ritus, quos cum semper, ac ubique terrarum Ecclesia usurpaverit, nonnisi Apostolis referre posuimus acceptos. Rursus annon Apostoli fuere Christi Ministri, ac Mysteriorum Dei dispensatores, ut habetur ad Cor. 2. c. 4. quis ergo credat auctoritatem a Deo non accepisse necessariam ad hujusmodi obeundum ministerium? At hæc secum potestatem ferebat ordinandi disponendique sacras functiones, instituendique cæremonias ad ea menti offerenda destinatas, quæ mysteria, atque beneficia memoriæ offerrent, quæ fidelibus contemplanda essent. Hinc Apost. Paulus, in supra laudata Epist. Augustino teste in Epist. ad Januar. Corinthiis pollicetur, se ordinem modumque dispositurum fuisse, quo Eucharistia sumenda esset, dum ad ipsos venisset: *Cetera*, inquiens, *cum venero disponam*. Eadem habet Trid. Syn. sess. 23. c. 2.

Præterea, Ecclesia semper potestate instituendi ritus usa est, adeoque eam a Christo Domino accepit: neque enim est verisimile Apostolos, eorumque discipulos potestatem sibi usurpare voluisse, quam a Deo non habuerint. Plures instituisse ritus Apostolos, ex constanti & perpetua omnium sæculorum traditione constat. Ex Apostolis, enim originem ducunt nonnulli dies festi, scilicet Paschatis, Ascensionis Christi in cælum, Pentecostes, ac dies Dominicus, jejunia nonnulla, puta antepaschale, ac fortasse etiam quartæ & sextæ feriæ jejunium; item mos ille, quo prohibemur, Eucharistiam sumere non jejuni; aliæque liturgiarum preces, trina immersio, insufflationes, unctionesque, & alia: tum Baptismi, tum aliorum Sacramentorum cæremoniæ, quas Ecclesia ubique ac semper usurpavit, nec solmus ab aliis accepisse, quam ex Apostolis, unde fides, ritusque per universum orbem a primis Ecclesiæ temporibus propagati, originem trahunt, ut Augustinus Epist. 54. alias 118. ad Januarium invicte demonstrat. Ritus antea dictos, indicatos legimus a Justino prope finem Apologiæ ad Antoninum Pium, ubi etiam commemorat sacros Christianorum conventus, concionium, precumque ordinem, benedictionem Antistitis, aquæ vinique oblationes, ac sacræ Liturgiæ cæremonias: ab Irenæo, Athenagora, Tertulliano lib. de cor. milit. cap. 3. lib. de Bapt. & alibi, a Cypriano Epist. ad Magnum & Clemente Alexandrino, aliisquetrium priorum sæculorum Patribus; atque eorum plerosque præscriptos habemus in Constitutionibus, & Canonibus, qui Apostolorum nomine circumferuntur, in quibus Ecclesiæ disciplinam continent, quæ ab Apostolis & Apostolicis viris orta, pro Ecclesiæ regula primis temporibus habita fit, nemo negare potest.

Constat etiam, Ecclesiam deficiente miraculorum copia, ac primorum Christianorum fervore, progrediente temporis ritus auxisse, ut frequentius in hominum memoriam Dei gratias ac beneficia, & majestatem revocando, pietatis in eisdem fervorem excitaret, eosque fortius ad Dei cultum perelleret. Auctos ita fuisse Ecclesiæ ritus, testantur patres quarti & quinti sæculi; Sacramentaria tum Gregorii Magni, tum aliorum, qui a septimo sæculo apud Latinos scripserunt; ac Euchologia, quibus a mille & amplius annis utuntur Græci.

PROPOSITIO III.

Hujusmodi Ecclesiæ potestas cum auctoritate conjuncta est ferendi leges.

Id facile ex eo patet, quia potestas hæc Ecclesiæ omnino necessaria est. Ut enim regat atque in æternam felicitatem dirigat hominem, qui & veram ergo Deum pietatem & fuam in eo beatitudinem neglectui habere propensus est, necesse est, ut ea præcipere possit, quæ homines ab iis removeant & distrahant; quæ huic comparandæ felicitati impedimento sint, & quæ istius consequutionem faciliorem faciant. Si enim in eo, qui civili societati præsit, necessaria est ferendæ legis potestas, qua homines ad præscriptos civitatis & Imperii fines legibus dirigantur: cur in ea societate necessaria non erit, quæ Deo ipso jubente homines in infinite præstantiorem finem, hoc est, in æternam felicitatem dirigere debet? Sicut enim

enim fine civilibus legibus, quæ impedimenta removeant, ac facilitorem reddant observationem legis naturalis, optata tranquillitas in societate haberi non potest, ita fine legibus, quæ removeant ea, quæ impedimento sint, ac promptiores homines reddant ad servanda divina præcepta, ad virtutum exercitium, & Dei cultum, difficile admodum, ac ne vix quidem regi ac dirigi possent animæ, in æternam beatitudinem. Cum nemo neget hanc Deum dedisse summis imperantibus potestatem, quod medium sit ad tranquillitatem illam procurandam, quæ est imperii finis; quis neget, eamdem potestatem dedisse iis, quos animarum constituit Rectores, voluitque, ut eas per apta media in summum bonum, cujus unice possessione beati sumus, dirigerent?

Sed non desunt in Scriptura argumenta, quibus hunc ex Deo accepisse potestatem demonstretur. Nam Christus, quos Apostolos discipulosque suos delegerat, docere jussit omnes Gentes, Matth. cap. ult. Ac eorum, qui credere in Christum vellent, Pastores declaravit, dum Petro dixit, *Pasce oves meas*, Joan. 21. *Deinde Claves dedit et Regni Cælorum*, Matth. 16. Solvendi, ac ligandi potestatem, ac facultatem diuittendi peccata, Matth. 10. Ubi vero ligandi, solvendique potestatem fecit, declaravit, peccantem frattem, qui post trinam monitionem Ecclesiæ parere noluerit, (id enim significant verba illa *si Ecclesiam non audiverit*) habendum esse veluti *Ethnicum & Publicanum*, hoc est, veluti a communione & fidelium societate dejectum. Pastoris vero ovium curam habentis allegoria, juxta Scripturarum phrasim, supremam significat potestatem, 2. Reg. 5. & 2. Paralip. 11. v. 2. ubi *Pasce*, inquit Dominus, *populum meum Israel, & tu eris Princeps super eum*. Et potestas clavium summam itidem potestatem designat. Nam Isai. 22. cum Deus a Sobna in Eliacim summam potestatem transtulit, ait, *vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum; quid tu hic? expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te, & vocabo servum meum Eliacim, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus, & dabo clavem domus David super humeros ejus, & aperiet, & non eris qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*. Dubitari autem non potest, quin Deus pastores, quos in Ecclesia posuit *ad confirmationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*, ad Ephes. 11. semper in Ecclesia futuros esse voluerit, & quin semper apud eos illam clavium potestatem esse voluerit, quam pro regendis suis ovibus tradidit. Itaque si Christus, dum Ecclesiam fundavit, ministros quos in ea posuit Pastores declaravit, ac pastores, qui claves haberent Regni Cælorum, qui ligarent, ac solverent, qui e societate expellerent sua inobedientes; quis dubitet, quin summam eis dederit potestatem, quæ pastoritio munere, ac clavium traditione conferri hominibus a Deo consuevit?

Immo hanc contulisse Christus ipse declarat Lucæ 10. v. 16. dum Apostolis dicit, *qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*: Audire vero latine apud Tullium, Quintilianum, & Alphonsium Jurisconsultum *L. arbit. ex compromisso, digest. de recept. arbit.* ut & Græce ἀκούειν sive ὑπακούειν, & Hebraice *schamach* idem sonat ac obtemperare, & præcipienti parere. Itaque in ipsum Christum contumax est, qui Ecclesiæ jussa observare detrectet. Ergo quæ statuit ac præcepit Ecclesia, per sachamIpsi a Jesu potestatem constituit & præcipit. Quamobrem Apostolus Paulus ad Hebr. XIII. v. 17. post quam præpositos appellavit animarum Pastores, *obedite*, inquit, *præpositis vestris & subjacete eis*.

Denique annon constat ex eadem Scriptura, & constanti atque perpetua traditione, Apostolos, eorumque successores, quæ pastoritio atque accepta a Christo potestate clavium, usos semper fuisse in iis, quæ ad fidem & disciplinam Ecclesiæ, vel ad tollenda scandala pertinerent? De iis enim rebus leges ab Apostolis, tum singulis, tum communi consilio constitutas, tota pene sacræ historiæ series evincit; hujusmodi autem constitutiones partim scriptæ, partim non scriptæ fuerunt. Nota res est ex Apostolorum actis, quæ pro subrogando Apostolo in locum Judæ, & pro institutione diaconorum in curam viduarum egerint, ac celeberrima illa Lex, de qua cap. 15. quæ pro decernenda orta de legalibus controversia constituta fuit per hæc verba: *Visum est Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*. In iisdem actis, c. 15. memoratur S. Paulum Syriam & Ciliciam perambulasse, *confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum*, τὰ δόγματα, id est, *Constitutiones*. Accedit etiam quod statim subnectitur de eodem Paulo atque Timotheo: *Cum autem pertranssent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Jerosolymis*. Ubi Glossographus post veteres omnes Ecclesiæ utriusque Doctores *dogmata* recte interpretatur *statuta*. Mitto præcepta circa mores, tum publicos tum privatos, quæ passim in Apostolorum scriptis occurrunt. Quis ignorat pro regenda Ecclesia plura verba constituisse, quæ litteris non sunt consignata? Id sane indicat Apostolos dum 1. ad Cor. 11. se cetera, quæ ad disciplinam spectarent, dispositurum pollicetur, & dum 2. ad Thess. 2. ait, *state, & tenete Traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam*. Hæ traditiones in græco textu vocantur παραδόσεις, id est præcepta. Ecquis neget ab hujusmodi præceptis ortum ducere jejunia nonnulla, ac cæremonias quamplurimas semper & ubique in Ecclesia servatas, veluti suprema quadam lege institutas? Præterea Paulus incestuosum Corinthium tradidit Satanæ, altosque impios Ecclesiæ communione privavit, atque e fidelium societate dejecit.

Neque solum Apostoli, sed eorum successores hac eadem potestate leges ad Ecclesiæ disciplinam moderandam tulerunt. Quis enim ignorat tribus etiam prioribus sæculis canones ab Ecclesiæ Pastoribus fuisse conditos, quos veluti leges venerarentur? De iis Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, & Eusebius in sua hist. Eccl. passim meminere. Nec solido fundamento eorum caret opinio, qui plerosque canones, & constitutiones, quæ Apostolorum nomine circumferuntur, a latis antiquis illis temporibus ab Ecclesia legibus deprompta fuisse, tuentur. Immo si Apost. accepta referenda non sunt, quæ in illis statuta sunt, pleraque saltem, ab eorum fuisse

successoribus primis sæculis constituta, asserere oportet. Quæ cum ita se habeant, nullus superesse videtur dubitationis locus, quin Christus Ecclesiam instituendo suam, ei vim, seu facultatem fecerit, qua Leges ferret ad Dei cultum, ad retrahendos homines a vitiis; eosque ad virtutis exercitium alliciendos necessarias. Videndum itaque, in quo hæc resideat potestas. Occurrunt statim Novatores, Grotius præsertim, & Pufendorfius, qui summis Imperantibus hæc unice jura competere imprudentissime asserunt. Hos refellit

PROPOSITIO IV.

Potestas circa sacra a Deo Ecclesiæ concessa non inest in sæculi Principibus.

Demonst. Nemo negat potuisse Christum Dominum Ecclesiæ jura, sive illius regendæ potestatem sumptis imperantibus tradere, aut eam ita constituere potuisse, ut tota imperio subjecta esset atque a supremo Principe regeretur. Immo cum cujusque sit hominis cor in manu ejus, & quocumque velit trahat illud, Reges ipsos posterat Apostolos, Pastores, rectoresque Ecclesiæ suæ eligere ac destinare. Sed non ita fecit. Nam Apostolos elegit duodecim, ac deinde discipulos septuaginta duos, ut eos qui suam vellent fidem profiteri, in illam societatem coaptarent: in qua ipsi, Christi potestate atque nomine, Pastores essent: ligandi solvendique, accusandi potestatem haberent. Hos ad omnes Gentes misit, atque ad Reges ipsos, & Principes, ut hos etiam, si vellent, Christi oves facerent, atque potestati ipsius conerediæ quoad Dei cultum, æternæque salutis consequitionem subjectos declararent. Et sane annon ut Populus, ita Principes, ac Reges ad oves spectant, quas ii regere debeant, quibus Christus dicit, *Pasce oves meas?* Ii sane quoad spiritualia & æternæ salutis consequitionem omnibus Christi ovibus dominari debent, ac leges præscribere, qui ligandi, & solvendi, atque clavium potestatem acceperunt. Sed videamus, quænam fuerit illorum Regum ac summorum Principum sententia, qui omnium primi christianam religionem suscepere, & qua ratione a viris illis sanctis, qui christianam iisdem demonstraverunt doctrinam, Ecclesia, eujusque forma atque jura expetita fuerunt. Verisimile non est aut Principes pati voluisse, jura imperii ii sibi debita violari, aut sanctos illos Antistites eam voluisse sibi in Reges & Principes potestatem usurpare, quam Christus non dedisset, & quæ odiosam Principibus Christi Religionem reddere potuisset. Constantinus omnium primus Christianorum Imperator, teste Eusebio lib. 3. de vita Constantini cap. 10. in Concilio Nicæno non prius assedit, quam Episcopi ut sederet annuissent. Et absoluto Conc. Episc. misit ad omnes Ecclesias, quam idem Eusebius libid. refert, in cujus fine hæc leguntur: *Quæ cum ita sint, facietem gratiam, & divinum mandatum libenter suscipite. Quidquid enim in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id nunc ad divinam referendum est voluntatem.* Theodosius Junior in Epist. ad Synodum Ephesinam, *nefas est*, inquit, *qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, & consultationibus esse immiscere.* Similia habet Martianus Imperator L. nem. cap. de Summa Trinitate & fide Catholica. Et omnium legum peritissimus Justinianus novell. 83. leges civiles dixit non præcedere, sed sequi oportere leges Ecclesiasticas, *secundum sacras*, inquiens, *& divinas regulas* (ita canones appellat) *quæ etiam nostræ leges sequi non dedignantur*. & in Authent. Const. cxxiii. c. 7. hæc habet, *si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habent civiles magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundum sacros canones finem imponunt*. Ut alios vero prætereamus, unus sufficiat Basilius Imperator, qui in viii. Synodo ita loquitur: *De rebus autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque primitus verbere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hæc enim investigare & quærere Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticæ & cælestes adepti sunt claves: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel a ligamento salvi egemus*. Tom. 8. Conc. pag. 1154. Vides ergo non unum, sed plures, & quotquot de christiana religione recte sentire Principes, ita Christianam fidem professos fuisse, ut Ecclesiam instar Reipub. a Christo institutam crederent, in qua ipsi oves, Ministri vero quibus claves traditæ fuere Regni Cælorum, Pastores essent.

Sed rem clariorem faciunt editi hac de re Ecclesiæ canones, Patrumque illorum sententiæ, qui primis Christianis Principibus Christi fidem exposuere. Quis credat sanctissimos illos Pastores, qui Principes illos vel recenter ad fidem conversos, vel qui subditos plerosque haberent Idololatras ac Christiani nominis infensissimos hostes, in Christiana religione instituendos suscepturos, vel in conciliis edere voluisse canones, aut ea palam illis enunciare quæ jura a Deo illis concessa turbarent & infringerent, & quæ contra divinam institutionem eosdem Ecclesiæ tribunali, ac Senatui subjectos facerent? Igitur Patres illi persuasi esse debuere eam fuisse Christi Ecclesiæ formam, eaque jura, quæ ipsi explicarent. Neque creditibile est priorum temporum Antistites, qui fuere patientiæ, humilitatis, & caritatis exemplar, & qui dum Pastoris munus suscipierent sese paratos ostendebant ad subeundum pro Christi fide ac veritate martyrium, superbiæ quodam fastu jus sibi usurpare voluisse, quod ex Deo non acceperant, & cujus voluisse indebitum Principibus tumnis imponere. At ii omnes unanimi consensu tradidere Laicos etiam Principes ac Reges oves esse, quæ Ecclesiæ Pastoribus subsint, & in iis quæ ad fidem & religionis disciplinam spectant parere debeant. Ex Canonibus autem nonnullos tantum referam. Gratianus *dist.* x. *cap.* vii. hanc refert a Imperatores Constantinopolitanos dictum. *Libenter accipite, quod lex Christi sacerdotali vos subjecit potestati, atque ipsis tribunalibus subdit. Dedit enim & nobis potestatem dedit & principatum multo perfectiorem Principatibus vestris*. Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem dist. xcvi. can. 10. *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus in divino sunt reddituri examine rationem*. Gregorius Magnus ad Episcopum Mediolanensem dist. 69. can. 9. *Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum & Principum omnium fidelium patres, & magistros ceuseri? Nonne miserabilis insania est cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit, non solum in terra, sed etiam in cælis se ligari posse, & solvi?*

Venio nunc ad Patres, atque tem ab Ignatio exordior viro Apostolico, atque Joannis Apostoli discipulo. Is antequam Principes essent, qui Christianam doctrinam profiterentur, in epistola ad Philadelphios hæc scribit: *Principes, subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyterio, Presbyteri & Diaconi atque omnis Clerus, simul cum omni Populo, & Militibus, atque Principibus, sed & Cæsarea obediant Episcopo, Episcopus vero Christo, sicut Patri Christus: & unitas per omnia servetur*. S. Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes, ita Osium Cordubensem Constantinum magnum in Nicæna Synodo allocutum fuisse scribit: *Desine, quæso, Imperator: ne te misceas Ecclesiasticis: neque nobis in hoc genere præcipe: sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit: nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ: ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno criminis obnoxius fias*. Post hæc Osii verba Athanasius ipse subnectit: *Quando a condito ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro judicio agnitum est?* S. Ambrosius ep. 32. ita Valentinianum Imperatorem allatus est: *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere: noli te extollere, si vis diutius imperare. Ista Deo subditur: Scriptum est enim:* quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. *Ad Imperatorem palatia, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi munium jus commissum est, non sacrarum*. Habes itaque antiquiores Patres non solum exponentes Ecclesiæ jura penes Sacerdotes esse, sed & Principes ipsos ne iis sese immiscerent prohibentes, ac divinam illis minantes vindictam, dum ea sibi usurpare prætenderent. Quæ cum ita se habeant, quis non videat Novatores illos qui summis imperantibus jus circa sacra imprudentissima adulatione adjudicant, fundatam a Christo Ecclesiam penitus evertere, atque destituere?

PROPOSITIO V.

Potestas circa sacra, sive jus ferendi Leges ad Dei cultum & Ecclesiæ disciplinam pertinentes a Christo Ecclesiæ suæ collatum in solis Episcopis residet, qui jure divino Presbyteris aliisque Ministris superiores sunt.

Utraque propositionis pars vel ex iis quæ hactenus sunt disputata facile comprobari posset. Sed ut in re maximi momenti nil intactum remaneat, rem hic luculentius expouere, ac novis argumentis demonstrare operæ pretium esse existimamus. Itaque pars prior in hunc modum demonstratur. In iis

potestas inest regendæ Ecclesiæ, Ecclesiasticasque Leges condendi, qui a nostra ætate ad exordium usque Religionis christianæ eam semper veluti a Christo sibi traditam exercuerunt. Hac enim via, & data a Christo potestatem, & genus hominum in quo eamdem collocaverit, certo cognoscimus. Episcopi vero Ecclesiarum Pastores ritu a Christo instituto ordinati, a nostra ætate usque ad Apostolos, per quos Christus fundavit Ecclesiam, potestate, quam a Christo accepisse certo crediderunt, Ecclesiam rexere, legesque ad ejus disciplinam spectantes condiderunt. De Episc. qui modo in Occidente sunt & communionem fervant cum Ecclesia Romana, id vocari nequit in dubium, cum inter fidei articulos habeant, potestatem hanc ex Deo habuisse per legitimam ordinationem, & cum eam singuli in suis exerceant Dioecesibus, & communi consilio in Conciliis, Graeci quoque illi, qui schisma sectantur auctore Photio inceptum, absolutum vero a Michaele Cerulario, Jacobitæ sive Syri, sive Armeni, sive Cophti, sive Abyssini, qui Dioscorum sequuntur in Chalcedonensi Synodo damnatum & ex Ecclesiæ sinu depulsum, ac Nestoriani, qui in Chaldæa, Perside, atque in variis Provinciis Indiæ Orientalis hæresim Nestorii in Ephesina Synodo anno 431. damnatam tuentur, ii, inquam, omnes in Syria, Ægypto, Æthiopia, Armenia, Chaldæa, Perside, aliisque remotis regionibus Episc. habent, qui se hanc per legitimam ordinationem a Deo accepisse potestatem credunt, eamque exercent. Id vero palam facit undecimo, octavo, immo & quinto Ecclesiæ sæculo fuisse in toto terrarum orbe Episcopos, qui hanc sibi adjudicarent potestatem, eamque a Deo esse certo existimarent. Fac enim deinceps hanc sibi usurpare cœpisse auctoritatem. Vel omnes uno eodemque tempore unanimi consensu in id consensissent, vel una prius in Ecclesia hæc usurpari jura cœperunt, in cujus deinde sententiam aliæ succesit temporis vetustas. Quis vero conveniisse refert Episc. omnes non solum locorum distantia, & linguarum varietate, sed & omnimoda communione invicem separatos, qui de re hac deliberarent, omnesque in hanc sibi usurpandam potestatem conspiraverint? Fieri ne id potuit, quin ulla tam numerosi conventus, tamque mirabilis consensionis memoria remanserit? Neque credibile est unam Ecclesiam hanc sibi tribuere cœpisse potestatem, quam aliæ deinceps sint imitatæ. Nam præterquam quod hujus novitatis nullum vestigium adest, quænam hæc fuit? Latina? Quis vero credat novitatem hanc nullo Episcopo, ac Principe nullo obsistente & reclamante, in universam latinam Ecclesiam induci potuisse? Quis dicat Græcos immani odio Latinos horrentes, Armenos, Copthos, Abyssinos, Nestorianosque veluti hæreticis ab illis damnatos, voluisse, ac potuisse sine ulla oppositione novitatem ab illa excogitatam amplecti, & quidem tanta circumspectione, ut ne uni quidem vel Ecclesiastico, aut prophano Scriptori res nota fuerit, ut scriptis consignaretur? Itaque necesse est asserere ac omnino pro comperto habere, non aliam fuisse quinto sæculo ac auctoritate & potestate Episcoporum universæ Ecclesiæ eidem, atque sententiam, quam ea, quæ in Romana, in Græca, ac in tota Orientali Ecclesia nostra hac ætate viget. Arreamdem ibi inesse credidere, ac usurpavere potestatem Episcopi omnes quarti, ac trium priorum sæculorum.

Notæ enim sunt leges sive canones a totius orbis Episcopis conditi in Concilio Constantinop. I. ann. 381. & Nicæno I. ann. 325. Nec opus est verbis, ut ostendatur, eadem potestate sacros Antistites usos fuisse illo eodem sæculo in Gallia, in Hispaniis, in Africa, & in Asia, cum sint omnibus noti canones Conciliorum Carthaginiensium, Arelatensium, Eliberitani, Antiocheni, Neocæsariensis, Sardicensis &c. Sed ne novatores nostri Lutherani, Calviniani, ac hujusce furoris reliqui fingant, hoc sæculo in quo pax Ecclesiæ coercita fuit, Ecclesiæ Pastores hanc superbo quodam fastu sibi vindicare, ac usurpare cepisse potestatem, in medium proferemus priorum sæculorum exempla. Mitto Concilia celebrata in Africa sub Agrippino, & Cypriano, in Asia sub Firmiliano Cæsareæ Episcopo, & quæ Stephanus in ea re sua rebaptizantium egit, aliaque Concilia, in quibus canones pro Ecclesia regenda conditi fuere. Eusebius lib. 5. hist. Eccl. c. 24. & 25. scribit a Victore Romano Pontifice sub finem sæculi secundi Theodorum Byzantinum Coriariam de Christo male sentientem, ejectum ex Ecclesia fuisse, ortamque de tempore celebrandi Pascha tis controversiam, indictis cum Romæ, tum alibi Synodis, compositam ab eodem, ac Asiaticos Judaico more luna 14. Paschæ celebrare perseverantes, a communione segregasse; Constitutiones denique ac canones, qui Apostolorum nomine circumferuntur, partim ex Apostolicis regulis, partim ex decretis Synodorum primis temporibus ab Episc. celebratarum, originem trahere, celeberrimos Auctorum opinio est. Quæ sane ostendunt ab hac ætate nostra ad Apost. usque, Episc. semper potestatem exercuisse decernendi disciplinam, Ecclesiæque Leges condendi, ac certo credidisse Christum hanc eis pollicitum fuisse, ac per legitimam manuum impositionem contulisse. Id autem satis superque esset ad rem conficiendam, cum verisimile non sit tot doctos sanctissimosque viros, qui Ecclesiis præfuere, aut potestatem quam non haberent superbia & ambitione quadam tribuere sibi voluisse, aut jura ignotasse, quæ sibi competerent. Sed opus non est conjecturis. Nam scriptura ipsa rem extra omnem controversiam ponit. Hæc enim, ut supra ex Paulo notavimus, positos esse a Deo in Ecclesia Pastores, ait; Ecclesiæ autem Pastores semper & ubique habiti sunt Episcopi, quos Actorum xx. Spiritum Sanctum potuisse legimus, *ut regerent Ecclesiam suam*. Potestas autem, quam loquimur, pastorum est, quibus pascendi Christi oves munus concreditum est, quibusque ligandi, & solvendi clavisumque potestas promissa fuit. Atque hinc Richerii quoque refellitur hæresis, qui toti Ecclesiæ potestatem clavium collatum finxit, Petro vero, Apost. & Episc. instrumentaliter, & ministerialiter tantum, seu quoad executionem.

Venio nunc ad alteram partem. Et quamquam ex hucusque disputatis facile patet Episcopos jure divino esse non solum Christiana plebe, sed etiam Presbyteris, & Diaconis superiores, tamen ut in re maximi momenti nil prætereamus, quod ad perspicuam illius dilucidationem conferat, novam demonstrationem afferemus. Principio vero animadverto, ex supra allatis argumentis ostendi eandem fuisse ab exordio, ac nunc est, Ecclesiæ formam, nec variationis initium designari a Novatoribus posse, quibus quidem si adderet, Epiphanium hæresi 75. & August. de Hær. n. 53. Arium inter hæreticos recensere, quod asseruerit *Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni*, Hæreticos deinceps ob hanc opinionem Wicleffum, Calvinum, aliosque fuisse ab Ecclesia declaratos, facile intelligitur, Ecclesiam credidisse semper habere Episcopos a Deo auctoritatem, potestatemque, qua Diaconis, Presbyteriique præsint. Nam Novatores nostræ assertionis noviratem, immo & initium assignare nequeunt: nos vero demonstramus illorum sententiam, cum primum innotuit, continuo erroneam, hæreticamque habitam fuisse atque damnatam. Sed videamus alia argumenta.

Occurrit primo loco ipsum Episcopi nomen, quod eum ab *εἰδ. super* & *σκοπω considero*, aut *speculor*, originem trahat, idem sonat, ac *superinspector*, & *speculator*. Episcopi nomine in veteri testamento appellabatur, qui Levitis præesset. Esdræ 11. cap. XI. 22. Ab Ethnicis Diis suis, quos universarum rerum Rectores putabant, istud idem nomen fuisse tributum, ostendit Io annot. ad 1. can. Apostolicum Beveregius testimoniis Homeri, Plutarchi, & Herodiani, ubi observavit etiam *Episcopos* nominari consueviſſe viros, qui rebus administrandis præficerentur, idque ex Plutarcho in Numa, & Cicerone lib. VII. ep. 11. ad Atticum. Itaque vel ex ipso Episcopi nomine constat his commissi populorum ac fidelium regimen, & præfecturam, quod ipse Paulus demonstravit, dum act. 20. v. 22. Ecclesiæ rectoribus dixit, *attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. In Apocalypsi c. 2. Episcopi vocantur *Angeli* Ecclesiarum, non alia de causa, nisi quia Evangelium annunciabant, & eminenti præditi erant auctoritate. Angeli enim Dei Nuncii sunt, & inter res creatas principem locum tenent. Itaque vel ipsum nomen dignitatem auctoritatemque designat.

Deinde ritus ipse quo ab Ecclesiæ exordio Episcopi promoveri ad hujusmodi ordinem consueverunt, Presbyteris gradu, dignitate, ac potestate superiores esse demonstrat. Presbyter ab uno Episcopo, Episcopus vero a duobus, vel tribus aliis ordinari debet; id vero, ex consuetudine semper ac ubique recepta, & ex antiqua ab Apostolis orta Lege. Hanc enim inculcatam legimus can. 22. Concil. Arausicani, can. 4. Concil. Arelatensis, can. 4. Concil. Nicæni I. can. 1. illorum, qui Apostolici appellantur, ex eo, quod inter antiquas, Apostolicas quoque nonnullas constitutiones complectantur, inter quas Legem de ordinando Episcopo a duobus vel tribus aliis, jure meritoque recenemus. Tum quia, cum hæc semper, ac ubique locorum viguerit, nec ex nova totius Ecclesiæ determinatione post Apostolorum ætatem constituta ostendatur, ex ipsis Apostolis derivata præsumitur; tum etiam quia hæc fuisse ratione ordinatum Timotheum, Paulus, prima ad ipsum data Epistola per hæc verba significat: *noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*. Quæ sane verba, præmissa perpetua illa, & constanti totius Ecclesiæ consuetudine de Episcopo a duobus, vel tribus aliis ordinando, satis apte interpretantur de electione & deputatione Timothei ad Episcopatum per prophetiam, & de gratia quam in susceptione ordinis accepit ab Episcopis cum impositione manuum collati. Nam Episcoporum cœtus

tus, & collegium passim presbyterium appellatur; immo cum presbyterium Ecclesiæ senatum exprimat, nil aptius dici posse videtur ad cœtum Episcoporum designandum. Si Ecclesia viventibus Apostolis ritu quodam splendidiori, ac nobiliori, Episcop. ordinari præcepit, horum ordinem presbyterum dignoirem, altioremque habuit, Episcoposque a Deo Presbyteris superiores constituto, ostendit.

Ac ita revera esse jurisdictio illa demonstrat, quam semper, ac ubique in presbyteros exercuere. Nam presbyteria a primis temporibus vetitum fuit de una in aliam Parœciam migrare absque proprii Episcopi permissione, can. 12. Apost. ac omnia ad nutum Episcopi administrare jubentur, can. 33. quod & Tertullianus quoque asserit lib. de Bapt. c. 17. Rursus jus eis competit ordinandi Presbyteros aliosque Ministros, ut veterum omnium Scriptorum, omniumque antiquorum canonum consensu constat. Quamobrem hoc velati certo & explorato principio constituto, Epiphanius adversus Arianos concludebat, Episcopos a Deo Presbyteris superiores esse constitutos, quod Episcopi potestatem acceperint creandi presbyteros, non vero contra: & Athanasius licarum accusatorem suum presbyterum fuisse negabat, quia a Colluto ordinem susceperat, qui non erat Episcopus. Itaque si Episcopis nomen indictum est, quo juxta Hebræorum, Græcorum, Latinorumque sequendi rationem, is indicatur, qui sacrorum superintendit moderator, quisque aliis ministris præsit, si rius quo in hujusmodi ordinem coopteatur, eorum supra presbyteros dignitatem significat, si jus ab exordio Ecclesiæ habuit ordinandi, ac veluti sibi filios creandi presbyteros, si Presbyteris aliisque Ministris veluti subditis imperavit; perspicuum argumentum est, Episcopos a Deo institutos fuisse, ac ea donatos auctoritate, & potestate, qua plebi, Ministris, Presbyteriisque præsint, & quoad regimen Ecclesiæ dominentur. Hinc a Dyonisio Areopagita de Eccl. Hierar. c. 5. Episcopus divinus Pontifex, cui presbyteri pareant, & ab Auctore Const. Apost. lib. 2. c. 28. & 26. Episcopos dicitur, qui omnium curam gerit, vocaturque credeatium *Dux*, *Princeps*, *Rex* atque *Dynasta*. Quis ergo dubiter, quin Episcopi sint, quibus jus pascendi, ligandi, ac solvendi, clavisumque potestas concessa sit? Ita sane, qui quinto, & quarto Ecclesiæ sæculo scripserunt, sentiebant, quam ob rem Ariani oppositum docentes veluti novatores, ac hæretici ab omnibus habiti sunt, atque damnati. Ac eamdem fuisse antiquorum Patrum fidem facile patet. Africanum Ecclesiam id pro comperto semper habuisse, fidem faciunt Tertullianus, & Cyprianus. Ille lib. de Bapt. c. 17. *Dandi* Baptismi *habet jus summus Sacerdos, deinde Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est.* Alter vero in Carthaginiensi Synodo, cui ipse præsuit: veluti rem omnibus exploratam asseruit. *Apostolis non successimus eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes*, Ep. 27. docet, *Ecclesiam super Episcopos esse constitutam*: & ep. 63. ad Rogatianum, *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos Dominus elegit*. Paleſtinæ, ac Alexandriæ Ecclesiæ eamdem fuisse sententiam, Origenes, & Clemens Alexandrinus testantur, nam ille hom. 2. in Jer. de se loquens presbytero, ait, *plus a me exigi quam a Diaconis, ab iis vero plus, quam a laicis, plus virtutis ab his, quibus est super Diaconos & super Presbyteros commissum ejus regimen, principatus Ecclesiasticus*. Clemens autem lib. 3. Pædagogi c. 12. *alia præcepta*, inquit, *data sunt Episcopis: alia Diaconis*. Et lib. 6. Strom. *Et hic quoque in Ecclesia sunt progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum*. Accedunt etiam acta S. Ignatii Martyris edita ab Usserio, & Ruinartio: quæ habent, n. 4. *Honorabant enim Sanctum per Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, Asiæ civitates, & Ecclesiæ*. Epist. Ecclesiæ Smirn. de Martyr. Policarpi, in qua Smirnensis Episcopus S. Martyr appellatur: & demum judiciali catalogum exhibentes Episcoporum, qui Apostolis successere, ab Irenæo, Tertulliano de Præscr. Optato contra Donat. & Eusebio editi; in quibus cum Irenæo omnes sentiunt, Episcopos Apostolorum esse successores, ab iis ordinatos esse eorumque *ordinatione*, & *successione* veritatem conservatam, & ad nos derivatam. Vide l. 3. adv. hæreses. Quid plura? Ignatius quoque adeſt vir Apostolicus, & qui Joannis Apostoli consuetudine usus fuerat. In Epist. ad Magnesianos n. 6. Episcopum præesse Ecclesiis ait, ac Dei locum tenere; ad Trallianos n. 3. Eidem credentes subjectos esse oportere *tamquam Jesu Christo*: & ad Philadelphienses, ait, *attendite Episcopo, & presbyterio, & Diaconis*: ac infra *sine Episcopo nihil facite*. Quæ cum ita sint, nemo non videt, omni ætate ac ubique terrarum semper in Ecclesia fuisse Diaconos, ac Presbyteros, præter plebem, qui Episcopo veluti supremo Rectori subjecti essent, ac Episcopos habitos semper esse veluti Apostolorum successores & tamquam ii, qui suscepta ex Deo ab Apostolis, & ab iis ad eos derivata auctoritate, & potestate Ecclesiam Dei rexerint. Annon hæc satis superque sunt ad demonstrandum constituisse a Deo esse Hierarchiam Ecclesiasticam ac Episcoporum ordinem, qui dignitate & potestate cæteris præemineret? Sed quæ Scriptura habet, rem extra omnem controversiam ponunt. Mitto Apocalypsis loca, quibus Episcopos præfectos fuisse Ecclesiis declaratur, quibusque sublimi angelorum nomine eorum præstantia, ac auctoritas significantur; unus enim tantum textus Actor. 20. ad rem conficiendam sufficiet: *Attendite vobis*, inquit, Paulus Ecclesiæ Pastoribus, *& universo gregi: in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Cum omnium fere sæculorum Scriptores memoriæ prodiderint a Spiritu Sancto Episcopos per ordinationem jus pastoritium potestatemque habere, cum omnes ubique gentium Episcopi hanc semper crediderint accepisse in ordinatione auctoritatem, potestatemque, quis dubiter, quin textus ille designet Deum Ecclesiam instituisse suam cum Hierarchia, quam loquimur, & in qua Episcopi jus regendi ab ipso derivatum habeant?

Nec ullum nobis negotium facessunt, novatorum adversum tam apertam veritatem sophismata. Ajunt enim Scripturam aperte docere eosdem fuisse Apostolorum ætate Episcopos, atque Presbyteros, cum presbyteri Episcopi, ac ii vicissim Presbyteri passim vocentur. Addunt præterea Clementem Romanum, Chrysostomum, & Hieronymum non agnovisse inter Episcopos, atque Presbyteros in primæva institutione diferimen. Sed hæc facile corruunt, si animadvertimus.

Primo, quid Episcopi, quid Presbyteri, quid Diaconi

coni nomen significet. De Episcopo diximus supra; ad Diaconum, & Presbyterum quod spectat, Διάκονος Græce, idem sonat ac Latine *Minister*, Πρεσβύτερος vero idem ac Latine *Senior* quod aliquando ætatis, quandoque honoris, & dignitatis nomen est. Nam ad honores dignitatesque ii eligi solent, qui ætate rerumque gerendarum experientia ceteris præstent; quam ob rem Romani prudentiores ad rempublicam administrandam delectos Patres *seniores*, eorumque collegium *senatum* appellare consueverunt. Hoc posito munia expendentes Episcopi facile intelligemus, eos Christi, & Ecclesiæ ministros fuisse, ac Senatum illum constituisse Ecclesiæ, cujus auctoritate, & consilio omnia moderarentur. Igitur fisi quando Diaconi, sive ministri appellarentur, ut apte aliquod eorum munus explicaretur, atque Seniorum vocabulo apte itidem judicaretur viros esse, quorum cœtus stabilitum a Christo pro regenda Ecclesia Senatum denotet. Itaque demus aliquando Apostolos, veteresque scriptores Ministros, sive Diaconos, & Seniores, hoc est, Presbyteros vocasse Episcopos: quis inde inferat tres non fuisse in Ecclesia ordines, & Episcopos eosdem fuisse ac simplices Presbyteros & Diaconos? Constans, & perpetua omnium sæculorum traditio, ac scriptura ipsa aperte docent tres hujusmodi ordines in Ecclesia fuisse: poterant ergo Episcopi ob ministerium, quod exercerent, vel Senatum, quem constituerent, Ecclesiæ Ministri, ac Seniorum nomine donari, quin ab eadem excluderentur Ecclesia Inferiores Diaconorum, & Presbyterorum ordines; non secus ac Barnabas, Andronicus, Junias, aliique a Paulo Apostoli appellantur, ob munia, quæ subiere, quin nos cogant Apostolorum numerum augere. Mirum id non erit iis, qui statuant tunc rem fuisse omnibus exploratam, quo casu, ex promiscua illa appellatione nulla oriri potuit confusio; ut in prudenti apud Catholicos nulla ambiguitas, ac confusio nulla occurreret, si Episcopi, vel Ecclesiæ ministri, aut Presbyteri nomine indata aliqua occasione appellarentur, ut passim contingit. Immo nequidem demonstratæ assertioni obesse posset, etsi ostenderetur, aliquando Presbyteros, vel Diaconos, super inspectiones seu Episcopos fuisse vocatos, eum munus aliquando iis demandari potuerit, ob quod speculatores, inspectoresque dici potuissent. Hinc Theophilactus in Epist. ad Philip. scribit etiam Presbyteros dici Episcopos posse, *quod etiam ipsi populum inspiciant, ut parent, & illuminent: sed alia esse Episcopi officia, non enim Presbyteri ordinant*. Itaque ex hujusmodi nominibus in personæ dignitatem cadentibus, non in munia, quæ exercerent, ordinis discrimen argumentamur; quo in sensu semper diversos a Deo in Ecclesia institutos ordines designarunt.

Deinde si statum spectemus nascentis Ecclesiæ, haud difficile erit conjicere Apostolos in novis constabiliendis Ecclesiis Episcopos tantum cum Diaconis constituisse, qui crescente deinde fidelium numero, atque Ecclesia exigente, Presbyteros ordinarent, quos vel minoribus urbibus destinarent, aut juxta eorum gradum in Ministerii partem adsciscerent. Quod quidem ab Apostolo ad Tit. 1. v. 4. indicatum arbitror, cum dixit: *Hujus rei gratia constitui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. Nec quidpiam afferre vetat, plures quoque in una eademque Urbe, dum idoneos viros reperissent, ordinare consuevisse Episcopos, ut paratos haberent idoneos Antistites pro novis, quas fundarent, Ecclesiis. Quid ergo prohibet hac nos via Scripturæ textus exponere, in quibus Episcopi tantum cum Diaconis mentio occurrit, ut Epist. ad Timoth. c. 3. & alibi, & ubi plures in eadem Urbe recensentur Episcopi, ut ad Phil. 1. v. 1. & act. xx. Hæc sane attenta Ecclesiæ illius ætatis conditione, & statu illa, in qua nondum institutæ essent Diœceses, verisimilia videntur. Cur ergo ad illorum Scripturæ locorum expositionem afferri non potuerunt, quæ Puritani opponunt?

Hæc ad Scripturam quod attinet. Eadem ratione exponi possunt, quæ ex Clemente Romano objiciunt qui in Epist. ad Cor. n. 42. scribit Apostolos per regiones constituisse viros probatæ fidei in *Episcopos, & Diaconos eorum, qui credituri essent*. Eo vel magis, quia in eadem Epist. Presbyteros ab Episcopis aperte distinguit. Nam n. 1. mandat ut reverentiam exhibeamus Ecclesiæ *Præsulibus; & honorem Presbyteris*: n. 21. *Propositos nostros reveremur, & Presbyteros nostros honoremus*; & n. 49. hæc scribit, *Summo Sacerdoti sua munera tributa sunt, & Sacerdotibus locus proprius assignatus est, & Levitis sua ministeria incumbunt, & homo Laicis præceptis laicis constringitur*. De Chrysostomo pauca dicenda sunt; is enim nil aliud contendit, nisi Episcopos, Presbyteros, & Diaconos aliquando appellatos fuisse, Hom. 1. Epist. ad Phil. & 11. ad Timoth. & sua quoque ætate Episcopos nonnullos scribere consuevisse *compresbyteros, & condiacono nostro* &c. Discrimen vero aliquod inter eosdem statuit, ac Episcopis ordinandi jus tribuit, quod negat Presbyteris. Etiam Hieronymus eadem habet Epist. ad Evarium, dum dicit, *quid enim facit Episcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat*? Dum vero ad Diaconorum petulantiam coercendam asserit, initio Ecclesiæ communi consilio Episcopos, & Presbyteros omnia rexisse, *postea vero unum fuisse electum qui ceteris superponeretur*, innuit tantum Presbyteros ab Episcopis in sollicitudinis partem initio admissos fuisse, ut Apostoli, Seniores in sollicitudinis partem vocaverant; postea vero crescente fidelium numero satius duxisse ad schismata removenda ceteris unum præcire, ita ut plura Episcopus statueret, ac præciperet, Presbyteris inconsultis. Sed quid ambigua unius Hieronymi sententia tam perspicuæ veritati obesse potest? Præsertim cum ea Scripturæ expositione nitatur, quæ ex superius a nobis notatis omnino dubia, & incerta demonstratur.

Itaque Christus ita Ecclesiam instituit suam, ut hæc plebe constaret, quæ ovium nomine designatur, ac ministris, & Presbyteris, qui etiam Pastoribus subessent, quos Episcopus posset ad regendam Ecclesiam, quibusque etiam Legis ferendæ potestatem fecit. At hic eorum occurrit oppositio, qui Optati, & Chrysost. auctoritatem urgent asserentium, Ecclesiam instar Collegii esse in republica; unde inferunt non alia ei competere jura, quam quæ Cujacius, Gottifredus, aliique Jurisconsulti Collegiis competere exponunt. Sed quorsum hæc? Annon Optatus, & Chrysostomus fatentur, Ecclesiæ Pastoribus a Deo jus circa sacra, & pro decernenda Ecclesiæ disciplina, concessum? Nil ergo ex horum sententia auctoritati obest Ecclesiæ, eam instar Collegii in republica constituere, dum illius collegii naturam servet, quod Christus instituit, in quod & Principes, & Reges cooptari possint, ac cooptati, oves fiant Pastoribus eorumque Legibus subditæ. Hic non de nominis appellatione; sed de jure, quod sit a Deo Ecclesiæ concessum, deque præscripta ab ipso Ecclesiæ forma disputamus. At Deus Apostolos delegit, & discipulos, ac Episcopos Apostolorum successores. Hos omnium, quotquot Christi fidem susceperi essent, curam habere voluit, eaque iisdem jura dedit, quibus pro locorum, & temporum varietate Leges apras conderent ad spirituale bonum promovendum, prava in transgressores sancirent, ac contumaces e communione dejicerent. Dum hæc sarta tecta maneant, parum obest, quin in republica esse dicatur, quin appelletur Collegium. Qua appellatione donari hoc sensu poterit, quod Christiani in hoc terrarum orbe, & in republica, peregrinorum instar, eorum more vivant, qui cursum absolvere studeant, ut virtutum instructi ad optatam patriam perveniant, eum eorum sit finis æternæ felicitatis, & gloriæ consequutio.

PROPOSITIO VI.

Suprema in Ecclesia potestas in Romano Pontifice Petri Successore residet, ejusque auctoritati omnium Episcoporum jurisdictio subjecta est.

Propositio hæc variis argumentis adversus Novatores, & schismaticos a Theologis demonstratur. Nos vero cum eo unico fine de ea tractemus, ut notum sit, in quo resideat suprema ergo sacros Ritus in Ecclesia potestas, atque ut clare sit explicatum orthodoxum circa hujusmodi disciplinam Systema, indicabimus tantum, unum, vel alterum momentum, quo dogmatica hujusmodi assertio demonstrari solet. Primum itaque constat, Romanum Pontificem Petri successorem esse, tum quod nullus unquam fuerit Episcopus præter Romanum, qui se Petri successorem prædicaverit, tum etiam quia id exploratum est ex perpetua & constanti omnium sæculorum traditione, scilicet, ex Irenæo lib. 3. c. 3. Tert. lib. de præscr. c. 36. Cypriano lib. 2. Ep. 3. Epiphanio hæres. 24. Augustino aliisque. Constat vero ex Sacris litteris, Petrum peculiari prærogativa fuisse donatum, per quam in Fratres, hoc est, in Episcopos omnes jurisdictionem habuit. Christus enim non solum populi, sed etiam fratrum ei curam commisit, dum Lucæ c. 22. v. 32. ait: *rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Dum Joannis 21. v. 15. & seq. eum jubet non solum agnos, sed etiam oves pascere, hoc est, non solum populum, sed etiam fratres sive Episcopos, ut Chrysostomus in hunc locum interpretatur, & post ipsum Theoph. & Bernardus lib. 2. de consideratione. Dum denique Matth. 16. v. 18. & seq. inquit, *tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram* &c. Non est qui non videat, hic ob singularem a Petro factam de Christi divinitate confessionem singulare ei privilegium fuisse collatum, in eo situm, ut Christi Ecclesia supra ipsum tamquam super firmam petram fundanda ac stabilienda esset: ut Petro eam regente, portæ inferi prævalere non possent; & ut denique in omnes omnino jurisdictionem haberet; quæ singulari ea concessa Clavium potestate designatur. Ne vero ullus ambigendi sit locus, notare hic necesse est, Christum Syriace locutum dixisse Petro, tu es cepha, hoc est petra, & petra quoque legitur in textu græco; quamobrem dubitari non potest, quin Petrum, petram voluerit esse illam, supra quam Ecclesia fundata est. Deinde notum est, hanc jurisdictionem, quæ Petro collata fuit, ut necessariam ad conservandam in Ecclesia Fidei, cultus, & disciplinæ unitatem & ordinem, Romanos Pontifices semper exercuisse. Patet id ex eo, quod initio secundi sæculi Marcio Hæreticus a proprio Episcopo in Ponto excommunicatus, Apostolicam Sedem adierit, ut illius auctoritate Ecclesiæ communioni restitueretur; quod circa finem ejusdem sæculi, orta in Asia controversia circa diem, quo Pascha celebrandum esset, causa delata sit ad Victorem Romanum Pontificem; ut ipsius auctoritate scandala ex Ecclesia amoverentur, ac circa hujusmodi disciplinæ caput unitas in Ecclesiis omnibus conservaretur: quod denique tertio Ecclesiæ sæculo, contendentibus Firmiliano in Asia, & Cypriano in Africa, baptizatos ab Hæreticis esse iterum baptizandos; Stephanus Romanus Pontifex eos ad servandam hac de re antiquam traditionem, etiam excommunicationis minis obligare voluerit.

Hæc satis sunt ad ostendendum jurisdictionem, quam Romanus Pontifex in Petri persona, cujus Successor est, accepit etiam tribus prioribus sæculis, ut rerum administratione fungi ferebant, in universam Ecclesiam exercuisse. Hujus autem rei luculentiora, & frequentiora suppetunt in sequentibus sæculis exempla. Hinc in primis in Oriente celebratis Conciliis omnium Patrum consensu, tamquam Primas, & Ecclesiæ caput, & supremus Rector habitus est, ut ex eorumdem actis liquet, &, ut alia mittam, in Florentina Synodo, Græcis etiam consentientibus, decretum prodiit, quod sequitur: *Definimus Sanctam Apostolicam Fidem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium*.

Atque hinc patet solum Romanum Pontificem posse universæ Ecclesiæ præscribere Ritus, atque stabilitos & universim receptos mutare, aut circa eorumdem usum dispensare. Reliqui vero Episcopi, etsi dispensare, vel mutare possint ordinaria auctoritate ritus, quos ipsi, vel eorum prædecessores in usum propriæ diœceseos constituere, ut jejunia, dies festos, processiones &c. tamen circa ritus, vel ab Apostolica Sede constitutos, vel in Concilio Generalibus præscriptos, aut Ecclesiæ universæ Orientalis usu, & consuetudine comprobatos, nihil nisi ex delegatione, seu concessione Apostolicæ Sedis innovare possunt. Vide ea, quæ in appendice de legibus disputavimus. Quamobrem Conc. Trid. sess. VII. c. 4. can. 13. ait: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione usurpari consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; Anathema sit*.

Igitur ex Ecclesiæ præcepto in sollemni Sacramentorum

torum administratione quisque tenetur ritus receptos & approbatos adhibere. Quamobrem graviter peccant, qui eosdem omittunt: Si etiam contemnant, vehementer haereticis suspecti habendi sunt; Haereticis vero si contendant & teneant, sine peccato omitti posse pro libito, vel a quolibet Ministro mutari. Jure itaque meritoque Apostolica Sedes Missionarios illos increpavit, atque reprehendit; qui in Madurensi, eique finitimis Regnis, vel ex proprio capite, vel ex pravitate cujusdam Episcopi dispensatione, aut propria auctoritate in solemni Baptismi administratione omittebant insufflationes, salivam, unctionesque, quod hujusmodi genus antedictas caeremonias horrerent. Rite autem omittuntur durante dispensatione Apostolicae Sedis, quam ad imitationem suorum Praedecessorum, etiam Sanctissimus D. N. Benedict. XIV. ad decennium concessit, ut infra indicabimus.

CAPUT V.

Romanae atque Catholicae Ecclesiae Ritus a superstitionis nota vindicantur.

RItus superstitiosi sunt, vel superstitiosi sive vani, vel falsi, aut idololatrici, ut nobilium Novatores fatentur. Romana autem atque Catholica Ecclesia, nec probat, nec usurpati patitur ritus, qui ad unam ex illis ritus superstitionis speciebus referantur. Nam ritus hujusmodi damnat, atque animarum Pastoribus praecipit & inculcat, ut circa sacras caeremonias populum christianum instruant, ne ex abusu inutiles fiant: atque omnes ex Ecclesiae institutione, & eo fine adhibitae, quo ipsa caeremonias uti praescribit, ea, quae vere Deus revelavit, menti efferunt, & ad Dei gloriam semper referuntur. Id legentibus rituales libros, quos Ecclesia probat, fit illico manifestum: quippe in iis nulla praescribitur actio, quae ordinata & decens non sit, atque apta ad ea menti offerenda, quae per ipsam Ecclesia significare vult: nullae sunt preces, quae ad Deum, ut supremum rerum omnium largitorem, non referantur. Si ita ritus nostros expenderent Novatores, non adeo faciles essent ad damnandum distinctas sacrorum Ministrorum vestes, cantum in psallendo, non vernaculae linguae usum in sacris liturgiis, candelarum usum, thurificationes, lustralem aquam, *Agnus Dei* &c. quae sacramentalia vocantur, consecrationem Ecclesiae & Altarium, benedictiones, seu baptismos, ut vocant, Campanarum, & alia hujus generis.

Sed videamus quam sint haec in re inepti Novatores. Quis ignorat sacras vestes ad gloriam decoremque divini cultus pertinentes in veteri testamento commendari? Videatur Exod. 28. 1. Reg. 2. Neque in Christi Ecclesiam recenter inventas esse, jure clamant. Nam Nazianzenus or. 2. *sacerdotalem stolam*, Conc. Laodicenum psallentis Clerici *orarium*, & Eusebius H. E. c. 24. ex Policrate Ephesino, Pontificale refert *πέταλον* hoc est, vittam sive laminam appellarum, quo Joannes Apostolus utebatur. Rursus Stephanus ad Pontificatum evectus, jussit, ut Sacerdotes & Levitae *vestibus sacris* uterentur. Sigebertus arguit Vandalos ad ann. 442. quia vestes sibi fecerant *ex sacris palliis*, & *vestibus*, ac similia de Genserico illorum Rege narrat Victor Vitensis. Sacra vestimenta laudant Hincmarus, Ratherius Veronensis, Cyrillus Hierosolymitanus, apud Sozomenum lib. 4. c. 24. alliique. Extat praeterea vetus pictura in coemeterio Priscillae exprimens S. Pii I. & Pastoris Presbyteris sacra indumenta, ut videre est apud Aringhum Rom. Subter. Tom. 2. pag. 305. & Blanchinium in not. ad Anastasium. Ciampinus quoque in disquisitione de duobus emblematibus sacras vestes delineat ex vitreo orticillo aetatis, ut ipse opinatur, duorum Philipporum, qui Consules fuere ann. 247. sedente Fabiano in Cathedra Petri.

Neque Psalmodiam, & cantica, quae adhibemus, jure reprehendunt. An non legimus apud Paulum ad Ephes. v. 19. *loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*? In quae verba Hieronymus habet, *sic cantes servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quae leguntur*. Rursus quis ignorat cantum alternatim in Ecclesia a primis temporibus usurpari coepisse? Id Ignatium instituisse in Antiochena Ecclesia habetur in actis Martyrum ab Usserio, & Ruinartio editis p. 8. Scribitque Socrates lib. 16. c. 8. Auctor vero q. ad Orth. inter opera Justini edit. Petavii p. 60. ait, *retentum* in Ecclesia cantum, *quoniam movet animum ad ardentem cupiditatem rei, quae in cantilus delectat, sedat motus, qui in carne excitantur*. Augustinus lib. 9. Conf. c. 7. Ambrosius tacet quod secundum morem Orientalium instituerit, ut plaimi, & hymni canerentur, *ne populus maroris taedio contabesceret*. Ut alia vero mittam, Lucianus ipse in Philopatro conviciatur Christianis *ad hymnos tota nocte decantandos vigilantibus*. Et C. Plinius in Epistola ad Trajanum, de qua Tertullianus c. 2. Apolog. Euseb. lib. 3. c. 33. & Hieronymus in Chronico, refert de Christianis; *quod solliti essent ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem*. Adeo haec clara sunt, ut Novatores in dubium revocare non possint. Ne vero abusus qui in hujusmodi cantibus occurrunt vitio nobis vertant, sciant necesse est, Romanam Ecclesiam docere, hortarique Episcopos omnes, ut quoad fieri possit, abusus hujusmodi de medio tollantur. *Hoc*, inquit Bened. XIV. de Synodo Dioec. lib. 11. c. 7. *Hoc proculdubio ad Episcopi officium pertinet, ut Synodalibus decretis Ecclesiasticae musicae rationem, quatenus in Dioecesi sua opus esse cognoverit, ad certas regulas redigat, atque componat, ut corda fidelium ad pietatem excitet, non aures solas, sicut fit in theatris, inani voluptate demulceat*. Videatur integrum caput, in quo Encyclica ab ipso edita ac tom. 3. Bull. n. 3. impressa laudatur. usus deinde improbatur eorum, qui sine necessitate, ac solo Ecclesiae in cantu serviendi fine exercitantur: atque hominum cantum, aliaque in Ecclesia tolerari asseritur, quae tolli non possent, quin Pastores, quibus *populorum amor ad munus suum utiliter gerendum maxime necessarius est, eorum animas a se ultro abalienare, sibique molestiae & offensiones sine causa parare velle videantur*. Porro in encyclica illa Episcopis ditionis Ecclesiasticae jubet, ut *organo, aliisque nonnullis instrumentis retentis, ea dumtaxat ab Ecclesiarum choris eliminare studeant, quae theatralibus ludis potius, quam sacris locis & actionibus convenire videntur*.

Sed ajunt, quorsum pallere, ac faceras liturgias incognita lingua celebrare? Quid enim inde fructus

ac spiritualis alimenti plebi Christiana percipiet, quae verborum seusum non tenet? At facile patet Novatores haec objicientes antiquam, & universalem Ecclesiae consuetudinem ignorare. Nam exploratum est, ex iis quae de Orientalium ritibus disputaturi sumus, non solum Latinos, sed etiam Orientales omnes psallendo, ac sacra perficiendo linguam, quae vernacula non est, adhibere. Graeci, Armeni, Syri, Chaldaei, Copti, Aethyopes, Orientales denique omnes ab antiquis temporibus lingua sacra faciunt, quae vernacula non est. Immo facile quoque ostendi potest, vel a primis temporibus id fuisse in more positum. Nam cum Latina tantum, & Graeca lingua universim sacra fierent Apostolorum aetate, ac sequentibus inde temporibus, quis dicat in tota Africa Romano subdita Imperio, Latinam linguam, qua sacra ubi fiebam, populo, plebique fuisse cognitam? aut notam fuisse toti plebi Orientis Graecam linguam, quae generatim in regionibus illis adhibebatur? Aliud itaque est de privatis, aliud de publicis orationibus afferendum. Dum de privatis loquimur, conveniens est, ut quisque proprio, ac filii explorato idiomate loquatur, sed ubi de publicis agitur, satius est publico uti ore, atque Ecclesiae spiritu duci, quam certo scimus nobiliori intentione dirigi, sublimioribusque verbis loqui, quam possit excogitare universorum hominum ingenium, vel eloquentia. Rursus semper fuere in Ecclesia Pastores, qui ex officio explicare populo tenerentur, quae in publicis Ecclesiae functionibus repraesentantur, & fiunt. Nec defuerunt Ecclesiae casibus, quae ad hanc servandam disciplinam impulerint. Prima est, ut facilius unitas servetur, quae linguarum varietate, ob maximam quae inde sequeretur confusionem, facile perderetur. Et sane quae confusio non esset, si omnes, qui Romanae Ecclesiae ritum servant, patrium sermonem adhiberent? Ubi tum esset mutua illa in sacris communio inter Hispanos, Gallos, Germanos, Polonos, Italosque, quae in praesentia viget? Secunda causa fuit, quia vernaculae linguae ob aliarum gentium incursiones mutationi, ac perpetuae vicissitudini subsunt; in sacris autem has novitates admittere non convenit, ob simpliciores, qui novitatibus facile turbantur. Atque hinc tertia quoque causa patet, quia ex tot, quae fierent sacrorum librorum versiones, vix novirates, difficilia, erroresque caveri possent, quae res passim inde sequuntur. Haec itaque in causa fuere Ecclesiae, ut antiqua, & quae variationi non subsit lingua a ministris sacra fierent, quibus tamen praecepit, ut Populis, quae scitu sunt necessaria, explicarent.

Quoad cereorum usum, sat erit afferre, quae Hieronymus adversus Vigilantium disputavit lib. 2. *Quicunque accendit cereos, secundum fidem suam habent mercedem. Quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum. Unde & virgines illae Evangelicae semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur: sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris*. Itaque non ad fugandum tenebras tantum, sed in typum spiritualis luminis, & ad ostendendum lumen nobis ex Evangelio datum, unde spiritualis laetitia est, cerei adhibentur; & quidem ab ipsis Ecclesiae incunabulis, ut ex Nazianzeno contra Julianum invectiva 2. aliisque antiquis Scriptoribus constat,

De thuris usu pauca dicemus. Hujus rei exempla passim in veteri testamento occurrunt, ex novo vero Lucae 1. & Apocalyps. 8. Atque a Christianis adhiberi solet, ut orationis est symbolum, divinique cultus. Hujusce usus mentio fit can. 3. Apost. a Dionysio de Eccl. Hierarchia c. 3. in Actio. Conc. Chalced. ab Ambrosio lib. 1. in Lucam; & ex eo constat etiam quod antiqua sint in Ecclesia Thimiamateria, seu Thuribula, cum Anastasius in Silvestro dicat duo aurea dedisse Constantinum Lateranensi Basilicae.

Aspersio lustralis aquae, quae interioris ablutionis est symbolum, & per Ecclesiae preces sanctificata plurimum valet, ad daemonem expellendum, obtinendamque superiam benedictionem, institura ab Apostolis ostenditur a Baronio, Bona, Bellarmino, & Blanchino in notis Tom. 2. Anastas. pag. 83. Illius mentio habetur lib. VIII cap. 44. Const. Apost. apud Synesium epist. 122. Theodoret. lib. 1. c. 22. Hist. Eccl. ubi narrat, a Marcello Apamenorum Episcopo sparsa aqua benedicta fugatos fuisse daemones, & apud Hieronym. in Hilarione 2. part. Tom. 22. ubi refert dissipatas ejusdem aquae aspersione Ethnici Aurigae praestigias. Haec satis sunt ad ostendendum semper, ac ubique obtinuisse. Sed quid, si dicamus de novo fuisse ab Ecclesia institutam? Satis enim superque probavimus hanc a Christo inditam ei esse potestatem.

Ad alias benedictiones quod spectat, satis notae sunt in antiqua disciplina *Eulogiae*, panes scilicet benedicti, quos in communionis testeram fideles invicem mittebant. Cujus rei mentio occurrit in can. 24. Conc. Laodiceni, in lib. 2. de pecc. merit. & remiss. apud Augustinum, & in Sulpicii Severi Hist. in S. Paulini Epistolis, aliisque antiquis Ecclesiae monumentis.

Cinerum quoque, palmarum, cereorumque benedictionem antiquae Ecclesiae commemorat. Scilicet, usus cinerum in iis adspergendis, qui publicam poenitentiam agerent, memoria extat apud Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, & in can. 63. Conc. Agathensis. Quid ergo mali est, horum usu mortis memoriam homini offerre, atque ita ad poenitentiam excitare? Palmarum benedictio, quarum usu triumphalis Salvatoris nostri ingressus in Urbem Jerusalem in memoriam revocatur, & quae pro pacis gratiaque symbolis habentur, octavo certe saeculo antiquior est, cum hujus caeremoniae memoria extet in Sacramentario Gregorii Magni, ac in vetusto quodam Kalendario a Martenio edito, cujus sententia codex ante quintum saeculum exaratus censetur, mentio fiat *Dominicae in Palmis*. Cerei quoque Paschalis usus & benedictio ex antiquis ad nos derivavit. Sigebertus in Chronico, Leo Ostiensis, Anastasius, Rupertus, & alii Zosimum Papam paullo post initium quinti saeculi institutorem faciunt; sed recte observat Baronius ad ann. 418. hujus cerei usum Zosimo antiquiorem fuisse, cum Anastasius, ac Liber Pontificalis tradant constituisse Zosimum, ut cereus, qui accendi statim solebat in Basilicis, benediceretur, ac adhiberetur in Parocchia. Accenditur Paschalis cereus ob memoriam resurrectionis Christi, Concil. Toler. IV. & ob Evangelicae fidei & gratiae splendorem.

Super est nunc ut pauca dicamus de cereis benedi-

ctis Agni imaginem præseferentibus, qui vulgo *Agnus Dei* vocantur. Hujusmodi imagines *Agni* ex cera pura & virginea confectæ Symbolum habentur Agni immaculati Christi Jesu, qui absque ulla corruptione ex Virgine prodiit. Non immorabimur in eorum demonstranda antiquitate, etsi scimus Vincentium Bonardum, Gretserum lib. 2. de benedictione, aliosque quinto sæculo antiquiores esse demonstrare; sat enim nobis est a pluribus sæculis in usu esse, atque a Summis Pontificibus sollemniter benedici, ac maxima cum devotione a fidelibus suscipi solere, ob Symbolum Christi Jesu, quod exhibet, & quia a Summis Pontificibus benedicuntur, ac fidelibus commendantur, ut ob Ecclesiæ preces benedictionesque eorum delatione ex Christo imperii dæmonis eversore se maximum adversus dæmonis insidias habere confidant præsidium. Si cautiam institutionis, quam Baronius affert, expendamus, nil hac cæremoniæ institutione prudentius Ecclesiam agere potuisse comperiemus. *Christianos*, inquit ille, *ex stultis Ethnicorum, quas parvulis suis fascini averrendi causa appendebant, occasionem sumpsisse ut recens baptizatos Bullis, sed sacris insignirent, superstitione in Religionem mutata.* Hæc institutionis causa fuit; nec iis agnis vim ullam intimam esse credimus, sed quidquid ex illorum delatione optamus, ex Christo, cujus præ se imaginem ferunt, & ex publicis Ecclesiæ precibus institutaque ab ipsa cæremonia, obtinere confidimus. Quid in hoc superstitionis est? Ecclesiæ sane hujusmodi instituendi cæremonias jus a Deo fuisse demonstravimus, atque æqua & sancta fuit ejusdem in hac institutione œconomia. Maximum Ecclesiæ præsertim Romanæ semper studium fuit, ut Behed. XIV. lib. XIII. de Synodo Diœcesana cap. 17. observavit, *ut publicis offensionibus & scandalis consultissimum aliquando remedium adhiberet, findens crimenosis quibusdam actionibus alias subsistere rectas cælestique præmio dignas, atque ita Religionem impietati subrogavit, sanctaque metamorphosi indutta, quod improbandum erat immutavit. Nemo non scit, quid olim Lupercalia, quæ ab Evandro, ut ferebatur, instituta, mense Februario celebrabantur. Ut autem probabili sert opinio, a S. Gelasio I. Pontifice Sæculo V. proscripta fuerunt, substrogata in ipsorum locum pia supplicationes, quæ Festo die Purificationis B. M. V. ab Ecclesia habentur.* Atque hinc alterius quoque cereorum benedictionis origo derivatur, & illius usus cum institutione, tum etiam objecto atque fine rectus ac sanctus demonstratur.

Præcipua eorum argumenta ad quatuor capita facile revocantur. Primum, quod cæremoniarum plerasque ex Synagoga, aut ex Idololatra gente originem trahant. Præterea, quia, ut ostendit Claudius Vert, vestes, cerei, thura, & alia id generis ex necessitate, vel usu locorum primum fuerunt usurpata, ac deinceps veluti cæremoniæ habita sine institutione ulla. Deinde, quod earum quamplurimæ ad agendum interiorem Dei cultum nullo modo conferant, adeoque inutiles sint, plures vero omnino falsæ, cujusmodi sunt illæ, quæ vel purgatorium, vel transubstantiationem, aut aliæ, quæ dogmata significant, quæ ipsi respuunt. Denique Idololatriam saltem imperfectam ineste putant in usu & cultu sacrarum imaginum, & reliquiarum, atque in invocatione Sanctorum.

Sed si, ut par est, exponatur doctrina, quam Orthodoxa tradit Ecclesia, hujusmodi sophismata illico corruunt. Ad primum quod spectat, satis superque ostendimus *Propos. 17. cap. 1.* sacros ritus superstitionis simulari non posse, quod antea superstitiosi cultus cæremoniæ fuerint, si deinceps legitima auctoritate, murato significato & fine, ad obsequium, cultumque veri Dei promovendum, augendumque referantur. Ex objecto enim & fine sacri ritus metiri debent. Ita vero præsertim atque usurpari ab Orthodoxa Ecclesia cæremonias, quæ antea vel ab Hebræis, vel a gentibus adhibebantur, eas rite expendenti manifestum fit.

Ad secundum, ajo, turpiter erraste Claudium Vertium, si putavit nullam omnino fuisse in Ecclesiasticis cæremonis mysticam, & symbolicam significationem, sed ob Ministrorum commodum, locorumque consuetudinem fuisse institutas; ferri vero ipsius opinionem posse, si contendat præditis ex causis nonnullas originem habuisse, sed retentas deinceps, ac in Sacrorum usu conservatas, ob mysticam symbolicamque, quæ eisdem deinceps accesserit ex instituto Ecclesiæ significationem. Quæ quidem significatio in omnibus adest, ac plerumque per preces exprimitur, cum quibus conjungi debent, aliquando indicatur in rubricis, quæ eorumdem usum præscribunt, quandoque vero ipsamet actiones a sacris Ministris expressæ cogitationes in Christianorum mentibus excitant divinum cultum foventes.

Ad tertium respondemus: Catholicam Ecclesiam, ritus qui inutiles seu supervacanei sint, omnino damnare; atque animarum Pastoribus præcipere, ut supra etiam innuimus, ut Christianum populum circa sacros ritus instruant, ne ex negligentia vel abusu inutiles vanique fiant. Neque fallos ritus Ecclesia nostra probat. Quippe dogmata illa, quæ Novatores respuunt, quæque Ecclesia cæremoniis suis Fidelibus ostendat inculcat, ab ipsis Apostolis, ex quibus ipsa descendit, & a quibus Fidei depositum habuit, accepit; & ante duo sæcula etiam Novatorum hominum majores eadem dogmata cum Ecclesia profitebantur, quæ revera dicitur, & est Apostolica, non vero Reformata, vel Calviniana, vel Anglicana, vel Lutherana, aut alio denique nomine appellata, quo Novatorum sectæ designantur.

Venio nunc ad tertium caput. Neque circa usum cultumque sacrarum imaginum, & reliquiarum, ac invocationem Sanctorum quidquam occurrit, quod jure Novatores reprehendere valeant, si rite intelligant doctrinam, quam Catholica exponit Ecclesia. Incipiamus ab imaginum usu. Sacras imagines vocamus, imagines Christi, Deiparæ & sanctorum hominum, aut eas, quæ exprimant Angelos, æternum Patrem, aut Spiritum Sanctum ea forma, sub qua Prophetis, vel aliis sanctis hominibus sacræ Scripturæ apparuisse indicant. In iis vero quid est, quod reprehendi possit? Non imago ipsa; quippe de se mala non est, nec lege ulla prohibita. Non usus; nam in memoriam revocat hominum Christum Dominum, & ea quæ Christus pro nobis egit, aut Sanctissimam ipsius Matrem, vel sanctos homines, quos Deus ob insignes virtutes cælesti gloria donaverit, aut denique Sacræ Scripturæ historias, in quibus ea narrantur, quæ apparitiones in figura corporea vel Dei, aut Angelorum exhibent, vel quæ Deus pro nostra salute fecit. Quid in iis Novatores re-

pre-

prehendendum ostendant? An non utiles sunt cogitationes, quas in hominum mentibus excitant? Nemo sane negat utiles esse Reipublicæ imagines, quæ antiquas historias exprimant, quarum memoria regendæ reipublicæ utilis sit, & quæ res gestas designent illorum hominum, qui fuerunt de eadem republica optime meriti, ut cives ad illos imitandos provocentur. Cur ergo inutiles non erunt imagines, quæ hominum memoriæ offerant facies a Deo, sub certa figura apparente, sive per Angelos suos humana forma donatos, revelationes, aut collata humano generi beneficia, quæque considerationi nostræ subjiciant Christum Salvatorem nostrum, Matrem ipsius, sanctosque homines, qui nobis exhibent veræ virtutis exempla, qui nos movent ad fidem illam profitendam, pro cujus defensione sebiere supplicia, quique spem in nobis fovent illius beatitudinis, quam ii divina gratia, veluti laborum mercedem, sunt consequuti? En imaginum usus, ut Romana Ecclesia præscribit. Videatur Tridentina Synodus sess. 25. *Illud vero*, inquit, *diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, eruditi, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum, quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt; sed etiam, quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant: exhortenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.*

Ajunt vero imaginum cultum idololatriam esse, ideoque illarum usum illicitum, quod ad idololatriam provocet. At injuria id afferunt. Sacrarum enim imaginum cultus, qua ratione a Tridentina Synodo præscribitur, omni superstitionis suspicione caret. Nam hæc mandat Ecclesiæ Pastoribus, *ut fideles diligenter instruant, docentes eos imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod Concilium, præsertim vero secunda Nicæna Synodi decretis contra imaginum oppugnatores sanctum est.* Quæ cum ita se habeant, ubi est Idolatria, vel etiam superstitionis umbra in cultu, quem Romana Ecclesia sacris imaginibus deferendum esse docet? Hocenim cultu, non imagines, non Divinitatem, aut vim aliquam, quæ in imagine ingatur, sed id veneramur & colimus, quod imagines menti cognoscendum exhibent; scilicet, Christum Dominum, Deiparam, Angelos, sanctosque homines, qui cum Christo in Cælis regnant; motivum autem nostri cultus in Deipara, in Angelis, sanctisque hominibus, non est naturæ quædam propritas

sive conditio, sed gratia Dei, qua Sancti fiunt & Deo cari, sed dignitas, excellentia, aut supernaturalis prærogativa, qua a Deo exornantur, ac veneratione digni fiunt. Quamobrem nostri cultus objectum, ut vocant, formale, est Dei gratia atque supernum divinæ liberalitatis donum, quo fit, ut hac veneratione & cultu Deus ipse glorificetur, qui hac de causa gloriosus dicitur in Sanctis suis. Igitur cultus, quo Deiparam, Angelos, sanctosque homines veneramur, ad Deum ipsum refertur, qui eo glorificatur. At veri Dei cultus superstitione caret. Item Templa, & Altaria non sanctis hominibus, sed Deo dicamus in honorem Sanctorum, quos ipse gratia, & gloria sua honore dignos fecit.

Eadem ratione a superstitione vindicamus cultum, quo Sanctorum reliquias prosequimur. Ait Tridentina Synodus, loco supracitato: *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, & ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstentur.* Colimus ergo SS. corpora, quod fuerint in hac vita viva Christi membra, & templum Spiritus Sancti, ut ait Apostolus 1. ad Cor. cap. 3. v. 16. quodque ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda sint, ac multa per ea beneficia hominibus præstentur. Quid vero est in hujusmodi cultu, quod ad augendum hominis erga Deum amorem, ad fovendam fidem, & spem, & ad glorificandum Deum non referatur? In quo ergo sita est superstitionis suspicio?

Docet propterea Catholica Ecclesia in supra citata Synodo, *Sanctos una cum Christo regnantes: orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare, & obsecrationis impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxilium que confugere.* Nos hic non suscepimus demonstrandum, Sanctos cum Christo in Cælis regnare, nostrarum precum conscios esse, atque Deo nostras orationes offerre; id enim pro certo habemus, & cum ex Scriptura, tum ex constanti omnium sæculorum traditione a nostris Theologis luculenter ostenditur; sed eorum invocationem omni superstitione carere demonstramus. Nam confugere ad eorum orationes & opem, ob obtinenda a Deo per Jesum Christum Filium ejus beneficia, non est eis divinam prærogativam, vel honorem, qui superstitiosus sit, tribuere. Ipsos enim spectamus ut homines Dei gratia cælesti ditatos, ac ejusdem Dei amicos constitutos, qui perfecta illa, quam habent, caritate ducti, pro hominibus Deo orationes suas offerunt, quique scientia illa, quam Deum intuendo habent, tum nos, tum nostras petitiones agnoscunt, atque ad impetranda pro nobis a Deo beneficia per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum moventur, dum suppliciter eos invocamus. Hanc autem invocationem, non necessariam, sed utilem damtaxat asserimus. In iis autem perspicuum est, nos Sanctis hominibus in cælis cum Christo regnantibus nec divinam aliquam prærogativam, nec indebitum honorem tribuere, sed eosdem considerare, ut Dei amicos cælesti gloria donatos, qui, ut Sacræ literæ describunt, sunt ante thronum Dei, ei que serviunt, ac pro nobis orant.

Nota. Ex iis, quæ diximus, abunde patet, injuria Novatores sanctorum hominum cultum superstitionis accusare. Sed ut clarius pateat quantum Romana Ecclesia superstitiones horreat & abusus omnes, qui in Divino cultu occurrere possint; paucis indicabo, quæ in eadem Synodo Tridentina pro præcavendis abusibus circa sacras imagines, Sanctorumque cultum, stabilita sunt. Primo itaque universim mandat, ut si qui abusus in has sanctas & salutares observationes irrepserint, omnino tollantur, *ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, & ruditati periculosis erroris occasionem præbentes statuantur. Quod si aliquando historias & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, docetur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, aut figuris exprimi possit.* Secundo, ut *omnis superstitio in Sanctorum invocatione, reliquarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, cuncti denique lasciviæ vitentur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec veneretur, & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum visitatione homines ad commessationes, atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur.* Tertio præcipit, ut tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, *ut nihil inordinatum, aut præpostere, & tumultuarie accommodatum, nihil prophanum, nihilque inhonestum appareat.* Quarto denique, ut fidelibus hæc omnia terrentur, statuit, *nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nullas etiam admittenda esse nova miracula, ac novas Reliquias recipiendas, nisi eadem recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris, ea facias, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior controversia suboriatur, Episcopus antequam contentiosam dirimat, Metropolitani, & comprovincialium Episcoporum, in Concilio Provinciali sententiam expectet, ita tamen, ut nihil, inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernat.*

CAPUT VI.

De Ecclesiæ Orientalis Ritibus, eorumque varietate.

IN superiore capite exteriorem cultum, ritusque Catholicæ Ecclesiæ ab Hæreticorum, qui in Occidente sunt, criminationibus vindicamus. Nunc de Orientalis Ecclesiæ Ritibus dicemus. Idque in tribus distinctis paragraphis: in primo Orientalem Ecclesiam universim describemus; in altero Schismaticorum & Hæreticorum, qui in ea sunt, tum Sectas, tum præcipuos errores indicabimus: in tertio vero varios, qui in Ecclesia Orientali sunt Ritus, exponemus.

§. I.

Describitur generatim Orientalis Ecclesia.

IN Orientali Ecclesia ab Apostolorum ætate Alexandrinus, & Antiochenus Antistites, post Romanum Pontificem, reliquis universi Orbis Episcopis honore ac prærogativis præeminuerunt. Nam in Nicæna Synodo omnium generalium prima, anno 325. celebrata, Canone VI. statutum fuit, ut antiqua consuetudo servaretur circa Alexandrinos & Antiochenos Episcopos, qui Summi Metropolitani appellati sunt. Leo autem Magnus circa medium V. sæculi epist. 53. quæ est ad Anatolium, scribit insimodi consuetudinem ex Apostolo Petro originem trahere. Neque id in controversiam revocari potest: nam explorata res est, Alexandrinam Ecclesiam Apostolum Petrum per Marcum, Antiochenam vero per seipsum fundasse. Itaque cum Nicæna Synodus definierit, ex antiqua ab Apostolis orta consuetudine antedictos Episcopos reliquos superare, pertinacium fit, præeminentiam ac jurisdictionem hujusmodi, ex Petro Apostolorum Principe acceptis.

Ut in Concilio Nicæno primo hujusmodi Antistites appellati fuerunt summi Metropolitani, ita in primo Synodo Ephesina vocati fuerunt Archiepiscopi, & in Constantinopolitana prima Exarchi Diœceseos. Tempore autem inter Constantinopolitanum, & Chalcedonense Concilium intermedio, nuncupari cœperunt Patriarchæ, quod nomen ex Synagoga in Ecclesiam deductum, primum in Theodosii ad Valentinianum Imperatorem epistola, Leoni I. Romano Pontifici tributum fuit, ac deinde in Chalcedonensi Synodo Alexandrino quoque, & Antiocheno Antistiti. Iis additus postea fuit Constantinopolitanus Episcopus, qui postquam in hac Urbe Sedem suam Imperator constituit, in magno honore haberi cœpit apud Orientales, ac consuetudine, accedente etiam Principum favore, jus Metropolitani Diœceseos Ponti, Asiæ, & Thraciæ sibi usurpaverat. Demum eadem prærogativa Hierosolymitano Antistiti concessa fuit ob Apostolicæ Sedis honorem, quæ prima Episcopum habuisset.

Quamquam Patriarcha Constantinopolitanus Alexandrino & Antiocheno posterior est, nec ipsius Sedes cum Alexandrina & Antiochena comparari potest; & licet Romanus Pontifex diutius rejecerit XXVIII. Canonem Chalcedonensem, quo ei jus patriarchicum conferebatur, nec nisi ab Innocentio III. initio tertiidecimi sæculi, ut Patriarcha sit agnitus; tamen undecimo sæculo vastissimam sibi jurisdictionem usurpaverat. Nam sub se habebat Metropolitanos sexaginta quinque, Archiepiscopos independentes, quibus nulli subjecti erant Episcopi, triginta quatuor, & Episcopos sexcentum & amplius, ut refert Leo Allatius ex Nilo Doxapatrio Græco Scriptore. Sed everso deinceps Græcorum Imperio, ac restituto, quas in Calabria & Sicilia Romano Pontifici usurpaverat, Provinciis, valde imminutus est eorum numerus. Ipsius enim jurisdictioni subjecti sunt Episcopi circiter centum quinquaginta, inter quos sunt viginti quinque Metropolitani, quorum plerique suffraganeis carent. Provinciæ, in quas jurisdictionem exercet, sunt quæ sequuntur. Asia minor,

nor, Insulæ Maris Ægæi, Thracia, Græcia, Valachia, Moldavia; Servia, Mingrelia, atque Circassia. Nonnulli quoque Græci, qui in Molcovia sunt, aliquem ei honorem deferunt, licet magno Basilide imperante, proprium ibi constituerunt sibi Patriarcham.

Tres ante recensiti Patriarchæ cum Episcopis ac Christianis reliquis, qui Orthodoxam fidem profitebantur in Ephesina & Chalcedonensi Synodis definitam, contra Nestorium, Euthychetem, atque Dioscorum, a Nestorianis, & Euthychianis, sive Jacobitis, appellati sunt Melchitæ seu Regalistæ, quod Imperatores, præsertim Marcianus, Orientalibus omnibus fidem in duobus illis Conciliis definitam edictis suis inculcaverint. Igitur Melchitæ nomen excogitatum fuit ab Hæreticis ad conflandam invidiam in Orthodoxos, qui definita in Conciliis illis dogmata profitebantur. Sed postquam Patriarchæ atque Episcopi ferme omnes græci ritus Schismati, erroribusque Græcorum adhæserunt, Melchitarum nomine appellare solemus Orthodoxos Græcos, qui scilicet Romano Pontifici subsunt; reliquos vero Pharianos dicimus.

Alexandrinus Patriarcha Græcus Schismaticus Sedem in Cahira habet, jurisdictionem vero exercet in varias Africæ & Arabiæ Provincias; Antiochenus Damasci sedet, Græcisque præest suis in Soria, Mesopotamia, & Caramania degentibus: Hierosolymitanus denique Palæstinis, atque iis Arabiæ Ecclesiis præest, quæ sunt Palæstinæ finitimæ. Ii cum subjectis sibi Episcopis Græcum ritum servant, ac Græca liagua & etiam Arabica celebrant officia Sacramentorum omnium. In eorum communione sunt Syri multi, qui Syriace sacra celebrant.

Ac præter hos, qui, ut dixi, Schismatici sunt, adest nunc Melchitarum Patriarcha Antiochenus, qui cum reliquis græci ritus sibi subjectis Orthodoxam fidem profitetur, atque Romano Pontifici obtemperat. Adest epistola S. M. Benedicti XIV. tom. 1. Bullar. pag. 190. ad Cyrillum Patriarcham Antiochenum Græcorum Melchitarum, & omnes ejusdem ritus Catholicos Episcopos eidem Patriarchæ subjectos, in qua plura circa Ritus ac ejusdem Patriarchæ jurisdictionem decernuntur, quæ quoque 312. aliam ad eumdem Patriarcham data legitur epistola, cum qua eidem pallium transmissum fuit. In actis autem Concistorialibus pro concessione dicti pallii, quæ leguntur tom. 2. Bull. in append. pag. 22. inquit SS. Pontifex: *Præest Cyrillus noster genti Melchitarum, quæ hodie Catholicos ingenti numero complectitur, quæque a decem Episcopis, qui ipsum tanquam legitimum Patriarcham venerantur, & coluni, provide gubernatur.*

Nomen Patriarchæ Antiocheni habet quoque Maronitarum Patriarcha, qui modo est Simon Ewodius ex Archiepiscopo Damasceno Patriarcha renunciatus a Benedicto XIV. ut ex literis constat ad eumdem datis die 16. Martii 1743. *Nuper ad nos &c.* Metropolitanorum, & Episcoporum Maronitarum sedes & limites ita describuntur in appendice Synodi Montis Libani, quæ appendix inserta legitur Constitutioni Bened. XIV. *Apostolica prædecessorum &c.* Ea verba: *Patriarcha Antiochiæ, ac totius nationis Maronitarum sedem habet in Monte Libano, in Cœnobio, quod Canubinse dicitur: sub eo erant Archiepiscopi, & Episcopi sequentes: I. Tyri. II. Damasci. III. Cypri. IV. Aleppi. V. Beryti. VI. Tripolis. VII. Botri. VIII. Aco, seu Ptolemaidis. IX. Laodiceæ. X. Apameæ. XI. Ariæ. XII. Eden. XII. Sareptæ. XIV. Neapolis. Sed in Synodo Montis, &c. Libani die 30. Septembr. 1736. decreverunt Patres, ut Maronitarum Diœceses in posterum ad octo tantum redigerentur, salva Reverendissimo Domino Patriarcha Episcopo omnibus titulares ordinandi potestate. Videlicet I. Aleppi, seu Berœa, & adjacentium locorum. II. Tripolis: hujus Pontificis jurisdictio extenditur a Tripoli, & Jania ad Aram Balansam, Aradum Orthodoxam, Gabalum, Laodiceam, usque ad fines Aleppi. III. Bybli & Botri: hujus jurisdictio extenditur in Diœcesi Byblensi & Botri, Acuræ, Dairalamari, & Regionis Bisaraiæ. IV. Heliopolis, seu Baalbech: hujus jurisdictio extenditur in Diœcesi Heliopolis, & Phathacha in Byblensi Regionis confinio, & dimidiæ partis ditionis Gazirensis, cujus caput Gusa, & Gazir. V. Damasci: hujus jurisdictio extenditur in Diœcesim Damascenam, nec non ampliatur ad alteram dimidiam partem ditionis Gazirensis, cujus caput est Agelton, complectitur præterea Lasconiam Zuccharabam, & Zabbugan. VI. Cypri: hujus jurisdictio complectitur universa Insulæ illius Castella, ac præterea in Chesroe Regione habet Barcasayam, Berbi-Schebadam, earumque Villas, necnon Villas Gregonia usque ad Pontem Berysi. VII. Berysi: hujus jurisdictio extenditur a Berysto usque ad Mathanam, & Giardam, et Algarbam, et Sciacharam Mathanæ, et usque ad Pontem Fluvii Gadi, seu Tamyris. VIII. Tyri, et Sidonis: hujus jurisdictio completitur Sydonem, Tyrum, earumque Villas, necnon Saub-baccam, Vallem Taimæ, et adjacentes Tyro a Fluvio Tamyri, usque ad Sabbatam Civitatem Hierosalem. Non subscripti hanc Diœcesium distributionem approbamus. Datum in Sancta nostra Synodo in Monasterio Deiparæ de Lauisa die 30. Septembris 1736. Joseph Petrus Patriarcha Antiochiæ. Gabriel Sareptæ. Simeon Damasci. Abdallus Berysi. Elias Acræ. Basilius Tripolis. Philippus Lydæ. Stephanus Botri. Gabriel Aco. Joannes Laodiceæ. Ignatius Tyri. Gabriel Aleppi. Michael Paneadis. Tobias Cypri.*

Jacobitæ quoque duorum Patriarchatuum titulos servaverunt, Alexandrini scilicet, atque Antiocheni; Alexandrinum vero Diœcesim ita obtinuerunt, ut Orthodoxis & plures essent quodammodo, & auctoritate superiores. Nam ex quo Arabes Ægyptum subjecerunt, omnes ferme Græci profugientes vacuum Alexandriæ Ecclesiam hæreticis reliquerunt. Nativi Ægyptii ad Jacobitarum hæresim propensissimi, eam ubique amplexi sunt, atque ita in Thebaide omnes Christiani eam intra paucos annos acceperunt. In Nubia & Æthiopia cum Sacerdotes & Episcopos a Jacobitis ordinatos haberent, Jacobitæ quoque intra unius sæculi spatium facti sunt. Idem cum ex veteri quodam jure Patriarcharum Alexandrinorum, Palæstinam sua sedi vellent esse subjectam, Hierosolymitanum Metropolitam ordinaverunt. Hanc autem præ reliquis sedis, quæ vel omnino intercederunt, vel adhuc supersunt, prærogativam habet Jacobitica, quod Episcoporum non interruptam successionem hucusque conservat, ab illis Ordinatorum, qui in Ecclesia Catholica munum impositionem acceperant, quales erant Dioscorus, & Dioscori Successores. Ita quam-

quamvis hæretici, & abscissi ab Ecclesia, validam tamen ordinationem habebant, cum impositionem manuum accepissent ab Episcopis legitime prius ordinatis. *Nequm est enim*, inquit Renaudotius, diss. de Patriarcha Alexandrino, *pulso Dioscoro, Orthodoxos ejus loco Patriarchas constitutos, quos Jacobitæ pro inclusis & prædamnatis habent. Illo defuncto, ejus sequaces Timotheum Aelurum substituerunt, qui occiso Proterio, Cathedram occupavit, ejectusque & restitutus sub Basilisco tyranno, & Zenone, qui Dioscorum sanctum fuerat, tam per viginti duos annos retinuit, secundum Severi & aliorum Jacobitarum sequentium. Timotheo Petrus Mogus, Athanasius, Joannes alter, Dioscorus junior, Timotheus, Theodosius, Petrus Damianus, Anastasius, Andronicus successerunt, atque huic Benjamin, cujus anno duodecimo, Jesu Christi 640. Alexandria ab Arabibus capta est, fugitque Benjamin ejectus, & in Monasteriis latitans, restitutus est Sedi sue, atque omnem, pulsis Orthodoxis Græcis, ipsoque Gregorio Patriarcha, qui Constantinopolim fugit, Ecclesiasticam auctoritatem obtinuit. Ut autem certa est ea, quam fuse explicavimus in historia Patriarchali Jacobitarum Patriarcharum a Dioscoro ad Benjaminum, ita quoque certissima est Successorum Alexandrinorum Antistitum ex eadem secta, ad Benjaminum usque successo.* Hæc notanda esse censui, quod paucis ab hinc annis litteras a quodam Missionario ex Ægypto scriptas legerim; in quibus asserebatur Cophtos Jacobitas legitimis Episcopis carere. Hactenus dicta perspicue demonstrant Jacobitarum Patriarcham Alexandrinum succedere Dioscoro, auctoritate Chalcedonensis Synodi ex illa Sede pulso; Græcum vero Orthodoxis Patriarchis, qui post Proterium, in locum Dioscori sufferum, in eadem Sede fuerunt. Licet enim pulso ab Arabibus Gregor. anno 640. ut supra ex Renaudotio adnotavimus; Græci per annos nonaginta non habuerint hanc Patriarchalem dignitatem; eam tamen iterum obtinuere anno 780. atque deinceps suos quoque Melchitæ Patriarchas semper habuerunt, quorum legitimus successor est Græcus, quem supra diximus in Urbe Cahira Sedem tenere. Patriarcha Jacobitarum vocatur quoque Patriarcha Cophtorum, licet nomen Cophti, non sectam, sed rationem indicet, quæ Cophtica lingua sacra celebrat. Eiusdem jurisdictionem, tituli, quibus a suis donari solet, designant. Hos ita exprimunt. *Patet N. Sanctissimus Archiepiscopus magnæ Urbis Alexandriæ, & Patriarcha Babylonis, & Nomorum Ægypti, Thebaidis Pentapolisque Africanæ, regionisque Æthiopiæ & Axumitarum, Nubiaque, & Macuritor, regionisque superioris.* Horum explicationem vide apud Renaud. diss. cit.

Jacobitæ habent quoque Patriarcham Antiochenum, quem ut legitimum Severi successorem agnoscunt omnes Syri Monophysitæ. Illius amplissima auctoritas est, vocaturque inter eos *Papa Orientis*. Plures Metropolitani, Episcopi, ac Monachi bene multi sunt eidem subjecti. Inter Metropolitanos, seu Archiepiscopos recensentur Hierosolymitanus, Damascenus, Edessenus, Cyprius &c. Præter hos habebat etiam olim suæ auctoritati subjectos alios secundi generis Patriarchas, quos Catholicos appellant, quorum alter Persidis, alter Armeniæ Patriarcha diceretur: Sed ii jam a longo tempore nullam in eo jurisdictionem agnoscunt, ac tanquam supremi Armenæ gentis Patriarchæ habentur.

Armeni non minus ac Jacobitæ late diffusi sunt per Orientem, immo eorum plerique sunt etiam in Occidente. Sunt enim in utraque Armenia, majore scilicet, atque minore, in Perside, Mesopotamia, Palæstina, Georgia, aliisque bene multis Orientis Provinciis. In Occidente vero præter eos, qui commercii causa in variis locis degunt, quamplurimi sunt in Russia Polonica, eique finitimis Provinciis. In Oriente ab anno fortasse 505. ex quo propriam æram sumunt, duos antedictos Patriarchas sive Catholicos habent. antea enim ex Cæsariense Antistite Metropolitam accipere solebant. Prioris sedis est Ararat majoris Armeniæ Urbs, sed residere solet in Monasterio Etzmiazin, eique parent viginti sex Archiepiscopi, Episcopi vero sepruaginta quinque, ut ex testimonio Uscanii Armenii Episcopi, ipsius Patriarchæ Vicarii, qui id Riccardio Simonio narravit Parisiis anno 1670. refert Brunus *differt.* 10. quæ est de Liturgia Armen. *art.* 1. Alter manet Cis, quæ minoris Armeniæ Urbs est; ac præest Episcopis circiter triginta. Priori subest Episcopus, sive Patriarcha Constantinopolitanus ejusdem gentis; huic vero Hierosolymitanus, & is qui Aleppi residet. Ii quos dixi, Schismatici sunt. Sed habent quoque Armeni Orthodoxos Episcopos. Qui Aleppi sedem habet, sed modo vitandæ persecutionis causa in Monte Libano commoratur, Patriarchæ titulum, ac jurisdictionem habet. Plures ei subjecti sunt Episcopi, inter quos adest Edessæ Episcopus, qui nunc Romæ manet. Qui in Ruffia, Polonia, atque iis finitimis locis degunt, Catholico Archiepiscopo subsunt, qui Leopoli residet. Et præter Archiepiscopum Naxiavensem, qui a quartodecimo sæculo desumi semper solet ex inclyto prædicatorum Ordine, quique iis præest, qui Auctore Bartholomæo Parvo ejusdem Ordinis, Joanne XXII. Ecclesiam regente, cum Orthodoxa Fide latinum quoque ritum susceperunt, ut §. 3. hujus capitis exponemus: plures alii Armeni Catholici sunt in variis Provinciis, qui Latinorum Missionariorum curæ concrediti sunt, quorum opera Catholicam Fidem susceperunt.

Alii quoque sunt in Oriente, qui Patriarchas habent, quos Catholicos vocant. In Mingrelia Græcus Schismaticus Patriarcha residet; quem Catholicum vocant, cui Episcopi aliquot subjiciuntur, quos Principes ex Monachis feligere solent; qui *Beri* nuncupantur.

At celebrior est Patriarcha, qui eodem nomine donatur apud Chaldæos. Nestoriani ex Romano Imperio pulsi, ad Persarum limites, aut in eorum Provinciis sedes fixerunt. Hinc post annos satis multos, cum Ecclesiam Seleuciæ Parthorum invasissent, quæ quidem ex nuper instituta sub Justiniano Catholico dignitate novam auctoritatem consequuta erat, eam suæ religionis Cathedram primariam esse voluerunt; atque inde nullum majorem titulum, quam *Catholici Seleuciæ, & Ctesiphontis* Patriarchis suis veteribus attribuerunt. Hujusmodi Patriarcha, qui deinceps apud Mosulam residere consuevit, quintodecimo sæculo tantam, ac tam vastam jurisdictionem exercebat in Assyria, Mesopotamia, Chaldæa, Persida, ac etiam in Indiis Orientalibus, ut tredecim Metropolitanos, & Episcopos bene multos ibi subjectos haberet, ac tercentum mille recensentur, quæ

quæ eidem obtemperarent familiæ; ut scribit Petrus Strozza *in expositione Fidei, & tractat. de dogmat. Chaldæorum.*

Is enim hæc de Nestorianis eorumque Patriarcha eodem ita libro scribit. Nestorianorum autem Patriarcha Ecclesiæ Babylonis præest, ejusque residentiæ locus est Monasterium ad oppidum Mosul, in vicinilis antiquæ Ninivis, ut ajunt, ædificatum. Difficent inter se Jacobitæ, atque Nestoriani odio implacabili; sed Nestoriani, numero atque opibus præstant, quorum ad trecenta millia, & amplius domorum recensentur: cum familiæ Jacobitarum numero octoginta millia non excedant. Itaque Patriarchæ Nestorianorum ampliffima est auctoritas, eaque in Indiam se extendit. Nam Chaldæi, qui Goæ, Cocchini, Angamalæ, atque in Insula S. Thomæ ante adventum Patrum Societatis Jesu reperiebantur, omnes pariter professione Nestoriani obediebant Patriarchæ Babylonis. Nunc quidem magna eorum pars, studio ac diligentia Jesuitarum, ad Ecclesiam Sanctam Catholicam reversa Summum Pontificem colit. Defunctoque nuper Metropolitano Chaldæo, successorem ab Apostolica Sede suscepit Archiepiscopum Augumalensem a Clemente VIII. ex Societate Jesu ordinatum. Ante Pontificatum Julii III. nomen hujus Patriarchæ ignorum pene nostris fuisse videtur: neque de ipso, neque de Chaldæorum natione mentionem ullam factam fuisse in Pontificum Romanorum monumentis reperio. Sedente vero Pallo III. cum nonnulli ex Chaldæis Nestorianis se ab obedientia Patriarchæ subtraxissent, detestarique Nestorianæ hæresi, in communionem venissent Catholicæ Ecclesiæ, illis Summus Pontifex, ut postulaverant, Patriarcham ordinavit, eumdem quem ipsi hac de causa legaverant, Simonem Sulacham ordinis Sancti Pachomii Monachum. Is cum Patriarchali pallio, atque titulo Patriarchæ Assyriorum Orientalium ad suos rediit; & Charemæ, five Camed residens, Archiepiscopos, & Episcopos, ac Sacerdotes quamplurimos ordinavit. Sic igitur Chaldæorum natio uni Patriarchæ Babylonis usque ad illa tempora subjecta, in duas partes divisa fuit. Sulacha deinde a Turcis, adversariorum opera, ut ferrur, e vivis sublato, sufficitur in ejus locum Abdiesus ejusdem ordinis Monachus, vir mirificæ eruditionis, linguarum varietate, & Sacrarum litterarum notitia, de quo in vita Pii IV. præclara fit mentio, cujus Pontificatu Romam venit pro confirmatione, qui & Tridentino Concilio interfuit. Ejus autem effigies depicta conspicitur in Aula Regia Palatii Vaticani inter Cardinales, cæteroque Prælatos Alexandro III. assistentes Imperatorem Fridericum pœnitentem Venetiis recipienti. Plurimum quidem profecit Abdiesus, multosque ex Nestorianis ad Ecclesiam Catholicam convertit; acceptamque ab Apostolica Sede auctoritatem valde propagavit, quam ejus Successores postea conservare sibi aut nescierunt, aut non potuerunt. Nam qui ei successit Abathalla, & ipse Monachus ejusdem ordinis, parum vixit. Et Denha Simon postea ex Archiepiscopo Gelu, & Seert factus Patriarcha, nec ætate, neque doctrina idoneus tanto muneri; tempore, quo Episcopus Sidoniensis in Orientem profectus est Nuncius Apostolicus, relicto Charamet, ubi alii Patriarchæ Orientalium Assyriorum residerant, in Provinciam Zeinalbech secesserat ad fines Persidis, potentiæ eodem Patriarchæ Babylonis. Quo loco etiam hodie manet ejus successor, Simon quoque & ipse vocatus, existimatione ac numero subjectorum, ut accepimus, prædecessoribus longe inferiori: ttaut Patriarchæ Babylonis status nunc videatur in pristinum restitutus, æmulo sponte sua quasi in exsilium relegato. Igitur qui modo Sedem Babylonis obtinet, Marella Chaldæorum Patriarcha multo minus, quam prædecessores sui domestico dissidio laborat, subjectamque ejus obedientiæ nationem pacifice gubernat: Metropolitis, & Episcopis, Cleroque non modo obtemperantibus ei, sed ipsum valde diligentibus. Hæc ille, quibus statum exhibet Chaldæorum Ecclesiæ circa initium sæculi XVII. Hac nostra ætate pauci admodum in Indiis Orientalibus occurrunt, atque ob facilem eorum ad Mahumedanismum defectionem, vix quadraginta millia hominum sibi subjectos habet Patriarcha Nestorianus, qui in Urbe Ninive, five Mosula, residet. Ac longe minor eorum est numerus, qui Patriarchæ Catholico, Diarbekir commoranti, subsunt. Is vero Josephus est hoc nomine tertius. Nunciatum fuerat Mamachio a Carmelitis nonnullis, ut ipse scribit tom. 2. orig. & Ant. Christ. lib. 2. cap. 3. *Patriarcham Nestorianorum conjungi nobiscum societate communionis velle, secum autem una XV. circiter hominum millia ad orthodoxam religionem perduxisse rum. Imno vero*, inquit ipse, *literas Patriarchæ ad Sacram Congregationem scripsit, quibus etiam atque etiam orat, atque obsecrat, ad se ut mittantur.* Attributa utique ea pars Dominicanis est, missique initio fere anni 1550. Cajetanus Codifeoncus, Corradius Turrianus docti ex illo instituto viri; sed mutata fortasse Patriarchæ voluntate, nec optata illa, quæ sperabatur, conversio contigit, nec spes certa affulget, qua prudenter existimetur brevi saltem futura.

Præter eos, quos dixi, ad Orientalem Ecclesiam ratione originis & Rituum pertinare dicimus, non solum Græcos, qui in Moldavia, Valachia, Bulgaria, Hungaria, aliisque iis finitimis Provinciis degunt, atque Ruthenos, quos supra nominavimus; sed etiam Græcos & Albanenses, qui in ditione ecclesiastica, & in reliquis Italiæ partibus, ejusque insulis adjacentibus, sive orti, sive aliunde advecti incolæ commorantur. Ii scilicet, qui graffantibus jamdudum per totum Orientem, tum barbarorum infidelium immanitate, tum etiam Schismaticorum pertidia, ex Græcia, Epiro, Albania, aliisque Asiæ regionibus, ad Italiam, eique adjacentes insulas, ranquam ad fidei, & tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes ac domicilium collocaverunt, & tam ipsi, quam eorum filii Græcorum mores, institura, ritus & consuetudines a Græcis progenitoribus sibi traditas studiose, enixeque servare pergunt; ita tamen ut debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam ac devotionem omnino profiteantur. Ut iis præsto sint ministri, a quibus juxta proprium ritum sacramenta recipiant, & ne ad Schismaticos Episcopos pro ordinatione eorumtur confugere, Clemens VIII. anno 1595. constituit, Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ, & adjacentium insularum subjectos, instituret. Clemens vero XII anno 1735. ut Italo-Græcorum in utraque Sicilia commorantium rebus commodius consuleret, alterum ejusdem Græci ritus Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabria erecto, propter Græcorum hujusmodi ordinationes, manere jussit, quorum laudatissimum institu-

tum

tum confirmavit, & innovavit S. M. Benedictus XIV. Constitut. *Et si Pastoralis* tom. 1. Bullar. pag. 167.

§. II.

De Schismaticorum, Hæreticorumque Sectis, quæ in Orientali Ecclesia sunt, deque præcipuis earumdem erroribus.

QUum non adeo facile sit, errores omnes detegere, in quos Orientales, postquam ab Apostolicæ Sedis communione sejuncti sunt, vel superbiæ, & erroris spiritu ducti, aut ignorantia, inciderunt; eos unice explicandos suscipimus, qui proprii sint cujusque sectæ, ac magis præcipui. Schismaticorum autem Sectæ, quæ in Oriente occurrunt, ad tres facile revocantur, scilicet, Nestorianorum, Jacobitarum, & Photianorum. Nestoriani a Nestorio nomen, erroresque mutuati sunt. Præcipuus eorum error in eo situs est, ut negent Beatam Virginem esse Dei Matrem, quod in Christo Domino duas ineſſe Dei personas putent; alteram hominis ex Maria Virgine nati, alteram vero Dei Filii ex æterno geniti, quæ in homine ex Virgine nato veluti in Templo inhabitet. Hinc ajunt, Beatam Virginem Christiparam non vero Deiparam appellandam esse, atque unionem Dei, & hominis in Christo esse, per voluntatum conjunctionem, & dignitatis participationem, non secundum naturam, & personam. Hujusmodi errorem, qui damnatus fuit in prima Ephesina Synodo anno 431. docuisse revera Nestorium, ac ipsius Sectatores tueri, ex liturgiis aliisque Nestorianorum libris facile demonstrare est contra Bassagium, aliosque Novatores, qui Nestorium, ejusque Sectatores ab omni errore vindicare contendunt. Vide Liturgiam, quæ celebratur quinquies in anno, scilicet, in Epiphania, in vigilia S. Joannis Baptistæ, in vigilia Doctorum Græcorum, feria quarta Hebdomadæ sapplicationis Ninives, & in Paschate. *Extrusit porro ipsam Liturgiam antiquitus apud Nestorianos, præter codices manuscriptos, testantur Auctores Syri, atque inter eos Ebedjesus, qui eam reconsit, ut etiam Ebedjesus ejus meminit*, inquit Renaud. in not. ad hanc Liturg. In ea autem hæc leguntur de Dei Filio: *Semetipsum exinanivit, & similitudinem servi accepit, hominem perfectum ex anima rationali intelligente & immortali, & corpore mortali hominum, & conjunxit illum sibi, ut vivique secum in gloria, potestate, & honore, ex natura sua passibilem.* Videantur etiam Nestorianorum libri. Elias Catholicus, eo nomine tertius, in expositione Fidei, quam scripsit, cum esset Metropolita Nisibenus, & in disputatione cum Viziro Abelkacimo, & alio opere ait, *Verbum Æternum productum a Sapientia Creatoris, quod Filius appellatur, esque una Personarum trium, habitavit, seu illapsum est, homini assumpto ex Maria Virgine, mediante potentia intellectuali, unitumque illi ejus personam potestatis, benevolentiæ, voluntatis, honoris, & repræsentationis.* Ita etiam Ebedjesus, Amrus Matthæi Filius, & alii fere omnes, quorum scripta ad nos pervenere. Denique videatur Lectionarium Perficum ad usum Nestorianorum, ubi hæc verba *æqualem se faciens Deo*, explicantur, *secundum honorem, dignitatem & potentiam*. Itaque perspicuum est, Nestorium ejusque Sectatores errorem propugnare, quem Summus Pontifex Cælestinus, & Ephesina Synodus damnavit. Clarissimus Assemanus in Bibliotheca Orientali alios Nestorianorum errores recenset, quos nos de Sacramentis agendo indicabimus. Unum vero prætereire non possumus, scilicet, eorum plerosque negare originale peccatum, quem errorem verisimile est a Theodoro Mopsuesteno mutuasse, quod in maximo honore apud Nestorianos habeatur. Ii sunt magis præcipui Nestorianorum errores. Erant præterea cum Hæreticis omnibus, quod Romani Pontificis primatum negent, atque Orthodoxæ Ecclesiæ auctoritatem contemnant. Nicænum Synodum primam, ac primam Constantinopolitanam pro legitimis habent, sed præter viginti canones, qui a Nicæna illa conditi fuerunt, eidem perperam tribuunt canones omnes, qui in canonum, qui *Arabice* vulgo dicuntur, collectionibus reperiuntur. Rejiciunt primam Ephesinam Synodum, & Concilia omnia generalia, quæ deinceps, tum in Oriente, tum in Occidente celebrata sunt.

Altera Hæreticorum Secta, quæ in Oriente est, Jacobitarum dicitur. Hæc Dioscori errores tuetur, ejusque Sectatores Jacobitæ appellantur a Jacobo, quem Nicephorus & alii *Zanzalum*, ideſt vilem appellant; Arabes vero *Baradæum*, sive *Baradatum*, qui cum aliis circa medium sexti sæculi Monophytarum hæresim per totum Orientem dissemivit, & plurimos, in tota Syria & Mesopotamia præsertim, Episcopos, Sacerdotes, & Diaconos ordinavit. Eodem fere tempore in eamdem cum Jacobitis abiere hæresim Armeni, qui in Tibenensi Conventu circa annum 554. damnarunt Chalcedonensis Synodi decreta, ac *di* plena Nestorianorum errorum & impietatis essent, & Dioscori errores amplexari sunt. Quo factum est, ut hujusmodi hæresis per majorem Orientis partem propagata sit. Sunt qui putent, hos Eutychianorum errorem tueri, sique non vulgares modo, & nullius auctoritatis scriptores, sed etiam doctissimi, ut Joannes Morinus, Auctor Perpetuitatis Catholicæ Ecclesiæ fidei circa Eucharistiæ Sacramentum, allique. Il vero minus recte, cum Jacobitæ Eutychi anathema pronuncient. Ita enim statuunt, illum eodem quo Apollinarius errore laborasse, atque adeo Christum habuisse de cælo Corpus, quod nostro consubstantiale non esset, sed phantasticum. Commixtionem quoque naturarum, confusionem & alterationem, quam Eutychiani adstruebant in Christo, rejiciunt. Sed Christum Dominum licet ex duabus naturis unum agnoscant; tamen non ut Ecclesia Catholica in unitate personæ, sed in unitate naturæ unum illum profitentur, atque confubstantialem Patri secundum humanitatem, & cum Dioscoro Chalcedonense Concilium damnant; quod duas in Christo naturas post unionem stabilierit, & Leoni Romani Pontifici, cujus epistola ad Flavianum in Concilio probata fuerat, anathema dicunt.

Post duodecim aut tredecim annos a Chalcedonensi Synodo Jacobitæ, auctore Petro Fullone, addidere Trisagio, his scilicet verbis, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, hæc alia, *qui crucifixus es pro nobis*. Quæ quidem additio tanquam Monophytarum tessera habita deinceps fuit a Jacobitis Syris, Ægyptiis, & Armenis, atque tum ob hanc causam, tum quod divinam naturam trium personarum videatur indicare passibilem esse, a Felice III. Romano Pontifice improbata, ac pluries deinceps ab Apostolica Sede damnata fuit.

Immo & eorum quoque interpretatio rejecta fuit, qui non ad tres divinas Personas, sive ad divinam iisdem communem naturam, sed ad solum Filium Trisagium illud referri contenderent. Videatur qua ratione rem nartet in Encyclica ad Missionarios per Orientem deputatos Benedict. XIV. n. 29. ubi hæc habet; Cum Petrus Fullo, cognomento Gnapheus, fautor hæresis Apollinaristarum, qui Theopaschitæ appellantur, ausus fuisset Trisagio hæc verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis*; sicuti fuse commemorat Theodorus Lector lib. 1. Collectaneorum, & cum nonnullæ Orientis Ecclesiæ, ac potissimum Syrorum, & Armenorum, opera cujusdam Jacobi Syri, teste Nicephoro lib. 18. c. 52. additamentum hujusmodi recepissent, haud præermiserunt Romani Pontifices, pro ea, quam in similibus adhibere consueverunt, vigili cura, & sollicitudine, insolescenti errori se opponere, factamque Trisagio additionem interdicere; rejicientes interpretationem, qua, Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam, non vero ad tres Divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi jactabatur; tum quia periculum semper supererat adhærendi dogmati hæretico; tum quia humanæ mentis præsumptio ad solum Christum referre minime poterat Hymnum ab Angelis in honorem Sanctissimæ Trinitatis decantatum, sicuti Lupus recte expendit *in notis ad Can. 82. 2 ullanum*, ubi, postquam retulerat, a Felice III. & Romana Synodo damnatam fuisse additionem Trisagio factam, ita subdit: *Hymnum soli Divinæ Trinitati a Sanctis semper Angelis adcinatum, Ecclesiæ ab ipso Deo ac eisdem Sanctis Angelis in puero laudato traditum, malorum Regiæ Urbi impedimentum depulsione confirmatum, ac in eodem sensu & ratione comprobatum a plena Synodo Chalcedonensi, constanter asseverant*, (loquitur de Episcopis tum in prædicto Concilio congregatis, tum de aliis additamentum Trisagio factum reipuentibus) *humana præsumptione non potuisse ad solum Christum detorqueri*. S. Gregorius VII. eo tem religionis studio ipsam additionem improbavit in sua epistola 1. lib. 8. scripta ad Archiepiscopum, sive Patriarcham Armenorum. Idem præstitit Greg. XIII. in nonnullis suis epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die 24. Februarii an. 1577. In Congregatione autem Propagandæ fidei, habita die 30. Januarii anno 1735. cum examini subjecta fuisset Armenorum Liturgia, atque inter cætera accuratiori disquisitione fuisset expensum, utrum additio inducta Trisagio tolerari posset, ob indicatam causſam, quod illa ad solam Filii personam relationem habere posse videretur: responsum fuit id non esse permittendum, additionem omnino expungendam.

Syri hac unica additione in Liturgiis errorem designant aut erroris saltem suspicionem produnt. Ægyptii vero addunt etiam expresse post unionem in Christo unam tantum ineſſe naturam. Et Armeni a miscendo cum vino aquam in Missa abstinent, ne duplicem in Christo naturam profiteri videantur: Huic particulares nonnulli Armeni Doctores, plures alios errores addiderant, ut videre est apud Galanum, alioſque, ex iis nonnullos quos de Sacramentis agendo indicabimus. Jacobitæ omnes tria priora generalia Concilia suscipiunt ac veneranter, scilicet Nicænum primum, primum Constantinopolitanum, & Ephesinum primum; rejiciunt vero, atque damnant Chalcedonense Synodum, & quotquot deinceps celebrata sunt Concilia cum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia. Nonnulla quoque fidei dogmata, quæ in Conciliis in Occidente celebratis definita sunt, eorum plerique respuunt, sed errores hujusmodi vitentur potius a Photianis reliquis Orientalibus communicati.

Schisma Græcorum Photianum dicitur, quod nono Ecclesiæ sæculo, Patriarcha Constantinopolitano Photio, cœperit, ob dissidium Latinos inter & Græcos, circa processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque, & additionem particulæ *Filioque* in Latina Ecclesia Nicæno Symbolo factam atque ab Apostolica Sede deinceps probatam; licet absolutum non fuerit, nisi sub Michaele Cerulario circa annum 1054. Constantinopolitani deinceps Patriarchæ alios quoque tres Græcos Patriarchas in Schisma erroresque traxere suos. Præcipui Photianorum errores sunt, qui sequuntur. Primo, negant Romanum Pontificem esse visibile totius Ecclesiæ caput, cui Pastores omnes subesse debeant, ac Concilia omnia respuunt, & damnant, quæ in Occidente celebrata sunt. Secundo, licet fateantur Spiritum Sanctum esse Deum, ac Personam a Patre & Filio distinctam, quæ procedat ex Patre, negant tamen etiam ex Filio procedere, ac Romanam damnant Ecclesiam, quod Symbolo particulam *Filioque* addiderit. Tertio, negant dari Purgatorium, & justorum animas, quibus nihil luendum superſit, ante extremi judicii diem clara Dei visione donari. Quarto, licitum esse putant, dare uxori libellum repudii, & ad alias nuptias transire, atque adeo Matrimonium dissolubile esse credunt. Quinto, eorum plerique negant, fornicationem esse peccatum. Sexto, in eo quoque nonnulli errant, quod tertias & quartas nuptias pro illicitis omnino habeant; nec desunt, qui usuras licitas esse credant. Alii earumdem errores in eo constituunt, quod Latinæ Ecclesiæ disciplinam, quæ cum Græca non consentiat, contemnant, atque tanquam illiciam & malam detestentur. Ajunt itaque, primo, Latinam Ecclesiam errare, quod Eucharistiam in Azymo conficiat, & quod ejusmodi pane perfici posse credat: Secundo, quod Sabbato jejunet. Tertio, quod Eucharistiam sub unica tantum specie Laicis administret. Quarto, quod Confirmationem a Baptismo jejunat. Quinto, quod sanguinis & suffocati usum tanquam licitum permittat. Reprehendunt etiam eamdem Ecclesiam, quod a Septuagesima usque ad Pascha in sacris officiis omittat *Alleluja*, & quod Ritus alios, qui Græcis conformes non sint, adhibeat, & probet. Immo non defuere inter eos, qui vel baptizatos a Latinis sine trina immersione, iterum baptizandos esse docuerint, vel saltem nefas esse, trinam in baptismo immersionem omittere, crediderint. Plures quoque inter eos in Palamitarum errorem abierunt, qui docent, *particulas Divinitatis, divinitatemque ipsam aliquam inter ea quæ videntur, videri posse, recenseri*, ut ait Papadopoli in Prænot. Mystag. resp. 2. sect. 5. pag. 114.

§. III.

De propriis Orientalis Ecclesiæ Ritibus, eorumque varietate.

QUamquam in Ecclesia Orientali plures sunt Sectæ, quæ a multis sæculis, a Romana Ecclesia separatæ, nullam cum ea communionem habeuerunt; tamen circa exteriorem Dei cultum ac disciplinam, eamdem cum Romana Ecclesia doctrinam profitentur. Omnes enim Ecclesiæ auctoritatem agnoscunt Ritus instituendi; ac ea præcipiendi quæ ad disciplinam pertineant: Omnes septem Sacramenta admittunt: Omnes Sanctos invocant, Angelosque, ac tum eos, tum eorumdem reliquias, & imagines cultu aliquo prosequuntur: Omnes dies festos & jejunia servant, ac præceptum ab Ecclesia ciborum delectum: Omnes missæ Sacrificium admittunt, quod propriis induti vestibus Sacerdotes celebrent: habent omnes Monachos, qui castitatem voveant; nec ulla Secta est, quæ cœlibes Episcopos non habeat. Quæ quidem satis superque videntur ad convincendum novitatis & falsitatis hæreticos illos, quos superiori capite nominavi. Differt autem a Latinis Orientalium circa Sacros Ritus disciplina; primum ratione linguæ, quam in sacris celebrandis officiis usurpant; deinde, quod Orientales proprias liturgias habeant, ac propria Euchologia, quæ cæremonias in Sacramentorum administratione adhibendas, in nonnullis a Latina Ecclesia diversas, præscribant. Præterea in ordine divinorum officiorum, quæ ab Ecclesiasticis recitantur. Item ratione disciplinæ circa jejunia. Denique ex eò Orientales a Latinis differunt, quod juxta eorum disciplinam simplices Presbyteri uniscam & virginem uxorem habere possint, quam ante sacrorum Ordinum susceptionem duxerint.

Prima atque omnium antiquissima Ecclesiæ divisio est in Latinam, & Græcam. Hæc autem non aliunde ortum habuit, quam ex lingua, qua sacra officia celebrarentur. Latina non solum Romanam & reliquas Occidentis Ecclesias, sed etiam Africanam, quæ eadem ac ista utebantur lingua, designat. Græca vero omnes Orientales Ecclesias complectitur, quibus, si paucas excipias, quæ Syriace fortasse celebrabant, & Ægyptiace, Græca lingua communis erat. Qua de causa Orientalis Ecclesiæ ritus universim Ritus Ecclesiæ Græcæ appellari solent; atque omnes origine Græci reputantur, licet mutationem aliquam subierint, postquam alia lingua sacra fieri cœperunt. Ecclesia Armena, quæ a Græca Cæsaræa cœperunt. Ecclesia Armena, quæ a Græca Cæsaræa cœperunt. Ecclesia cum Episcopo disciplinam acceperat, initio quinti sæculi, tum sacra Biblia, tum alios ad sacrorum disciplinam pertinentes libros propria lingua scriptos habere, ac in sacris peragendis usurpare cœpit. Atque eadem lingua, quæ vernacula non est, sed doctis tantum cognita, etiam nunc Armeni utuntur. Circa finem ejusdem sæculi, cum Nestoriani, omnes prope Mesopotamiæ Ecclesias occupassent, omisso Græcæ linguæ usu, illam quoque in sacris Officiis celebrandis omiserunt. Syriacaque sola uti cœperunt. Cum Arabica ubique passim obtinuisset, ita ut soli Eruditi Syriace scirent, & plebs illiterata, immo Ecclesiastici ipsi, non, nisi adhibito studio, Syriacam linguam intelligerent, ea tamen ratio tanti visa non fuit, ut antiqua consuetudo aboleretur, & vernacula sacra fierent. Unde hucusque apud Ecclesias omnes Nestorianas & Chaldæas quoque Catholicorum, non aliter, quam Syriace celebrare solent. Immo cum Nestoriani a quinto sæculo plurimas in Perside Ecclesias fundassent, ubi Syriacæ linguæ usus nullus erat, eam tamen in sacris celebrandis retinuerunt. Plebi tamen ita consuluerunt, ut lectionaria, quibus Epistolæ & Evangelia de circulo anni continebantur, Persice interpretata essent. Eadem lingua usi sunt, atque utuntur in aliis, quas in Tartaria, & Pusquestiana, & aliis Indiarum Orientalium partibus habent, Ecclesiis. Syriacam quoque linguam adhibere cœperunt Jacobitæ quoque, postquam Antiochenam sibi usurpavere Patriarchatum. Licet enim verisimile sit, nonnullas in ea regione fuisse Ecclesias, quæ Syriaca lingua uterentur; tamen explorata res est, IV. & V. sæculo Antiochiæ græce celebrare consueviss; atque constat, quas hujusmodi Jacobitæ habent Liturgias, ex Græco in Syriacum sermonem esse translatas: quippe in iis plura Græca vocabula occurrunt, & formulæ nonnullæ Græci sermonis, quæ clare ostendunt, ex græcis fontibus originem trahere: ut observavit Brunus tom. 2. diss. ex. quæ est de Liturgiis Syrorum. Hæc de lingua, quæ a multis sæculis vernacula amplius non est, utuntur quoque Syri Melchitæ, & Maronitæ.

Qui vero in Ægypto sunt Jacobitæ, non Syriacam, sed Cophticam linguam adhibent. Sunt qui contendant, semper fuisse in Ægypto Ecclesias, quæ hac lingua, olim hujusmodi genti vernacula, uterentur. Sed utcumque se res habeat, negari non potest, quin antea Alexandrina, & aliæ quoque bene multæ Ægypti Ecclesiæ Græcam linguam usurpaverint. Renaudotius enim ex antiquissimis Ægyptiorum glossariis hæc refert verba, quæ ex præfatione deprompta sunt unius ejusmodi glossarii collectionis: *antiquum morem fuisse, ut lectiones ex scripturis legerentur græce, sequerturque coptica interpretatio, idque factum, antequam ulla omnino apud Christianos foret Arabicæ linguæ cognitio. Sed per universam Ægyptum, antiquitus Christiani legebant lectionem græce, eamque coptice explicabant, & postea aliam, sicut nunc, legunt lectionem cophticam, & eam arabice interpretantur.* Igitur linguæ græcæ usus, qui modo penes illos paucos viget, qui Græco Alexandrino Patriarchæ subsunt, fuit antea, tum Alexandriæ, tum in plerisque saltem Ægypti Ecclesiis, & nonnisi postquam Jacobitarum schisma prævaluit, Alexandriæ ac in tota Ægypto cophtice celebratum est. An id factum sit, quod invasa a Saracenis Ægypto, post aliquot annos Græca lingua omnino esset incognita, ut visum est a Renaudotio; sive quod Jacobitæ cum Græcis, quos incredibili odio persequebantur, convenire amplius non vellent, nostrum non est in præsentia investigare. Cum lingua hæc populo, qui arabice loquitur, nota non sit, postquam Scriptura sive Evangelium vel a Sacerdote celebrante, vel a Diacono lectum sit, vulgaris, seu arabica interpretatio legi solet.

Æthiopes sive Abyssini, qui a Patriarcha Cophto Jacobitarum cum Metropolita, quem accipere solent, Cophticæ Ecclesiæ disciplinam, & Jacobitarum errores munuati sunt, Æthiopica lingua sacra faciunt, quæ tamen est a populari diversa.

Ii,

Ii, quos dixi, lingua, ritu, & disciplina a Græcis differunt: quippe cæremonias in plerisque diversas habent, ac canones omnes non recipiunt, quibus græcorum disciplina continetur, ut ex superioci paragrapho liquet. Assunt vero alii, qui græcum ritum & disciplinam servant, sed in sacris Officiis peculiari lingua utuntur. Scilicet, Colchi, nunc Mangrelenses, & Iberi, sive Georgiani ritum & disciplinam græcam tenent, sed suo quisque idiomate sacra facit. Illyrici seu Sclavoni in Servia, Missia, Bulgaria &c. Illyrice sive sclavonice celebrant: Moscovitæ vero & Ruteni, Ruthenam linguam parum a sclavonica differentem adhibent. Reliqui Orientalis Ecclesiæ ritum servantes græca lingua utuntur. Scilicet Græco-Itali, Græci Melchitæ Orthodoxi, Schismatici omnes, qui Patriarchis Græcis Constantinopolitano, Alexandrino, & Hierosolymitano obtemperant, & alii.

Ex hactenus dictis perspicuum est, illustriores Orientis Ecclesias sacra Officia, lingua, quæ vernacula non sit, celebrare. Quamobrem Orientalis Ecclesiæ exemplo, atque usu, manifestæ falsitatis & calumniæ convincuntur ætatis nostræ Novatores, qui Romanæ Ecclesiæ vitio vertunt, quod sacra officia vernacula lingua non celebret. Nam ex hoc liquet, Ecclesiam ubique terrarum, tum retroactis temporibus, tum etiam nunc credere, satis provisum esse plebi, si a sacris ministris, tum Scripturæ, tum liturgiarum novitoria interpretentur; nec semper expedire, ut mutata in regione aliqua populari lingua, Ecclesiæ etiam lingua variari debeat; tum, ut eum disciplina fidei unitas conserveur, tum etiam, ut novitates illæ vitentur, & confusiones, quæ novas sacrorum librorum versiones sequerentur. Et sane, undenam factum est, ut inter tot, qui in Occidente sunt, Hæreticos, nulla sit fidei, & disciplinæ unitas, sed consilio maximo, nisi ex hac, quam sibi usurpare ausi sunt, libertate? Hæc quantum ad linguarum varietatem, quas orthodoxa probat, vel usurpat Ecclesia in Oriente.

Differunt etiam Orientales, tum a Latinis, tum inter se ob Liturgias, & Rituales libros, quos habent. Liturgias vocamus sacras Officia publica Ecclesiarum auctoritate conscripta, atque earumdem usu comprobata, quibus preces, & ritus ad conserendam, & administrandam Eucharistiam continentur. Libros vero, qui vel aliorum Sacramentorum, vel alia Ecclesiastica Officia præscribant, Rituales appellamus; græci vero Euchologium, quod nil aliud est, quam collectio Ecclesiasticarum precum, & benedictionum, ideoque, ut Goarius explicat, rituale sive manuale, aut Sacerdotale, & Pontificale commode appellari potest. Hic non inquirimus, num sacræ Liturgiæ, quas Græci, Syri, sive Orthodoxi, sive Nestoriani, sive Jacobitæ, atque Cophti, & Æthyopes habent, iis Auctoribus acceptæ sint referendæ, quorum quæ se nomen ferunt; num primis Ecclesiæ sæculis litteris consignatæ fuerint; nec quot unaquæque Orientis Ecclesia Liturgias habeat, quotque libros, quibus Ecclesiastica Officia continentur. Hæc enim eruditis investiganda relinquimus. Nobis enim sat erit ostendere, omnes Orientalium Liturgias, non secus ac Latinas, eam perficiendæ, atque administrandæ Eucharistiæ formam continere, quam a primis temporibus Christi Ecclesia adhibere consuevit: Orientales, tum a Latinis, tum etiam inviscem, ritibus tantum qui mere cæremoniales sunt, dissidere: ac denique nonnulla notare, quæ observatu digna videntur, ut tum Liturgias, tum reliquos Orientalium libros ab iis emendari queant erroribus, qui Schismaticorum malitia in eosdem irrepserint.

Ita inter se Liturgiæ omnes conveniunt tum Orientales tum Occidentales; ut ab uno fonte, Apostolorum scilicet exemplo & præceptis, ad omnes Ecclesias promanasse certissime agnoscantur. Nec aliunde tanta in Divinis Mysteriis celebrandis conformitas esse potest, quanta est in Liturgiis, quas ab antiquis temporibus tum Occidentis, tum Orientis Ecclesia usurpat, quam ex communi, ac nota traditione nasci potuit. Ita vero invicem convenire Liturgias omnes, quam diximus, tum legentibus illico fit manifestum, tum etiam ex partibus liquet, quibus constant. Omnes a Sacerdotibus Sacram Eucharistiam fieri præscribunt, qui sacra vasa, eaque pretiosa, & vestes itidem sacras adhibeant, & in Altari celebrent, quod omnibus in magna veneratione est: omnes exhibent præparatorias Orationes & cæremonias, scripturarum lectiones, psalmorum cantus, orationes pro vivis & defunctis, memoriam Sanctorum, osculum pacis, Præfationem, quæ initium anaphoræ proprie dictæ, sive Canonis est, orationes pro donorum oblatione, recitationem historiæ institutionis Eucharistiæ cum Christi verbis, quæ ejusdem nomine a Sacerdote proferantur, invocationem Spiritus Sancti, orationem Dominicam, fractionem Hostiæ, atque ejusdem Communionem, ac confessionem Corporis, & Sanguinis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Tanta conformitas, in tot loco dissitis, ac communione a multis sæculis separatis Ecclesiis, non aliunde oriri potuit, quam ex communi per antiquos Patres ab Apostolis accepta traditione. Atque hinc patet, Liturgias omnes, quæ sunt apud Orientales in usu, non modo inter se, sed etiam cum Latinis ad rei substantiam, quod spectat, omnino convenire. Itaque rituum diversitas, quæ in iis inest, tota est circa ritus, qui mere cæremoniales dicuntur, & circa formulas, & ordinem precum, ac circa alia, quæ institutam a Patribus perficiendæ Eucharistiæ formam non variant. Sed licet ita se habeat hæc rituum diversitas, tamen quisque ex Ecclesiæ præcepto eos adhibere tenetur, qui in propria Ecclesia, usu recepti, & consuetudine comprobati sint. Nonnulla, quæ ad hujusmodi differentiam spectant, in Appendice ad Tractatum de Eucharistia indicabimus, ubi de materia & forma, Ministro, & subjecto hujus Sacramenti ac cæremoniis nonnullis agemus. Interim nonnulla de Liturgicis, ac Ritualibus libris Orientalium dicemus.

Cum Hæreticorum, Schismaticorumque malitia tum in Liturgias, tum in alios Orientalium libros errores irrepserint, circa eorumdem emendationem ac usum, duæ, quæ sequuntur, observandæ sunt regulæ. PRIMA: *phrases quæ exprimere possint hæreses, quæ in illis locis vigeant, sunt omnino tollendæ.* Hinc a Nestorianorum libris non solum expungi debent dictiones illæ, quæ indicare videntur duas inesse in Christo Personas, quarum una in altera inhabitet, vel cum altera conjuncta sit per amorem, ac per honoris, potestatisque communicationem; sed etiam verba illa, quibus Beata Virgo Christi Mater appellatur: ibi enim Christiparæ nomen pro Nestorianismi tessera habetur, illiusque

que usus prohibitus omnino censendus est; sicuti in Antiochena Synodo, circa finem tertii sæculi prohibitum fuisse a nonnullis asseritur, appellare Dei Filium, seu Verbum *Omoúsion* Patri, quod a Paulo Samosateno, ejusque Sectatoribus ejusmodi verbum adhiberetur ad indicandum Filium non esse a Patre distinctam personam, & in Ephesina Synodo Mariam appellari Christiparam, quia hæc voce Nestoriana hæresis ab Hæreticis significabatur, aut occultabatur. Ex Jacobitarum vero libris non solum tolli debent verba illa, quibus una in Christo natura post unionem designari videatur, sed etiam additio illa facta Trisagio, quam *supra* diximus, quæ Jacobiticæ hæreseos aliquando habita est tessera, ac vehementer Jacobiticæ hæreseos suspicionem ingerit. Immo hac de caussa Armeni cogendi sunt ad miscendam cum vino aquam in Missa, quod fama sit, ab hujusmodi mixtione abstinere, ne duplicem in Christo naturam post unionem profiteri videantur. ALTERA REGULA: *ex omnibus Liturgiis Orientalibus, ubi Sanctorum memoria celebratur, expungi debent nomina Schismaticorum, & Hæreticorum.* Nam præterquam quod falso inter sanctos recenseantur, qui extra Ecclesiæ communionem obierunt, memoria hæc Schismatis, sive Hæreseos professi est. Sunt autem nomina hæc vel Nestorii, vel Dioscori, vel Severi, aut aliorum, qui in hæresi, sive schismate mortui sunt.

In iisdem Liturgiis Schismatici, vel Hæretici Patriarchæ, sive Episcopi commemoratio fieri non potest. Nam id esset cum iisdem in divinis communicare, ac probare quodammodo Schisma, vel Hæresim. Immo in iis locis Romani Pontificis commemoratio fieri omnino debet: tum quia hæc commemoratio tessera est communionis cum eodem Pontifice, tum etiam quia ibi necessaria est ad tollendam Schismatis suspicionem, & ad fidem illam profitendam, quam Schismatici, negando primatum Summi Pontificis, contemnunt. Huc spectat monitum primum, quod Benedict. XIV. in prima de nova Euchologii Græci editione Epistola proponit: *Sciendum est*, inquit, *quod Sacerdotes, qui Euchologio sunt usuri, nosse debent Ecclesiasticos Sanctorum Patrum Canones, & Catholicæ Ecclesiæ Constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta, aliaque peragentes officia, errare comperiantur. Cum igitur in Sacra Liturgia commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi, & Patriarchæ, dummodo Catholici sint. Quod si alter eorum, vel ambo sint Schismatici, sive Hæretici, eorum commemoratio nequaquam fiat.* Id autem decreto consonum est Congressus habitus 11. Maji an. 1746. ac a Pontifice Maximo probato, quo instructionem hanc Euchologio præmittendam præcipiebatur. Omnes Latini sive Ambrosianum sive Mozarabicum, sive alium quemcumque ritum habentes, in Missa Romani Pontificis commemorationem faciunt; quod argumentum est antiquam esse, & a primis deductam temporibus hanc in Latina Ecclesia consuetudinem. In Græca quoque Ecclesia a multis sæculis hanc fieri consuevisse commemorationem, & nonnisi orto schismate sublatam, facile conjicimus. Nam Romanus Pontifex Acacium Constantinopolitanum Antistitem communione privavit, quod an. 484. inaudito ad eam diem temeritatis excessu Felicis III. Romani Pontificis nomen e diptychis abraserit, cujus damnationi Græca quoque Ecclesia subscripsit sub Hormisda Pontifice, ac Justino Imperatore. Erat itaque in sacris diptychis Romanis Pontificis nomen; pro eo ergo nominatim orabant Græci inter Missarum sollemnia. Quod quidem magis, magisque comprobatur ex eo, quod Michael Cerularius, photiani schismatis instaurator, ad alios Patriarchas Orientis scripserit, ut videre est apud Cotelerium *to 2. monum. Eccl. Græcæ n. 9. pag. 140.* ac miratus sit, quod nomen Romani Pontificis in Sacris diptychis recenseretur; cui Petrus Patriarcha Antiochenus ita respondit Epistola ab eodem Cotelerio in citato opere relata. *Ad hæc ego quoque testis sum omnis exceptione major, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesia præcellunt, quod sub beatæ memoriæ Patriarcha Antiochia Domno Joanne Papa Romæ, ipse etiam Joannes nominatus in Sacris Diptychis referretur. Constantinopolim preterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus, reperi, sub sanctæ memoriæ Patriarcha Domno Sergio, prædictum Papam in Sacra Missa cum aliis Patriarchis referri.* Accedit etiam post natum in græcis schisma nunquam agi eorum de unione cum Romana Ecclesia instauranda, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut Sacræ Liturgiæ Romani Pontificis commemoratio inseretur. Hanc sane conditionem Michaeli Palæologo an. 1263. unionem optanti, Urbanus IV. proposuit, teste Niceta lib. 3. c. 2. eamdemque conditionem proposuit in Concil. Lugdunensi an. 1275. Beatus Gregor. X. eamque a græcis admissam fuisse, ac exequutioni demandatam, asserit Pachymeres lib. 5. c. 32. ubi ait: *Ex hoc Legatorum adventu pacem factam referentium, duo confecta sunt, ut prius conventorum, exauctoratio Patriarchæ, & Papæ in Sacro commemoratio publica.* Id etiam in Florentino Syn. actum fuisse testatur quoque Sylvester Syropolus schismaticus scriptor *in hist. Concil. Florentini sess. 10. c. 12.* Eademque præmissa conditione tentata iterum fuit concordia a Constantino, tum ad Nicolaum V. Legatos pro ea itenum obtinenda missit. Hujus autem commemorationis necessitas ex eo patet, quia hæc membrorum cum Ecclesiæ Capite communionis est tessera. Hinc Apostolica Sedes Græco Italis imperavit, Consilt. *Etsi Pastoralis*, ut hanc commemorationem facerent: Et a variis Orientalis ritus Christianis in Synodis id constitutum legimus. In Synodo Zamosciæ a Ruthenis habita 1720. & in ea, quæ in Monte Libano a Maronitis celebrata fuit ann. 1736. in qua tit. de Symb. Fidei n. 12. habetur: *Sanctissimi Romani Pontificis commemorationem, tam in Missis, quam in divinis Officiis, ante Reverendissimi Domini Patriarchæ nomen, ut hactenus consuevimus, celebrare non omittamus.*

In Liturgiis Cophticis, & aliorum Orientalium tolerari non possunt preces pro Principibus, quas ita exprimant, ut si orare dicant pro Orthodoxis, & Fidelibus Principibus, si hoc nomine designare velint Principes Jacobitici, vel Nestoriani sectæ; secus vero si pro vere Orthodoxis Principibus orare contendant. Immo si hac intentione oreur, permittendæ sunt orationes quoque illæ, in quibus se orare asium *pro Principibus nostris*, cum hujusmodi preces ad Catholicos Principes dirigantur: ut testati sunt Cophti. Hic vero notare necesse est, aliud esse orare ut Infideles, ac etiam Hæretici, fidei lumen, aliaque bona obtineant, quæ iisdem ad animæ salutem prodesse possint; aliud eorum in Missa commemorationem facere. Primum licet, ac Ecclesia etiam Latina in feria sexta in Parasceve exemplo comprobat suo atque hoc sensu intelligendi sunt Patres, qui cum Tertulliano *ad Scapulam cap. 2.* antiquos Christianos pro Imperatoribus sacrificasse scribunt; neque enim aliud Imperatoribus optasse credimus nisi verum bonum, ac æternæ salutis consecutionem, quæ Christianæ Religionis est finis. Alterum vero nec nunc, nec primis temporibus licuit. Nam commemoratio, de qua loquimur, Communionis tessera est. Quis vero dicat in divinis cum Hæreticis, ac Infidelibus Ecclesiæ communicare licere? Itaque horum in Sacris commemorationem facere non licet. Id vero non obstat, quominus in Græcis aliorumque Orientalium Liturgiis commemoratio relinquatur Imperatoris, & Regum, cum orationes mentis proposito dirigantur, cumque Orientales omnes pluries professi sint, *se hoc semper propositum animo habere, ut pro Orthodoxis Principibus*, ac Christianis Regibus orent. De Cophtis supra diximus, de Græcis vero Catholicis testatur id Goarius *in not. ad Euchol. Græc. pag. 38.*

Præter ea, quæ notata sunt, tria observanda occurrunt, quæ Apostolica Sedes Ecclesiasticos Orientalium libros constituit, tum ut Schismaticorum errores præcaveantur, tum etiam ut sarta atque tecta servetur derivata ex antiquis Patribus disciplina. Benedictus XIV. Constit. *Etsi Pastoralis*, quæ est pro Italo-Græcis, §. 6. nu. 18. hæc habet: *Quia in Ecclesiasticis Græcorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primævam Ecclesiæ Græcæ puritatem fraude pessimum, ac dolo Schismaticorum corruptam esse, Orthodoxi dolent: Ideo pastoralem Latinorum Ordinariorum, in quorum Diœcesibus iidem Græci & Albanenses degunt, vigilantiam per præsentes nostras litteras excitamus, ut omni studio curent, non aliis Græcos ipsos, seu Albanenses, tam Prælatis ac Presbyteros sæculares, quam Regulares, Ecclesiasticis libris in Sacramentorum administratione, & Missis, divinisque officiis celebrandis uti, nisi iis, qui per Congregationem a Sancta Sede Apostolica emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti, typisque impressi fuerint.* Deinde *Constit.* cujus initium est *Demandatam*, quæ est de ritibus Melchitarum c. 11. ait: *Ut autem a Sacerdotibus Græco-Melchitis in sacris Mysteriis peragendis una, & eadem cæremoniarum ratio; sidemque ritus servetur, & ne antiqua sensimque iisdem obrepat difformitas, mandavimus ipsis Congregationis de Propaganda Fide imprimi Missale ad usum illorum Ecclesiæ, juxta rubricas remotissima antiquitate firmatas, quod, absoluta editione sacrorum librorum Romani Cophtici, qui sub prælo sunt, instanter impleri curabimus.* Denique §. 21. citatæ Constit. e Monachis agens Græco-Melchitis, inquit: *Nullius vero generis libros, aut folia sine prævia approbatione, & licentia Episcopi Diœcesani, & Patriarchæ prædictorum edere possint, atque insuper nullum de rebus sacris librum aut folium publici juris faciant inconsulta Sede Apostolica. Quod si novas sacrorum librorum ab eadem Sancta Sede jam probatorum editiones fieri contingat, tunc erit Patriarchæ, & Episcoporum Catholicorum, inspicere, ne ulla in re discordent ab editionibus approbatis.*

Hæc quoad Ecclesiasticos Orientalium libros, quibus addendum censemus, prodisse jam summa cura ac numeris omnibus absolutum Euchologium Græcorum anno 1754. typis Congreg. de Propag. Fide, ejusque usum omnibus a Summo Pontifice Bened. XIV. commendari.

Venio nunc ad disciplinam indicandam, quam in Sacris Liturgiis celebrandis a Latinis diversam habent. Jam dixi de iis, quæ ad Eucharistiæ materiam & formam, Ministrum, atque subjectum spectant, plura me dicturum esse in appendice ad tractatum de Eucharistia. Hic itaque nonnulla unice exponam de loco, in quo sacrum fieri debet; de Missis, quæ eodem die in uno Altari celebrari queant; deque Præsanctificatorum Missa juxta Orientalium ritum statis temporibus celebranda; atque ea explicabo, quæ sunt ab Apostolica Sede definita.

A primis Ecclesiæ temporibus Altaria in quibus Eucharistia celebrari debet, Episcopi benedictione confecrari solent, atque hujusmodi confecrationem necessariam esse, ut licite sacrum fiat, Ecclesiæ omnes, tum Orientis, tum Occidentis unanimi consensu asserunt. A multis sæculis diversa est Latinæ a Græca Ecclesia disciplina. In Ecclesia Latina incruentum Missæ sacrificium celebrari neutiquam potest, nisi super Altari, quod vel totum rite confecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat confecratum lapidem, qui *tabula Altaris* nuncupatur. Græca autem Ecclesia a pluribus sæculis, ubi Altare sollemni confecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapidis hujusmodi tabulæ, super Altaris mensa aptare si licet Linteum quoddam Episcopali benedictione confecratum, in cujus angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt, quodque vocatur *Antimensium*, & super ipso sacra mysteria confici solent. Nunquam Apostolica Sedes hunc Orientalis Ecclesiæ ritum improbavit; sed eum non solum in partibus Orientis, verum etiam in ipsa Italia Græcis, & Albanensibus observare permisit, ut videre est tum in Clementis VIII. instructione, tum etiam in Constitutione sæpe a nobis laudata. *Et si pastoralis*. Latinis vero super Græcorum Antimensiis Missas celebrare vetitum est mox citata Constitutione §. VI. ubi nu. 17. hæc habentur: *Si Græci velint accipere Altaria portatilia ab Episcopis Latinis confecrata, bene erit; si non minus, tolerentur eorum Antimensia, sive Thronini super altaria lapidea ponenda, cum celebrant.* Et nu. 19. *Latinis Presbyteris Latina Ritu in Græcorum Catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si cariant proprio Altari portatili lapideo, super Antimensii, seu Thronis Græcorum sacrum facere non licet.* At S. M. Benedictus XIV. anno 1755. Constit. quæ incipit *Imposita nobis*, justis de caussis concessit Missionariis, aliisque Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica commorantibus, ut *in Ecclesiis Ruthenorum unicorum, deficientibus lapideis Altarium Tabulis rite confecratis, super sacris eorumdem Ruthenorum Antimensiis Missarum sacrificia celebrare: atque etiam ut in hujusmodi celebrationibus eorumdem calicibus stannei uti libere & licite possint & valeant.* (*)

Nu-

(*) *Ritu tamen Latino Sacrum agere illis injunctum est.*

Nota. Clemens VIII. anno 1602. permisit, ut *Sacerdotes Rutheni, non Schismatici, in Ecclesiis Catholicorum Ritus Latini, Altaribus, Calicibus, & vestibus sacris eorumdem Catholicorum uti, & Missam celebrare possint in casu necessitatis, ac etiam solum devotionis caussa, dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et econtra Sacerdotes Ritus Latini in Ecclesia Ruthenorum, non Schismaticorum, Altaribus, & Calicibus, ac vestibus sacris uti, & Missam celebrare valeant, Ritu tamen Latino; dummodo prædicta fervantur seclusis omni scandalo, & de licentia Prælatorum, & Rectorum ipsarum Ecclesiarum.*

Tum in Oriente tum in Occidente antiqua consuetudo erat, ut in una Ecclesia unicum Altare inesset, in quo semel tantum in die celebraretur. Hæc vero consuetudo jamdiu in Ecclesia Latina mutata est; quippe a pluribus seculis plura in Ecclesia quælibet Altaria habentur, atque in uno eodemque plura eodem die sacrificia celebrantur. At in Oriente, si Maronitas excipias, paucissque alios, qui non a multis annis Latinorum Sacerdotum morem imitantur, omnes ferme antiquam consuetudinem servant. Quam quidem consuetudinem ex universæ Ecclesiæ consensu derivatam, nonnisi Apostolicæ Sedis auctoritas mutare potest. Hæc autem permittit Græcis Presbyteris, qui in Italia, Insulisque ei adjacentibus degunt, ut si velint, morem servent ex antiquissimo, & hactenus servato ritu derivatum, nonnisi semel in die per unum Sacerdotem in Parochialibus Ecclesiis celebrandi; concedit tamen ut in suis Parochialibus vel aliis Ecclesiis, præter Altare majus, alia etiam minora Altaria habeantur, in quibus sibi liceat pro Sacerdotum numero plures in die Missas celebrare. Const. *Etsi Pastoralis* §. 6. num. 8. & 9. At Græco-Melchitis postulantibus, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum, & multiplicibus fidelium oblationibus, prædictum ritum antiquitate commendatum immutari permitteret, & in Ecclesiis Libani, & Ante-Libani plures Missas eodem die super eodem Altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas Benedict. XIV. Const. *Demandatam*, petitioni minime indulgendum constat. Permisit tamen juxta Decretum latum die 31. Martii 1749. *ab aliquibus ex Venerab. Fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpositis, ut alia Altaria in loco Ecclesiæ apte erigi possint. Si autem Altarium numerus Celebrantium, & offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus Sacerdotibus, ubi hujusmodi consuetudo viget, super eodem Altari una cum Episcopo, vel alio Sacerdote sacrificium peragente, concelebrare, ita tamen ut sacris vestibus more Celebrantium induti, unusquisque totam Liturgiam integre reciret; & verba Consecrationis proferat, proinde ac si sacrosanctum Sacrificium singulatim consecraret.*

Hujusmodi autem sacrificium singuli Sacerdotes juxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valeant applicare. Quod si secundæ, & ulteriores oblationes pro ejusdem Sacrificii applicatione superadduntur, Sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere Fideles posteriore loco offerentes, de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis; & nisi idem Offerentes unica Missæ celebrationi se vari composse fore declarent, sciat se unico sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum vero mentem, qui pro sacrificio obtulerunt, nunquam a Sacerdotibus impletum fri declaramus per solam adjectionem Particularum, & commemorationem, quæ in Panis præparatione ante Missæ Sacrificium fieri solet: cum omnino necessaria sit integra concelebratio: nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat.

Ex Græco & Orientali hoc ritu, inquit idem Sanctissimus Pontifex Epist. Encycl. ad Mission. per Orien. deputatos, *nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium, an privatis Missis, quæ absque Sacerdote celebrantur, in Orientali, & Græca Ecclesia locus esse possit, cum in Græcis Templis unicum Altare existat, unicum ad illud Missæ Sacrificium offeratur, & Sacerdotes cum Episcopo celebrent, aut cum Sacerdote, qui primi Presbyteri munere fungitur.* At privatæ etiam Missæ usus juxta Orientalis Ecclesiæ disciplinam, ex can. 31. Concilii Trullani, & ex noris quibus illum Balsamon explicavit, satis valide vindicatur, atque adeo frequentis Sacerdotum cum Episcopo celebrationis ritus, & intacta pariter privatarum Missarum consuetudo in Orientali Ecclesia permansit. In commodum vero Sacerdotum, qui privatum Missæ Sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine, ut ad unum Altare unum tantummodo Sacrificium in dies singulos offeratur, græci conflimerunt *Paraccleſias*, de quibus Allatius in Epist. ad Joannem Morinum loquitur. Sunt autem *paraccleſiæ* Oratoria quædam Ecclesiæ contigua, in quibus Altare inest, in quo Sacerdos celebret, qui in alio, ubi alter celebraverit, Sacrum facere nequit. Refert quoque Goarius unam Templi Græcorum formam, in qua secundum altare reperitur, in ulum Latinorum Sacerdotum positum. Ex quo conflat non solum Græcos privatas Missas probare, sed & Latinos in Græcorum Ecclesiis, ac Orientales in Latinorum Altaribus, ubi proprium desit, celebrare posse; quin ea rituum permixtio sequatur, quæ vetita est, sed *urbanitatis officia ita exercentur, vel potius præcepta implentur æquitativi cujusdam juris, exposcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, quæ sine aliquo præjudicio jubentur, locus ipse libenti animo concedatur.* Ut concludit idem Pontifex in eadem Encyclica n. 41.

Est etiam in more positum apud Orientales, præsertim Græcos, ut in feriis quadragesimæ, exceptis diebus Sabbati & Dominicæ, non nisi Præsanctificatorum Missa celebretur, quæ ei similis est, quam Latina Ecclesia semel in anno feria sexta in Parasceve celebrat. Scilicet, in qua non conficratur Hostia, sed antecrudentibus diebus præsanctificata sive consecrata adhibetur. A græcis sacra dona die Dominico consecrata singulis Quadragesimæ feriis, exceptis tamen sabbatis, feria quinta in Cœna Domini, festo Annunciationis B. M. Virginis, & aliis, si quæ sint solemnitates, in quibus celebrari debeat, solent adhiberi. Patriarcha Antiochenus Græco Melchita petiit ab Apostolica Sede, ut in prædictis quadragesimæ feriis Sacerdotibus sui ritus integrum Sacrificium peragendi facultatem concederet. Sed SS. D. N. Benedictus XIV. petitionem ejecit, mandavitque, his de rebus *veteres Ecclesiæ Græcæ Rubricas omnino servari, eorumque executionem Sacerdotibus inculcari; eliminata tamen ob opinionem vulgi insana credulitate, qua nonnulli arbitrari dicuntur Sacerdotem utentem indumentis, & supellectilibus, quibus alius Sacerdos usus est, jejunii observantiam infringere.*

Græcis vero & Albanensibus, quos sæpe diximus in cit. Const. *Etsi* &c. indulsit, *ut tempore jejunii quadragesimalis, quo, exceptis Dominicis, Sabbatis, & nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more nonnisi Missa Præsanctificatorum celebratur, servato tamen, ne prætermisso in Parochialibus Ecclesiis Præsanctificatorum Ritu, in aliis Altaribus, seu Ecclesiis, sive Cappellis, pro sua ac Fidelium Populorum devotione, Missas integras quibuslibet hebdomadæ diebus, ac præsertim cum dies Festi de præcepto Latinæ Ecclesiæ occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo majoris hebdomadæ triduo, celebrare possint, & valeant.*

Nota 1. Ægyptii seu Cophti Ecclesiam non nisi sine calceis ingredi fas esse credunt. Contra vero Nestoriani non solum nefas esse putant sine calceis Ecclesiam ingredi; sed eam pollui arbitrantur, si quis cum calceis ingrediatur. Immo pollui ajunt Altaria, si Presbyteri & Clerici non jejuni, aut mulieres, laicique homines ad eadem accedant. Hæc autem, atque iis similia inepte credulitates videntur.

Nota 2. Nestorianorum nonnulli quotidianas Missas damnarunt. Sed si attendamus ad antiquam Ecclesiæ disciplinam, & ad ea, quæ diximus, facile erroris convincuntur. In variis enim Ecclesiis primis seculis diversa fuit, atque Augustinus, & Chrysostomus Missæ quotidianæ usum probarunt. Augustinus epist. 54. novæ editionis ad Januarium; *alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur; alibi Sabbato tantum, & Dominico: alibi tantum Dominico.* Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Ephes. *Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad Altare, nemo est qui simul participet.*

Nota 3. Varia fuit etiam olim circa horam celebrandæ Liturgiæ disciplina; nimirum nocturnum tempus, matutinum, hora tertia, sexta, nona, & post Vesperas, ut refert Martene lib. 1. *de antiqui Ecclesiæ Ritibus*. Id vero observatione dignum est, ne Orientales ob hanc rationem reprehendantur. Hinc Sacra Congr. Supr. Inq. 22. Aprilis 1682. Missionariis Capuccinis inter Maronitas degentibus permisit, ut in quadragesima juxta ipsorum ritum tertia hora post meridiem celebrare possent.

Diversa quoque est Latina ab Orientalis Ecclesiæ disciplina, tum circa horas Canonicas, quas Ecclesiastici recitare debent, tum circa dies festos, quos celebrant. Ad Canonicas horas quod spectat, modo errores præcaveantur, qui in eorumdem libros ex schismaticorum dolo irrepserint, nec quidquam occurrat, quod in Hæreticorum vel Schismaticorum hominum honorem cedat, proprium quisque ritum tuto sequitur. Illorum vero Orientalium opinio, qui Diaconos, Presbyteros, Monachosque ad recitandum extra chorum Canonicas horas non obligant, probari nequaquam potest. Tum quia ex antiqua cum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ consuetudine constat, Ecclesiam eos quoque ad recitandum officium obligare voluisse, qui Choro non interfint. Tum etiam quia Orientales Ecclesiæ, penes quas vigent adhuc instituta majorum, hanc obligationem fatentur, ut Græci, Syri, Armeni, allique; quod argumentum est, apud nonnullos ex solo abusu contrariam consuetudinem ortam esse, Ecclesia non consentiente. Tum denique, quia refert Thomas a Jesu, Gregorium XIII. Romanum Pontificem ad dubia a Maronitarum Patriarcha proposita respondisse; *Teneatur etiam omnes ordinati ad horas Canonicas, saltem illi Nationi consuetas, non solum Beneficiati, sed etiam, qui sunt in sacris sine beneficio.* Si ex iis nonnulli juxta proprium ritum aliud officium habeant recitandum in Choro, aliud vero extra Chorum, ut de Syris testatur Joseph. Simon. Assem. diss. *de Monophysitis*, non dubito, quin muneri satisfaciant suo, dum justis de caussis a Choro absentes, aliud officium recitent.

Quoad Sanctorum festa ex Orientalibus soli Maronitæ Gregorianum Kalendarium recepere. Sed quæ huc spectant, vide in append. ad tract. de legibus. Circa solemnes festivitates servanda est Eugenii IV. Const. quæ tom. 2. Bull. est ordine 29. In ea vero habetur: *Cum inter alia sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus Festivitates Annunciationis B. M. Virginis, Nativitatis B. Joannis Baptistæ, & consequenter Nativitatis, & Circumcisionis D. N. J. C. ac Præsentationis ejusdem in templo, seu Purificationis B. Virg. Mariæ celebrari debeant, satisque dilucide veritas patefacta fuerit, tam SS. PP. testimoniis, quam consuetudine Ecclesiæ Romanæ, & omnium aliarum universaliter apud Latinos & Græcos; ne igitur in tantis celebritatibus dispar sit Christianorum ritus, unde perturbandæ caritatis occasio possit oriri, decernimus tamquam veritati, & variori consentaneum & juxta totius reliqui orbis observantiam, ut ipsi etiam Armeni Festum Annunciationis B. M. V. die 25. Martii, Festum Annunciationis B. Joannis Baptistæ 24 Junii, Nativitatis vero secundum carnem Salvatoris 25 Decembris, Circumcisionis ejusdem 1. Januarii, Epiphaniæ 6. ejusdem Januarii, Præsentationis D. in Templo seu Purificationis Dei Genitricis, 2. Februarii debeant solemniter celebrare.*

De Orientalium circa jejunium disciplina plura dispuravimus in appendice ad tractatum de jejunio, atque satis explicavimus Græcorum ritum, & obligationem, qua quisque tenetur juxta propriæ Ecclesiæ consuetudinem jejunare. Hic autem ubi veluti in propria Sede, de diversa, quæ in variis Orientis Ecclesiis viget jejunandi disciplina tractamus, ea exponimus quæ sunt ibi prætermissa. A Mengrellensibus exordium sumimus, qui licet propria lingua in Sacris peragendis utantur, Græcum tamen ritum servant. Ii quatuor quadragesimas habent, ut scribit Vericellus qu. 3. sect. 1. Prima ante Pascha, quæ incipit a quinquagesima: Altera post Pentecosten: Tertia ante Virginis Assumptionem, eaque initium sumit a die prima Augusti: Quarta adventus Domini per quadraginta dies. Nonnisi post solis occasum, Græco more, ecenant, quamvis interdiu, sicut & Græci, nulli scrupulo ducant, fructus aliquos comedere: A carnibus abstinent, immo per tres hebdomadæ dies etiam a piscibus. In majori hebdomada vinum non gustant; & nobiles quoque mulieres tota ea hebdomada, quamvis excessiva sint frigora, nudis pedibus incedunt: & tribus ejus ultimis diebus nihil omnino cibi accipiunt; Severissime sunt apud eos jejunii leges, nec in abstinentia a carnibus pro ætate, aut lethali infirmitate conceditur dispensatio; Græcorum Patrum præcepta observantes. ex quibus

§.

S. Basilius *in orat. de jejun.* ait: *Ne quis se excludat a numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur.* Ita cit. Auctor, qui longo tempore in regione illa commoratus est.

Syrorum Jacobitarum jejunia ita describit Gregorius Barhebræus ab Assem. relatus, *tom. 2. Bibliothec. Orient. pag. 304.* Quinque sunt jejunia celeberrima populo Syrorum, præter feriam quartam & sextam. Primum jejunium Quadragesimæ: Alterum Apostolorum; Tertium Migrationis, sive Assumptionis B. M. V. Quartum Nativitatis: Quintum denique Niniviticum. Et jejunium quidem Quadragesimæ, cum illud hebdomada Passionis salutaris subsequatur, octo supra quadraginta diebus absolvitur. Apostolorum vero jejunium a feria secunda post Pentecosten usque ad vigesimam nonam Junii, hoc est, usque ad festivitas Petri & Pauli celebratur. Occidentales observant; Orientales vero usque ad complementum quinquaginta dierum. Jejunium autem Migrationis a Kalendis Augusti ad decimamquintam usque diem protrahitur. At jejunium Nativitatis sunt qui a quintadecima Novembris auspicantur; alii a Kalendis Decembris inchoant: nonnulli vero a decima Decembris per duas hebdomadas observant. Denique jejunium Niniviticum a feria secunda, quæ tribus hebdomadis Quadragesimale jejunium præcedit, usque ad feriæ quintæ matutinum observant Orientales; Occidentales vero usque ad matutinum Sabbati. Notat hic Cl. Assem. nomine Orientalium venire hic Jacobitas in Assyria & Mesopotamia sub Mafriani potestate constitutos. Occidentalium vero alios Jacobitas, qui in eadem Mesopotamia & in Syria propriè dicta, & in Phœnicia, atque Cicilia, & Palæstina, & Armenia sub jurisdictione Patriarchæ ejusdem gentis vivunt. Iis citatus Auctor Canonem addit Cyriaci Patriarchæ de jejunio feriæ quartæ & sextæ in hæc verba: *Presbytero aut Diacono, aut sexui utriusque fideli, qui vicesimum ætatis annum excedit, fas non esto solvendi jejunium feriæ quartæ & sextæ, exceptis quinquaginta diebus Pentecostes, præterquam si morbo aut pregnatæ, aut vi aliquæ detentus sit, aut mulier gravida, vel lactans.*

Syri Nestoriani ab iis, quos diximus, haud multum dissident in jejunii disciplina. Præter festas quartas, & sextas quibus per anni circulum jejunant, sequem jejunia Orientales Nestoriani colunt, ut ex antiquo eorumdem auctore refert cit. Assem. Primum jejunium Quadragesimæ per septem integras hebdomadas, a Dominica, quam illi ingressum jejunii, nos vero Quinquagesimæ dicimus. In hujusmodi jejunio ab aliis Orientalibus dissident, quod Sabbatis quoque & Dominicis jejunent. Alterum jejunium Apostolorum vocatur, per totidem hebdomadas a feria secunda post Pentecosten usque ad primam Æstatis, quæ septima est a Pentecoste, & in qua festum duodecim Apostolorum celebrant. Tertium jejunium migrationis B. V. ut supra. Quartum jejunium Eliæ, seu Crucis per hebdomadas septem a Dominica prima Eliæ, quæ quartam Æstatis sequitur, usque ad feriam sextam quartæ hebdomadæ Crucis, seu septimæ Eliæ. Quintum jejunium Nativitatis, seu Annunciationis, per quatuor hebdomadas, a Dominica prima Annunciationis, quæ proximior est Kalendis Decembris, usque ad diem vicesimam quintam ejusdem mensis, in qua Nativitas Christi celebratur. Sextum jejunium Niniviticum, seu Rogationis per tres dies a feria secunda tertiæ ante Jejunium Quadragesimale hebdomadæ usque ad matutinum feriæ quintæ ejusdem hebdomadæ. Septimum denique jejunium Virginum, tribus post Festum Epiphaniæ diebus. Quæ quidem jejunia, exceptis Quadragesimali, Assumptionis, & Ninivitico aliter hodie a Nestorianis fiunt: Nam jejunium Crucis seu Eliæ, & jejunium Virginum omnino sublata sunt: Jejunium vero Apostolorum a feria secunda post Pentecosten usque ad vicesimam nonam Junii, hoc est, usque ad Festum Apostolorum producitur. Jejunium Nativitatis, seu Annunciationis, a Kalendis Decembris usque ad diem 25. ejusdem exclusive. Immo Ebedjesus Sobensis ex Gabrielis Metropolitæ Basforensis auctoritate ostendit, seculares seu laicos ad jejunia Apostolorum, Eliæ, & Annunciationis nequaquam adigi; secus vero Monachos, quos ait, ex consuetudine jejunare totum quidem jejunium Annunciationis, duas tantum hebdomadas jejunii Eliæ, & Apostolorum.

Nota. 1. Tam Nestoriani, quam Orientales Jacobitæ juxta morem a majoribus acceptum, jejunium feriæ quartæ & sextæ (idem de aliis) a Vespere exeuntis feriæ tertiæ & quintæ inchoant, idemque exeuntis feriæ quartæ & sextæ vespere solvunt, idest, ab occasu ad occasum solis perducunt. Non vero ut Latini, Græci, & alii Orientales a media nocte ad mediam noctem protrahunt. Id vero notari debet, ne ob consuetudinem rite ex majoribus derivatam, reprehendatur; (non enim plus Nestorianis jejunant, qui a cibis abstinent a media nocte ad mediam noctem, sive a matutino ad matutinum, vel a meridie ad meridiem): & ut tollantur abusus, si qui sint in iis partibus, circa hujusmodi jejunii disciplinam.

Nota. 2. Nestoriani non modo inchoant jejunium in die Dominico, sed etiam omnibus Dominicis & Sabbatis quadragesimæ jejunant. Hinc Abrahamus Arbaza Patriarcha, Barhebræo teste, præcepit, ut in Sabbatis & Dominicis jejunii quadragesimalis sub vesperam Liturgia celebraretur, quod a Gregorio Patriarcha ante institutum fuisse affirmat Georgius Arbelensis. In hoc autem Nestoriani tum ab universa Ecclesiæ disciplina, quæ verat die Dominico jejunare, tum ab Orientalis Ecclesiæ more recedunt, quæ solo majoris hebdomadæ Sabbato jejunare solet. Hujus autem mutationis causam, hanc fuisse refert Barhebræus, quod cum Catholico significatum fuisset, quosdam die Dominica, accepta oblatione inde egressos, in quodam horto lautum convivium instruxisse, legem ipse constituerit, qua prohibebatur Dominicis & Sabbatis per diem fieri oblationem, ac vespertinis horis eam celebrari præcipiebatur.

Nota 3. Jejunia Ninivitarum, & Virginum ortum ducunt a supplicationibus, quas Episcopi, dum Populi calamitatibus premerentur, indixerunt. Primum itaque Ninivitarum jejunium dictum est, quod Episcopus, cum Populus peste affligeretur, indictis supplicationibus Ninivitarum usus sit exemplo; tum ut Populum moveret Ninivitarum instar ad pœnitentiam agendam in cinere & cilicio; tum etiam ut in eo excitaret, atque foveret spem divinæ illius miserationis, quam experti fuit Ninivitæ. Alterum vero jejunium Virginum appellatur, quod ex supplicationibus originem habeat, ea occasione indictis, in qua Rex Arabum, sive, ut alii malunt, Persarum, ex

ex Urbe Hira quadraginta Virgines ut sibi adducerentur imperaverat. Ob beneficia, sive gratias, quas per illas supplicationes obtinuerunt, statuere, ut quolibet anno jejunia hujusmodi celebrarentur. Vide Assem. tom. 2. Bibl. Orient. pag. 425. & sequen. ubi advertit merito ex hac ratione confutandos esse Recentiores nonnullos, qui in Arriburio Armeniorum (quod idem cum Jejunio Ninivitico Syrorum est) errores, hæreseque comminiscuntur.

Cophti, & Æthyopes, qui eorum disciplinam sequuntur, præter jejunium feriæ quartæ, & feriæ sextæ, tribus diebus post Dominicam septuagesimæ jejunare solent; ac præter quadragesimam, quam a feria secunda post quinquagesimam auspicantur, jejunia colunt, adventus scilicet, quod Festum Nativitatis D. N. J. C. præcedit, Assumptionis B. M. V. a prima Augusti ad quartam decimam *inclusive*, & Sanctorum Apostolorum, quod exordium sumit a die, qui Festum Pentecostes subsequitur, & protrahitur usque ad Festum Apostolorum, quod 29. Junii celebratur. Ita rem narrant Monachi ritus Cophti, qui Romæ in Cœnobio Sancti Stephani, vulgo *de Mori*, commorantur, in supplici libello, quem S. M. Benedicto XIV. exhibuerunt, quique dispensationem obtinuere, qua permittitur, tam iisdem Monachis, tum aliis in eodem S. Stephani Monasterio commorantibus, *ut non ad alia jejunia teneantur quam ad jejunia quadragesimæ a feria quarta Cinerum usque ad Pascha Resurrectionis, & a die Lunæ post Dominicam primam Adventus, usque ad Natale Domini, & ad reliqua vigilias, & quatuor anni tempora juxta morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ:* ea tamen lege, ut indultum nonnisi ipsi in urbe, aut in aliis Italiæ partibus degentibus, suffragetur, nec illo modo ad Orientales partes extendatur.

Armeni, non ubique eadem jejunia servant. Quamobrem præter ea, quæ in citata appendice notavi, nonnulla hic observare operæ pretium duxi, quæ ex epistola deprompsi ad Illustrissimum Lercarium Sacr. Congreg. de Propaganda Fide a Secretis missa, in qua Armenorum jejunia describuntur, qui Constantinopoleos commorantur. Sunt autem quæ sequuntur: Primo, omnes Armeni tum catholici, tum hæretici a feria secunda quinquagesimæ, quadragesimalis jejunii exordium sumunt; hæretici vero a piscibus abstinent, catholici utuntur. Secundo, feria quarta, & sexta non servant unicam comestionem, sed tum orthodoxi, tum hæretici a carnibus, & lacticiniis abstinent; hæretici vero etiam a piscibus. Si in hujusmodi dies incidat Festum Nativitatis D. N. J. C. omnes carnibus vescuntur: sicut etiam a Paschate ad Ascensionem; licet hoc tempore catholicorum nonnulli, ne scandalo sint, a carnibus aliquando abstineant. Tertio, Hæretici ante Nativitatis Festum, quod die octava Januarii celebrant, septem diebus jejunant, atque in vigilia jejunium ad vesperam usque protrahunt, tum sacrum faciunt; ac deinde cœnant, utuntque in ea lacticiniis, & ovis. At catholici in vigilia dumtaxat Nativitatis, cujus Festum diverso ab hæreticis die celebrant, jejunare solent, ac etiam a piscibus abstinent. Missam vero, quam juxta proprium ritum celebrare deberent, vitandæ perfecutionis causa, plerumque omittunt. Ante Epiphaniam vero ut hæretici, ita & ipsi septem diebus jejunant. Quarto, Festum Assumptionis B. M. V. semper die Dominico celebrant, & die lunæ ad Sabbatum usque, quo die lacticinalis utuntur, jejunare solent: eadem ratione jejunia servant, quæ præcedunt Festum Transfigurationis, & Festum Exaltationis Sanctæ Crucis. Quinto, a feria secunda post Pentecosten ad feriam sextam jejunium colunt, quod vocant Sancti Eliæ; ejusdemque rationis sunt alia jejunia, Sancti Gregorii Illuminatoris, Sancti Jacobi Episcopi, S. Sergii Martyris, ac S. Gregorii, quem Taumaturgum appellant, in quibus a feria secunda ad sextam jejunant; Sabbato vero antevertente Festo, quod die dominico semper celebratur, comedunt etiam carnes. In iis hæretici unicam comestionem servant, quam ad vesperam protrahunt; meridie vero parum tantum cibi sumunt, & in comestione pisces non respuunt. Catholici vero solam abstinentiam a carnibus, & lacticinibus servant.

Nota 1. In iis, quæ narrata sunt, quatuor observare necesse est. Primo, Armenos juxta proprium Ritum Missam quandoque ad vesperam usque protrahere nonnullis jejunii diebus. Id vero reprehendi nequit, immo & Græcis ipsis in Italia commorantibus Constitutione pluries citata, *Etsi Pastoralis*, permissum est. Usus autem lacticiniorum, & ovorum in cœna, quam post Missam Vigiliæ Nativitatis, aut etiam Sabbati Sancti habere solent, permitti non potest, si Latinorum, Græcorumque more a media nocte jejunii exordium sumant; hoc enim in casu lacticinia, & ova, ac fortasse etiam pisces Armenorum disciplina prohibet. At si jejunium a solis occasu cum aliis, quos supra diximus, auspicantur, contra jejunii disciplinam non peccant, si lacticiniis, ovisque, ac etiam carne post solis occasum utantur; tum enim jejunii dies omnino transiit. Nec dubito, quin ex hac jejunandi ratione usus hujusmodi initium habuerit: mutato vero jejunii initio, usus ille abusus evasit, adeoque tollendus est. Secundo, etiam Catholicis abstinendum esse a piscibus feria quarta, & sexta, ac iis quadragesimæ diebus, in quibus hæretici abstinent. Id enim non est hæreticorum inventum, sed Armenæ, immo Orientalis Ecclesiæ disciplina, quam Catholici majori quam hæretici studio, ac fervore custodire, atque servare debent, ne hæreticis scandalo sint, aut occasionem præbeant Orthodoxos depravatæ disciplinæ accusandi. Tertio, a Paschate ad Ascensionem, seclusio scandalo, non teneri ad jejunium feriæ quartæ, & sextæ, cum ex antiqua disciplina, ut alibi notavimus, plures Orientales Ecclesiæ hoc tempore jejunia non fervent. Quarto, Sabbati diebus extra quadragesimam, in quibus jejunare non solent, sed lacticinia, ac etiam carnes sumere, ad jejunium, vel alias abstinentias adigi non debent; cum enim Orientalis Ecclesia excepto Sabbato Majoris hebdomadæ in ejusmodi diebus jejunium præcipere non soleat, jure meritoque præsumitur illam consuetudinem ex hac disciplina originem trahere.

De abstinentia a piscibus, quam Syri Armenique servare debent, plura differit, ac decernit in sup. cit. Encyc. Bened. XIV. n. 47. *Syri, inquit, Armenique Catholici, juxta ipsorum Ritum, ab esu piscium jejunii tempore abstinent: verum, cum Latinos iis vesci conspiciant, & ceteroquin impossibile, vel saltem difficillimum asseratur, eos temperare posse a piscibus, diebus, quibus latinos iis vesci intuentur, ideo tamquam rationi consentaneum proponitur, ut Missionariis facultas tribuatur cum iis*

dispensandi, caute tamen, omnique secluso scandalo, & pio aliquo opere in locum abstinentiæ a piscibus subrogato. Aptissimus hic ferret locus disserendi de vetustate jejunii apud Orientales, ejusque lege, licet severiori, exactissime tamen semper servata; sed ne longiores simus, quam par est, id unum dicimus Apostolicam Sedem toties Patriarchi obtitisse, quoties veterem rigorem jejunii suis subditis præscripti relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum Patriarcha, Archiepiscopis & Episcopis sibi subjectis carnibus vesci Laicorum more indulsit, licet juxta veterem disciplinam carnibus abstinerent, universo autem populo Quadragesimæ tempore piscibus vescendi permisit, quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex Paulus V. dantis ad Patriarcham Petri successorem Literis Apostolicis in forma brevis die 9. Martii 1610. jussit, ut abrogatis iis, quæ Petrus Patriarchæ concesserat, res in pristinum statum restituerentur. In Pontificatu nostro ad examen revocata ea omnia facilitas atque indulgentia Euthymii Archiepiscopi Syri. & Sidonii & Cyrilli Patriarchæ Antiocheni erga Græcos Melchitas, fuitque improbata; ut patet ex Constitutione nostra Demandatam *§. 5. & 6.* Bullarii nostri tom. 1. Nos hujusmodi innovationem, & abstinentiarum relaxationem, & coarctationem, in primum detrimentum veteris Græcarum Ecclesiarum disciplinæ vergere judicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicæ Sedis, nullius roboris eas dignoscantur, eas tamen auctoritate nostra expresse revocamus, & nullum effectum in posterum habere, neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere jubemus, atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a Majoribus derivatam abstinendi etiam quavis feria quarta, & sexta per annum ab esu carnium, quæ ab aliis quoque finitimis populis ejusdem Græci Ritus exacte custoditur, indistincte servari præcipimus. Incertorum vero ea asserere, idve dispensationem concedendam esse, vel potius dispensandi generalem facultatem, quod nempe Orientales aspicientes Latinos vesci piscibus tempore jejunii, exinde facile adducantur, ut ipsi non quidem ex aliqua contemptu, sed naturæ fragilitate victi, piscibus, jejunii diebus, utantur: hæc nemque argumento, si quid illud valeret, in primis omnium deduceretur Rituum confusio, deinde, si illius ratio haberetur, illud etiam consequeretur, ut Latini infirmiores Græcis peculiaribus quibusdam vivere insitutis, quæ Latinis minime permittuntur, immo inhibentur, dispensationem petere possint, ut sibi liceret ea facere, quæ a Græcis fieri instituitur; profitentes se Latinum quidem Ritum suscipere, sed ob naturæ fragilitatem eum dimtius servare non posse.*

Nota. 2. Jejunium Sabbati veritum fuit ab Ecclesia, quod Manichæi, aliique hæretici qui Deum malum hujus Mundi conditorem, atque colendi Sabbati auctorem fuisse fabulabantur, Sabbato jejunandum statuerint, ut publica mœstitia odium ostenderetur erga Deum colendi Sabbati auctorem, qui malus tam pessimam fecisset, rerum hanc Machinam tot malis obnoxiam, tot sceleribus obligatam. Vid. Epiphanium hæresi 14. Ex canonibus hac occasione editis, quibus præcipitur, non nisi Sabbato majoris hebdomadæ jejunandum, Græcorum, aliorumque Orientalium disciplina pendet. At lex illa numquam in Romana Ecclesia recepta fuit, quæ ex Apostolica traditione semper in memoriam Christi sepulturæ Sabbati jejunium coluit: cujus rei testes sunt locupletissimi Hieronym. epist. 28. Aug. epist. 86. Conc. Eliberitanum can. 4. & Joannes Cassianus Chrysostomi discipulus collat. 3. quibus additus Innoc. I. in Epist. ad Decentium Eugub. Episc. cap. 4. Nicol. I. ad Consul. Bulg. qui sub Sylvestro ortam hac de re controversiam scribit, definiturque, ut nullus deinceps contra hujusmodi statutum *venire, aut mutare præsumeret*. Quare, ut Romana Ecclesia non improbat, sed laudat Orientalis Ecclesiæ consuetudinem ex iis canonibus ortam, qui dum hæretici, in Occidente præsertim, Sabbati jejunio abuterentur, conditi fuerunt; ita Græci, aliique Orientales Romanæ Ecclesiæ morem probare, ac commendare tenentur, quod cum ei nulla devitandi ejusmodi jejunii occasio fuerit, traditionem quam nonnulli ajunt ex Apostolo Petro derivatam servaverit.

Hæc quantum ad Orientalium jejunia; quæ ad rem hanc pertinent reliqua in appendice explicantur, quæ in Missionariorum usum post Tr. *de jejunio Ecclesiastico* addita est. A jejunio ad ciborum delectum ut res ordine exponatur gradum facimus. Nam etiam in hoc Orientalium a Latinæ Ecclesiæ disciplina dissidet. Græci enim a sanguine, & suffocato abstinendum putant, ac distinguentes inter mundos immundosque cibos ad normam Mosaicæ legis, putant sine culpa ad Christi Corporis Sanguinisque communionem accedere non posse, qui immundi quidpiam comederit, aut contrectaverit, nisi benedictione præmissa, quæ in eorum Euchologio præscribitur. Alii quoque Orientales, saltem, quoad abstinentiam a sanguine & suffocato, eodem modo opinantur, Armenis Orthodoxis exceptis; (Nam qui Vartanum sequuntur, a quibusdam cibis abstinent) qui in unione cum Ecclesia Romana acceptanda hanc Græcorum consuetudinem se relinquere professi sunt. In collationibus enim pro hac ineunda unione habitis, hæc Galanus refert tom. 2. de Conc. Eccl. Arm. cum Rom. *Patres Armeni tum Silvestri, tum Adamensis Concilii, cum Romana Ecclesia suam conciliantes, approbaverunt Epistolam dogmaticam Gregorii Armeniæ Patriarchæ ad Regem Haytonem, ubi hebraica illa ciborum discretio his verbis reseribebatur. Cibos autem immundos, præcipue, qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes ut inquit Paulus in nomine Domini purificatos habere jubemus, quos & orationibus benedicti doctoris Dominici Nierses, nimirum Clelajensis, qui similiter Armeniæ Doctor, & Patriarcha fuerat*. Hic vero antequam ad Græcorum morem expendendum descendam, necessarium puto, Apostolicæ Sedis sententiam exponere. Pluries vero ab ea decreta hac de re prodierunt. Gregorius II. in Capitulari suo ad Bavaros misso, cap. 7. ait, *Nihil in perceptione ciborum judicatur immundum, nisi quod fuerit idolis immolatum, quia juxta quod Magisterio Apostolico docetur, omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*. Nicol. I. ad Consul. Bulg. nu. 43. *omne animal*, inquit, *cujus cibus minime corporis noxius esse probatur, comedi non prohibetur*. Exstat præterea decretum in Florentina Synodo pro Jacobitis edito, quod; *Romana*, inquit, *Ecclesia firmiter credit, profitetur, & prædicat, omnem Creaturam Dei bonam, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia, juxta verbum Domini, non quod intrat in os coinquinat hominem; illamque Mosaicæ Legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam, ad cæremonialia aptevit pertinere, quæ, surgente Evangelio, transierunt. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denunciat, quam societas admittit humana, nec inter animalia discernendum per quemcumque ferarum, sive mulierem, & quocumque genere mortis interirent, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari & Ecclesiastica disciplina possint & debeant non vegata dimitti, quia, juxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt*. Accedit etiam professio fidei, quam ex præscripto Urbani Papæ VIII. Orientales emittere tenentur, in qua hæc leguntur. *Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ Legis cæremonias, Sacra, Sacrificia, et Sacramenta D. N. Jesu Christo adveniente cessasse, & post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse, eosdem etiam Legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ, surgente Evangelio, transierunt, illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato illi tempori congruisse, ut inter Judæos & Gentiles dissensionis materia collegetur, cujus Apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus*.

Quæ cum ita se habeant, aperte Apostolicæ Sedis sententiæ contradicunt, qui etiam nunc vigere ajunt latam per Mosem legem de mundorum immundorumque differentia, & Apostolicum decretum de abstinendo a sanguine & suffocato; cum fuerit illa per Christum sublata, istud vero œconomiæ causa ad tempus stabilitum. Vide Paulum I. ad Cor. 8. ubi docet secluso scandalo, etiam tum Fideles immolatitiis uti potuisse, & quidquid *in macello venit, quia Domini est terra, & plenitudo ejus*. Odiandite ergo ad tempus, atque œconomiæ causa Apostolos decretum de hujusmodi abstinentia edidisse. Errant itaque Græci si credant, aut vigere adhuc discrimen inter munda, & immunda veteri lege constitutum, aut ex Apostolico, & Scripturæ præcepto, ut habetur in Trullano can. 67. *a sanguine, & suffocato esse abstinendum*. Consuetudo autem hæc, de medio sublato errore, permitti potest, dum scilicet non ob Apostolicum, quod amplius non viget, præceptum, sed ut observantiam novæ ex Ecclesiæ consuetudine derivatæ legi præstent, a sanguine & suffocato abstinent. Nam Ecclesia potest etiam cæremonias veteris legis, sine ac objecto variato, in proprium usum convertere, ut supra nos demonstravimus, ideoque in observatione, memoriamque primi ab Apostolis editi decreti, potuit etiam tacito consensu suo consuetudinem probando legem de hujusmodi abstinentia ferre. Qua quidem ratione etiam undecimo Ecclesiæ sæculo plures latinæ Ecclesiæ hujusmodi abstinentiam servabant, ut scribit Humbertus Cardinalis ac Sylvæ candidæ Episcopus in Dialogo contra Græcorum calumnias edito. Neque benedictiones illæ sunt reprehendendæ, quas Græci Sacerdotes adhibent juxta eorum Euchologii præscriptum erga eos, qui tetigerint, vel immundi quidpiam comederint, eriamsi res illas respiciant, quæ

in lege veteri subjectum erant præceptorum cæremonialium, *dummodo quidquid abest fit, non eo animo fiat, ut veteris jam abolitæ legis præceptis pareatur, sed ut obsequium præstetur, aut novæ Ecclesiasticæ Legi, vel canonicæ consuetudini, diuturni & continui temporis observantiæ roboratæ*, inquit Bened. XIV. in cit. Constit. Eucholog. præmittenda.

Venio nunc ad postremum disciplinæ caput, in quo Latina ab Orientali dissidet Ecclesia, quod in Cœlibatu Clericorum situm esse diximus. Orientalis Ecclesia non secus ac Latina a primis sæculis sues semper habuit Monachos, qui castitatem voverent, atque Episcopos etiam nunc nonnisi cœlibes habet. Immo cum Nestorianorum, Jacobitarumque nonnulli, Monachis, Episcopisque uxores permiserint, non solum a reliquis Orientalibus sed etiam ab aliis earumdem sectarum Episcopis, tamquam disciplinæ, & Ecclesiæ contemptores habiti sunt. Quamvis antiquissimo tempore ad augendam Clericalis militiæ sanctitatem utraque Ecclesia Occidentalis, & Orientalis æque præteripserit, nedum Presbyteros, sed alios etiam in Sacris Ordinibus constitutos in perpetuo cœlibatu versari debere, & hanc custodiendæ castitatis obligationem numquam remiserit aliarum mater, & magistra Romana Ecclesia; Secus tamen contigit tractu temporis in Orientali Ecclesia, quæ Diaconis ac Presbyteris secularibus uxorem permittit; unicam tamen, eamque Virginem. Nam eorum disciplina præcipit cum Apostolo Paulo I. ad Timoth. cap. 3. *ut Diaconi sint unius uxoris viri*; ac vetat *bigamum jam propriam*, quæ ex secundo matrimonio prosilit, rum etiam *simili tudinariam* ex primo matrimonio ortam cum vidua, vel corrupta contracto: Canones Apostolici 17. & 18. & canon. 3. Concilii Trullani, cujus auctoritas licet in Ecclesia Occidentali recepta non fit, illam tamen Orientalis Ecclesia suscepit, & veneratur. Quamquam Orientalis Ecclesiæ canones ita constituunt; & licet iisdem canonibus ætas præscripta sit, ante quam nefas sit, quemque sacris ordinibus initiari; tamen partim ignorantia, partim hæreticorum malitia factum est, ut, neglecta omnino Ecclesiæ disciplina, apud Jacobitas præsertim Cophtos, ac Nestorianos quamplurimos, Pueri pauperum annorum sacro Diaconatus ordine initientur, qui post susceptum ordinem non solum nubunt, sed ad secundas quoque, atque tertias nuptias transeunt. De iis vero plura dicemus dum de Orientalium disciplina circa Ordinem, & Matrimonium tractabimus, ubi ea distinctis exponemus, quæ hac super re constituta, & explicata sunt a SS. D. N. Benedicto XIV. in duabus Pastoralibus Instructionibus super nonnullis dubiis circa Cophtorum Ritum editis.

Hæc satis visa sunt ad discrimen ostendendum, quod Latinam inter ac Orientalem Ecclesiam intercedit, & quo nonnullæ invicem dissident Orientis Ecclesiæ inter has autem unam prætermisi, quæ extensione parva, sed gloria maxima est. Hæc in Nazivanieni majoris Armeniæ Provincia sita est, & quartidecimi sæculi initio, in quo a Bartholomæo Parvo Ordinis Prædicatorum stabilita fuit, Fidem Orthodoxam, cum Latino Ritu Dominicanorum more, quem Armena lingua servat, intactam custodivit, Archiepiscopus, qui e Dominicanorum familia semper delectus est, Sedem habet in Oppido Ab-

ranei, habentque sub se decem circiter oppida, in quibus Dominicanorum ejusdem Ritus Coenobia nonnulla extant.

CAPUT VII.

De Apostolicæ Sedis œconomia in disciplinæ unitate tuenda ac procuranda, & in tolerandis diversis aliarum Ecclesiarum, præsertim Orientalium, Ritibus.

INter cetera argumenta, quæ Apostolicam Sedem Ecclesiarum omnium Principem, Magistram, ac Matrem esse demonstrant, præcipuum sibi vindicat locum prudens illa œconomia, qua disciplinæ unitatem quoad fieri potuit conservare, Apostolica Instituta sarta tecta custodire, ac novitatibus, ut rerum temporumque circumstantiæ ferebant, obsistere studuit, & qua ritus varios, qui fidei morumque integritati noxii non essent, non solum patienter sustinuit, sed ubi ex Majorum institutis ortos agnoverit, retulit etiam ne aliorum auctoritate immutarentur, ac ab omnibus servari mandavit. Qua quidem agendi ratione, cum acceptam a Christo Domino in Ecclesia universam potestatem, tum debitum Apostolicis ordinationibus obsequium, tum denique illum erga Christianos omnes amorem significavit, quo veluti pia eorumdem Mater, ita disciplinæ inter eos unitatem procuravit, ut in iis, quæ cum fidei honestate, atque regula cohærent, illorum ingenio, ac voluntati indulserit, qui in ritibus variis a Majoribus acceptis enutriti, haud facile potuissent ad omnimodam disciplinæ unitatem revocari. Hujusmodi agendi rationem Petrus Romanis Pontificibus ipsius Successoribus præmonstravit. Is enim patienter in Hebræis fecenter ad Christi fidem conversis tulit nonnullarum cæremoniarum usum, quas a Deo eorum Majores acceperant, quod haud facile esset homines tanta cum veneratione in illis enutritos ab earum usu divellere; ac in Hierosolymitano Concilio, ut difficilis occasionem præcluderet, mutuamque inter novos Christianos jacem foveret, Legem constituit, qua ad tempus etiam illi, qui e gentibus ad Christum venerant, a sanguine, & suffocato Immolatique abstinere jubebantur. Atque ut facile posset, quem ipse aut solus, aut ex aliorum etiam Apostolorum consilio dispositerat sacrorum ordinem, Ecclesiis omnibus præscribere, & exhibere, primum Antiochiæ sedem posuit suam, ibique septem annis; quod inde facile esset disciplinam illam ad omnes Asiæ Ecclesias transmittere; deinde Marcum in eadem a se institutum disciplina, Alexandriam misit, ex qua Urbe facile Ecclesiis Ægypti, ac Africæ reliquis, eadem tradere poterat instituta: ac demum Antiochia Romam ipse venit, ibique perpetuo Sedem suam esse voluit, tum ut facile posset in tota quoque Occidentali Ecclesia eamdem disciplinam stabilire, tum etiam quia præsto inde esse poterat ad novas, dum opus esset, institutiones suppeditandas, constitutis a se Antiochiæ, & Alexandriæ Metropolitis. Hinc autem quam reor mirabilem illam in Ecclesiis omnibus contentionem in præcipuis Ritibus, quos semper & ubique servatos legimus in perficienda Eucharistia, in aliorum Sacramentorum administratione, ac in aliis quamplurimis Ecclesiasticæ disciplinæ Capitibus.

Romanorum Pontificum Petri successorum prima ac maxima semper cura fuit, ut stabilitam ab Apostolis disciplinam in Ecclesiis omnibus custodirent. Quam ob rem a primis temporibus ad hæc usque tempora numquam passi sunt, ut quæ in illa contenta essent, abolerentur; Et non nisi ex gravissimis caussis trinæ immersionis in Baptismo usum, calicisque a Laicis in recipienda Eucharistia sumptionem, ac iis similia immutari permiserunt. Hujusmodi autem sollicitudinis luculentissima exempla suppetunt, tum in antiqua, tum in recentiori Ecclesiastica historia. Cum esset ab Apostolis constitutum, Ecclesiisque a Petro traditum, ut Pascha nonnisi, Dominico die celebraretur, sicut Euseb. lib. 5. cap. 23. Socrates lib. 5. cap. 22. aliique antiqui Scriptores memoriæ prodiderunt, statim ac Romanis Pontificibus innotuit fuisse nonnullas in Asia Ecclesias, quæ luna quartadecima Martii in quemcumque hebdomadæ diem caderet, illud celebrarent, Apostolicam disciplinam etiam in Ecclesiis illis restituere curarunt. Anicetus rem cum Polycarpo amice tractavit. Victor vero illius successor Concilio Romæ habito circa 198. jussit, *ne alia, quam Dominico die Mysterium Resurrectionis celebraretur*, & Policratem aliosque Asianos obtemperare detrectantes excommunicavit; etsi hortatu ac precibus Irenæi Lugdunensis Episcopi excommunicationis deinde effectum suspendit. Zephyrinus quoque, qui Victori successit, tum ob falsa nonnulla dogmata, tum ob violatam Apostolicam disciplinam Montanistas damnavit, qui *adunare præsumebant iterata connubia, & Christianis, secus ac Apostolica disciplina præscribebat, tres in una Quadragesimas* proponebant, *quasi tres pasch sint Salvatores*, inquit Hieronymus Epist. 54. Stephanus quoque Romanus Pontifex circa medium tertii sæculi, cum Firmilianus in Asia, & Cyprianus in Africa baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos esse contenderent, *nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab initiis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit*, ait Eusebius lib. 7. cap. 3. Immo *abstinendos illos putavit, quod priscam consuetudinem convellere conarentur*, ut Augustinus scribit lib. 1. de Baptismo cap. 13. Habes itaque ex satis notis antiquæ Ecclesiæ monumentis, Apostolicam Sedem etiam tribus prioribus sæculis in universam Ecclesiam acceptam a Christo potestatem exercuisse, ad traditionem, & disciplinam, quæ ex Apostolis esset, adhibitis etiam Ecclesiasticis pœnis, in Asia quoque, in Africa, ac ubique gentium sartam tectam custodire studuisse. Cujus quidem sollicitudinis sequentium quoque sæculorum historia toties exempla suggerit, quoties Apostolicæ Sedis significatum fuisse asserit, fuisse inter Christianos homines qui vel Apostolicam traditionem contemnerent, aut Ritus usurpare negligerentur, quos Apostolica disciplina stabilivit; ut ex iis perspicuum fiet, quæ de Ritibus ab Apostolica Sede præscriptis cap. IX. disputabimus. Ita suum de disciplinæ unitate servanda desiderium ac studium semper demonstravit.

Sed impedire non potuit, quominus novi, ac varii in diversis Ecclesiis Ritus instituerentur. Nam cum difficillimis primis Ecclesiæ temporibus, nec Episcopis omnibus facile esset Apostolicæ Sedi exponere, quæ pro locorum, & temporum circumstantiis novæ instituendæ viderentur cæremoniæ, aut disciplinæ Ecclesiasticæ ordinationes; nec facile itidem esset Apostolicæ Sedi nova disciplinæ capita, quæ stabilire expediret, Ecclesiis omnibus proponere, neque expediens videretur Episcoporum hac de re jurisdictionem limitare, eorum arbitrio relictum est, novas cæremonias addere, ac sacrorum disciplinam moderari. Ne vero ex nimia rituum, ac disciplinæ varietate confusio oriretur, plurimorum Episcoporum Concilia passim celebrabantur, in quibus *aliora quæque in commune tractabantur*, ut Tertullianus scribit lib. de jejunio cap. 13. Ex hujusmodi Conciliis tribus prioribus Ecclesiæ sæculis celebratis, pleraque eorum deprompta sunt, quæ in Canonibus, & constitutionibus Apostolicis habentur, ut est a quamplurimis eruditis Viris observatum. Ad antiquam hujusmodi consuetudinem attendisse videtur Magna Nicæna Synodus, dum Can. 5. bis in anno hujusmodi Concilia celebrari decrevit. Quod quidem Decretum innovatum deinceps fuit in Antiochena Synodo sub Julio I. Can. 20. in Arausicana I. sub Leone Magno can. 29. &c. Io iis vero de Sacrorum ordine, ac disciplinæ unitate procuranda actum fuisse, constat ex Sancto Leone in Epistola ad Episcopos Siciliæ, ex Concilii Epaunense, & Gerundiense, circa sexti sæculi initium celebratis, & ex Baccarensi Synodo anni 563. Atque hinc patet undenam diversi in Ecclesia orti sint Ritus, quorum magna erat etiam in Latina Ecclesia varietas, quinto, ac sequentibus sæculis, ut ex Epistola Innocent. I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, ex Epistola Gregorii Magni ad Augustinum, quem in Angliam miserat, aliisque Scriptoribus sexti, atque septimi sæculi, intelligimus. Quarto quoque & tertio sæculo fuisse in Ecclesiis Rituum varietatem, qui, salva pace, veluti majorum instituta suscipererentur ac pro lege haberentur, jam scripserant Augustinus Epist. ad Casulanum, Hieron. Epist. 29. ubi ait: *unaquæque Provincia abundet in sensu suo, & præcepta majorum leges Apostolicas esse arbitretur*; Et Firmilianus, qui circa medium tertii sæculi hæc ad Cyprianum scripsit: *Circa multa divinæ rei Sacramenta sunt apud illos* (hoc est Romanos) *aliquæ diversitates, nec observantur illic, quæ Hierosolymis observantur.* Et infra: *Multa pro auctorum diversitate variantur, neque tamen propter hoc ab Ecclesia Catholica pace, & unitate discessum est.*

In hac rituum varietate sustinenda maxime enituit Apostolicæ Sedis œconomia. Nam etsi unitatem optaverit, tamen nunquam passa est, ut ritus illi tollerentur, qui a Viris aut instituti, aut commendati essent, maximæ apud populos venerationis. Hinc in Latina Ecclesia, ubi cum Romanorum Pontificum diligentia, tum affinium Ecclesiarum in Apostolica Sede imitanda studio, Ritus pene ad unitatem redactus est, viget adhuc Ambrosianus Ritus in Mediolanensi Ecclesia, & *Mozarabus* in nonnullis Hispaniarum Patreciis, quod hujusmodi Ritus antiquitate, & auctorum sanctitate commendati in maxima veneratione apud gentes illas habeantur. Sed circa Orientales, ac præsertim Græcos œconomia hæc Apostolicæ Sedis mirabilis semper fuit. Cum enim noviffet Græcos majorum institutis summopere addictos haud facile inducturos ad proprium Ritum deserendum, non solum in eodem illos permanere voluit, sed plurima etiam maxime in Ritum illum venerationis argumenta præbuit. Quæ quidem agendi ratione discretionem, moderationem, ac clementiam significavit suam in eos, qui difficili spiritu inoitat Latinorum Ritus improbabant.

Hujus autem rei historiam a Nicolao I. in cujus Pontificatu Photianum schisma cœpit, exordiemur. Is itaque ep. 2. ad Photium hæc scribit: *De consuetudinibus, quas nobis exponere visi estis, scribentes per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nil judicamus, vel respimus.* Schisma sub Photio inchoatum Michaels Cerulario auctore circa medium undecimi sæculi ea animi contentione tantoque fuit odio ab impio schismatico absolutum, ut Latinorum Ecclesias, quæ Constantinopoli, Alexandriæ, & in Patriarchatu Hierosolymitano erant, in quibus Sacra Latino Ritu fierent, obserari jusserit. Leo vero IX. Roman. Pont. missis ad illum pro extirpando schismate Legatis, inter alia hæc scripsit: *Ecce in hac parte Romana Ecclesia, quanto discretior, moderatior, & clementior vobis est, siquidem cum intra & extra Romam plurima Græcorum Monasteria reperiantur, sive Ecclesiæ nullus eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine, quin potius suadetur atque admonetur eam observare. Scit Sancta Romana Ecclesia quia nihil obsunt salutis credentium diversa pro loco, & tempore consuetudines, quando una Fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat.*

Initio sæculi decimi tertii, cum Latini in potestatem suam Constantinopolim redegissent, & Summus Pontifex Innocentius III. decrevisset Patriarcham Latinum in ea Civitate constituere, cui non solum Latini, sed etiam Græci obtemperarent; nihilominus palam declarare non prætermisit, nullum se velle Græcis ritibus inferre detrimentum, nisi quæ forte consuetudines, inter eos receptæ, periculum animarum parerent, aut Ecclesiasticæ honestati adversarentur. Ex Decretalis verba, quæ habentur, tum tom. 7. Coll. Concil. Harduini pag. 22. tum etiam *in Cap. licet, de Bapt. Licet Græci diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes fuvere, & honorare voluimus, mores ac ritus eorum, quantum cum Domino possumus, fustinendo; in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & Ecclesiastice derogant honestati.* Iisdem usus est verbis Honorius III. in Epist. ad Regem Cypri, dum indulsit, ut in nonnullis illius Regni Civitatibus duo essent Episcopi, Latinus unus, alter Græcus. Eadem fere verba usurpavit Innocentius IV. tom. in Epist. ad Danielem Ruthæ Regem, quam Raynaldus refert ad annum 1250. qua Ritum Ruthenum probavit; tum etiam in ea, quam ad Othonem misit Cardinalem Tusculanum Sedis Apostolicæ Legatum in insula Cypri. Idemque Pontifex mittens Laurentium Minoritam Apostolicum Legatum ad Græcos, qui in Regno Cypri erant, & ad Orientales omnes, qui in Patriarchatibus Antiocheno, & Hierosolymitano morabantur, mandavit ipsi, *quatenus Græcos illarum partium, quocumque nomine censentur, auctoritate Apostolica protegens, turbari eos violentiis, vel quibuscumque molestiis non permitteret, injurias qualibet & offensas, a Latinis eisdem illatas, plenarie faceret emendari, ac Latinis ipsis districte pro-*

præciperet, ut a familiis de cetero penitus conquiescerent. Alexander IV. de Synodo verba faciens a Latino Episcopo in Regno Cypri celebranda, in quam Ecclesiastici quoque Græci Ritus Episcopo illi subjecti convenire debuerant, Episcopo indicit, ut Græcos cogeret *recipere & observare Synodalia statuta, quæ tamen Græcorum Ritibus fidei Catholicæ non adversis, & a Romana Ecclesia toleratis non obviarent.* Nec minor fuit sequentibus sæculis Apostolicæ Sedis cura in Orientalium Ritibus tolerandis, ac conservandis. Dum in Lugdunensi, & Florentino, aliisque Conciliis de Græcorum unione cum Romana Ecclesia actum est, ea semper condicio apposita fuit, ut illis liberum rituum exercitium permitteretur. Hinc Leo X. & Clemens VIII. constitutiones edidere, quæ in Græcorum Enchiridio Beneventi edito reperiuntur, in quibus vehementer Latini nonnulli increpantur, qui in Græcis reprehendebant, quæ in Concilio Florentino eisdem permissa fuerant: scilicet, quod Sacrificii in offerrent in fermentato, utorera ducerent, antequam sacrificandis initiarentur, eamque post susceptos ordines sacros retinerent, quodque Eucharistiam sub utraque specie etiam pueris exhiberent. Pari studio Pius IV. Gregorius XIII. Clemens VIII. Paulus V. aliique Romani Pontifices Ritus illos custodire curarunt, ut ex eorum Const. liquet, præsertim ex sæpe laudatis Const. Bened. XIV. Fuisse vero de Græco, & Orientali Ritu servando vehementer sollicitos, satis superque probant *Ecclesiæ, quibus diversis temporibus Romani Pontifices Græci, Maronitæ, Armenii, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quæque eis annum extant, & patent, ut sacras functiones in ipsis juxta Ritum suum singuli expleant*, ut inquit Benedict. XIV. in Encyclica *ad Mission. per Orient. deputatos*. Ubi addit etiam: *Opportune hic quoque referri poterit, quemadmodum Clemens Papa VIII. ex sua Constitutione 24. §. 7. veteris Bullarii, Græcum Episcopum Romæ constituit, ut Italo-Græci Latinas Diœceses incolentibus Ordinem juxta Græcorum Ritum conferret; deinde vero alium a Clemente XII. proximo prædicto fore nostro, in sua Const. incipien.* Etsi Pastoralis, *fuisse superadditum Græcum Episcopum, qui sexam in Bisinianen Diœcesi Sedem habet, ut Italo-Græci Ordines conferat ii, qui longius ab Urbe distant, longum iter aggredi cogantur, ut Ordines ab Episcopo Græco Romæ degente juxta allatam Clementis VIII. Const. suscipiant; ac ne ipsi quidem Episcopi Catholicis Maronitarum, Cophtorum, & Melchitarum, qui aliquando Romæ versantur, denegari facultatem conferendi Ordines juxta Ritum suum, nationis suæ hominibus, dummodo idonei reperiantur.* Accedit etiam veritum a Romanis Pontificibus esse quibuscumque etiam Episcopali, & Patriarchali dignitate præfulgentibus, aut quidpiam Ritibus Orientalium detrahere, aut innovare, vel aliquid introducere, quod integram exactamque eorumdem observantiam immuret, ut videre est in Const. sæpe a Nobis citata *Demandatam &c.* Ac maximis etiam expensis procuratum est ab iisdem Pontificibus, ut ab omni expurgati errore Orientalium libri Romæ Typis Congreg. de Propag. Fide ederentur. Et præter Missalia Cophticum, Maronitieum, Illiricum &c. novissime Græcorum Euchologium accuratissima editione vulgarum vidimus.

Ne vero quidpiam intentatum reliqueret, quo suum in Orientales amorem significaret, & quo mutuam eos inter atque Latinos unionem foveret, Orientalibus nonnullis aliquos Latinorum Ritus servare permisit, ac nonnullos ex Orientalibus in proprium usum transtulit. Armeni, & Maronitæ, qui Orientalium Ritum servant, veterem consuetudinem sequuti propriis Episcopis perfectam, & approbatam, Eucharistiam non in fermentato pane, ut Orientalium reliqui, sed in azymo conficiunt. Quam quidem consuetudinem, quod ex veteribus ortam noverit, Apostolica Sedes nonquam improbavit. Immo Bessarionis Cardinalis petitioni ob hujusmodi exemplum indulsit, ut etiam in Abbatia Cryptæ Ferratæ, quæ primum eidem Cardinali commendata fuerat, Græci Monachi in illa degentes in azymo consecrarent. Idem quoque servatur in Ecclesia Collegiata Sanctæ Mariæ de *Grafeo* nuncupata, sita in Messanensi Diœcesi, licet ipsius Clerus Ritum Græcum retineat. Similiter nonnullis ab hinc sæculis Maronitæ, Pontificales, ac Sacerdotales vestes adhibent ejusdem plane formæ quam Latinus Ritus præscribit; & in Concilio Libanensi habito anno 1736. unanimi consensu, sublecuta quoque Apostolica approbatione, iidem Maronitæ, quoad præsanctificatorum Missam Latinum Ritum arripuisse sunt, illam tantummodo feria sexta in Paraseeve celebrantes; ut habet Benedict. XIV. in laudata Encyclica n. 31. Ex Græca autem disciplina in Latinæ Ecclesiæ usum transtulit Ritum recitandi Constantinopolitanum Symbolum in Sacra Missa, ut ex Tolerano Concilio anni 589. colligitur: Canone enim secundo decretum fuit, *ut secundum formam Orientalium Ecclesiarum* per omnes Ecclesias Hispaniæ, & Galliæ is Symbolum illud recitaretur. Item consuetudo adorandi Sanctam Crucem feria sexta in Paraseeve; usus etiam Trisagii *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus Immortalis miserere nobis*, in eadem sexta feria, & Aquæ benedictio in pervigilio Epiphaniæ ex Orientali in Ecclesiam Latinam translata sunt; ut in eadem Encyclica ostendit Sapientissimus Pontifex. Hæc vero satis, meo judicio, demonstrant Apostolicæ Sedis studium in fidei, derivatæque ab Apostolis disciplinæ unitate servanda, ac mirabilem quoque œconomiam, qua aliarum Ecclesiarum ritus substituit, honoravit, atque ab omni errore immunes custodire curavit. Superest nunc, ut ipsius leges exponamus, quibus cuique proprios servare mandavit, ac semel susceptos deserere vetuit.

CAPUT VIII.

De obligatione, quam quisque habet, in suscepto Ritu permanendi.

RItus nomine intelligimus disciplinam Ecclesiæ authoritate stabilitam; vel ritu & consuetudine eadem auctoritate comprobatam. Hinc autem, ut ex auctoritatibus liquet, quas circa finem superioris capitis citavimus ex Hieronymo, Augustino, & ex pluribus Romanis Pontificibus, semper tamquam Ecclesiæ lex habita est. Præterea cap. 4. demonstratum est, Christi Ecclesiam potestatem habere instituendi ac præcipiendi ritus; ex quo clare sequitur, institutos Ecclesiæ auctoritate ritus, & consuetudines eadem auctoritate comprobatas, tum legis habere, ut ex

ex iis, quæ in tractatu de legibus disputata sunt, omnis, qui proprii ritus Episcopo subsunt, atque in ipsius Ecclesia degunt. Deinde de iis Orientalibus, qui in Ecclesiis vivunt, quibus Latini Episcopi præsunt: Denique de Latinis, qui in Orientalium Episcoporum Diœcesibus commorantur.

§. I.

De obligatione, quam habent, manendi in suscepto Ritu Orientales, qui eisdem Ritui Episcopis subsunt.

QUamquam ex iis, quæ supra dicta sunt, manifestum est, eos, qui in proprii ritus Ecclesia versantur, obligatos esse ad permanendum in eodem ritu, nec eum mutare posse sine suprema Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ ad alium transire permittat; tamen ea hic inficiare operæ pretium duxi, quæ sint ab Apostolica Sede definita, ex quibus particulares, quæ hac super re occurrere possunt difficultates, facile solventur. Ea unice asseremus, quæ in supracit. Const. *Demandatam &c.* pro Græco-Melchitis Benedict. XIV. decrevit; ex quibus facile colligere est, quid de aliis quoque Orientalibus sit sentiendum.

Primo itaque, prohibentur Græci ad Maronitarum ritum transire sine peculiari Romani Pontificis licentia, atque eodem modo prohibetur transitus ad Latinum ritum, ut supra dictum est.

Secundo de iis, quos *Latini antea* appellavi, nimirum, qui a Græcis parentibus progeniti, deinceps tribus Græcis Sacerdotibus, Latino ritu a Latinis ad hunc diem baptizati fuerunt, eumque ritum hactenus tenuerunt, eorum magnus numerus Damasci invenitur perhibetur, neque satis hucusque definitum fuit, cui potissimum ritui addicti esse debeant, *declarat & declaratur*, ut eorum persona ab ipso Summo Pontifice deputanda, semel profiteri debeant, in quo ritu vivere malint; in eoque in posterum omni variandi facultate adempta, perseverare teneantur.

Tertio statuitur, ut filii, qui ab hujusmodi parentibus post emissam ab illis præstitam declarationem nascentur, necnon ii, qui jam nati sunt, sed nondum ad usum rationis pervenerunt, sequantur conditionem parentum, si conjuges unum eumdemque ritum elegerint; sin minus, patris ritum sequantur.

Quarto, si quos in posterum Græcos, necessitate cogente, ob defectum Parochi Catholici ritus Græci, Baptismum, aut alia Sacramenta a Latino Presbytero recipere eveniat: illi non ideo censendi erunt Latinum ritum suscepisse; sed, omni dubitatione sublata, ritum Græcum, in quo orti sunt, observare teneantur. Et eum quidem, durante prædicta necessitate, in omnibus rebus, quibus possunt, & præcipue in jejuniorum observatione, retineant; in reliquis vero integre resumant & prosequantur, statim ac Episcopus aut Parochus græcus supervenerint.

Quinto decernitur, ne Missionarii Latini, quos in Episcoporum adjutorium & levamen Apostolica Sedes in eas regiones mittit, utendo facultatibus sibi concessis, eorumdem Episcoporum jurisdictioni præjudicium inferant, & numerum subditorum imminuant: atque statuitur, & declaratur, *licere tantummodo Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Custodiæ Terræ Sanctæ Parochialia munia obire cir-*

circa Græco-Melchitas, eisque Sacramenta administrare, in iis locorum & temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antistitem Græci Ritus, quo casu prædicti Fratres emolumenta legitimo jure debita percipere licite valeant, & a jurisdictione Antiocheni Patriarchæ nullatenus ipsi dependeant: sed hujus dumtaxat petenti teneantur singulis annis notulam tradere animarum Græci Ritus in ea Civitate, seu loco existentium, utpote quæ in reliquis eidem Patriarchæ omnino subjicere intelligantur; cujus curæ committitur, ut pro sui muneris impiemento, ubicumque opus fuerit, Catholici Parochi copia suppetat, quo præfati Græco-Melchitæ Sacramenta Græco Ritu recipere queant.

Nota. Ex hactenus dictis colligitur, primo, ubi sunt plures Episcopi, qui in iisdem locis subditos proprii ritus habeant, ut sunt in Patriarchatu Antiocheno, Maronitæ, & Græco-Melchitæ, quemlibet eorum in eos tantum jurisdictionem habere, qui proprium ritum sequuntur, nec alterum posse alienî ritus Fideles ad proprium ritum suscipiendum attrahere, ac multo minus admittere. Secundo, Missionarios in eos, qui sunt Latini ritus, jurisdictionem exercere, tamquam in subditos, qui nullo modo dependent a jurisdictione Episcoporum, qui sunt ritus Orientalis.

Tertio, Missionarios, Christianos Orientis, qui velint Schisma vel hæresim ejurare, non posse hortari ad mutandum ritum, nec ad Latinum ritum admittere, sed eosdem in proprio ritu relinquere debere, ac Catholico ejusdem ritus Episcopo, si adsit, subjectos. Quarto, quod spectat ad Christianos Orientalis ritus, Missionarios in adjutorium & levamen Episcoporum destinatos esse; nec quidpiam facere posse, quod in illorum jurisdictionis præjudicium cedat: Quamobrem tenentur iisdem Episcopis ostendere, se ab Apostolica Sede illuc missos esse, sed jurisdictionem non ab Episcopis illis, sed ab Apostolica Sede habent, cujus exercitium nequeunt dicti Episcopi sine causa, & inconsulta Apostolica Sede impedire. Ex decreto Sac. Congr. de Propaganda Fide 5. Decembris 1645.

§. II.

De obligatione, quam habent manendi in suscepto Ritu Orientales, qui in Latinorum Ecclesiis degunt.

Etsi ii, qui in societatem aliquam coöptantur, & statim illius legibus subjiciuntur, qua fortasse de causa dicere solitus erat Augustinus, *ad quam Ecclesiam veneris, ejus morem conserva*; tamen ut quandoque homines ex Principum liberalitate in alieno quoque dominio proprias servare leges sinuntur, ita Ecclesia non solum passa est, sed etiam voluit, ut Latini in Orientalium, & Orientales in Latinorum Ecclesiis proprium ritum conservarent, tum ut suam erga ritus omnes venerationem ostenderet, tum quod exploratum haberet, homines ita in susceptam a majoribus disciplinam ferri, ut grave inimis sit eamdem deserere; tum demum quia, hac seclusa lege, maxima oriri posset confusio. Leges autem hac de re ab Apostolica Sede latæ, sunt Constitutiones Innocent. IV. pro Græcis, qui in Regno Cypri Latinis Episcopis subjecti erant, & Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Julii III. Pii IV. & V. Gregor. XIII. Clem. VIII. & Benedicti XIV. pro Italo-Græcis. Nemo autem rem distinctius exposuit Benedicto XIV. qui Const. *Etsi Pastoralis*, aliorum Pontificum hac de re decreta confirmavit, & explicavit, ac alia etiam, quæ opportuna vita sunt, definivit.

Primo itaque permittit, Græcos, & Albanenses in Italia vel alibi sub Episcopis Latinis degentes in proprio ritu manere; ac eos, qui sunt *Ecclesiastici, in quocumque Ordine minori, vel etiam majori constituti, Sæculares, vel Regulares, a Ritu Græco ad Latinum sine expressa Sedis Apostolica licentia transire non posse: Laicis vero, ut ad Ritum Latinum transire possint, Episcopum Diœcesanum posse pro sua prudentia permittere; non tamen communitati Græcorum, sive Albanensium hujusmodi sine Apostolicæ Sedis licentia, sed solum privatis personis, attenta uniuscujusque necessitate.*

Secundo statuit: *Infantes natos ex patre & matre Græcis, Ritu Græco, nisi aliter parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debere.*

Tertio. *Natos vero ex Patre Latino, & Matre Græca, Latinis esse cæremoniis baptizandos; prolem enim sequi omnino debet Patris Ritum, si sit Latinus.*

Quarto. *Si vero Pater sit Græcus, & Mater Latina, liberum esse eidem Patri, ut prolem, vel Ritu Græco baptizetur, vel etiam Ritu Latino, si uxor Latina prævaluerit, ideò, si in gratiam uxoris Latinæ consenserit Græcus Pater, ut Latino Ritu baptizetur.*

Quinto. *Infantes ad ejus Parochiæ jurisdictionem pertinere, cujus Ritus sunt baptizati, cum per baptismum fiat susceptio Ritu Græci, vel Latini professio, itaut ad Latinum Ritum spectent, qui Latinis cæremoniis baptizati fuerint; qui vero Ritu Græco Sacramentum baptismi susceperint, in Græcorum numero sunt habendi, adeoque si ante usum rationis decesserint, a proprio, cujus Ritu baptizati sunt, Parocho, & in propria Parochia sunt jure communi sepeliendi, nisi iis Baptismus collatus fuerit, vel ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, nec haberi potuerit proprii Parochi, vel Ritus copia, vel ex dispensatione Apostolica, cum videlicet facultas data fuerit, ut latine quidem baptizentur, sed in suo Ritu Græco permaneant: In iis enim casibus non censentur a proprio ad alium Ritum transisse. Post usum vero rationis idem dicendum, nisi quis in aliquî Ritus Ecclesia sepeliri cupiat, si quis enim Græco Ritu baptizatus, in Latina Ecclesia, vel Latino Baptismate initiatus, in Ecclesia Græca sepulturam eligat, juris regulæ sunt servandæ: nimirum cadaver extra propriam Parochiam a proprio Parocho esse associandum, quarta funerali et minime inominata, & ubi tumulandum est cadaver, ibi a Parocho illius Ecclesiæ sive Latinæ sive Græcæ justæ exequiæ celebrandæ.*

Sexto. *Quando vero Infantibus prædictis, seu etiam adultis, exequiæ Ritu Græco, & in Ecclesia Græca, ut præfertur, jure communi sunt celebrandæ, tunc nullum jus habet Latinus Parochus interessendi cum Græco Parocho, nec partem aliquam stolæ*

stolæ percipiendi: similiter nullum jus competit Parocho Græco, quando exequiæ in Ecclesia Latina, & per Latinum Parochum sunt peragendæ, sed servanda sunt utrobique statuta de juribus Parochorum, circa sepulturam eorum, qui ad propriam Parochiam spectant.

Septimo. *Quem Ritum semel in baptismo sunt professi, sive Latinum, sive Græcum, in eo instituti, & educari debent, nec ad alium possunt transire, si latinum semel susceperint. Ritui enim Latinus propter suam præstantiam, eo quod sit Ritus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matris, & magistræ, sic supra Græcum Ritum prævalet, maxime in Italicis regionibus, ubi Latinis Episcopis Græci subjecti sunt, ut non modo ab ipso ad Græcum transitus nullatenus permittatur; verum etiam a Græcis semel assumptus, absque Apostolica dispensatione, deseri nequeat.* Hinc Maritus Latinus Uxoris Græcæ ritum sequi non potest, nec Latina Uxor mariti græci. Græcus vero maritus potest, si velit ritum Uxoris Latinæ sequi; & Græca itidem Uxor mariti Latini, post cujus obitum ad Ritum Græcum redire nequit.

Præter hæc, quæ §. 1. & 2. citata Const. sunt explicata, §. 3. præscribitur, qua ratione Græcus Ritus in Italia, & Insulis adjacentibus sit observandus. Ac primo quidem, Græcis ipsis, & Albanensibus Ritus Græci inter Latinos degentibus, tam Prælatis, Parochis, & Presbyteris Sæcularibus, quam Regularibus, & Laicis, ut suis Ritibus, atque observantiis, & consuetudinibus uti, ac illos, & illas observare, Missasque & Divina Officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare liberè, ac licite possint, concedit, & indulget. Sic vero id ipsis permissum esse declarat, *ut quæ a Fidelibus in diœcesi, ubi ipsi habitant, universim, & sine ullo Personarum, & Rituum discrimine, juxta sacros Canones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi, non obstante rituum diversitate, obligati censeantur.* Cujusmodi sunt. Kalendarii Gregoriani observatio, de quo diximus in appendice ad tract. de lectibus; Summi Pontificis, & Ordinarii Loci in Missis, ac divinis officiis commemoratio: non vero Patriarcharum, & Antistitum Orientalium; quibus addere licet commemoratio Græci Catholici Antistitis, ubi ex licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii Loci, Pontificalia exercere permittitur: subjectio etiam Constitutionibus Apostolicis contra sollicitantes, ut loco supra citato diximus: denique dies festos de præcepto Latinæ, ubi degunt, Ecclesiæ servare tenentur.

Secundo. *Ad observationem vero jejuniorum, & vigiliarum ejusdem Latinæ Ecclesiæ, si tota Loci Græcorum communitas, vel potior Laicorum pars Parochi, & Presbyteris conjunctim induci possit, optimum esset; idque absque alia Sedis Apostolicæ dispensatione, arbitrio Ordinariorum relinquitur Latinorum. Non tamen ad id cogi debent, si velint Ritum suum in jejuniis sequi, cum ipsi qualibet hebdomada, feria quarta, & feria sexta, ut asseritur, soleant jejunare; neque privatis personis fas sit, ubi Parochiam Græcam habent, ibi contra proprium Ritum, Latinorum more jejunia, & vigilias servare; sed omnes vel Græce cum Græcis, vel Latine cum Latinis jejunent. Ubi vero propriam Parochiam non habent, ibi libere, & licite possunt in omnibus Latino ritui sese conformare, sive Laici sint, sive Presbyteri, excepto Græco Ritu, qui in Missis, ac divinis officiis a Presbyteris est servandus.*

Tertio. *Ubi Parochiam Græcam habent, tolerandus est apud Græcos esus carnium die Sabbati, si sine scandalo fieri potest, in locis autem ipsorum, & inter eos tantum.*

Quarto. *Prohibentur tamen Græci suis Famulis Latinis cibos vetitos apponere die Sabbati, sive alio quocumque tempore, quando prædictis Græcis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore, quo Latini debent ab illis abstinere: Latini enim famuli Græcorum, Latinum Ritum servare tenentur.*

Quinto. *Tolerandum est, ut ad jejunium eadem die Sabbati in quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione, non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam. In jejuniis quoque biduanis, vel triduanis, vel aliàs a Diœcesanis, vel in Jubilæis a Summo Pontifice Romano indictis, diès Sabbati in eis comprehensus, vel præscriptus, in alium diem pro Græcorum plebe ab ipsis Diœcesanis Apostolica auctoritate permittitur commutari.* Vide append. ad tract. de jejunio.

Sexto. Mandat, ne plebibus Italo-Græcis præficiantur Sacerdotes a Latino Diœcesano Episcopo ordinati, qui Latino ritu ministrent; sed Græci, vel Albanenses, Catholici tamen sive Adventæ, sive Indigenæ, Græco ritu viventes; & ne Presbyteri Latini, ni specialiter per ipsos Græcos vocati, se immiscent Græcorum functionibus. Prohibentur quoque Clerici, Presbyterique Græci in Latinorum Ecclesiis Missas, & alia Divina Officia, cum solemnitatibus, & cantu celebrare, nisi Episcopus, cujus jurisdictioni subjiciuntur, vel ejus in spiritualibus Vicarius Generalis licentiam concedat: quam tamen rite concedere valeant, etiamsi nulla præcisa necessitas adsit, sed aliqua tantum spiritualis utilitas inde speretur.

Septimo. Præcipit, ut in præcedentiis Clericorum Latinorum, & Græcorum, *nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur Ritus Græci, & Latini diversitas, sed tempus ordinationis prædictorum Clericorum, vel qualitas Ecclesiasticæ dignitatis, si aliqui eorum ea insignita reperiantur, vel ceteræ qualitates, quæ jure suo in solemnitatibus Ecclesiasticis principem locum sibi vindicare solent.*

Octavo. Ita Græcos Ritus servare permittit, ut Latinorum Episcoporum, in quorum Diœcesi degunt, jurisdictioni subjecti ita censeantur; *ut non obstantibus quibuscumque exemptionibus, & privilegiis dictis Græcis, eorumque Prælatis, Rectoribus, Abbatibus, & aliis tam Sancti Basilii, & aliorum Ordinis Regularibus, qui privatam vitam degunt, nec in congregationem sint redacti, quam sæcularibus, ac etiam Laicis Personis quocumque nomine nuncupatis, ita Latinis Ordinariis Locorum, quos habitant, debent esse subjecti, ut ipsi Locorum Ordinarii quascumque eorumdem Græcorum, & Albanensium Ecclesias, Monasteria, Prioratus, alia Pia Loca, tam sæcularia, quam cujusvis Ordinis Regularia, eorumque Prælatos, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, ac majori dignitate præfulgeant; nec non Abbates, Rectores, Ministros, & quascvis alias ejusdem Nationis personas in suis Civitatibus, & Diœcesibus consistentes, quoties opus fuerit, visita-*

ſtare, ac in illis ſuam ordinariam juriſdictionem, plenamque, & omnimodam auctoritatem, in iis quæ Dei cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, ac animarum ſalutem, hæreſumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi libere, & licite valeant &c.

Nono. *Ubi vero duo eſſent Epiſcopi ejuſdem Loci à Sancta Sede Apoſtolica deputati, unus Latinus, alter Græcus (quemadmodum in Calabriæ partibus, & in Sicilia olim fuiſſe perhibentur, & nunc in quibuſdam Græciæ Inſulis exiſtunt) Epiſcopus Latinus de Perſonis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus Græcis, ac de juriſdictione Epiſcopi Græci, vel aliis quibuſcumque ad Epiſcopum Græcum, quomodolibet ſpectantibus, nullatenus ſe intromittere præſumat: ſed Epiſcopus Latinus Latinorum, Epiſcopus vero Græcus Græcorum dumtaxat curam, & juriſdictionem reſpectivè habeant, & exerceant. Id quod de Epiſcopis Græcis pro Ordinatione Italo-Græcorum Romæ, vel in Calabria per Sedem Apoſtolicam conſtitutis, intelligendum non eſt, cum facultatibus Ordinariorum careant.*

Decimo. *In Diœceſi, ubi Latini, & Græci inhabitant, & ſolum Archiepiſcopum, ſive Epiſcopum Latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, circa negotia, & cauſas dictorum Græcorum, Vicarium Græcum ipſis Græcis gratum, vel per ipſos Græcos eligendum (ex qua Græci Viri melius Græcos mores novit, quam Latinus) ipſorum ſtipendio, & ſalario retinendum deputet; & in cauſſis appellationis ad Metropolitanum, qui forſan Græcus non eſſet, dictus Metropolitanus ſimiliter in dictis cauſſis Judicem Græcum deputare teneatur.* Reliqua indicabimus, dum de ſingulis Sacramentis agemus.

Nota. Ad conſervandam pacem inter Armenos unitos Regno Poloniæ, & ob alias graviſſimas cauſſas, Sac. Cong. de Propag. Fide annuente Sanctiſſ. decrevit, ne de cetero Armenis unitis ſive laicis, ſive Eccleſiaſticis Sæcularibus, quam Regularibus ad Latinum Ritum, quacumque de cauſſa ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia tranſire liceat: & præinde omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Officialibus Armenorum unitorum diſtricte præcipiendo mandavit, ne deinceps licentias pro hujuſmodi tranſitu ſubditis ſuis, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, concedere præſumant: & Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis Latinis, & eorum Officialibus, ne deinceps Armenos prædictos unitos ad Latinum Ritum tranſire volentes quovis prætextu, aut cauſſa, retiam cum licentia Armenorum Prælatorum ſuorum recipere audeant ſub pœna nullitatis actus. Die 2. Aprilis 1669.

§. III.

De obligatione, qua Latini in proprio Ritu permanere tenentur.

PLura ſunt, quæ peculiarem in Latinis permanendi in proprio Ritu obligationem monſtrant. Primum quod Latinus ritus ſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Eccleſiarum eſt Mater, atque Magiſtra; Deinde quod Clemens VIII. aliique Romani Pontifices, ac præſertim Benedict. XIV. utraque à nobis ſuprà citata conſtitutione, ſemper expreſſe prohibuerint Latinos ad Græcum ritum tranſire: denique, in partibus Orientis, ubi hæc Latini ritus mutatio contingere poſſet, ſi paucos excipias, omnes ferme Schiſmatici, vel Hæretici ſunt; adeoque ſi Latini ad Græcum, vel alium orientalem ritum tranſirent, ſeſe periculo exponerent labendi in hæreſim; quia ritus hujuſmodi ſuſcipiendo, cogerentur ſaltem progreſſa tempotis Sacramenta recipere, ac verbum Dei ab Orientalibus Sacerdotibus audire ut plurimum Hæreticis, & Schiſmaticis, a quibus facile in errorem induci poſſent, ut argumentatur Verricellus Tit. III. de Leg. q. 11.

Hinc cum Pater Albertinus Societatis Jeſu Miſſionarius in Inſulis maris Ægei, in quibus omnes Græcum ritum ſequuntur, dubium propoſuiſſet Sacræ Congreg. quod ſequitur. *An poſſint abſolvi fideles Ritus Latini, qui tranſierint ad Ritum Græcum, & in illo vivant, comedendo carnes die Sabbati, ac per omnia Ritum ſervant Græcorum*: die 7. Junii 1639. reſponſum fuit: *Poſſe abſolvi, niſi intendant perſeverare in Ritu Græco, ſine diſpenſatione; niſi juſta neceſſitas excuſet.*

Atque hinc ſequitur primo, Miſſionarios, a Sacr. Congreg. ad Orientales deſtinatos teneri ad omnia Latinorum jejunia ſervanda, ſicut etiam reliqua, quæ Latinæ Eccleſiæ diſciplina præcipit; cum fine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione Latinæ Eccleſiæ ritum mutare nequeant. Errat ergo Paſqualigus, ut eſt eriam a Verricello notatum, dum ait, Miſſionarios inter Orientales non teneri ad jejunia, quæ extra Quadrageſimam Latini ſervant, quod hæc apud Orientales non vigeant, ac fortaſſe nunquam vigu erint. Nam præterquam quod Latinum Ritum, qua parte poſſunt, omnino ſervare tenentur, ut ex Romanorum Pontificum decretis liquet, tum in citatis a nobis Conſtitutionibus, tum etiam Sacrarum Congregationum deſtinationibus, pluries declaratum eſt, Latinos in Oriente degentes, vigilias, aliaque propria Latinæ Eccleſiæ jejunia ſervare debere.

Sequitur ſecundo, non recte ſentire Thomam a Jeſu, dum de Converſione omnium gentium lib. 6. cap. 8. v. 2. ait: *Sæculares domicilium habentes in Eccleſia Græca, vel alia Schiſmaticorum, quales nunc ſunt Luſitani multi in interiori Æthiopia, poſſe ſe conſuetudini accommodare & debere; maximè ſi ſit ſcandalum, niſi alias vellent ipſi in omnibus Latino more vivere, habeantque miniſtros Eccleſiæ Latinæ: nam tunc certum eſt nullatenus teneri.* Etenim ex generali conſuetudine totius Orbis Chriſtiani, nullus obligatur proprium ritum deſerere, quod nimis durum ſit, antiquos mores mutare, quamobrem ne Orientales quidem, qui inter Latinos degunt, proprium Ritum mutare coguntur. Nec video in hoc ſcandalum eſſe poſſe ullum, cum hæc conſuetudo notiſſima ſit, ut ex Leonis IX. epiſtola liquet, quæ eſt ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, cujuſque verba nos ſupra retulimus. Præterea a Romanis Pontificibus expreſſe vetitus eſt tranſitus a Latino ad alium Ritum; imo ne Latinæ quidem uxori ad Græcum viri Ritum tranſire permittitur. Pro iis ergo ea tenenda erit regula, quam Bedeđictus XIV. Conſtitr. *Demandatam* pro Græco-Melchitis præſcripſit: ſcilicet, ubi Latinus neceſſitate cogente, ob defectum Parochi, & alterius Sacerdotis proprii Ritus, Baptiſmum, aut alia Sacramenta ab Orientali Presbytero recipere eveniat, ſi-

le non ideo cenſendus erit Orientalem Ritum ſuſcepiſſe, ſed omni dubitatione ſublata, Ritum Latinum obſervare debebit, eumque durante prædicta neceſſitate, in omnibus rebus, quibus poteſt, & præcipue in jejuniorum obſervatione retinere: in omnibus vero integre reaſſumere tenebitur, ſtatim ac Epiſcopus, aut Parochus propriì Ritus advenerit.

Sequitur tertiò, non teneri Latinos, qui in Oriente verſantur, etſi ibi perpetuum domicilium ſtabilierint, jejunia Orientalium more ſervare: Eccleſia enim neminem ad jejunia diverſarum Eccleſiarum ſimul cogit. Curare vero debent, ne aliis præſertim puſillis ſcandalo ſint.

Nota 1. Cum lex quæ obligat ad manendum in proprio Ritu, ſit lex Eccleſiaſtica, quæ cum graviſſimo incommodo neminem obligare præſumitur, ſcilicet in iis circumſtantiis, in quibus pia Eccleſia mater filios ſuos non obligaret, dari poteſt caſus in quo ſine peccato aliquis Ritum mutet ſuum. Ut e. gr. ſi uxor Latina in Oriente degens nequeat virum Græcum ad Latinum Ritum trahere, nec cum eo poſſit pacem ſervare, ſi Græco more non vivat, immo graviſſima ei moleſtia ſit, poterit etiam ſine culpa Græcum ritum ſequi; ut etiam a Theologis deputatis in Congregatione Romæ habita coram Eminentiſſimo Card. de Cremona die 7. Julii 1639. definitum fuiſſe refert Verricellus tit. 3. qu. 82. Ad permanendum vero in hoc Græco ritu neceſſe ſemper eſſet petere diſpenſationem a S. Sede Apoſtolica, quam petere tenetur ſi poteſt.

Nota 2. Si maritus ex. gr. Græcus Latinæ uxori moleſtus ſit, in contemptum Latini ritus, quem ſervat, eamque ad hunc contemnendum obligare velit, tenetur hæc potius mortem ſubire, quam obtemperare viro, quia cum id cedat in Catholicæ Fidei contemptum, grave eſſet contra Fidei confeſſionem peccatum. Vide ea, quæ in tract. de leg. ſunt ab Auctore hac de re explicata. Tunc vero Eccleſia contemneretur, cum vir Græcus Latinæ Eccleſiæ ritum malum eſſe aſſereret, in eoque homines æternam ſalutem conſequi non poſſe; vel cum Eccleſiæ aut Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, legemque ſperneret, quæ præcipit eum etiam Latinam Græci viri uxorem ſervare oportere; Eccleſiam vero non contemneret, ſi uxori moleſtus eſſet, eamque derideret, quod græcum ſuum ritum prædiligeret, in eoque ob auſteriora quæ ſervantur jejunia, aut alia, plus Omnipotenti Deo hominem placere poſſe, affirmaret; id enim non eſſet Romanam Eccleſiam contemnere, ut patet *ex cap. Novit. 12. diſt.*

Nota 3. Nulla rituum permixtio, quæ vetita ſit, haberetur, ſi deficiente proprii ritus Eccleſia, aut Latinus Miniſter cum plebe ſui ritus in Eccleſia Orientalium, aut Orientalis in Latinorum Eccleſia, Sacrificium Miſſæ, aliaſque Eccleſiaſticas functiones celebraret, *ſed urbanitatis officia exercerentur, vel potius præcepta implerentur æquitativi cujuſdam juris, expoſcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, quæ jure aliquis præſtare jubetur, locus ipſi libenti animo concedatur.* Vide cit. Encycl.

CAPUT IX.

De Ritibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate proſcriptis, deque iis, qui rejiciendi videantur.

NOn omnes hic recenſendos ſuſcipimus ritus, quos Apoſtolica Sedes etiam ab antiquis temporibus damnaverit; ſed eos tantum, quos in regionibus, in quibus hæc ætate noſtra ſacræ miſſiones vigent, adhiberi, aut tolerari poſſe prohibuit. Primum vero eos indicabimus, quos in Indiis Orientalibus, præſertim apud Sinenſes, & Malabares nec uſurpari, nec ferri ullo modo poſſe definivit. Deinde eos, quos damnavit in Conſt. quam edidit Benedictus XIV. pro Regno Serviæ, eique finitimis regionibus. Ac demum illos, qui in aliis miſſionum partibus tolerari non poſſe videantur.

§. I.

De proſcriptis Ritibus Sinenſibus, & Malabaricis.

AD Sinenſes quod attinet, ritus indicamus Apoſtolicæ Sedis decretis pluries damnatos, quorumque proſcriptionem Clemens XI. Conſt. quæ incipit *Ex illa die*, & Benedictus XIV. Conſt. cujus initium eſt: *Ex quo ſingulari*, comprobaverunt. Primo itaque ſtatuitur. *Cum Deus Optimus Maximus congrue apud Sinas vocabulis Europæi exprimi nequeat, ad eundem vero verum Deum ſignificandum, vocabulum Tien Chù, hoc eſt cæli Dominus, quod a Sinenſibus Chriſtianis, & Fidelibus longo, ac probato uſu receptum eſſe dignoſcitur, admittendum eſſe: nomina vero Tien Calum, & Xang Ti Supremus Imperator penitus rejicienda.*

Secundo. *Idcirco Tabellas cum inſcriptione Sinica King Tien, Cœlum colito, in Eccleſiis Chriſtianorum appendi, ſeu jam appenſas inibi retineri, permittendum non eſſe.*

Tertio. *Nulla de cauſſa permittendum eſſe Chriſtifidelibus, quod præſint, miniſtrent, aut interſint ſollemnibus ſacrificiis, ſeu oblationibus, quæ a Sinenſibus in utroque æquinoctio cujuſcumque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri ſolent, tamquam ſuperſtitione imbutis. Similiter nec eſſe permittendum, quod in Ædibus Confucii, quæ Sinico nomine Miao appellantur, iidem Chriſtifideles exerceant, ac peragant cæremonias, Ritus, & oblationes, quæ in honorem ejuſdem Confucii fiunt, tum ſingulis menſibus in Novilunio, & Plenilunio a Mandarinis, ſeu primariis Magiſtratibus, antequam dignitatem adeant, ſeu ſaltem poſt ejus poſſeſſionem adeptam, qui poſquam ad gradus ſunt admiſſi, e veſtigio ad Templum, ſeu ædem Confucii ſe conferunt.*

Quarto. *Non eſſe permittendum Chriſtianis in Templis, ſeu Ædibus Progenitoribus dicatis, oblationes minus ſollemnes eiſdem facere, nec in illis miniſtrare, aut quomodolibet inſervire, vel alios Ritus, & cæremonias peragere: nec oblationes hujuſmodi, Ritus, & cæremonias coram Progenitorum Tabellis, in privatis domibus, ſive in eorumdem Progenitorum ſepulcris, ſive antequam defuncti ſepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri con-*

fuetos, una cum Gentilibus, vel seorsim ab illis peragere, eisque ministrare aut interesse. Imo cum omnibus hinc inde perpensis, *prædicta omnia ita peragi comperta sint, ut a superstitione separari nequeant, Christianæ Religionis cultoribus, nequidem permitti possint, præmissa publica aut secreta protestatione, se non religioso, sed civili, ac politico tantum cultu erga defunctos illa præstare, nec ab eis quidpiam petere, aut sperare.*

Quinto. *Permittendum non est Christifidelibus, Tabellas defunctorum Progenitorum in suis privatis Domibus retinere, juxta illarum partium morem, hoc est cum inscriptione Sinica, quæ Tronus seu sedes Spiritus, vel Animæ N. significetur, immo nec cum alia, qua Sedes, seu Tronus; adeoque idem ac prius, licet manifi contrarium inscriptione designari videatur. Quo vero ad Tabellas solo defuncti nomine inscriptas tolerari posse illarum usum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia, quæ superstitionem redolent & seclusa scandalo, hoc est, dummodo qui Christiani non sunt, arbitrari non possint, Tabellas hujusmodi a Christianis retineri ea mente, qua ipsi illas retinent, nec non adjecta insuper declaratione ad latus ipsarum Tabellarium apponenda, qua, & quæ sit Christianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac reporum erga progenitores pietas esse debeat, enuncietur.*

Venio ad Malabaricos. Primo prohibentur in baptizandis tam pueris, quam adultis omittere Sacramentalia jubentur que omnia pulam adhibere, *& signanter frivam, sal, & insufflationes, quæ ex Apostolica traditione Catholicæ Ecclesiæ recepit: & ob recondita in iis sacris ceremoniis divina erga nos benignitatis mysteria, sancte, & inviolabiliter custodire.* Ac Missionarii gravis negligentiæ arguuntur, quod recusum non habuerint ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate dispensandi circa usum præmissorum Sacramentalium, declaraturque, male se gessisse Episcopos, concedendo hujusmodi dispensationes inconsulta Apostolica Sede. Hæc dispensatio concessa fuit ad decennium a Clemente XII. atque ad aliud decennium prorogata a Sanct. Mem. Benedicto XIV. anno 1744. *omnibus tamen Missionariis districte præcipiendo, ut hac dispensatione benigne a Sede indulta, nonnisi certis in casibus, & cum gravis id necessitas postulabit, de quo eorum conscientia staretur, utantur, nec nisi in prædictis casibus salvis usum in administratione baptismatis possint omittere, & occultas adhibere insufflationes; modo ii, qui se baptizandos offerunt, in ea vim aut opinionem, ut credant salutem, atque insufflationes hujusmodi necessarias esse, atque indicantes Sacramentalia Ritus mysterium; qui enim adeo falsa, atque distorta persuasione imbuti essent, tamquam indigni & incapaces Sacramenti Baptismatis licite suscipiendi, ab eo repellendi essent.*

Secundo. Statuitur ne Christianis nomina imponant Idolorum, vel falsæ sectæ Præsidium, atque *curent quantum fieri poterit, ut, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem baptizando a Baptizante nomen imponatur alicujus Sancti in Martyrologio Romano deleripti.*

Tertio. Munentur, ne Baptisma Infantium, ex Christianis parentibus ortorum, diu protrahatur, non sine maximo dictorum Infantium salutis discrimine; *Sed sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri possit, attentis circumstantiis, Genitoribus præfinent, gravitet conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra præfixum tempus ad Ecclesiam deferant Sacro fonte abluendos.*

Quarto. Prohibetur contrahi matrimonium juxta morem regionis ab Infantibus sex, aut septem annorum, *ex Genitorum consensu, qui Matrimonium indissolubile de præsenti contrahant per impositionem Taly, seu aureæ Tesseræ nuptialis Uxori collo pensili, & ne hujusmodi matrimonia irrita inter Christianos fiant, neque sponsos ita conjunctos cohabitare finant, donec completa legitima ætate, & explorate eorum consensu in faciem Ecclesiæ, verum & Canonicum matrimonium contraxerint, juxta formam a Concilio Tridentino præscriptam in locis, in quibus decretum dicti Concilii in cap. 1. sess. 24. de Refor. Matrim. publicatum est, & impostorum publicabitur, neque ejus observantia sit impossibilis.*

Quinto. Prohibentur Christianæ mulieres ad collum appensum deferre *Taly*, quod imaginem licet informem præfefert Pulleyaris, seu Pyllejaris Idoli nuptialibus ceremoniis præpositi, *& ne Uxores innuptæ videantur, uti poterant alio Taly, vel Sanctissimæ Crucis, vel D. N. Jesu Christi, vel B. V. M. vel alia quavis Religiosa Imagine ornato.*

Sexto. Declaratur, superstitione non carere funiculum centum & octo filis compositum, & crocco fucco delinitum, quo plerique dictum *Taly* appendunt; quamobrem *prohibetur dictorum filorum numerus, & unctio.*

Septimo. Interdicuntur ceremoniæ Nuptiales juxta harum Regionum morem, *cum undique noxia Gentilitatis labe scateant, & difficillimum sit, eas a superstitioso expurgare.* Quamobrem Missionariis, eorumque superioribus injungitur, ut novis adhibitis diligentiis, superstitiosa omnia a dictis ceremoniis expungant, *& signanter, præter fluctuat in hac materia ab ipsiem Missionariis reformationes, vanus arboris Areficiomarea omnino auferatur, ferculorum numerus, non minus ac cibi præscripta qualitas varietur, circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia emittantur; & quod de ferculis dictum est, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis dictum & prohibitum intelligatur.*

Octavo. *Fructus vulgo dictus Cocco, ex cujus fractione prosperitati, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Christianorum nuptiis rejiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice, sed secreto & extra sollemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum deliramento sunt immunes.*

Nono. *Decernitur, non licere Animarum Pastoribus, nec per se ipsos, nec per Catechistas, nec per alios quoscumque mulieribus menstruali morbo laborantibus prohibere accessum ad Ecclesiam, vel ad confessarium, durante dicta infirmitate & dicta purificationis tempore.*

Decimo. Prohibentur festivæ gratulationes, quæ in prima puellarum purgatione ibi fieri solent, Missionariisque injungitur, *ut non solum eas, verum etiam Genitores moneant, quam dissona sit virgineæ pudoris legibus ejusmodi obscœna consuetudo, quæ a Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita labefactata puellarum verecundia eas efrenate ad libidinem provocare valeant.*

Undecimo. Statuitur ne hominibus abjectæ & infimæ conditionis, vulgo dictis *Parear* qui Christiani sint, desideranda relinquatur in infirmitate copia Confessarii: & ne, ingravescentibus morbis cum gravissimo vitæ corporalis periculo, ii æterne consulere cogantur, *Missionariis præipitur, ut infirmos hujusmodi conditionis ad Ecclesiam deferendos expectent, sed consultius domos ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos invisendos, ac piis sermonibus & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque damnum eis in extremo vitæ discrimine constitutos sancto infirmorum Oleo deliniant absque perfunctorum aut sexus acceptione, damnatur que expresse quæcumque praxis hujus Christianæ pietatis officio contraria.* Præterea monentur iidem Missionarii, *ne ad Baptismum admittant Indos, qui in ea sunt opinione, Parear a Deo esse reprobatos, & ideo nullam posse sperare salutem, nisi eam opinionem deposuerint.*

Duodecimo. Prohibentur Christiani Tympanorum pulsatores, Tibicines, vel alterius cujuscumque instrumenti musici sonatores, *ne impostorum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occasione sacrificiorum, tum quarumcumque sollemnitatum superstitioso cultu imbuturum, sonare, aut canere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, de qua missionarii non solum eos monere tenebuntur; verum etiam illam omnino executioni demandare, & contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant, & publicis pœnitentiæ signis patratum scandalum emendaverint.*

Tertiodecimo. *Declaratur Pontificiam constitutionem Gregorii Papæ XIV. Incipien.* Romanæ Sedis Antistites: *ad petitionem PP. Societatis Jesu editam, qua indigenis Christifidelibus lavacra non alia occasione, & fine, quam corporis refciendi, & a naturalibus sordibus mundandi, ab Apostolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus a Gentilibus adhiberi solent, aque adscere Evangelicos Operarios, quibus propterea non licet sub quacumque alia causa, & fine, etiam ad effectum, ut exsistimentur Sanctas, seu Brachmanes pro ceteris dediti hujusmodi ablutionibus, illis uti præterim statutis eorum horis, & ante, vel immediate post quamcumque saltam funitionem.*

Quartodecimo. *Prohibetur, cineres ex Vaccæ sterore confectos, & impiam Gentilium pœnitentiam a Rutren institutam redolentes hendricere: eosque fronti Sacro Chrismate delinitæ impingere, sive quæcumque alia forma alibi, vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre, præcipitur vero, ut Sanctæ Ecclesiæ consuetudo, pilque Ritus Cineres benedicendi, illisque Christianorum caput Cruce signandi ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, eclisiole ferventur, tempore, ac modo ab Ecclesia præscripto, scilicet feria quarta Cinerum, & non alia.* Hæc tam ab aliis Summis Pontificibus, tum a Benedicto XIV. Const. quæ incipit, *Omnium sollicitudinum*, definita sunt.

§. II.

Recensentur ea, quæ proscripta sunt in Const. Benedicti XIV. Inter Omnigenas, *quæ est pro Indis Regni Servia, & finitimarum Regionum.*

PRimo universim prohibet, ne ad occultandam Christianæ Religionis professionem Christiani quidquam faciant, quod præ se professionem ferat Mahumetiæ sectæ, scilicet, ne Circumcisionem suscipiant: nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent, per labia sua assumant: abominanda Infidelium Templa, quæ *Mosbeas* vocant, frequentent; neve Ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu prophanent, eo fine, ut Mahumetani credantur: *Quod hæc omnia etsi fides Christi in corde teneatur, fieri nequeant sine Mahumetis errorum simulatione.*

Secundo damnat usum sepeliendi Christianorum cadavera in Turcarum sepulturis, cum Turcarum assistentia, & Mahumetanis ritibus.

Tertio, qui hujusmodi decretis non pareant, incapaces declarantur Sacramentorum in vita, & si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem: pœnisque subjiciuntur Canonicis Ministri illi, qui hos ad Sacramenta admittere præsumant.

Quarto, a Sacramentis quoque arcendæ jubentur mulieres, quæ nuptiarum nomine in Turcarum contubernium a missæ, vitam ibi agant ab omni religionis exercitio remotam, etiamsi interius se fidem profiteri asserant, *quia fides sine operibus mortua est.*

Quinto, dum mulieres antea dictæ filios Parochis baptizandos exhibeant, si eorum vitæ periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere non dubitent, admonitis matribus ut si filii convaluerint, ipsos in Christiana Religione sedulo educare procurent. Si vero filii validi sint, nihil Pontifex Summus expresse decernit, sed hortatur Ministros, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti, juxta illius dictamen, & prudentiæ fuæ dictamina se gerant. Hos vero, *si ad baptismum admitti posse credidcrint, matribus inculcare jubentur dictam obligationem, quam habent hujusmodi Ecclesiæ filii, si ad rationis usum pervenerint, notam facere veritatem Dei, eosdemque in disciplina, & correptione Domini educare.*

Sexto, irrita atque nulla declarat matrimonia, quæ vel coram solo Turcarum Judice, *Caddi* dicto, vel per solos sponsos, & non ad præscriptum contrahuntur Concilii Tridentini, quod in illis partibus publicatum, usuque receptum est: atque adeo eos, qui ita contraxerint, si convivant, tamquam in illicito concubinatu versari; arcendosque a Sacramentorum communione, *nisi de præterito pœnitentiam agant, & juxta matrimonia in facie Ecclesiæ jungantur.*

Septimo, *Matrimonio a fidelibus rite contracto, eisdem minime permittit, ne quidem ob causam uxorum a Turcarum raptu servandarum, idem coram Caddi per Procuratorem Turcico ritu renovare; nisi tamen mahumetanus nuptiarum ritus sit mere civilis & nullam Mahumetis invocationem, aut aliud quodcumque superstitionis genus includat.*

Octa-

Octavo, Proclamationes a Tridentino statutas, quæ in Concilio Albano Parochis Servize præscribuntur, adempta dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem, quam fieri potest; observari præcipit.

Nono, declarat non dissolvi matrimonium per uxoris fugam, & nuptias ab ea cum Turcis contractas; adeoque si vir deinceps nupserit, in concubinatu versari. Nec Sacramentorum capaces esse mulieres Christianas, vel vi a Turcis raptas, vel a puellis nuptas, quamdiu in hoc concubinatu versantur, etiamsi a Turcis justæ Uxoris loco habeantur.

Decimo, Jubet Episcopis, & Missionariis, ne facultatibus sibi ab Apostolica Sede communicatis, inconsulto, vel erga immerentes utantur, neve terminos suæ potestatis transiliant; quamobrem vetat, dispensationem ullam concedi Mahumetanos ritus simulantibus, *vel iis in casibus quibus matrimonia juxta Ritum Ecclesiæ Catholicæ, & valide, & juste celebranda non esse prævidentur*. Atque monet inter facultates eis communicatas, non reperiri facultatem *dispensandi super impedimento mixtæ publicæ honestatis, proveniente ex matrimonio rato, quod aliat inter alterutram partem, & alterius consanguineum in primo gradu, intercesserit, sed ante consummationem, vel morte, vel aliter legitime solutum fuerit*.

Undecimo, præcipit *in celebrandone nuptiarum observari tempora ab Ecclesia præscripta*: non vetat vero iis temporibus nuptiis interesse officii causa, quæ a Turcis celebrentur, si sine scandalo, & Creatoris injuria fiat, ac dummodo in iisdem nihil fiat, quod superstitionem redoleat.

Duodecimo, vetat cognationis spiritualis gradus ultra illos extendi, quos Trid. Synod. præscripsit, declaratque nullam cognationem oriri *ex assistentia matrimonio præsita, etiam ad contrahentium invitationem, sicut nec inter eos, a quibus capilli pueris primo tondentur*.

Tertiodecimo, retinere præcipit Missalis, Rituales, Cæremoniales quos Romani usum, rejectis Ritibus, & precationibus aliunde petitis: cæremonias, Baptismi, vel non omitti, vel cito suppleri; atque aquam Baptisterii juxta ritum Romanum benedici, & in Baptismo adhiberi.

Quartodecimo, in sepeliendis cadaveribus omnes Turcarum superstitiones devitari jubet, *a quibus profecto originem trahunt superstitiosi quidam Ritus; veluti lationes, quæ incenso Thure, & certarum precum recitatione, quæ a Catholica improbantur Ecclesia, peraguntur*.

§. III.

De reliquis Ritibus, qui vel proscripti sunt, vel rejiciendi videntur.

HActenus ritus recensuimus, qui proscripti sunt in Constitutionibus, quæ circa ritus Sinenses Malabaricos, ac circa abusus illos prodierunt, qui in Christianam religionem irrepserant in Regno Serviæ finitimisque Regionibus. Nunc abusus illos recensebimus, quos Auctores apud alias gentes vigere referunt. Initium autem sumimus ab Abissinis, dicemusque de reliquis ordine.

Abissini, seu Æthyopes Circumcisionem adhibent, quam apud Ægyptios quoque nonnullos in usu esse, Auctores testantur. Supremæ Inquisitionis decreto anno 1637. statutum fuit: *non esse quocumque prætextu tolerandam Circumcisionem. Pastores vero corrigere oportere subditos, quantum possunt contumaceque arcendos esse a communione*. Et quidem jure atque merito; nam circumcisio ab hujusmodi gente adhibetur, vel ut Hebræorum aut Mahumetanorum cæremonia est, vel ut Christum, qui circumcisus fuit, imitentur, sive, ut alii maluat, in signum honoris & nobilitatis, ut ostendant se ex Davidica gente originem trahere. At nullo ex iis modis Circumcisio licita esse potest: Ut enim Hebræorum, vel Mahumetanorum est cæremonia, ritus falsus est, vel falsæ religionis tessera, ut ex dictis liquet: A Christo Domino adhibita fuit, ut cæremonia legalis hæc autem cæremonia Christianis prohibita est. Hinc S. Th. in 4. dist. 4. qu. 2. art. 6. qu. 3. ad tertium alt: *non posse honestari usum Circumcisionis ex quocumque fine honesto, quia ex prohibitione falsus est malus: Et actus malus non honestatur propter bonam intentionem*. Igitur ne quidem in signum nobilitatis usurpari potest.

Nota. Si verum est, quod nonnulli narrant, Ægyptios nonnullos tum masculos tum feminas circumcidere, natura id exigente, quæ sine Circumcisione ad propria obeunda munia inepta foret, nihil reprehendi potest, sed curandum unice erit, ne ex hac Circumcisione scandalum aliis patiantur, neve superstitionem involvat.

Refert Thomas a Jesu Abissinos in festo Epiphaniæ quolibet anno post benedictionem aquæ, mares feminasque ter in aquam mergere prolata etiam baptismatis forma. Hæc etiam cæremonia abusus est; abluere enim hominem proferendo baptismatis a Christo instituti formam, vel est baptismum conferre, aut Baptismum simulare. Nefas autem est baptismum a Christo Domino institutum aut iterare aut fingere. Ajunt, se id facere in memoriam baptismatis Christi. At etsi liceat vel simplici ablutione, vel alia ex arbitrio instituta cæremonia, Christi baptismum in memoriam revocare, nullo modo licitum esse potest pro hac cæremonia Sacramentum usurpare a Christo Domino pro animarum regeneratione institutum, quod iterari non liceat, quodque sine injuria fingi, seu simulari non possit.

Ægyptii, ac Syrorum plerique in eo errore versantur, ut ante determinatum tempus, hoc est ante definitum certum dierum numerum, nefas putent parvulos baptizare; quamobrem plures perire finunt sine necessario ad salutem consequendam remedio. Accedit etiam, quod falso credant, nunquam licere Laicis baptizare, aut validum non esse collatum ab ipsis baptisma. Sed de iis infra.

Supra citatus Thomas a Jesu inter Jacobitas nonnullos esse refert, qui Baptizatorum fronti ferro candenti crucem imprimunt. Hæc autem cæremonia omnino rejicienda videtur. Nam præterquam quod ardum reddit omnibus ad salutem necessariam remedium, Seleucianorum redolere videtur hæresim ab Ecclesia damnatam, quæ etiam igne homines baptizandos esse contendebat.

In-

Inter Syros quoque, Nestorianos plures vigere abusus, ritusque damnandos narrat Assemannus in sua Orientali Bibliotheca; scilicet horum nonnulli Baptismati Circumcisionem addunt; & qui peccatum originale negant, dum pueros baptizant, exorcismos omittunt, quos adultis tantum convenire posse arbitrantur, in quibus reperiri potest peccatum. Rursus pueros morti proximos solo oleo confignant, ac inter eos nonnulli sunt, qui eos iterum baptizant, qui alia aqua, præter eam, quæ oleo unctionis conferrata fuerit, baptizati sint. Inepte pariter credunt, pollui aquam baptismatis, sacrum oleum, vasa sacra, & alia hujusmodi si a Laicis, vel a Sacerdotibus, qui jejuni non sint, tangantur. Item pollui quoque credunt Altaria si ad ea vel mulieres, vel Laici, aut Clerici Sacerdotesque non jejuni accedant, imo & Ecclesiam ipsam, si quis in eam sine calceis ingrediatur. At vanæ ineptæque credulitates sive, ut vana credulitas appellatur Constitutione supracitata. *Demandatam &c.* fides illa Græcorum, qui putant jejunium frangere Sacerdotes, si dum sacrum faciunt, vestibus utantur, quas antea alter Sacerdos adhiberit, vel si in Altari celebrent, in quo eodem die Sacerdos alter celebraverit. Hæ itaque, hisque similes cæremoniæ, quæ ad Dei augendum promovendamque cultum non conferant, sed ineptas potius in hominibus credulitates foveant, sunt omnino a sacris Officiis rejiciendæ, ut quisque ex iis, quæ *cap. I. & II.* disputavimus, facile intelligere poterit.

Armeni Schismatici, ut capite sexto diximus, dum sacrum faciunt, aquam cum vino non miscent, eaque omissione Jacobiticam hæresim profiteri creduntur. Hinc Apostolica Sedes nunquam Armenis, qui ad unionem cum Ecclesia Romana venerint, permittere voluit, licet enixe petierint, ut ad vitandam Schismaticorum persecutionem, aut alia de causa aquæ cum vino mixtionem in Missæ sacrificio omitterent; sed præcepit semper, ut juxta Ecclesiæ præscriptum, dum sacrum faciunt, aquam cum vino misceant, idque non in *Sacristia*, nec clanculum, sed palam & publice, ut in eorum Missali ab Apostolica Sede probato præscribitur. Extant hac de re decreta sacræ Congregat. de P. F. 30. Januarii 1635. & Supremæ Inquisit. 1640. Ejusdem congregat. de P. F. decreto 30. Januarii 1635. statutum fuit: non licere Armenis ad Romanam Communionem venientibus, Trisagio quo uti solent in sacris Officiis, addere, *qui passus est pro nobis*. Vide quæ hac de re explicavimus *cap. VI.* ubi de Jacobitis egimus.

Antequam Græcorum ritus improbatos, suspectosque recenseam, nonnulla indicare operæ pretium duco, quæ Nicolaus Papa I. *in respon. ad Consult. Bulgar.* superstitiosa, aut superstitionis suspecta declaravit. Primum itaque ad ciborum delectum, quod spectat, veluti superstitiosam rejecit illorum opinionem, qui ut *animalia sive volatilia* comederent, inquirendum putabant num ferro, aut ictu hominis percussa mortua essent, quod nefas credebant ictu percussa, ac sine sanguinis effusione occisa comedere, num. xc. Distinctionem quoque inter munda, & immunda animalia, de medio per Evangelium sublatam fuisse declaravit num. xlvii. ideoque sine superstitione servari non potuisse, si aut natura sua quædam immunda putarentur, aut vigere adhuc crederetur lata per Mosem lex. Addit etiam num. lvii. ferri neutiquam potuisse frivolam illorum Græcorum credulitatem, qui sine peccato comedi non potuisse opinarentur mactata ab Eunuchis animalia. Deinde observationes diei, & horarum in incipiendis, exercendisque negotiis, ut incantationes, & loca, ac carmina, & nonnulla augurii exercere, pompas, operationesque diabolicas esse declaravit, quibus in Baptismo abrenunciavimus. Rursus usum lapidis, quo ad corporis sanitatem recuperandam uti confueverant antequam Christiani essent, veluti superstitiosum prohibuit num. lxii. Item morem aperiendi clausum codicem particula ligni, qua aperitione scire se posse putabant, quod cuperent num. lxxvii. Ac demum delationem ligaturæ e gutture pendentis pro infirmitate curanda, ac phylacteria, veluti dæmoniacis inventa verfutiis, rejecit atque damnavit.

Inter proscriptos Græcorum abusus in sacris cæremoniis, nonnulli falsi ritus occurrunt, quos Cardinalis de Torres Archiepiscopus montis Regalis in quadam Diœcesana Synodo damnavit. Primum itaque usum interdixit *Sinaxarii* quod recitare solebant post lectionem sextam Sabbati ante Dominicam sexagesimæ, quia error in eo continebatur jam ab Ecclesia damnatus de animabus non recipiendis in cœlum, neque ad æternas ablegandis pœnas ante extremi judicii diem. Deinde vetuit ne officium fieret impii Gregorii Palamæ Archiepiscopi Thessalonicensis. Ac demum acclamationes quasdam censura perstrinxit, quibus eidem Palamæ, ac scelestissimo Photio plaudebant, ut refert Bened. XIV. de Synod. Diœc. lib. 6. cap. 5.

Præter ea, quæ diximus, nonnulla quoque recensere placuit, quæ ab Apostolica Sede statuta sunt pro tollendis nonnullis, qui apud Græcos vigent, abusibus, quo facilius sacri Ministri possint certam sibi constituere regulam, qua abusus reliquos cognoscere, eosque e medio tollere valeant. Primo itaque statutum est, ne Sacerdotes celebrare audeant, quin, dum opus sit, Sacramentalem confessionem juxta Tridentinæ Synodi præscriptum antea præmiserint, & ne pueris Altari servientibus Eucharistia concedatur, quin ii, qui ratione polleant, eamdem confessionem præmiserint. Secundo, ne permittatur mulieribus Altari servire sive administrare. Tertio, ne Monachi, vel alii iter agentes, ut a periculis liberentur, sive ex alio prætextu sacram ad collum appensam secum ferant Eucharistiam, neve eamdem domi, sive in propria cella retineant. Quarto non esse Eucharistiam toto anno in Ecclesia servandam, & si in fine anni habeatur, consumi oportere; ac tollendum omnino abusum tundendi, vel miscendi cum sacro loco; ac iterum cooperiendi, vel alias excludendi species Eucharisticas feria V. in Cœna Domini, ut deinceps afferventur. Quinto, ut Sacramentum Eucharisticum, quod pro infirmis conservatur in Ecclesiis, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur. Sexto, ne viri, & uxoris simul, & eodem tempore, confessio ab eodem Sacerdote excipiatur. Alia recensebimus, dum de Sacramentis tractabimus. Huc etiam spectant, & quæ diximus in appendice ad tractatum de Fide, & in ea,

ea, quæ est de communione in divinis cum Hæreticis.

Nota. Hæc pauca circa proscriptos ab Apostolica Sede Ritus, abususque damnatos indicasse sufficiat. Ex iis enim facile est cuique intelligere, Apostolicam Sedem damnare Ritus omnes, qui veli dololatriam, vel hæresim redoleant, sive ex animo, sive simulate adhibeantur ac eos qui vani, inutiles que sint; & abusus omnes proscribere, qui in Sacramentorum administratione ubique gentium occurrant, hoc est, ritus consuetudinesque, quæ cum debita Sacramenti veneratione minime cohæreant. Quamobrem in appendice ad tractatum de Legibus diximus, Constitutiones omnes Romanorum Pontificum, quæ iis de rebus additæ sint, ac deinceps fient, ad Orientales quoque pertinere; licet pœnæ Ecclesiasticæ, quæ in eisdem Constitutionibus statuuntur, eos tantum quandoque afficiant, quos expresse nominant. ✠

Finis Partis II. Tomi II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UAN
SIDAD AUTÓNOMA DE NUEV
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC